204.

K V 18


GRAMMATTICA
RELIGIOSA
DECLIN
ATIO.
I.P. Aubry fecit

# NOVA ET MAGNA
# GRAMMATICA
# RELIGIOSA,

QUÆ

## PER SERMONES MORALES

Eremi Nigrensis.

Stylo facillimo docet

DECLINARE à Malo, & CONJUGARE Bonum:
In tempore PRÆSENTI respuere IMPERFECTUM, & PERFECTUM
amplecti, ad obtinendum FUTURUM INFINITUM cum
PARTICIPIO Salutis.

*Opus universis perfectionis Christianæ*
*Studiosis, nec non cunctis Verbi Divini Præconibus, aliisque omnibus*
*animarum Curam habentibus apprimè accommodatum.*

OLIM QUIDEM AB

Ad. R. P. ABRAHAMO à S. CLARA, Ordinis Eremit.
Discalceat. S. Augustini, Concionatore Cæsareo, & per Germaniam ac
Bohemiam Provinciale, luci datum, atque etiam tertiâ vice recusum;

NUNC AUTEM

*Ad plurimorum votum, uberius solatium, fertilioremque animarum*
*fructum, novis sermonibus, scholiisque potiori ex parte fœcundatum &*
*ampliatum, prout ex annexis patescet Indicibus,*

PER

Ad. R. P. MICHAELEM à S. CATHARINA,
Ejusdem Ordinis Discalceatorum, ac Provinciæ Germa-
nicæ Sacerdotem Theologum, & p. t. Definitorem.

---

Coloniæ apud SERVATIUM NOETHEN Bibliopolam,
*Superiorum permissu & Privilegio Cæsareo.* Anno M. DCC. XXI.

# APPROBATIO
## R. P. PROVINCIALIS
### cum Privilegio Cæſareo.

G*Rammaticam Religioſam* à R.P. ABRAHAMO à S.CLARA priùs editam, & à R.P. MICHAELE à S. CATHARINA utroque Ordinis noſtri Sacerdote in triplo auctam, atque à duobus noſtris SS. Theologiæ Lectoribus legitimè cenſam & approbatam, Ego P.F. NARCISSUS à S. LEOPOLDO Ordinis FF. Eremitarum Diſcalceatorum S. P. AUGUSTINI per Germaniam & Bohemiam Prior Provincialis typis mandari permitto, & SERVATIO NOETHEN Civi ac Bibliopolæ Colon. ejúſque Hæredibus Jus Cæſarei Privilegii in Latino & Germanico idiomate uſurpandi eatenus indulgeo, ut abſque mea, meorúmque ſucceſſorum licentia nemo librum hunc neque in latina, neque in germanica lingua recudere, aut intrà S. R. Imperii ac Provinciarum Sacræ Cæſareæ Regiæque Catholicæ Majeſtati hæreditario jure ſubjectarum fines importare, aut venum exponere audeat. In quorum fidem has officii ſigillo munitas, manúque propriâ roboratas dedi in Conventu noſtro Cæſareo Aulico S.P. AUGUSTINI. Viennæ die 8. Junii 1720.

(L.S.)

P. F. NARCISSUS à S. LEOPOLDO
Erem. Diſcalceat. S. P. AUGUSTINI
per Germaniam & Bohemiam Provincialis.

APPRO-

# REVERENDISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO AC SAPIENTISSIMO VIRO AC DOMINO,

# D. CASPARO BARDENHEWER,

PROTO-NOTARIO APOSTOLICO, DOMUS Canonicæ S. ANTONII intrà Coloniam Præceptori Generali, Domino in Junckerstorff ac Straesfedt.

JOannes Carnotensium Episcopus, Patriâ Saresberiensis, D. Thomæ, Cantuariensis Archi-Episcopi & Martyris quondam discipulus, Vir non Religione minùs quàm scientiâ Venerabilis, quemque Joannes Trithemius Abbas ea propter Illustri Encomio condecoravit, & Justus Lipsius, ille Sæculi sui Trismegistus, ob *Veteris ævi Purpuram* in eo notatam, magno in pretio habuit, inter alia litterarum monumenta, Cedro digna, Metalogicum libris IV. comprehensum posterorum memoriæ reliquit; in quo malevolum quendam & inficetum Studiorum suorum æmulum, *Grammaticæ* infensissimum, sub ficto Cornificii nomine, nigro Sale acerrimè perfricat; Laudatorémque ejus Artis Fabium Quintilianum, adducit perfecti Oratoris Institutorem optimum, qui ait: (a) *Ferendos non esse, qui hanc Artem ùt tenuem ac jejunam cavillantur: quæ nisi Oratori futuro fideliter fundamenta jecerit; quidquid superstruxerit, corruet: Hæc est igitur liberalium Artium prima, necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis secretorum comes, & quæ sola, in omni studiorum genere plus habeat operis, quàm ostentationis.* (b) Neque hoc nesciit Philippus Macedonum Rex, dum

† Alexan-

(a) *Quintil. Instit. Orat. lib. 1. c. 4.* (b) *Id. ibid. c. 1.*

Alexandro filio suo prima litterarum monumenta tradi voluit ab Aristotele summo ejus ætatis Philosopho, gnarus studiorum initia à perfectissimo quoque optimè tractari. Quibus ex causis nullâ ratione aut puduit, aut piguit viros præstantissimos, immò & Sacrâ fulgentes Purpurâ, *Grammaticæ* Regulas omnium Gentium linguis perscribere.

Sic prima elementa linguæ *Hebraicæ* tradidêre Robertus Bellarminus S.R.E. Cardinalis, Elias Levita, Joannes Buxtorffius, Theophilus Pistorius, Nicolaus Petræus aliique; *Chaldaicæ* Munsterus, Mylius; *Syriacæ* Gaspar Waserus; *Arabicæ* Thomas Erpenius; *Græcæ* Demetrius Chalcondylas, Theodorus Gaza, P. Jacobus Gretserus S. J. Nicolaus Clenardus &c. *Latinæ*, præter antiquos, P. Emmanuel Alvarez S. J. Gerardus Vossius, Joannes Despauterius &c. *Persicæ* Ludovicus de Dieu, Joannes Gravius; *Æthiopicæ* Jobus Ludolphus, Victor Cajetanus; *Ægyptiacæ* P. Athanasius Kircherus S. J. *Armenicæ* Franciscus Rivola; *Turcicæ* Hieronymus Megiserus; *Germanicæ* Joannes Clajus, Justus Georgius Schotelius &c. *Italicæ* Scipio Lentulus, Laurentius Franciosinus, Matthias Cramerus Ubius &c. *Hispanicæ* Carolus Rodriquez, Henricus Dorgangius Ubius. *Gallicæ* Nathanaël Duëz aliique recentiores; *Anglicæ* Thomas Farnabius, Joannes Wallis, Benjaminus Johnsonius. *Polonicæ* Jeremias Roterus, Nicolaus Volckmarius; *Japonicæ* Didacus Colledus; *Brasilicæ* P. Josephus Anchieta S. J. *Malaicæ* David Haex; *Livonicæ* Henricus Stahl; *Islandicæ* Runolphus Jonas; *Finicæ* Henricus Krugerus; *Danicæ* Ericus Ericius Pontoppidanus. Immensi operis foret alios enumerare.

Quò minor me subit admiratio quòd R. P. ABRAHAM à S. CLARA Ecclesiastes Cæsareus, totâ Germaniâ percelebris, post tot alias ingenii sui piè faceti Lucubrationes, *Grammaticam* ediderit, imitatus haud dubiè, ùt multæ lectionis erat, Aurelium Opilium, (*c*) qui Suetonio teste, Philosophiam primò, deinde Rhetoricam, novissimè *Grammaticam* docuit. Verùm uti hic profanam, sic R. P. ABRAHAM *Religiosam*, sanctiore, utilioréque Studio, professus est. Quod Opus R. P. MICHAEL à S. CATHARINA ejusdem Eremitanæ familiæ triplo auctius publici juris fecit, ut non Tyronibus duntaxat, sed & viris in Religione perfectis utile esse posset. Sciebat quippe vir prudens à Quintiliano edoctus, *Usum Grammatices*, Religiosæ præsertim, *non Scholarum temporibus, sed vitæ spatio terminan-*

(c) *Sueton. de Illustrib. Grammat.*

*minandum.* Habemus itaque *Grammaticam*, sed in chartis tantummodò & elinguem. Ecquis eam vivâ Voce, quæ maximum Doctrinæ pondus adjicit, discipulorum animis instillabit? Hîc enim verò dubius hærebam, cuinam hæc Sparta tutò committi posset. *Præceptorem* inquirebam, Artis adeo sanctæ apprimè peritum. Et ecce, in venerabili Persona *Reverendissimæ Amplitudinis Tuæ*, occurrit mihi *Præceptor Generalis* Canonici Ordinis D. ANTONII intrà Colon. O factum benè! inquiebam. Et cui potiùs, obsecro, R. P. ABRAHAM Eremita Augustinianus, si adhuc locorum inter mortales ageret, *Grammaticam* suam dicatam vellet, quàm *Tibi Reverendissime Amplissiméque Domine*, qui Anachoretæ Antonii non simplex tantùm Alumnus, sed etiam, egregiarum Virtutum tuarum merito Canonicæ Domûs *Caput* es, & *Barbatum* quidem; utì Gentilitium Scutum tuum, ad majorem Tui venerationem demonstrat. Loquatur hîc ipsa Invidia, quantùm in Religiosa Grammatica profeceris. Quis enim, ut à Jove solenne principium sumamus, cum orandus DEUS est, *Partium* bonæ *Orationis* Te callentior? Quis in tradendis disciplinæ Religiosæ *Rudimentis* eruditior? Quis in dignoscendis vitiorum *Generibus* perspicacior? Quis in *Declinandis* æris alieni *Nominibus* cautior? Quis in *Conjugatione* dissidentium animorum felicior? Quis in *Participiis* erogandorum in Pauperes bonorum liberalior? Quis, ubi vel reddenda, vel exigenda Villicationis Ratio, in observandis calculationum *Numeris* accuratior? Quis in *Syntaxi*, hoc est Constructione ædificiorum, pro majori Hospitum Familiæque commoditate, præmio magnificentiæ dignior? Quis in Templi nitore splendoréque, & accuratâ Divini Officii functione (quæ præcelsæ Deóque devotæ mentis elegantissimæ *Figuræ* sunt) Te religiosior? Cûmque Grammatici olim *Literatorum* Nomen, utì testatur Suetonius, sibi proprium fecerint; quis te literatior est? Inspice Insigne Canonici Ordinis tui: Literam *Tau* quam nos cum Græcis communem habemus, præfert. Et quamvis Lucianus vocalium literarum Patronus in festivissima quadam declamatione, (*d*) quam *Judicium Vocalium* inscripsit, literam hanc ejectam ex Alphabeto velit, eo potissimùm argumento quod *Crucem*, infame ac dirum à Tyrannis inventum supplicium, suâ figurâ repræsentet: At nos, qui Christo nomen dedimus, postquam ille, pro generis humani salute, pretiosissimo Sanguine suo *Crucem* purpuravit, eandem literam tanquam certissimum Electorum Signum, (*e*) utì olim Ezechieli Va-

† 2 Vati

(d) *Lucian. Judic. Vocal. Tom. I.* (e) *Zachar. 9.*

Vati prænuntiatum fuit, nec Ordinis tantùm Vestri, sed & Ecclesiæ universæ summum decus & ornamentum meritissimo jure veneramur. Accipe igitur literatissime *PRÆCEPTOR* benevolo, ùt alia soles animo, *Grammaticam Religiosam* Tuo honori dedicatam: non ut Tu ex ea proficias, qui Magisterii Lauream obtinuisti; sed ut eandem discipulis tuis, aliísque religiosæ perfectionis amantibus diligenter commendes, & à Theonino malevolorum dente fortiter tuearis. Ethnicorum quidem votum erat: (*f*)

*Dii majorum umbris tenuem, & sine pondere terram,*
*Spirantésque Crocos, & in urna perpetuum Ver,*
*Qui PRÆCEPTOREM sancti voluère parentis*
*Esse loco.*

At ego profanum hoc votum sanctiore commuto, ex illo Danielis: (*g*) *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt, quasi stellæ, in perpetuas æternitates.* Hoc ut Tibi post longos annos piè felicitérque transactos tandem eveniat, animitus & obnixè DEUM Optimum Maximum precor: *Grammaticámque Religiosam* meis formis editam, ceu perenne paratissimæ meæ ad quævis obsequia voluntatis, Mnemosynon Reverendissimæ Amplitudini Tuæ, me meósque efflictim commendans, dico consecro & maneo cum omni Reverentia usque ad Cineres

(f) *Juvenal. Sat. 7.* (g) *Dan. 12.*

REVERENDISSIMÆ ET AMPLISSIMÆ
DOMINATIONIS TUÆ

Servus addictissimus

SERVATIUS NOETHEN.

APPRO-

## APPROBATIO ORDINARII.

GRammaticam *Religiosam* non ita pridem ab Admodum Rev. P. ABRAHAMO à S. CLARA conscriptam ac luci datam, nunc verò per Reverendum P. MICHAELEM à S. CATHARINA Ordinis Discalceatorum, Germanicæ Provinciæ Sacerdotem Theologum in Religiosorum ac verbi Divini Præconum beneficium plurimùm illustratam typi beneficio publicandam censeo. Colon. hac 10. Januarii 1718.

JOAN. GEORGIUS MOLITORIS SS. Theol. Doct. Perillustris S. Gereonis Canonicus, Universitatis Coloniensis Rector, Librorum Censor ordinarius m. pp.



## CENSURA THEOLOGORUM ORDINIS.

DE Mandato Adm. Reverendi Patris, P. STANISLAI à S. LUDMILLA, per Germaniam & Boëmiam Prioris nostri Provincialis, attentè perlustravi *Grammaticam Religiosam*, quam olim à R. P. ABRAHAMO à S. CLARA jam luci datam, nunc R. P. MICHAEL à S. CATHARINA, itidem nostri Ordinis Sacerdos Theologus, novis scholiis, & sermonibus fœcundè ampliavit: & quia in nulla Regula reperi exceptionem, bonis moribus, aut orthodoxæ Fidei contrariam; ideo ut ab omnibus veræ Grammaticæ, ac Sapientiæ cultoribus inoffenso pede percurratur studiosè, æquissimum censeo. Datum Viennæ Austriæ in Conventu nostro Cæsareo S. P. AUGUSTINI die 17. Maji 1716.

P. CONSTANTIUS à S. URBANO S. Ord Eremit. Discalc. S. P. AUGUSTINI, Definitor Provinciæ, & SS. Theol. Lector ordinar.



PRæsentem *Grammaticam Religiosam*, à R. P. ABRAHAMO à S. CLARA olim editam, nunc autem à R. Patre MICHAELE à S. CATHARINA denuò recognitam, & copiosissimè auctam, ex commissione Adm. Rdi P. STANISLAI à S. LUDMILLA, Prioris nostri Provincialis, accuratè revidi; & quia reperi, quòd superadditum augmentum nullum defectum contra orthodoxam Fidem, vel bonos mores contineat, quin potiùs sanam doctrinam, spirituali profectui valde accommodam præseferat: hinc ut, quæ in seipsâ augmentum suscepit, etiam aliis proficere possit, eam luce publicâ dignissimam censeo. Datum in nostro Conventu Aulico Viennensi. Anno 1716. die 6. Junii.

P. JOSEPHUS à VISITATIONE B. V. MARIÆ Augustinianus Discalc. SS. Theologiæ Lector actualis.

# PRÆFATIO AUTHORIS
## AD
## BENEVOLUM LECTOREM.

NEutiquam dubito, quin ad tuam jam dudum pervenerit notitiam quidam Liber, *Grammatica Religiosa* nuncupatus, qui opere, ac industriâ R. P. nostri ABRAHAMI à S. CLARA ex abditis nostræ Sacræ Eremi Augustinianæ latebris erutus, & in lucem publicam prolatus fuit Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo primo. Tandem cùm circa annum millesimum septingentesimum decimum quintum ultimæ impressionis exemplaria deficere cœpissent, ac reimpressionem ejus Bibliopolæ passim desiderarent, famáque hæc ad meas etiam aures volâsset, animum meum induxi, librum præfatum, habitâ priùs Superiorum veniâ, & benedictione, noviter componere, eò quod plures, satísque crassi in eum irrepserint errores typographici, neque debitis, ac necessariis, (utì palam liquet) provisus sit Indicibus, solúmque accommodatus Juvenibus Religiosis pro lectione spirituali, prout etiam ipse fatetur Author.

Quamobrem cùm intellexissem plurimorum desideria, qui emendatiorem, fusiorem, ac fœcundiorem, *verbo* Novam & Magnam videre, & habere cupiebant: quorum proinde religiosis votis satisfacere volens calamum arripui, & novam hanc & Magnam (dixi Novam, quia labore novo composita; dixi Magnam, quia in triplo propè major, pluribúsque ac fœcundioribus sermonibus est instructa) conscribere cæpi, in DEUM Ter Opt. Max. (qui etiam secundum æternæ veritatis *Matth.* 10. appromissum aquæ potum suo nomine sitienti ministratum, absque mercede abire non sinit) sanctè ac religiosè confidens, hunc meum novum laborem piissimo Divinæ Clementiæ oculo respiciendum, utpote non paucis animabus, quarum salutem, teste Apostolo 1. *Timoth.* 2. veridicè Deus cupit, proficuum futurum, multísque perfectionis, ac salutis semitam aperturum, & demonstraturum.

Urgebat me similiter ad religiosas hásce elucubrationes non recusandas, magni Patriarchæ, ac totius Augustiniani Ordinis Fundatoris Sanctissimi Patris nostri *Augustini* gravis sententia dicentis: *Utile est, plures à pluribus fieri libros, diverso stylo non diversá fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ista perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.*

Proinde quia *Charitas* (1. Cor. 13.) *non cogitat malum*, ideo Religiosum lectorem censeri inter Momos minimè sanè mihi persuadeo; sed hanc meam piâ industriâ noviter conscriptam *Grammaticam Religiosam*, ab eodem grato, ac gratioso mentis obtutu contemplandam nequaquam in dubium revoco.

Superest proinde nihil, nisi ut omnes, ad quorum manus præsentem hanc *Grammaticam Religiosam* venire contigerit, illud ex ea addiscant, & Epihonematis loco teneant, quod Gentium Ecclesiastes *ad Ephes.* 4. cunctis salutis suæ cupidis inculcat dicens: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm* DEUM *creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Hæc pia ac Religiosa monita, licèt multi haud æstiment, quia *pauci electi Matth.* 20. Tu tamen optime Lector noli ea abjicere, noli contemnere, sed adlaborare perge, ut sis ac maneas *in Christo nova creatura* 2. *Cor.* 5. Benè vale, & DEUM precare pro me jam jam senescente &c.

INDEX



# INDEX SERMONUM.



# INDEX CONCIONATORIUS,

## QUI
In omnes totius Anni Dominicos Dies usui esse poterit Concionatoribus.

### Dominica I. Adventûs.

A*Rescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient universo orbi.* Luc. 21.

Quàm formidabile futurum sit Dei judicium. *Vide Serm.* 60. *part.* 1. & 2.

*Virtutes cælorum movebuntur.* Ibid.

Possunt per virtutes cælorum designari homines sancti, qui ad futuri judicii memoriam plurimùm commoventur, illúdque prudenter timent; Quantò magis illud exhorrescere debent peccatores? *Vide Serm.* 60. *part.* 3. & 4.

*Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Ibid.

Cùm certissima sit aliquando futura judicii dies, justum est, ut nos ad eam præparemus. *Vide Serm.* 60. *part.* 5.

### Dominica II. Adventûs.

*Cùm audisset Joannes in vinculis opera Christi.* Matth. 11.

Sæpe quò quis est justior & sanctior, eò gravioribus oneratur tribulationum vinculis. *Vide Serm.* 29. *part.* 1. & 4.

*Cùm audisset Joannes in vinculis.* &c.

Quod S. Joannes in carcere detineatur, adscribendum est divinæ Providentiæ, quæ omnia mala pœnalia, quæ justis adveniunt, mirè in eorum bonum ordinat. *Vide Serm.* 31. *part.* 4.

*Cæci vident, leprosi mundantur* &c. *Pauperes evangelizantur.* Ibid.

His verbis innuitur, Dominum Jesum amoris affectum singularem habuisse semper erga pauperes & miseros; Proinde hi in sua pauperie non debent contristari, nec divitibus invidere; Cùm pauperes multò faciliùs salventur, quàm divites. *Vide Serm.* 16. *part.* 2.

### Dominica III. Adventûs.

*Confessus est, & non negavit.* Joan. 1.

De Confessione Sacramentali, in qua omnia integrè confiteri oportet. *Vide Serm.* 51. *per totum.*

*Ego vox clamantis in deserto.* Ibid.

Qui divinas inspirationes, seu vocem Dei percipere cupit, in solitudinem se ad tempus recipiat oportet. *Vide Serm.* 37. *part.* 2.

*Cujus ego non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ejus.* Ibid.

Quâ ratione quis possit se omnium inferiorem agnoscere, seque ad omnia inutilem æstimare. *Vide Serm.* 20. *part.* 4.

## Dominica IV. Adventûs.

*Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ.* Luc. 3.

Ad salutem æternam necessaria est pœnitentia. *Vide Serm. 4. part. 1.*

*Ego vox clamantis in deserto: parate viam Domini.* Ibid.

Non solùm prædicator, sed & qui proximum bono exemplo ædificat, vox est, quæ parat viam Domini. *Vide Serm. 27.*

*Omnis mons & collis humiliabitur.* Ibid.

Per montes & colles designantur superbi, quos Deus deprimit; ideóque superbia solicitè cavenda. *Vide Serm. 21. part. 1. & 2.*

## Dominica infra Octavam Nativitatis.

*Positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum.* Luc. 2.

Nullus desperare debet de suis peccatis; quia positus est Christus in resurrectionem multorum; non est autem resurrectio, nisi præcesserit ruina. *Vide Serm. 3. part. 1.*

*Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Ibid.

Cùm B. V. Maria maximos dolores in vita sua fuerit passa, æquum est, ut & nos in tribulatione positi patientiam habeamus. *Vide Serm. 29. part. 4.*

*Et erat Anna Prophetissa, quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte.* Ibid.

Occasione horum verborum poterit fieri Concio de oratione, quæ ut nobis fructificet, debet esse cum fiducia & perseverantia. *Vide Serm. 48. part. 1. num. 5. & sequent.*

## Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

*Consummatis diebus, cùm redirent, remansit Puer Jesus in Jerusalem.* Luc. 2.

Jesus perditur à parentibus in Jerusalem, in civitate opulenta, & non in fuga in Ægyptum, nec in Nazareth, loco humili & paupere. Ita Deus potius perditur in mundi prosperitate, quàm in ejus adversitate. *Vide Serm. 29. part. 5.*

*Et venit Nazareth, & erat subditus illis.* Ibid.

Voluntas propria etiam in bonis est quandoque relinquenda ad Superioris mandatum, utì fecit hìc Jesus, qui, relicto templo, ad desiderium Joseph & Mariæ descendit cum eis in Nazareth. *Vide Serm. 14. part. 2. num. 11. & sequent.*

*Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Ibid.

Ut verbum Dei lectum, vel auditum animabus nostris prosit, illud, exemplo B. V. Mariæ, in corde conservare oportet. *Vide Serm. 58. part. 5.*

## Dominica II. post Epiphaniam.

*Gustavit architriclinus aquam vinum factam.* Joan. 2.

Aqua tribulationis passim obvia convertitur in vinum ei, qui suam voluntatem in omnibus novit resignare divinæ *Vide Serm. 31. part. 1.*

*Omnis homo primùm bonum vinum ponit, cùm autem inebriati fuerint, tunc quod deterius est.* Ibid.

Mundus hìc potatoribus optimum vinum ministrat; at in morte, & post mortem deterius servat, quod tales mundi potatores nunquam sunt exhausturi in æternum. *Vide Serm. 47. num. 6. & sequent.*

## Dominica III. post Epiphaniam.

*Et extendens Jesus manum, tetigit eum dicens: volo: mundare.* Matth. 8.

Leprosus iste veniens ad Dominum procidit in faciem suam, indicans se indignum, ut ante Domini oculos appareret; quâ humilitate motus Dominus, eum à lepra mundavit. Sic humilitas Deo semper placet, si sit vera; vera autem est, quæ non solùm internè tenetur in corde; sed etiam externè in abjectis servitiis monstratur in opere. *Vide Serm. 20. part. 3.*

*Vade, & offer munus tuum.* Ibid.

Jubet Dominus munus offerre in gratiarum actionem: Deus enim gratiarum tributum pro datis beneficiis suis postulat. *Vide Serm. 50. part. 1.*

*Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Ibid.

Spes Deo confisa, nunquam confusa recedet. *Vide Serm. 2. part. 3.*

## Dominica IV. post Epiphaniam.

*Ecce motus magnus factus est in mari.* Matth. 8.

Quòd tot crebrò in mundo turbationum motus excitentur, ac civitatum provinciarúmque devastationes fiant, inhabitantium peccata horum malorum causa sunt. *Vide Serm. 56. part. 4.*

*Ecce motus magnus factus est in mari.* Ib.

In eos, qui Christo adhærent, sæpe excitatur motus perversorum judiciorum, quæ animo patienti Christi exemplo toleranda sunt. *Vide Serm. 9. part. 1. num. 4. & sequent.*

*Et suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos, perimus.* Ibid.

Invocare Deum oportet in tentationibus, & periculis salutis. *Vide Serm. 30. num. 39.*

## Dominica V. post Epiphaniam.

*Cùm autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit.* Matth. 13.

Dum quis otio torpescit, tunc venit diabolus, & vitiorum zizaniis cor ejus replet. *Vide Serm. 39. part. 1.*

*Vis, imus, & colligimus ea? Et ait: non; ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum: sinite utraque crescere.* Ibid.

Quia impii per zizaniam designati justis multum prosunt, ideo prohibet Dominus eos eradicare. *Vide Serm. 12. num. 14. & sequent.*

*Colligate primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Ibid.

Occasione horum verborum potest institui concio de activitate ignis infernalis, qui peccatores æternùm torquebit. *Vide Serm. 61. part. 1.*

## Dominica VI. post Epiphaniam.

*Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Matth. 13.

Sinapi suam virtutem non ostendit, nisi postquam conteritur; sic multi viam virtutis & salutis non ineunt, nisi conterantur tribulationibus. *Vide Serm. 29. num. 17. & sequent.*

*Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Ib.

Sinapi si integrum manet, non saporem, nec odorem præstat; at ubi teri cœperit, statim odorem suum fundit, & acrimoniam exhibet: eodem modo mysteria fidei nostræ, ut eorum fructum percipiamus, debent quasi masticari, id est meditatè expendi, & ruminari. *Vide Serm. 48. part. 5.*

## Dominica Septuagesimæ.

*Qui exiit primò manè conducere operarios in vineam suam.* Matth. 20.

In præsenti vita laborandum est, non otio vacandum. *Vide Serm. 39. part. 2.*

*Voca operarios, & redde illis mercedem.*

Memoria cæli omnium laborum & malorum est pharmacum. *Vide Serm.* 64.

*Et accipientes murmurabant.* Ibid.

Quàm solicitè murmura sint cavenda. *Vide Serm.* 10. *per totum.*

## Dominica Sexagesimæ.

*Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.* Luc. 8.

Spinæ sunt perversi Socii; unde sicut spinæ bonum semen suffocarunt, & non bonum semen spinas; ita mali facilè bonos pervertunt, non è contra. *Vide Serm.* 43. *per totum.*

*Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Ibid.

Nihil juvat ad tempus piè vivere, & in qualibet tentatione pietatem deserere. *Vide Serm.* 55. *part.* 2.

*Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Ibid.

Licèt diabolus paucos Catholicos à fide vera abducat; in pluribus tamen sic fidem eorum diminuit, ut non aliter vivant, quasi nihil crederent, tollit ab ipsis fidem vivam relinquens mortuam, quæ non salvat. *Vide Serm.* 1. *part.* 3.

## Dominica Quinquagesimæ.

*Tradetur enim gentibus, & flagellabitur, & postquam flagellaverint, occident eum.* Luc. 18.

Occasione horum verborum concio institui potest de gravitate peccati mortalis, quæ tanta est, quòd nulla creatura potuerit pro eo satisfacere, sed necessum fuit, Christum incarnari ac pati. *Vide Serm.* 56. *part.* 2.

*Et ipsi nihil horum intellexerunt.* Ibid.

Verba hæc attribuenda sunt peccatoribus, qui non intelligunt, quàm noxia res sit peccatum; consideretur ergo ejus malignitas, ut evitetur ejusdem pœnalitas. *Vide Serm.* 56. *part.* 1. Item *part.* 5.

## Dominica I. Quadragesimæ.

*Ductus est Jesus in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4.

Quò quis magis Deo servire satagit, eò plus eum diabolus tentabit. *Vide Serm.* 30. *part.* 1.

*Et cùm jejunasset quadraginta diebus.* Ibid.

Christi exemplo jejunium diligenter observandum, cùm illud non solùm animæ, sed & corpori plurimùm profit. *Vide Serm.* 46. *per totum.*

*Si Filius DEI es, mitte te deorsum; scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, &c.* Ibid.

Volens diabolus Christo persuadere præcipitium, dixit ei, Angelis esse à Deo mandatum, ut eum in manibus ferrent: Sic sub pietatis specie sæpiùs Dei servos seducere laborat. *Vide Serm.* 30. *part.* 5.

## Dominica II. Quadragesimæ.

*Duxit illos in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos.* Matth. 17.

Qui divino frui gaudio desiderat, gaudium mundanum & carnale declinare debet. *Vide Serm.* 33. *part.* 2.

*Domine, bonum est nos hic esse.* Ibid.

Si Petrus hæc adeo audacter locutus est, cùm non nisi cælestis vini stillam delibasset; Quid erit beatis in cælo, ubi de torrente voluptatis inebriabuntur? *Vide Serm.* 64. *per totum.*

## Dominica III. Quadragesimæ.

*Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Luc. 11.

Ubi contentiones & dissensiones animarum reperiuntur, ibi mala plurima, salutisque naufragia reperiuntur. *Vide Serm.* 13. *per totum.*

*Beati*

*Beati qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.* Ibid.

Verbum DEI non solùm audiendum, sed & faciendum. *Vide Serm. 38. num. 10. & seqq.*

## Dominica IV. Quadragesimæ.

*Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos: sed hæc quid sunt inter tantos?* Joan. 6.

DEO nunquam diffidendum. *Vide Serm. 2. part. 3.*

*JESUS ergo cum cognovisset, quòd facerent eum Regem, fugit.* Ibid.

Sciens JESUS, quanta animæ pericula lateant in prælatione, regiam dignitatem fugere voluit, ut hoc suo exemplo nos doceret, ut non solùm non quæramus aliis præesse, sed insuper ad honores vocati, eos fugere studeamus. *Vide Serm. 23. part. 3.*

## Dominica Passionis.

*Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Joan. 8.

Quoniam, cùm Sacræ lectioni vacamus, Deus nobis loquitur; ideo oportet naviter piorum librorum lectioni insistere, eámque libenter audire. *Vide Serm. 38. part. 1.*

*Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus, quia dæmonium habes.* Ibid.

Occasione horum verborum adhortentur Christiani, exemplo Christi habere patientiam in injusta famæ suæ denigratione & violatione. *Vide Serm. 12. per totum.*

## Dominica Palmarum.

*Cum appropinquasset Jesus Jerosolymis, & venisset Betphage ad montem Oliveti.*

Dominus iter suum capit ad montem Oliveti, nec sine mysterio; mons enim Oliveti symbolum est misericordiæ. Quanta sit Dei misericordia erga miseros peccatores. *Vide Serm. 3. p. 1.*

*Turbæ autem quæ præibant, clamabant dicentes: Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini.*

Quanta in hominibus mundanis inconstantia! quem hodie cum summa gloria exceperunt, post dies paucos eundem crucifigi postularunt. *Vide Serm. 42. part. 2.*

## Dominica Resurrectionis.

*Valde manè unâ Sabbatorum veniunt ad monumentum.* Marc. 16.

Cum mulieribus ad monumentum venit, qui Christi passionem jugiter recolit, eique pro tam magno beneficio gratias agit. *Vide Serm. 50. num. 7.*

*Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum, Crucifixum.* Ibid.

Qui Jesum Crucifixum quærunt, hoc est, Christi Passionem quotidie meditantur, non habent, quòd multum timeant infernales hostes; cùm certam istiusmodi meditatio spem præbeat vincendi salutis adversarios. *Vide Serm. 49. num. 9. & consequenter.*

## Dominica in Albis.

*Gavisi sunt discipuli viso Domino.* Joan. 20.

Cùm & nos credamus, Christum à mortuis resurrexisse, nósque ab æternæ mortis faucibus eripuisse; ideo cum Apostolis multùm similiter gaudere oportet. Omnis proin inordinata animi tristitia cavenda. *Vide Serm. 32.*

*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ibid.

Nullum peccatum irremissibile, si modo illud peccator defleat, & impostерùm cavere efficaciter proponat. *Vide Serm. 4. part. 1.*

## Dominica II. post Pascha.

*Lupus rapit, & dispergit oves.* Joan. 10.

Quod lupus inter oves, hoc peccatum inter Christianos: Ex peccato enim omnia mala nobis proveniunt. *Vide Serm. 56.*

*Ego cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Ibid.

Si cupimus esse oves Christi, debemus ejus vocem audire, illum amare & sequi. *Vide Serm. 49. num. 16.*

## Dominica III. post Pascha.

*Modicum, & jam non videbitis me.* Joan. 16.

Hoc Christi Domini pronuntiatum mundo & rebus omnibus caducis accommodare licet; ipsâ enim suâ vanitate & corruptibilitate clamare videntur: *modicum, & jam non videbitis me. Vide Serm. 42. part. 1.*

*Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Quomodo fieri possit, ut quis nunquam tristetur? *Vide Serm. 31. part. 1.*

## Dominica IV. post Pascha.

*Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Joan. 16.

Qui desiderat Spiritûs Sancti consolatione gaudere, debet mundi ac carnis delectamenta abjicere. *Vide Serm. 33. part. 2.*

*Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato.* Ibid.

Ne & tu cũ mundo arguaris de peccato, ínque æternam damnationem ruas, modò tu peccati malitiam, & quâ ratione ad pœnam æternam obliget, consideres oportet; sic enim non facilè illud committes. *Vide Serm. 56. part. 5.*

## Dominica V. post Pascha.

*Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joan. 16.

Per orationem omnia impetrare à Deo possumus, dummodo omnibus suis qualitatibus sit vestita. *Vide Serm. 48. part. 1.*

*Petite, & accipietis.* Ibid.

Ut oratio nostra suum obtineat effectum, oportet ut sit attenta, & non voluntariè distracta. *Vide Serm. 48. part. 2.*

## Dominica VI. post Pascha.

*Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Joann. 16.

Magnoperè vigilandum est, ne quis scandalum patiatur, id est, dum injuriarum & persecutionum tempestas oritur, patientiam deserat. *Vide Serm. 28. part. 6. & 7.*

*Venit hora, ut qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Ibid.

Multi arbitrantur, per pietatis opera obsequium se præstare Deo; sed quia in his propriam voluntatem duntaxat sequuntur, infernum potiùs quàm cælum merentur. *Vide Serm. 14. num. 12. & 13. Item Serm. 15. part. 2.*

## Dominica Pentecostes.

*Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Joann. 14.

Non datur majus aut certius signum, quòd quis Deum verè diligat, quàm exacta observantia mandatorum. *Vide Serm. 5. part. 3.*

## Dominica SS. Trinitatis.

*Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Matth. 28.

Potest occasione horum verborum concio fieri de vocatione ad fidem Christianam, & quàm magnum ac singulare sit Dei beneficium inter Christianos nasci & educari. *Vide Serm. 1. part. 1.*

## Dominica II. post Pentecosten.

*Homo quidam fecit cœnam magnam & vocavit multos.* Luc. 14.

Per hanc cœnam magnam rectè intelligitur

telligitur augustissimæ Eucharistiæ institutio, ad quam sumendam omnes sumus vocati. *Vide Serm. 52. per totum.*

*Et alius dixit: uxorem duxi, & ideo non possum venire.* Ibid.

Priores rogarunt, ut excusati haberentur; at verò hic tertius absolutè respondet: *Non possum venire.* Per quem denotantur luxuriosi, qui ita sunt mente excæcati, quòd impossibile eis videatur, posse deserere voluptates carnis. *Vide Serm. 19. part. 2.*

## Dominica III. post Pentecosten.

*Dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat.* Luc. 15.

Licèt per ovem perditam & inventam omnes homines intelligantur; nihilominus per han. parabolam nobis datur intelligi, quòd tantus fuerit Christi amor erga unumquemque hominem, quòd etiam pro uno solo redimendo venisset, ut dictum *Serm. 3. num. 1. & 2.* Unde oportet redemptionis beneficium, quasi sibi soli impensum recognoscere. *Vide Serm. 50. num. 15. & seqq.*

*Vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam.* Ibid.

Quòd Deus nos in peccato mortali constitutos non permiserit mori, & damnari, magnum sanè est beneficium, pro quo nos oportet gratos esse DEO. *Vide Serm. 50. num. 11. & seqq.*

*Ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente &c.*

Hoc verum est de peccatore pœnitentiam agente ferventer; non verò de illis, qui tepidè agunt pœnitentiam, ac multò minùs de illis, qui post pœnitentiam ad iniquitatem redeunt. *Vide Serm. 4.*

## Dominica IV. post Pentecosten.

*Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Luc. 5.

Sicut qui pisces capere cupit, retia in altum mittere debet; sic qui merita cælestia acquirere desiderat, retia, id est intentionem suam in altum, nempe in Deum mittat oportet. *Vide Serm. 25. part. 2. & 3.*

*Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Ibid.

Per laborantes in nocte rectè designantur hypocritæ, vel vanæ gloriæ cupidi, qui nihil aliud suis laboribus capiunt, quàm pœnam æternam. *Vide Serm. 21. part. 3. Item Serm. 22. per totum.*

*In verbo autem tuo laxabo rete.* Ibid.

Omnia opera nostra incipienda sunt in verbo Domini, id est in bona intentione. *Vide Serm. 25. part. 1.*

## Dominica V. post Pentecosten.

*Quid occiderit, reus erit judicio.* Matth. 5.

Non solùm ille, qui alterum corporaliter occidit, reus erit judicio, scilicet damnatione æternâ; sed etiam qui spiritualiter per odium alium persequitur, gehennâ reus est. *Vide Serm. 8. part. 1.*

*Si offers munus tuum ad altare &c. Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Ibid.

Qui fratri suo reconciliari non vult, in vanum opera pietatis exercet. *Vide Serm. 8. part. 2.*

## Dominica VI. post Pentecosten.

*Misereor super turbam: qui ecce jam triduo sustinent me.* Marc. 8.

Deus eorum miseretur, eósque æternum satiat, qui ab eo non recedunt, sed usque ad vitæ finem in bono perseverant. *Vide Serm. 55. per totum.*

*Ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Ibid.

Cur DEUS etiam suos fideles servos permittat sæpè gravi fame laborare, neque eis ad vitam susten-

tandam

tandam necessaria provideat. *Vide Serm. 2. part. 5.*

## Dominica VII. post Pentecosten.

*Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 7.

Nedum malorum operum perpetratio, sed etiam bonorum omissio parat incendium æternum. *Vide Serm. 39. num. 7. & seqq.*

*Non omnis qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Ibid.

Cur multi nomen DEI invocantes salutem animæ non consequantur. *Vide Serm. 65. num. 24. Item Serm. 66. num. 17. & seqq.*

## Dominica VIII. post Pentecosten.

*Redde rationem villicationis tuæ.* Luc. 16.

Cuilibet homini in morte de omni cogitatione, verbo, & opere ratio erit reddenda, quæ tam rigida erit futura, ut etiam justi justam habeant causam pertimescendi divinum judicium. *Vide Serm. 50. part. 3. & 4.*

*Jam enim non poteris villicare.* Ibid.

Veniet tempus, quando operari ampliùs non poteris; operandum igitur est modò, quod egisse, vel agere voles, quando non poteris ampliùs. *Vide Serm. 39. part. 2.*

*Facite vobis amicos.* Ibid.

Cùm Sancti in cælo sint fidelissimi & potentissimi ad nos juvandos, meritò eorum amicitiam ambire per devotum eorundem cultum deberemus. *Vide Serm. 54.*

## Dominica IX. post Pentecosten.

*Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo.* Luc. 19.

Excidium Civitatis Jerosolymitanæ minatur Christus, ut ipsi resipiscant; sed quia impœnitentes permanserunt, extrema mala incurrerunt; Ex quo & nos discamus, omnia mala, quæ patimur, à peccatis nostris provenire. *Vide Serm. 28. num. 3. & 4. Item Serm. 56. part. 4.*

*Et circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique.* Ibid.

Hi inimici, spiritus sunt infernales, qui te aliquando in morte undique coangustabunt, tuámque animam secum rapere festinabunt. *Vide Serm. 49. part. 2.*

## Dominica X. post Pentecosten.

*Non sum sicut cæteri hominum, injusti, raptores, adulteri.* Luc. 18.

Pharisæi hujus se discipulos profitentur, qui aliorum famam dilacerant & denigrant. *Vide Serm. 11. part. 1.*

*Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.* Ibid.

Quomodo Deus superbos deprimere soleat. *Vide Serm. 21. part. 1.*

*Et qui se humiliat, exaltabitur.*

Qualis in nobis requiratur humilitas, ut aliquando in cælo exaltari mereamur. *Vide Serm. 20. part. 3.*

## Dominica XI. post Pentecosten.

*Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* Marc. 7.

Fuit hîc JESUS rogatus, ut ex surdo faceret audientem; dico à contrario, Christum rogari à nobis oportere, ut ex audientibus faciat surdos ad sermones malos & detractorios. *Vide Serm. 11. part. 3.*

*Suspiciens in cælum ingemuit.* Ibid.

Sciens Jesus, quantum malum sit hominis lingua, & quantùm obsit animæ saluti; ideo ad hanc homini muto restituendam accedens ingemuit, quasi invitus miraculum patraturus. *Vide Serm. 11. num. 6. Item Serm. 35. num. 3. & seqq.*

*Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Ibid.

Isti homines Christi miracula videntes, & beneficia ab eo accipientes, eundem laudarunt dicentes: *Bene omnia fecit.* At verò nos Christiani nedum Deum nostrum, dum beneficia largitur, sed etiam, dum tribulationes immittit, laudare debemus. *Vide Serm. 31. num. 18. & seqq.*

## Dominica XII. post Pentecosten.

*Diliges Dominum Deum tuum.* Luc. 10.

Quomodo Deus super omnia diligendus; *Vide Serm. 5. part. 3.*

*Et proximum sicut teipsum.* Ibid.

Quomodo proximus diligendus. *Vide Serm. 6. part. 1. & 2.*

## Dominica XIII. post Pentecosten.

*Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Luc. 17.

Lepra animæ, est peccatum, ab hac emundari cupiens, ad pœnitentiæ balneum accurrat oportet. *Vide Serm. 4. Item Serm. 5.*

*Respondens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt?* Ibid.

Hanc reprehensionem innumeri ex Christianis audient in die judicii à Christo Judice, à quo propter execrandam ingratitudinem suam ad ignem æternum adjudicabuntur. *Vide Serm. 50. num. 20. Item Serm. 56. num. 14. & seqq. Item Serm. 66. num. 21.*

## Dominica XIV. post Pentecosten.

*Nemo potest duobus Dominis servire.* Matth. 6.

Cùm nullus possit servus esse DEI, ac simul diaboli, videat unusquisque, cui cor suum dandum, an Deo, sive diabolo. *Vide Serm. 5. num. 9. & seqq.*

*Nolite soliciti esse dicentes: quid manducabimus, &c.* Ibid.

Quàm diffidentia nostra circa divinam providentiam sit DEO exosa, & qualiter omnem inordinatam solicitudinem circa necessaria corporis exuere debeamus. *Vide Serm. 2. part. 4.*

*Quærite ergo primum Regnum Dei.* Ibid.

Ante omnia quærere ac sperare debemus vitam æternam. *Vide Serm. 2. part. 2.*

## Dominica XV. post Pentecosten.

*Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.* Luc. 7.

Quàm utilis nobis ac fructuosa sit mortis memoria. *Vide Serm. 59. part. 1.*

*Ecce defunctus efferebatur.*

Sicut non licet sibi ipsi mortem inferre; quæritur, num licitum, hanc sibi optare? *Vide Serm. 59. num. 22. & seqq.*

*Dixit illi*: *Noli flere.*

Qui in Domino moriuntur, deflere non debemus, quia sunt in meliori statu quàm nos viventes. *Vide Serm.* 59. *part.* 3.

## Dominica XVI. post Pentecosten.

*Cùm intrasset Jesus in domum principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum.* Luc. 14.

Nullus tam religiosus & perfectus est, quem non observarent, seu temere judicarent homines impii. *Vide Serm.* 9. *num.* 4. *& seqq. Item Serm.* 28. *part.* 7.

*Cùm vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco.* Ibid.

Quid sit in novissimo loco recumbere. *Vide Serm.* 20. *num.* 17. *& seqq.*

*Qui se humiliat, exaltabitur.* Ibid.

Quò profundiùs se quis in hac vita humiliaverit, tantò altiùs in cælo exaltabitur. *Vide Serm.* 20. *part.* 4.

## Dominica XVII. post Pentecosten.

*Diliges Dominum Deum tuum.* Matth. 22.

De hoc præcepto dictum fuit Dominica XII. post Pentecosten; proin ibi vide.

*Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Ibid.

Cùm ex proximorum numero minimè excludantur, qui nos oderunt & persequuntur; ideo & hi similiter diligendi sunt, præsertim cùm sæpè plus prosint, quàm vel ipsi amici. *Vide Serm.* 7. *num.* 13. *& seqq.*

## Dominica XVIII. post Pentecosten.

*Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matth. 9.

Quamvis innumera essent peccata tua, tu tamen noli de Dei misericordia desperare. *Vide Serm.* 3. *part.* 1.

*Confide fili.* Ibid.

His verbis monemur, ne salutis spem unquam dimittamus; & quibus conditionibus spes nostra vestiri debeat, ut salutem afferat. *Vide Serm.* 2. *part.* 2.

## Dominica XIX. post Pentecosten.

*Omnia parata sunt, venite ad nuptias; illi autem neglexerunt, & abierunt.* Matth. 22.

Ad has cælestes nuptias etiam vocati sunt reprobi; at quia venire negligunt, sunt ipsi in causa suæ perditionis. *Vide Serm.* 66. *part.* 2.

*Quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem?* Ibid.

Reprehensio hæc eos inprimìs ferit, qui in peccato mortali ad convivium Eucharisticum accedunt, qui proinde non in salutem, sed in damnationem sumunt Altaris Sacramentum. *Vide Serm.* 51. *num* 3. *& seqq.*

*Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Ibid.

De numero electorum. *Vide Serm.* 65.

*Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Si & tu inter paucos electos numerari cupias, age, Mariam devotus dilige, & confide, quia & tu salvus eris. *Vide Serm. ultimo.*

Domi-

## Dominica XX. post Pentecosten.

*Erat quidem Regulus, cujus filius infirmabatur.* Joan. 4.

Cùm ab infirmitate nemo facilè excipiatur, videre oportet, quomodo eam cum patientia, ac animi resignatione sufferre possimus. *Vide Serm. 28. part. 3.*

*Abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus.* Ibid.

Tu quoque ad JESUM abi, eum rogans, ut suâ gratiâ descendat ad purgatorium, & sanet animas tuorum fratrum & amicorum; eásque à pœnis eripiat. *Vide Serm. 62. & Serm. 63.*

## Dominica XXI. post Pentecosten.

*Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Matth. 18.

Hæc fuit supplicatio servi ad Dominum: at verò similiter Dominus dicit locutione intellectuali servo suo, quem suis fortunæ bonis spoliari permisit: *Patientiam habe, & omnia reddam tibi. Vide Serm. 28. part. 5.*

*Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui?* Ibid.

Qui offensas, ab aliis sibi illatas ignoscere nolunt; ne sperent, culpas suas à Deo sibi aliquando condonandas fore. *Vide Serm. 8.*

## Dominica XXII. post Pentecosten.

*Consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone.* Matth. 22.

Ne & tu capiaris à malignis spiritibus in sermone, & in peccatum incidas per linguam malè custoditam, os tuum à pravo eloquio custodi, & in primis à murmuratione. *Vide Serm. 10.* Secundò à Detractione. *Vide Serm. 11.* Tertiò à Contentione. *Vide Serm. 13.* Quartò à quibuslibet aliis linguæ excessibus. *Vide Serm. 35.*

*Consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone.*

Ille securus est, quòd non capietur facilè in sermone, qui amator est silentii; Ideo taciturnitas singulariter commendatur his, qui securè in via Dei progredi cupiunt. *Vide Serm. 34.*

## Dominica XXIII. post Pentecosten.

*Filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* Matth. 9.

Sicut hæc puella solâ virtute divinâ ad vitam redire potuit; ita qui mortem animæ per peccatum mortale incurrit, non sicut spontè in mortem ruit, ita & à semetipso resurgere valet, sed opus est singulari Dei gratiâ. *Vide Serm. 56. num. 20. & seqq.*

*Confide filia, fides tua te salvam fecit.*

Quò similiter & te fides tua salvum faciat, observa quæ de fide dicta sunt. *Vide Serm. 1. part. 2. & 3.*

## Dominica XXIV. post Pentecosten.

*Qui legit, intelligat.* Matth. 24.

Multi legentes, & audientes multa de morte, judicio, inferno &c. nec tamen compunguntur ad pœnitentiam stabilem; quia non legunt vel audiunt de his eo modo, quo deberent. *Vide Serm.* 38. *part.* 2.

*Qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Ibid.

Qui in terribili judicii die salvari volunt, fugiant ad montes, id est, ad Sanctorum patrocinium. *Vide Serm.* 54. *num.* 7. *& seqq.*

*Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi.* Ibid.

Ne & tu in tribulatione potiùs deficias, cogites oportet, tribulationem esse viam planam ad sempiterna gaudia. *Vide Serm.* 29. *part.* 2.

*Tunc plangent omnes tribus terræ.* Ibid.

Ut non habeas opus plangere cum damnatis, modò tu eorum supplicia æterna attentè considera; sic enim non peccabis graviter, & consequenter planctum hunc pœnosissimum effugies. *Vide Serm.* 61. *part.* 4. *&* 5.

# FINIS.



SERMO



# SERMO I.

# DE FIDE CATHOLICA.

*Quid prodest fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?* Jac. 2. v. 14.

## PARS PRIMA.

1. CUm S. Paulus in Epistola ad Hebræos Cap. 11. protestetur, quòd *impossibile sit placere Deo sine fide*, tanquam fundamento perfectæ justitiæ, quâ homo placet Deo; & consequenter impossibile est secundùm positas, & nobis manifestatas, divinæ Sapientiæ & Providentiæ regulas, æternæ salutis portum assequi eum, qui fide caret. Ideo consentaneum videtur ante omnia alia virtutum exercitamenta disserere de Fide, veluti de prima Theologica virtute, quæ à Theologis definitur sic: *Fides est virtus Theologica, à Deo infusa, per quam firmiter assentimur ob Dei auctoritatem iis quæ à Deo revelata sunt, & ab Ecclesia proposita, ut à nobis credantur.* Porrò Fidei objectum (ut docet Doctor Angelicus secunda secundæ, quæst. 2. art. 2. in corpore) est duplex, formale & materiale: *Objectum formale* est Deus, non præcisè quà Deus, sed quà verax est, seu sub ratione primæ Veritatis in essendo, quæ diversa est à ratione summæ Bonitatis, sub qua est objectum Charitatis. Unde sicut solemus credere homini narranti, non ideo præcisè, quia homo, aut dives, aut nobilis, aut doctus, sed quia verax est; Ita etiam credimus Deo dicenti, seu revelanti, non ideo præcisè, quia Deus, aut æternus, aut omnipotens, sed quia *Verax* est. Hinc S. Dionysius cap. 7. de Divin. Nomin. *Fides* (inquit) *est circa simplicem, & semper existentem veritatem.* *Objectum* verò *materiale*, circa quod Fides versatur, sunt omnia quæ proponuntur credenda ab Ecclesia, tanquam à Deo revelata. Notandum proinde, quòd Fides, ut est Catholica & universalis, ad ea tantùm se extendat, quæ omnibus generaliter ab Ecclesia proponuntur credenda. Ita docet D. Thomas in prima parte Summæ Theologicæ quæst. 1. art. 8. ad 2. ubi sic ait: *Fides nostra innititur revelationi, Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si quæ fuit aliis Doctoribus facta.* Quia nimirum, ut aliquid credatur Fide Catholicâ, opus est ut illud per Ecclesiam, & viros Apostolicos proponatur. Unde ad Ephes. 1. Fides Catholica dicitur ædificata *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, id est, supra revelationes per eos factas in Novo & Veteri Testamento.

2. His prælibatis, dicendum est, ac tenendum

nendum, quòd Fides sit singulare Dei donum, principium, radix, atque omnium Christianarum virtutum basis & columen, imò cæleste lumen, quo collustrati rectam possimus tenere semitam quæ ad æviternam dirigit, ac ducit beatitatem. Sine fide (quemadmodum docet Os aureum Chrysostomi homil. 2. ad Roman.) homo inexplicabili labyrintho vagatur, neque ad felicitatis perpetuæ poterit collineare scopum. Patet id exemplo Philosophorum Paganorum, & magis etiam Hæreticorum, quibus, quòd hac fidei luce caruerint, visus est elephas esse musca (ut est in parœmia) & variis errorum fluctibus agitati, in superbiæ, levitatísque scopulos impacti, miserrimum fecêre naufragium. Fides ergo ad salutem, & ad veræ virtutis operationem ita est necessaria, ut sine ea nullum opus bonum, quod æterno dignum esset præmio, dari possit. Cùm enim dicente Apostolo, (*a*) *Sine Fide impossibile sit placere Deo*, sequitur, quòd pariter nullum bonum opus, à non habente infusam fidem factum, Deo gratum esse possit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, ait idem Tarsensis Præco, qui in eadem Epistola jam præmisit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum*; id est, substantia earum rerum, quæ sperantur in tempore præsenti, fides est. Unde sicut substantia omnium accidentium fulcrum est, & basis, hácque deficiente, illa quoque deficere necessum est; Ita similiter si ab anima fidem abstuleris, pariter futurorum bonorum spes, timor pœnæ æternæ evanescet, omnésque veræ Religionis articuli, & mysteria dissipabuntur. Fides ergo in anima justi credentis, & sperantis est quasi basis, quæ eum sustentat, & animat, ut despiciat bona terrena & caduca, speret autem, & exspectet cælestia & sempiterna.

3. Opportunè admodum ad nostri discursûs prosecutionem ita scribit Doctorum gravissimus, D. P. Augustinus Serm. 38. de Tempore. *Fides est salutis humanæ initium, sine qua nemo ad filiorum Dei consortium pervenire potest; quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.* Omnis proinde hominis labor sine Fide vacuus est: nam quod corpus sine anima, hoc est anima sine fide. Quemadmodum ergo corpus non potest sustentari sine anima quantum ad *esse* naturæ; ita nec anima sine fide quantum ad *esse* gratiæ; quoniam sine fide impossibile est placere Deo, ut dictum. Unde quantumvis bona & virtuosa opera nostra esse videantur, nisi in fide infusa fundentur, Deo grata esse nequeunt. Hinc quamvis antiqui Philosophi Gentiles vitam suam magna cum austeritate agebant, aliísque per heroicos virtutum actus præfulgebant (quales erant Plato, Seneca, Aristoteles, Socrates, & alii plures) quia tamen fidei Christianæ expertes erant, veluti infesti Dei, & cæli inimici vixerunt, & æternùm perierunt. Rectè proin Fidem nostram æquiparare possumus, imò debemus Arcæ Noëticæ, quæ hanc sustinet epigraphen: *Nulla salus extra.* Sicut enim tempore diluvii extra arcam non est aliquis salvatus; sic extra fidem Catholicam omnes certo naufragio perire, ac æternò submergi necesse est. Et hoc est, quod magnus Athanasius in Symbolo his verbis expressit: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem: quam nisi quisque integram, inviolatámque servaverit, absque dubio in æternum peribit.*

4. Haud igitur immeritò Sancti Patres Fidem compararunt Soli: Nam sicut omnia quæ in mundo sunt, suam accipiunt lucem à Sole; ita omnes veritates supernaturales, ab humano intellectu cognitæ, à Fidei virtute ortum derivant. Item sicut omnia quæ in mundo vivunt, vitam suam quoad conserva-

(a) *Hebr. 11. v. 6.*

ſervationem meritò Soli materiali adſcribunt; ita homo quoque tam initium quàm progreſſum vitæ ſuæ ſpiritualis virtuti Fidei jure optimo in acceptis refert. Et rurſus, quemadmodum omnia quæ in mundo reperiuntur, ſuum accipiunt decorem & pulchritudinem à luce per Solem hauſtâ; ita homo, quidquid gratiæ & gloriæ habet, à Fidei virtute accipit. Et tandem, quemadmodum etiam omnia quæ in mundo ſunt, ſuum à Sole calorem participant; ita homini charitatis & fervoris divini calorem Fidei virtus ſubminiſtrat, ac impertit. Audiatur Origenes, qui de Sanctæ Fidei virtute, & energia differens, ita ſcribit: *Sicut Sol niſi vibraverit ſuper faciem terræ, nullus ex fructibus ejus creſcit, neque adoleſcit, neque matureſcit; ſimiliter niſi per Fidem veritas refulſerit in animabus hominum, nunquam erunt acceptabiles coram Deo.* Jure merito proin nuncupatur Fides Catholica à Sacris Doctoribus *Columna lucis*, quæ de Ægypto tenebrarum, & errorum ducatu ſuo intellectum humanum educit. Hæc eſt in templo Dei, videlicet in devota anima, *Prima lampas*, & in cælo ſpirituali *Stella matutina*, quæ prima diem gratiæ nuntiat.

5. Ex his itáque palam pateſcit, quàm felices illi ſint, qui à divina Bonitate hoc maximum Fidei donum receperunt. Beati profectò, ter, quatérque beati, qui hanc ne omnibus quidem mundi theſauris comparabilem gemmam à liberaliſſima Dei manu ſunt aſſecuti! Oportet proinde, ut, qui ad veram & ſalvificam vocatus eſt fidem, beneficium hoc agnoſcat, ac identidem Deo gratias agat, & cum Gentium Eccleſiaſte ferventer & indeſinenter dicat: (a) *Gratias ago ei, qui me confortavit Chriſto JESU Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimavit*; id eſt, (ut aliqui cum D. Ambroſio exponunt) *quia credentem, & Chriſtianum me exiſtimavit*, id eſt, *fecit.* Similiter in ſuis piiſſimis meditationibus hoc bonum expendens S. Anſelmus ait: *Chriſtianum me feciſti vocari de nomine tuo, per quod & ego confiteor, & tu noſcis me inter redemptos tuos, & evexiſti, & levaſti me ad notitiam & amorem tuum.* Eapropter oportet hoc tam gratuitum, juxtáque eximium Dei beneficium, ſine omnibus noſtris præcedentibus meritis nobis miſericorditer collatum, identidem gratæ mentis affectu contemplari, quò videlicet ad debitas, ut par eſt, Deo grates referendas incitemur, & provocemur. Ad quod præſtandum nervoſo & efficaci diſcurſu nobis perſuadere nititur Hipponenſis Præſul Auguſtinus ſic diſſerens: *Audiſtis ab initio uſque ad hanc diem, quòd multæ generationes pertranſierunt, quæ omnes ſine cognitione Dei, & pretio ſuæ redemptionis in interitum ſempiternum delapſæ ſunt. Omnibus his Redemptor tuus te prætulit, quando tibi hanc gratiam largitus eſt, quam nullus eorum percipere meruit. Sed nunquid tu fortior, nunquid ſapientior, nunquid nobilior, nunquid omnibus illis dignior fuiſti, qui hanc præ omnibus illis ſpecialem gratiam ſortiri meruiſti? Quot fortes, quot ſapientes, quot nobiles, quot divites ibi fuerunt, & tamen univerſi relicti & abjecti perierunt?* Ita divinè Doctor divinus.

6. Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 719. refert: Radbodum, Regem Friſiæ, invitatum ad ſuſcipiendum baptiſmum à S. Wulframo Senonum Epiſcopo, promittente ipſi regnum cæleſte, &, ni baptizaretur, minante infernum, quæſiviſſe ab eo, ubi eſſet major numerus Regum & Principum, ſeu nobilium gentis Friſonum, in cælo, an in inferno? Reſpondit S. Wulframus: Prædeceſſores tui, qui ſine baptiſmo deceſſerunt, deſcenderunt in infernum: Hoc audiens Radbodus, à fonte baptiſmi pedem retraxit, & improbo joco exclamavit, malle ſe cum pluribus & Majoribus ſuis etiam apud inferos, quàm ſine his, & cum pauculis aliis apud Superos degere. Quare



(a) 1. Tim. 1. 12.

fine baptiſmo defunctus ad ſuos ad tartara deſcendit, ubi eum catenâ religatum vidit S. Willebrordus. Profectò ſi & mihi, & tibi poteſtas à Deo daretur vel per minimam aliquam rimulam inferorum introſpiciendi chaos, multas ſanè millionum miriades ea de cauſa ardere cerneremus, quia fidei lumine privati in Paganiſmi tenebris vixêre. Proinde recogitemus oportet, ac in pondere Sanctuarii examinemus, ſi ſæculis illis, in quibus Idololatria triumphabat, vixiſſemus, utique & nos torrentem communem ſecuti fuiſſemus; qualis ergo hæc gratiæ prærogativa, ut locò dæmoniaci cultûs, verum genuinúmque obſequium Deo vero, cum animo grato, remuneratione, & præmio ſempiterno exhibeamus!

7. Hoc gratuitum Fidei donum, tibi à liberaliſſima Dei manu conceſſum, indies magis magíſque ſuſpicias, æſtimes, ac pro eo te gratum exhibeas, neque ingratitudinis vitio labores, nunc frequenter ac diligenter interiores mentis oculos ſuper univerſæ terræ vaſtitatem fige, & reperies longè ampliorem illius partem Ægyptiis tenebris Atheiſmi, Paganiſmi, Hebraiſmi, & Alcorani involutam, tótque hæreſum erroribus implicatam eſſe; imò ex centum hujus orbis terrarum partibus vix unam eſſe Chriſtianam, docet Ludovicus Granatenſis, Auctor graviſſimus in Duce peccatorum lib. 1. cap. 27. Quænam igitur eſt iſta gratiæ prærogativa, quâ te & me in clara Evangelii luce naſci fecit? certè, ut cum regio Hymnographo (a) exclamem, *Non fecit taliter omni nationi* Deus; quia nobis ſolis, qui Chriſtiani audimus, non aliis, *judicia ſua*, leges videlicet ſuas, *manifeſtavit*. Heu! quot ſæcula ſunt elapſa, in quibus (ſi modicum quendam mundi angulum, Paleſtinam videlicet exceperis) omnes dæmonibus cultum & adorationem deferentes orco in prædam ceſsêre, ne quidem unus ex illis ſalutem adeptus. Hinc non abſque baſi dixit S. Vincentius Ferrerius: *Antequam Chriſtus veniret in hunc mundum in humana carne, tranſierunt ultra quinque millia annorum, & totus mundus damnabatur, exceptis paucis de populo Iſraël, qui ibant ad limbum Sanctorum Patrum.* Effatum hoc ſine contradictione eſſe credendum, liquet ex illo Evangelici Vatis oraculo (b) *Propterea dilatavit infernus animam ſuam*, id eſt, ſinum & capacitatem ſuam, id eſt, ſeipſum, *& aperuit os ſuum abſque ullo termino*, ut innumeros abſorberet. Hinc in Salomonis Proverbiis cap. 3. v. 16. *Infernus* vocatur inſatiabilis: Nam

*Infernus inſatiabiliter cava guttura pandit.*

8. Jam perpende, quicunque Orthodoxus audis, quòd ſi in his temporibus natus fuiſſes, quidnam, obſecro, de te futurum fuiſſet? Citra omne dubium jam ævitérnis torquereris incendiis. Conſidera item, quot capaciſſimæ Urbes, integra regna ac regiones ad noſtra uſque tempora exſtiterint, in quibus ne unicam quidem domum nanciſci licuit Fidei luce colluſtratam. Proinde ob Fidei defectum omnes, tam juvenes, quàm ſenes; tam nobiles, quàm ignobiles; tam inopes, quàm divites; tam viri, quàm fœminæ, verbo: Omnes, omnes ad inferos turmatim feſtinabant. At quid ego jam dudum præterita ſæcula memorem, inſpiciamus, & commeditemur præſentia: Quot modò inter homines Ethnici, Barbari, Turcæ, Judæi, Hæretici, Schiſmatici? Et inter eos quot potentes, nobiles, divites, prudentes, & literati? Quot item Satrapæ, Dynaſtæ, Principes, Reges? Et tamen illis in errorum caligine relictis, me & te Deus, (c) *De tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum*, ſcilicet Fidei, & gratiæ. Sanè in eo ipſo momento, in quo anima tua, mi optime frater, creata fuit, haud dubiè dena, & forſan centena millia animarum ſimul creatæ fuêre, ex quibus paucæ in corporibus aquâ

(a) Pſalm. 147. 9.

(b) Iſai. 5. (c) 1. Pet. 2.

aquâ baptiſmali ablutæ fuerunt. Quodnam igitur anima tua apud Creatorem habuit meritum, ut illam inter innumeras alias eligeret, quam ſanctæ & Orthodoxæ Fidei ſuæ notitiâ illuminaret? Certè peculiare eſt hoc Dei beneficium, tibi præ innumeris aliis conceſſum à cæleſti Paſtore, Chriſto JESU, qui me & te, veluti gregis ſui oviculas in veram & rectam ad ovile ſuum ſemitam deducere voluit. Interno proinde ſuffuſus animi gaudio cum Regio citharedo cantabis: (a) *In loco paſcuæ ibi me collocavit*; id eſt, in loco paſcuoſo ubi eſt abundantia herbarum ſpiritualium, ſcilicet ſacra documenta divinarum ſcripturarum, ait hic S. Thomas: *Super aquam refectionis educavit me*; hæc eſt aqua Baptiſmi, de qua Propheta Ezechiel ait: (b) *Effundam ſuper vos aquam mundam &c.* Proſequitur Pſaltes: *Animam meam convertit*; Hic eſt effectus paſcuæ, nimirum converſio animæ, quod eſt beneficium maximum. Et hoc ponderans Magnus Auguſtinus, dum ſacris inſiſteret meditationibus, in hos grati animi affectus prorumpebat: *Magnum æſtimo beneficium, quòd eo tempore, & inter tales me naſci voluit Deus, per quos ad fidem ſuam, & Sacramenta pervenirem. Video innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod mihi gratulor eſſe conceſſum, cum quibus tanta nobis eſt una conditio.* Omnes ex eodem luto plaſmati ſumus; omnes in Adam pariter peccavimus; omnes denique ad eandem maſſam damnatam pertinemus: Quod verò Deus hanc mihi gratiam, me prædeſtinando, ad ſalvificam fidem vocando, tot auxilia ſpiritualia porrigendo, conceſſerit, id ipſum ex ſola ipſius infinita ergà me benevolentia, & pietate in me derivatum fuit. Siquidem S. Paulo proteſtante: (c) *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*, fidei lumine colluſtrari. Et ideo Chriſtus S. Birgittam, & per eam nos omnes commonere volens, ut ſemper nos gratos exhibeamus pro noſtra ad veram fidem vocatione, ſic alloquitur: (d) *Ideo teneris tu multùm regratiari Deo; quia de Chriſtianis nata es, & in tempore ſalutis*, quæ gratia innumeris populis ſecreto Dei judicio juſtè denegata fuit. Oportet ergo, ne ingratus audias, ut in gratiarum actione perſeverans, identidem in ore & in corde habeas illos ex Pſalterio depromptos verſus: (e) *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, Nomini ſancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblviſci omnes retributiones ejus: Qui redemit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus &c.* His præintellectis, modò videamus, qualiter oporteat captivare intellectum noſtrum in obſequium Fidei.

(a) *Pſal. 22.* (b) *Ezech cap. 36. v. 25.* (c) *Rom. 9. 16.* (d) *Lib. 3. cap. 26.* (e) *Pſ. 102.*

# PARS SECUNDA.

9. EA animi contentione abdita naturæ rimatus eſt celeberrimus Plinius, ut ipſam vitam infauſto pignore exponeret pro certiori reconditorum cognitione adipiſcenda; Accidit, ut Veſuvius Mons violentiùs ſolitò fureret, & vaſta incendia quaquaverſum ejacularetur, ac circumjacentes provincias denſi cineres, pumices etiam, nigróque igne ambuſti & fracti lapides ſepelirent; Licèt verò omnia accolarum pectora percellerentur pavore, imperterritus tamen conſiſtit Plinius, avidéque ſcire cupiens, propriam malorum horum cauſam, voluit à mancipiis ſuis (omni conatu ſuſceptum conſilium fruſtra diſſuadentibus) deportari ad confinia fau-

cium, tetro fumo, sulphure, ac flammis formidabilium, sed continuò crassiore caligine, turbine, ac igneo correptus imbre suffocatur. Ita nimirum incautus papilio propiùs æquo accessit ignem, & amissâ vitâ curiositatem luens extinctus est; sicque in eo verificatum, quod asseruit Sapiens: (a) *Qui amat periculum, peribit in illo*. Historiam hanc nostro applicemus proposito, & dicamus, quòd similiter cum Plinio peribunt, quotquot in perscrutandis Fidei articulis fuerint curiosi, & qui nolunt secundùm D. Pauli Parænesim *in captivitatem redigere* suum *intellectum in obsequium* fidei, ac *Christi*; ad obediendum Christo per fidem, quâ humiliter creduntur res tam inauditæ, quas revelavit mundo. Captivatur autem intellectus quasi velatis oculis captivus abducitur, ut assentiatur iis quæ non videt. Quare quisquis in fide fideliter ac securè stare desiderat, omnibus Fidei nostræ articulis indubitatum assensum præbeat oportet absque curiosa occultorum & inperscrutabilium investigatione, quemadmodum monet Siracides cap. 3. 22. dicens: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Altiora autem quærunt, qui ea, quæ suum statum & captum transcendunt, curiosè scrutantur, & indagant ea, quæ per lumen rationis vel naturale, vel supernaturale indagari nequeunt; ùt qui curiosè indagant, an sint prædestinati à Deo, aliáque Dei consilia & secreta scrutantur: Quare iterum tales monet citatus Ecclesiasticus, dum prioribus subnectit: *Et in pluribus operibus ejus vestigandis, & perscrutandis, ne fueris curiosus.*

10. Porrò quid sit esse curiosum, ex curiositatis etymologia discemus: Curiositas enim à *Cura* derivatur: quòd curiosi in alienis, occultis præcipuè, perscrutandis anxiam nimis curam adhibeant. Est ergo curiositas immoderatum quoddam studium sciendi quod non debemus, vel quomodo non oportet. Ex quo in sciendo, & vitium statuitur, & virtus: Virtus inquam, moderata studiositas est: vitium verò, nimia & vana studiositas est, quæ & *Curiositas* dicitur. Hinc S. P. Augustino teste: *Curiosus est, qui avide scrutatur ea quæ ad se non pertinent: Studiosus verò, qui diligenter perquirit ea, quæ ad se attinent.* Sicut ergo studiosum esse, vera sapientia est, & via ad felicitatem æternam; ita curiosum esse, magna est insipientia, & via ad perditionem. Quis enim illum non esse insipientem æstimet, qui neglectis utilibus, curiotè inquirit ea, quæ statum & captum proprium exuperant, & transcendunt? Hinc graphicè Ascetarum facilè Princeps, Thomas de Kempis: *Quid prodest*, ait lib. 1. c. 3. *magna cavillatio de occultis & obscuris rebus, de quibus nec arguemur in judicio, quia ignoravimus! Grandis insipientia, quòd neglectis utilibus & necessariis, ultrò intendimus curiosis & damnosis.* Haud importunè Maximus Serm. 21. narrat, Thaletem in cælum suspicientem, & astra contemplantem, lapsum in foveam, à vetula irrisum cum dicto: Meritò id illi accidit, qui, cùm ignoraret quod ante pedes est, cælum contemplaretur, ut cognosceret illud. Quo spectat illud Pacuvii: *Quod ante pedes est, nemo spectat, cæli scrutantur plagas.* Euclidem verò rogatum à quodam, quales essent Dii, quáque re maximè gauderent? Respondisse: *Ego cætera nescio, at curiosos illis odio esse certò scio.* Prudenter proinde monet Cato in Distichis:

Mitte arcana Dei, cælúmque inquirere quid sit;
Cùm sis mortalis, quæ sunt mortalia cura.

11. Ab his Philosophis Gentilibus disce, qui Christianus audis, curiositatem præsertim in rebus Fidei vitare, & difficiliora, quàm

(a) Eccli. 3.

quàm quibus par sis, non inquirere. Certò plurima terrena, & quæ sub aspectum cadunt, minimè cognoscis, & divina cognosces? (*a*) *Quomodo ignoras, quæ sit via Spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium*, inquit Sapientissimus Salomon; Qui alio in loco ait: (*b*) *Difficile æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit?* Hoc eò Sapiens in medium protulit, ut divina Mysteria revereamur, scrutari vereamur. Ad quod idem etiam facit illud Paulinum: (*c*) *Tu autem fide stas*; id est, tu per Christi fidem, gratuito Dei beneficio collatam, in recta salutis æternæ semita positus es: *At noli* propterea *altum sapere*, noli superbire, quasi ex te, non ex Deo hoc habeas: *Sed time*, quia fides non est ita firma, quin ab ea excidere possis, quemadmodum plurimi à fide jam exciderunt, dum intellectum in obsequium fidei captivare noluerunt. Quare tale à nobis damnum arcere volens D. Ambrosius, in hæc verba suavissimè disserit: Non tibi licet scire, ô homo, alta sapientiæ, ideo tibi scriptum est: *Noli altum sapere, sed time.* Quid curiosè quæris investigare, quod tibi non expedit scire, nec cognoscere datur? Imperatoris hujus in terris non licet tibi scire consilia, & vis scire divina? Non licet tibi curiosiùs investigare quæ in terra geruntur, & tu curiosiùs inquiris quid supra cælum agatur? Supra te est scire, ô homo, altitudinem Sapientiæ divinæ, satis est tibi, ut credas. O homo, quid vis profunda scire Sapientiæ quæ supra te sunt? Timere Deum, sapientia est, abstinere à malo, disciplina. Hactenus Mediolanensis Præsul. Hinc auream auribus nostris instillat doctrinam Doctorum jubar Augustinus, sic unumquemque nostrûm monens: *Sic crede, ut desideres videre quod credis: si nunc videres, non crederes; ideo credis, quia non vides.* Tandem concludit: *Crede quod nunquam potes videre, ut merearis videre quod credis.* Ita Augustin. lib. 4. de Symb. cap. 2.

12. Opportunè admodum ad nostrum intentum in Parabolis Salomonis (*d*) sequens proponitur dogma: *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria.* Ubi notandum, analogiam esûs mellis, & scrutationis Majestatis in eo consistere, quòd sicut mel grave est, & si nimium sumatur, hominem degravat, & obruit: Sic Majestas gloriæ divinæ ingens & immensum est gloriæ pondus, quod infirmos mentis oculos hebetat, gravat, excæcat, & opprimit. Unde S. Gregorius ait: Dulcedo mellis si plus, quàm necessum est, sumitur; unde delectatur os, inde vita comedentis necatur. Dulcis etiam est requisitio Majestatis Dei; sed qui plus illam scrutari appetit, quàm humanitatis cognitio permittit, ipsa hunc ejus gloria opprimit, quia velut immoderatè mel sumptum, perscrutantis sensum, dum non capitur, rumpit. Hactenus S. Gregorius lib. 14. Moralium cap. 12. Hæc omnia à parte rei sic se habere, funestum nos docet exemplum, quod refert Georgius Stengelius Tomo quarto Mundi Theoritici. cap. 62. & sic se habet: Paduæ, in celeberrima tunc Academia, aliquando inter varios atque insignes Professores duo maximè viri eminuerunt, qui suâ singulari eruditione ac pietate & urbem, & Academiam illuminabant. Horum unus morbo gravi correptus vitâ excessit, omnibus tamen priùs Sacramentis munitus; Unde Sodalis illius, cæterique omnes animam ejus ex ore ad cælum rectis lineis evolâsse crediderunt. Sed ô tremenda Dei judicia! Cùm is, qui in vita relictus erat, domi in sua Bibliothêca solus sederet, divinisque literis operam daret perscrutandis, adfuit inopinatò defunctus

(a) *Eccle. 11. 5.* (b) *Sap. 9.* (c) *Rom. 11. 20.* (d) *Cap. 25. v. 27.*

ctus aspectu terribili, séque æternæ damnationis sententiâ ad inferos fulminatum professus est, causámque addidit dicens: Cùm jam essem in extremis, venit ad me tentator diabolus, & quia scivit, me Theologum excellentem esse, interrogavit me, quid crederem? Respondi, me credere, quæ in Symbolo Apostolico continerentur. Mox ille institit, ut quosdam articulos obscuriores ipsi explicarem. Parui, & Apostolorum Symbolum per Symbolum S. Athanasii sum interpretatus. At ille non acquiescens, ait: non est ita: non enim Deus tamdiu Pater, quamdiu Deus fuit; sed priùs Deus, & postea Pater extitit. Exclamavi (ait damnatus) & protestatus sum, hanc hæreticam simul & diabolicam esse doctrinam. Ad quæ Satan: Non clamoribus (inquit) sed argumentis, & rationibus veritas indaganda est. Itaque ego ingenio, & doctrinæ meæ magis, quàm æquum erat, confisus, cæpi cum eo de SS. Trinitate disputare. Hic jam cognoscamus, quò scientiâ inflatum superbia ducat; coactus est enim damnatus ipse suam damnationem, ejúsque causam socio indicare in hunc sensum: Quia, dum viverem, nullius formidavi disputationis congressum, persuasi mihi, ita me esse versatum, ut vel cum ipso Cacodæmone possem, ac auderem de SS. Trinitate disputare, non secus ac cum homine quovis. Ille autem gryphis ac sophismatis instructus, tam intricata argumenta proposuit, ut paulatim dubitare inciperem, ac demum in eum errorem sim præcipitatus, ut neque Filium, neque Spiritum Sanctum crederem esse Deum. Atque ita seductum mors oppressit, & divino stitit tribunali; ubi tanquam hæreticus æternæ damnationis sententiam ab æquissimo Judice accepi. Dixit, & ex oculis amici evanuit. Rem totam superstes non solùm secum, sed etiam cum intimis quibusdam amicis consultandum ratus, communi omnium sententiâ statuit, fidem Ecclesiæ Catholicæ & renovandam animo, & exercitio assiduo esse iterandam. Paulò pòst cœpit & ipse ægrotare, in quo morbo etiam obiit diem suum. Sed & ad illum venit Cacodæmon, eúmque interrogavit, quid crederet? Respondit se credere quod crederet mater Ecclesia. Instat hostis: Quid ergo credit mater Ecclesia? Respondit, Ecclesiam credere quod ipse; & se quod Ecclesia crederet. Ita præsentibus aliis usque ad extremum spiritum, velut per circulum trahebat Cacodæmonem. Paucis diebus elapsis, eleganti formâ, & vultu radioso iisdem suis amicis beatus apparuit, atque illis pariter pro salutari consilio, & Numini pro facta per damnatum admonitione gratias egit.

13. Ex hac historia videmus, qualiter in ea se divina Bonitas patefecerit: Nam quæ Epuloni illi (Luc. 16.) non concessit, ut ex mortuis unus ad quinque illius fratres mitteretur; hunc ex ipso orco ad socium misit, qui admoneret eum, & ille alios omnes, futuris etiam temporibus existentes, ne cum stropharum fabricatore Dæmone de abstrusis Fidei nostræ mysteriis disputare præsumant, scientes & minimè dubitantes, verum asseruisse Magnum Augustinum, quòd nimirum Deus non esset magnus, si non esset major captu humano. Hinc Eliu ad Job dicebat: (a) *Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram.* In hoc sensu Psalmista canit: (b) *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, mirabilior quàm ego assequi possim; *Confortata est*, id est, elevata est altiùs quàm ego conscendere possim; hinc *non potero ad eam* pertingere, nec eam apprehendere. Bellè huc facit, quod Doctorum jubar Augustinus audivit ab Angelo, in specie pueruli pone litus maris apparente, & afferente; quòd faciliùs immensum Oceanum effossæ scrobi infundere,

(a) *Job.* 36. (b) *Psal.* 138.

dere, illúmque in ea complecti posset, quàm ipse suo ingeniolo capere & intelligere SS. Triados mysterium. Quod etiam intelligendum de aliis mysteriis: v. g. Incarnationis, Eucharistiæ, Peccati Originalis, & quòd peccatum, ab Adamo commissum, in ejus posteros per generationem transfunditur. Ideóque S. Fulbertus Carnotensis Epist. 1. ad Adeodatum ait: *Incomprehensibilem divini consilii altitudinem sapientia humana puro cognitionis intuitu comprehendere non potest.*

14. Ex hactenus dictis sequentem nobis eruere licet doctrinam practicam: Nimirum, quando tortuosus coluber calcaneo nostro insidiatus fuerit, ac tentationem de rebus fidei nobis immiserit, in morte præsertim, tunc ne inimicus prævaleat, quid agere nos oporteat, opportunè suggerit Apostolorum Princeps Petrus dicens: (a) *Cui resistite fortes in fide*; Græcè: *Solidi in fide*, id est, scuto fidei solido & impenetrabili armati, divinis nempe revelationibus, promissionibus, & fidei articulis solidè & immobiliter adhærentes. Nec aliter sentit S. Paulus, qui in Epistola ad Ephesios cap. 6. omnes Christi fideles sic adhortatur: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela*, omnes apertas, vel occultas suggestiones *nequissimi* diaboli *ignea extinguere*, ac dissipare. Sic fecit S. Thomas Aquinas, qui agonizans fuit tentatus in fide à diabolo; at non valens diabolicis fallaciis resistere, quibus dæmon contra fidem urgebat, nequissimas delusit versutias dicendo cum sanctis Augustino & Gregorio, se credere, nec ultrà de fide disputare volebat. Ita & nos facere debemus, scutum fidei apprehendere, & quidquid credit sancta mater Ecclesia, credere, & sic contra ipsum dæmonem omnia retorquebuntur tela, & nos tuti & salvi erimus. Si Theologus præfatus maluisset fidei potiùs divinæ, quàm humanis ratiunculis inniti, nullam cum dæmone quæstionem habuisset, & per sophisticas captiunculas in errorem irremediabilem non incidisset. A quo damno nos præservare cupiens celeberrimus spiritualis vitæ Magister & Doctor, Thomas à Kempis, epiphonematis loco sic nostrûm quemlibet cohortatur dicens: *Noli disputare cum cogitationibus tuis, nec ad immissas à diabolo dubitationes responde: Sed crede verbis Dei, crede Sanctis ejus, & Prophetis, & fugiet à te nequam inimicus.* Hæc ille lib. 4. cap. 18.

(a) *1. Pet. 5.*

# PARS TERTIA.

15. INdubiè nota erit tibi, Christiane Lector, illa historia pavenda, quam Hieronymus Platus lib. 1. de Statu Religioso cap. 5. Argentinæ accidisse memorat. Refert ergo, quod cùm Pater Bertholdus, ex D. Francisci familia vir magnâ sanctitate conspicuus (cujus etiam tanquam Beati meminit Raderus in Bavaria Sancta) acriùs in vitium quodam invectus esset; mulier, quæ eo vitio tenebatur, pœnitentiæ & contritionis vi in media concione mortua concidit. Verùm cùm Bertholdus, cum omnibus qui præsentes aderant, ferventissimas pro defuncta preces ad Deum fudisset, mortuæ denuò vitam impetravit. Ergo cùm revixisset, narravit mortis causam, jussámque se ad corpus redire, ut pecca-

tum illud confeffione expiaret. Adjecit etiam tum alia multa quæ viderat, tum illud inprimis horrendum, aitque: Cùm apparui ad Dei Tribunal, adducta funt eò fexaginta animarum millia, quæ toto orbe è vita excefferant, atque ex his tres tantùm adductæ funt ad Purgatorium, & unus è Francifcanis fratribus per Purgatorii locum quidem tranfiit, fed per hunc tranfitum duas alias animas, quæ præcipuâ cum eo amicitiâ conjunctæ fuerant, fecum in cælum abduxit, reliquæ omnes ad ignem æternum damnatæ. Quis hæc legens, vel audiens non expavefcat, & expallefcat? Veruntamen dices forfan, has omnes damnatas animas non fuiffe fideles fed infideles, & qui Chrifti fidem amplecti non quæfierunt, vel contempferunt. At fcias, & pro veritate teneas oportet, quòd licèt ex his fexaginta animarum millibus fortaffis non multæ exfiterint fideles; tamen inter hos infideles fuiffe v.g. ex millibus unam fidelem juxta illud Cant. 5. *Electus ex millibus*, vix, aut nullo modo videtur relictus ambigendi locus. Ergo dum audis, ex his fexaginta animabus Chriftianis quatuor tantùm fuiffe falvatas, utique intelliges, rectè fenfiffe S. Gregorium, dum in hæc verba fcribere non dubitavit: *Ad fidem plures veniunt, fed ad cœleftia regna pauci perducuntur.* Rationem fubdit: *Nam plerique Deum vocibus fequuntur, moribus fugiunt.* Quanquam ergo nullus fine fide falvari poffit; non tamen infertur, quòd omnes veram fidem habentes falvi fiant: multi enim duntaxat mortuam, non vivam fidem tenent; Fides mortua illa dicitur quæ Fidei operibus caret: viva verò illa eft (S. Gregorio tefte) quæ hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Ex quo Fides dividitur à Theologis in formatam & informem. *Formata* eft illa, quæ informatur gratiâ & charitate; *informis* verò illa dicitur, quæ gratiâ habituali & charitate deftituta eft, quæ nullum omnino falvat.

16. Quamobrem quia Chriftianorum plurimi non vivam, feu formatam; fed mortuam duntaxat, feu informem poffident fidem, nemini mirum videri debet, plures ex illis in gehennam abire. Hos ergo, qui fidem fine operibus tenent, erudire, & ab errore hoc practico abducere volens S. Jacobus, eofdem in hæc verba, charitate plena alloquitur: (*a*) *Quid proderit fratres mei* ad falutem fcilicet, *fi fidem quis dicat fe habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides falvare eum?* Quafi dicat: Non. Nam non qualifcuncunque fides, quâ in Deum creditur, eft fufficiens ad falutem; fed illa quæ per charitatem operatur, feu cujus opera ex dilectione procedunt. Quod poftquam fusè & validis rationibus probavit, inducendo exemplum Abrahæ Patriarchæ, ita demum concludit: *Videtis ifto Abrahami* exemplo, *quoniam ex operibus juftificatur homo, & non ex fide tantum.* Unde *ficut corpus* (eft fimilitudo ejufdem Apoftoli) *fine fpiritu mortuum eft, ita & fides fine operibus mortua eft.* Porrò hoc divinitùs Divo Jacobo fuggeftum dogma qualiter rationi itidem humanæ prorfus congruat, Principum ac Regum exemplo probari poteft: Nemo etenim inter eos reperietur, qui quempiam optimum fuum fubditum effe cenfeat, qui affertis ejus planè credere fe indicat, fed infuper, quin & multò magìs ab eo requiret, ut juffis fuis exactam obedientiam, atque plenam obfervantiam oftendat. Certè quinque fatuæ Virgines ob nullam aliam caufam à cælefti Sponfo audire debuerunt: (*b*) *Amen dico vobis, nefcio vos*, nifi quia in fuis lampadibus oleum charitatis non habuerunt;

(a) *Jac.* 2. (b) *Matth.* 25.

runt: His quinque Virginibus fatuis non absimiles sunt illi Catholici, qui fidem sine operibus tenent. Nam quemadmodum licèt hæ quinque fuerint Virgines, tamen intra beatitudinis januam non sunt intromissæ, quia oleum charitatis ipsis defuit. Ita pariter quamvis omnes Catholici, suo modo virgines dicendi sint, quia non sunt corrupti aliquâ hæresi; attamen eorum multi ad nuptias Agni non permittentur ingredi, sed audient sibi dici: *Amen dico vobis, nescio vos*: illi nimirum, qui solùm lampadem seu fidem; non autem oleum, seu opera fidei secum portant.

17. Doctrinam hanc suo corroborat calculo S. Joannes, dum universis Christi fidelibus ita scribit: (*a*) *In hoc scimus* tanquam per signum quoddam conjecturale, *quoniam cognovimus eum*, nimirum Christum, cognitione non tantùm speculativâ, sed & practicâ, quæ cum amore, & affectu conjuncta est, ac in opus derivatur, *si mandata ejus observemus*. Pergit Joannes: *Qui dicit se nôsse Deum*, notitiâ affectivâ, & amore permixtâ, ùt modò dictum, *& mandata ejus*, tam legis naturæ quàm Evangelicæ, *non custodit*, sicut Deus custodire jubet, *mendax est, & in hoc veritas non est*, quia nempe falsum & mendacium dicit; licèt fortè non mentiatur, seu loquatur contra suam mentem. Confirmatur hæc doctrina ampliùs ex eodem dilecto Christi Discipulo, quando dicit: (*b*) *In hoc cognoscitur Spiritus Dei: Omnis spiritus, qui confitetur JESUM Christum in carne venisse, ex Deo est.* Quem textum Didymus & Ven. Beda hoc illustrant commentario: *Qui Christum confitetur tam bene & justè vivendo, quàm rectè de eo sentiendo; hic ex Deo est.* Multi enim non solùm hæretici, sed & mali Catholici Christum verbis confitentur, sed factis negant; utì egregius Præco & Doctor Gentium D. Paulus apertè de aliquibus testatur dicens: (*c*) *Qui confitentur*, scilicet labiis exterioribus, *se nôsse Deum* per fidem, cùm se Christianos esse dicant; *factis autem negant*, quia perinde se gerunt, quasi ignorarent Deum terribilem esse & metuendum nimis peccatoribus. Nam ut ait S. Thomas in hunc loc. lect. 4. *qui peccat* graviter ex malitia præsertim, *in quantum est de se, negat Deum factis: quia qui confitetur Deum, confitetur & ejus potestatem, scilicet quòd est ei obediendum. Et ideo, si non obedit peccando, negat factis, quod confitetur ore.*

18. Psalmista mortalium indolem ac ingenium probè speculatus ait: (*d*) *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Creditur nempe DEUS, creditur DEO, & non creditur in DEUM. Nam, ùt ait S. Laurentius Justinianus de Fide cap. 3. *Credere DEUM, est credere eum esse; credere DEO, est credere eum vera dicere; at credere in DEUM, est credendo amare, credendo diligere, credendo in DEUM ire, & ejus membris incorporari.* Ex his abunde declaratum manet, qualiter intelligendum sit illud ab æterna Veritate prolatum testimonium, quo omnibus in se credentibus vitam æternam pollicetur, non factâ ullâ bonorum operum mentione. (*e*) *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam æternam.* Nam benè advertendum, Christum dixisse: *Qui credit in me*, non dixit: *Qui credit mihi*, sed: *Qui credit in me*; hoc est, qui fidem, charitate & dilectione plenam habet; Siquidem ut ait S. Gregorius homil. 29. in Evang. *Tunc veraciter credimus, si quod verbis asserimus, operibus compleamus.* Apud Evangelistam Matthæum Christus protestatur, quòd iis, qui in extremo judicio ad sinistram statuentur, dicturus sit: (*f*) *Discedite à*



(a) 1. *Joan.* 2. (b) 1. *Joan.* 4. (c) *Tit.* 1. 16. (d) *Psal.* 11. (e) *Joan.* 6. 47. (f) *Matt.* 25.

*me maledicti in ignem æternum.* Sed cur isti ab æquissimo Judice incendiis subjiciuntur perennibus? Nunquid quia fide destituti fuêre? Nullam de eo mentionem inducit, sed tantùm: *Quia esurivi, & non dedistis mihi manducare &c.* Nec increpat (inquit S. P. Augustinus lib. de Fide & oper. cap. 15.) quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Eadem de re ipse Dominus apud S. Joannem loquens dicit: (a) *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii;* id est, condemnationis & gehennæ; Quasi dicat: Boni resurgent ad gloriam, mali ad gehennam; ut intelligamus omnes, nedum perfidiam in causa esse, ut quis cum diabolo æternùm ardeat, sed etiam rectè non egisse, mandata non servâsse, virtutibus & bonis operibus caruisse. Imò quod amplius est, Christiani habentes rectam fidem, at non bene viventes, non solùm æternæ maledictionis subjicientur sententiæ, sed majus etiam habebunt judicium, & horribiliora sustinebunt flagella secundùm illam severam ac infallibilem Christi comminationem, (b) *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui,* qualis est Christianus, *& non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis;* qua de re plura dicentur in Sermone de pœnis infernalibus.

19. His bene expensis, quilibet facilè intelliget causam, cur ex fidelibus multi ad inferos agantur præcipites, non esse aliam, quàm quia quod credunt, minimè operantur. Compertum siquidem habemus per experientiam, quòd multi credentes sic vivant, ac si non crederent. Quòd si unum ex his interrogaveris: Credisne Deum esse? Alium: Num aliam post hanc vitam superesse credis? Credisne infernum? Credisne animam esse immortalem, & suo tempore in judicio particulari & universali coram Deo Judice sistendam? Credisne unum peccatum mortale hominem secundùm præsentem justitiam constituere in abyssum æternæ perditionis? Respondebit utique, se omnia hæc credere. Et ecce, si hujuscemodi hominis vitam & mores excutias, videbis, quod ea, quæ affirmat sono linguæ, neget operis exhibitione. Adeò ut optimè in similem Christianum quadret illud à quodam Philosopho de lucinia effatum:

*Tota vox, tota vox, prætereaque nihil.*

Aut illud Patriarchæ Isaac ad Jacob: *Vox quidem, vox Jacob est: sed manus, manus sunt Esau.* (c) Etenim si vocem horum Christianorum spectemus, erit vox Jacob, id est vox eorum, qui sunt de numero prædestinatorum; sin autem oculos fixerimus in eorum acta & facta, mox deprehendemus, manus esse illorum manus Esau, id est, opera eorum opera reproborum, quorum typus est Esau. De his sic canit Candidus Epigr. 46.

Credere te dicis, virtuti æterna parari
Præmia, supplicium juge manere reos.
Sed cùm criminibus scateas, virtutis es osor:
Hoc incredibile est, credere te quod ais.

20. Haud extra rhombum currit, quod Picus Mirandulanus, summi ingenii vir Epistolâ primâ in hæc verba scribit: Magna insania est, Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur: Sed longè major insania est, de veritate Evangelii non dubitare; vivere tamen, quasi de ejus

(a *Joan. cap.* 5. 29. (b) *Luc.* 12. (c) *Gen.* 27.

ejus falsitate non dubitares. Hoc est perversorum Christianorum multorum deliramentum, ac mentis cæcitas, qui licèt audiant, & credant Humilitatem, regiam esse ad cæli gaudia viam; & superbiam è contra rectà ducere ad perditionem; id quod æterna Veritas apud S. Lucam apertè asserit: (a) *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Humilis exaltabitur usque ad cælos: *Et humiles spiritu salvabit* Deus. (b) Superbus verò deprimetur usque ad inferos: *Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergêris.* (c) Et tamen hoc non obstante, quàm pauci reperiuntur humiles corde? è contrario verò quàm multos superbia, ambitio, elatio tenet captivos? Licèt omnes inaudiant ab ipsomet æternæ Veritatis ore: (d) *Faciliùs transire posse camelum per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum Dei;* & quis est, qui non cupit esse dives? *A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student,* inquit Propheta Jeremias (e) Licèt ab omnibus credatur, impudicos, molles, fornicatores regnum cælorum non intraturos; & tamen his peccatis carnalibus se immergunt plurimi, qui libidini ad satietatem & voraginem indulgere neque erubescunt, neque formidant. Hoc modo si per omnia vitia discurrere vellemus, reperiemus utique potiorem Christianorum partem iis esse inquinatos, ac mancipatos adeò, ut rectè de moderno etiam rerum statu verificari queat illud Prophetæ: (f) *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.*

21. Modò vides qualis sit Fides inter plerósque Catholicos, nempe mortua, quæ ad vitam æternam consequendam minimè servit. De talibus porrò Christianis excordibus, qui fidem sine operibus tenent, suum olim tulit judicium Venerabilis & verè Apostolicus vir Joannes Avila, qui dicere amabat, videri sibi in Republica Christiana duobus duntaxat carceribus opus esse, Atheis uno, insanis altero. Vel enim (ajebat) credit aliquis, infernum peccatoribus in æternum affligendis deputatum, vel non credit: Si non credit, arripiatur ille in Atheorum carcerem compingendus. Si credit, & nihilominus in flagitiis suis lethalibus audet, & vult stertere, is in insanorum carcere revinciatur: quæ enim alia insania hâc major? Veruntamen etsi in præsentis vitæ decursu nullo horum carcerum pedore, & squalore afficiantur tales insani homines; dabunt tamen in infernali carcere pœnas nullo termino finiendas. Quamobrem qui hosce declinare cupit carceres, & ad supernorum Civium Patriam pervenire, quod credit, faciat oportet. Nam sicut unicuique homini, volenti pertingere ad locum aliquem destinatum, duo sunt ei necessaria, oculus scilicet & pes: Oculus quidem ut viam videat, pes ut progredi valeat; Sic qui vult introire Regnum Dei, duo habere debet, videlicet oculum fidei, & pedem operis, sine quibus ad optatum finem nimirum ad cælestem beatitudinem nullus pervenire poterit.

22. Hæc omnia, quò majora indies in corde tuo capiant incrementa, altissimè pectori tuo affige illud, quod dudum Deipara Virgo, in terris adhuc peregrinans, ad literas sibi à S. Ignatio Episcopo & Martyre missas in hæc verba rescripsit: *Ignatio, dilecto discipulo optat Maria humilis ancilla salutem. Quod tu per Joannem de meo Filio JESU audisti, & didicisti, omnia vera sunt. Crede illa, & adhære illis immobiliter. Christianæ fidei votum tene firmiter: &*



(a) *Luc. cap.* 18. 14. (b) *Psal.* 33. *v.* 19. (c) *Luc.* 10. *v.* 15. (d) *Matt.* 19. (e) *Jerem. cap.* 6. (f) *Ose.* 4.

*conforma vitam, ac mores tuos fidei tuæ. Veniam cum Joanne, te & Christianos, qui tecum manent, visitatum. Sta in fide, & age viriliter, neque persecutionum cede procellis. Bene vale, & Spiritus tuus exultet in Deo Salutari tuo.* Harum literarum meminit Bibliotheca Patrum, quam citat S. Bernardus Serm. 7. in Psal. 9. Illud ergo, quod SS. Christi Mater S. Ignatio commendare, & inculcare volebat, tibi pariter dictum crede; omnéque tuum studium in eo sit locatum, ut cunctas actiones, & cogitationes tuas ad fidei tuæ regulam ordines, ac dirigas, sísque Christianus non voce tantùm, sed & opere, & veritate.

# PARS QUARTA.

23. DE Veteri Troja in fabulis dicitur, ei nihil unquam jacturæ, aut excidii potuisse afferri, quamdiu Palladium, seu Palladis simulachrum in ea asservabatur. Unde lemma Palladis imagini subjunctum: *Hoc spoliata peribit.* Cujus rei non ignarus Ulysses, assumpto sibi comite Diomede, statuam illam surripuit, urbémque cepit, & devastavit. Hoc quidem Poëtarum quanquam merum sit figmentum; suo tamen haud caret mysterio. Belle enim per Trojam anima fidelis; per Palladium, Catholica fides; per Ulyssem verò & Diomedem, diabolus denotatur. Sciens itaque versutus hostis, quòd, quamdiu fides vivida à nobis custodietur, nullum nobis inferre nocumentum poterit; ideo summò conamine, astu, & versutiâ allaborat, quò hanc Fidei imaginem loco moveat, & si surripere prorsus non possit, saltem eam mutilet, detruncet, ac perimat, hoc est, ut nobis inutilem, & ad salutem inefficacem reddat. Facit ad hoc, quod scribit noster Pater Joannes Gregorius à Jesu Maria, celeberrimus divini Verbi Declamator, ac Missionarius planè Apostolicus, dum in suis Missionibus, hæreticis, & infidelibus Catholicam fidem prædicaret, animadvertisse se quidpiam pro fidelium eruditione memoratu dignum. Observabam (inquit) attentè modum vivendi hæreticorum, & valdè stupebam, dum inter ipsos nec verbum quidem unum turpe contra Deum proferri audiebam, nec contra proximum; ex ore verò Catholicorum in omni fere discursu audiebam blasphemari Deum, turpia ac inhonesta proferri verba. Hæreticos orando, honestè, modestè summo silentio orare; Catholicos in Ecclesiis cachinnare, ridere, & ut verbo omnia dicam, in hæreticis Catholicorum, in Catholicis verò hæreticorum mores regnare videbam. Hoc videns admirabar; sed ex Sanctis Bernardo & Anselmo causam didici; Ideo dæmones non tentare hæreticos, ut malè agant, quia per fidem amissam sciunt jam esse damnatos; Catholicos verò, si fidem bonis operibus jungunt, salvos fieri; ideo eos acriùs dæmones tentant, ut malè vivant, sicque malè viventes cum fide pereant.

24. Seraphica Mater, S. Teresia (ùt ipsa scribit cap. 40. vitæ suæ) vice nonnullâ tota extra se in spiritu rapta divinitùs intellexit, quòd omnia mundi damna, & peccata inde oriantur, quòd homines veritates Sacræ Scripturæ non satis ponderent, ac inspiciant; quas si diligentius intuerentur, & examinarent, non tanto impetu iniquitatem, velut aquam biberent, & absorberent. Non sufficit ergo, ut fidem veram quis habeat,

beat, sed oportet, ut hæc in nobis augeatur, crescat, & salutis æternæ fructum proferat. Quare necessum est, ut cum Apostolis Salvatorem nostrum assiduè oremus, ac supplices inclamemus dicentes: (a) *Domine, adauge nobis fidem.* Ubi S. P. Augustinus in Psalm. 118. Conc. 17. ait: Quamdiu vivitur in hoc sæculo, proficientium est hæc cantatio: *Adauge nobis fidem.* Nec immeritò, fides ut quotidie in nobis crescat, petere nos convenit; siquidem (ut graphicè differit S. Thomas de Villa Nova) *Fides prava desideria frænat, effrænes appetitus cohibet, feroces cordis motus sedat, vitia pellit, virtutes inserit, mollia calcat, aspera tolerat, in prosperis non erigitur, in adversis non dejicitur; nihil est tam arduum & tam durum, quod non aggrediatur propter Deum, qui vivâ fide credit in Deum.*

25. Quispiam ex sanctis illis eremi Patribus volens ostendere, quàm nobiles viva fides producat effectus, hac usus est similitudine dicens: Quemadmodum canes venatici dum prædam vident, celerrimè eam insequuntur, & nec spinis, tribulis, saxis, aliisque initi callis asperitatibus impediuntur, aut retrahuntur ab insecutione. Haud secùs illi, qui per fidem bona cælestia cognoverunt, agere solent; Quippe toto animi conatu, contemptis omnibus quibuscúnque difficultatibus, iisdem consequendis inhiant. Hinc in Martyrologiis passim legere est, tantum primorum Christianorum fuisse fervorem, & pro Christo patiendi ardorem, ut certatim ad martyria, velut ad opiparè instructas epulas properarent, ac currerent; támque copiosus eorum, qui se spontè & ultroneè pro fidei confessione truncandos Tyrannis offerrent, numerus erat, ut & enses ad eosdem necandos deessent, & carnifices deficerent, erántque paratiores longè, avidioréſque ad quævis subeunda tormenta, quàm vel ipsi Tyranni ad ea infligenda. Hanc autem divini amoris flammam, quâ invicti Christi pugiles intus ardebant, quid aliud excitavit, & succendit, quàm Fides? Fides eos animavit, fides corroboravit, fides ferreos quodammodo ac adamantinos eosdem effecit, attestante, & declamante Præcone Tarsensi. (b) *Sancti per fidem vicerunt regna*, scilicet regnum diaboli, regnum carnis, & regnum mundi. *Operati sunt justitiam*, id est, Sancti per fidem justa & sancta opera egerunt; *adepti sunt repromissiones*, nimirum illam promissionem supremam, nempe cælestem, quæ continet primò beatitudinem animæ, deinde corporis, quâ in fine sæculi integra beatitudo totius hominis consummabitur. Opportunè Doctor Angelicus: (c) *Fides est*, (inquit) *quâ vincimus tentationes.* Diabolus enim tentat, ut non obedias Deo, nec subjiciaris ei. Et hoc per fidem removetur: nam per fidem cognoscimus, quòd ipse est Dominus omnium; & ideo ei est obediendum: Unde dicitur 1. Petr. 5. *Cui*, scilicet diabolo, *resistite fortes in fide.* Mundus autem tentat vel alliciendo prosperis, vel terrendo adversis. Sed hæc vincimus per fidem, quæ facit nos credere aliam vitam meliorem istâ, & alia majora mala, scilicet inferni. Et ideo prospera mundi despicimus, & non formidamus adversa. Caro verò tentat inducendo nos ad delectationes vitæ præsentis momentaneas. Sed fides ostendit nobis, quòd per has, si eis indebitè adhæremus, æternas delectationes amittamus. Ita S. Thomas. Ex quo erudimur, nullam esse tentationem, quam fidei scutum non arcet; quia sicut per scutum repelluntur tela; ita per fidem omnia adversariorum tentamenta, & terriculamenta superantur. Hinc dicitur 2. Paralipom. 20. v. 20.

(a) *Luc.* 17.

(b) *Hebr.* 11. (c) *Opusc.* 6. §. 1.

v. 20. *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis.*

26. Est ergo Fides viva præstantissimum adversùs omnes mundi, carnis, ac dæmonis insultus, & tentationes antidotum; Nam omnes, qui in virtute Fidei alterius vitæ æternitatem, paradisi gloriam, pœnarum infernalium atrocitatem, aliáque Christianæ religionis mysteria devotè meditantur, mundum, carnem, & diabolum vincunt: vincuntur autem ab iisdem quotquot fidem hanc vividam amittunt. Utrorúmque typus ac figura extitit fortissimus Samson, qui amore Dalilæ captus, eidem, in quo suum fundatum esset robur, pandens dixit: *Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* (a) Quod audiens Dalila, *dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinavit caput*; hácque opportunitate positâ, abscidit omnes crines ejus, ac sic inermavit omnium mortalium robustissimum, & in manus Philistæorum tradidit illudendum. Ubi considerandum, Samsonem tamdiu fuisse suis hostibus formidabilem, quamdiu capillos retinuit; his verò privatus, factus est illis in dicterium & derisum. *Jam omnia in figura contingebant*, inquit S. Paulus 1. Cor. 10. Repræsentat Samson animam fidelem; crines verò designant fidem vivam ac charitate plenam, quæ nos hostibus nostris facit expavendos ac inexpugnabiles; ideo serpens antiquus (qui per Dalilam denotatur) velis, remísque satagit, ut hanc in nobis labefactet, seu abradat, probè gnarus, in vanum adversùm nos suas exerere vires, dum fidei scuto nos protectos cernit; secus si fidem vivam ac operosam amiserimus.

27. Hæc de Fidei virtute disseruisse pro nostra informatione sufficiat; attamen coronidis loco id unum subjungo, qualiter nempe nosipsos in eliciendis Fidei actibus exercere debeamus; quia (ut unanimis Theologorum, & Ascetarum vox est) Deum semper remunerari voluntatem, ubi non reperit facultatem. Hoc igitur supposito, recogitet unusquisque, quantos meritorum manipulos sibi colligere possit per elicitos, ac sæpe iteratos fidei actus, qui in duplici sunt differentia, alii *externi*, alii *interni*. *Externi* non tam facilè exerceri possunt, quàm *interni*, nisi quis degeret inter infideles aut hæreticos, ubi occasionem patiendi pro fide copiosam haberet. Sufficient ergo interim actus interni, qui hoc vel simili modo practicari possunt; videlicet omnia credendo, quæ in sacris continentur paginis, & quæ nobis Sancta mater Ecclesia credenda proposuit, & pro hac veritate non tantùm paratum esse, vitam cum sanguine prodigere, sed insuper optando, si ita divinæ placitum esset Majestati, re ipsa amore Christi, & veritatis Catholicæ defendendæ causâ mori. Occasio hujus desiderii potest esse, dum in Choro legitur Martyrologium; tunc enim potest desiderari, & peti à Deo martyrium per intercessionem SS. Martyrum; Sic v. g. *O si haberem fidem talem! ô si morerer pro Christo! ô sancti Martyres impetrate mihi talem gratiam &c.* Neque dubites, quin relaturus sis martyrii coronam, si hoc modo temetipsum frequenter ac constanter Deo immolaveris, paratum te exhibens ad quosvis pro amore Dei, ac fidei confessione perferendos cruciatus. Non quidem ex hoc desiderio accipies illã cum SS. Martyribus gloriam, quæ *aureola* dicitur; quia illa solùm debetur ipsi exteriori passioni, seu actuali tolerantiæ mortis, in qua est specialis difficultas, cui præmiũ aliquod accidentale correspondet, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 4. in Corp. Sed acquires

(a) *Judic.* 16. 17.

quires cum SS. Martyribus gloriam essentialem, majorem vel minorem juxta intensionem aut mensuram desiderii habiti. Theologorum namque assertum est, eos, qui solâ voluntate Martyres sunt, posse mereri æquale, aut majus præmium essentiale, quàm qui reipsa patiuntur pro Christo, si æquales, aut ferventiores actus charitatis eliciant.

28. Et in tali sensu intelligendum est illud Magni Augustini (a) proloquium: *Etsi nobis persecutionis flamma deest; fidei tamen flamma non deest: non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus affectu: Non subjicit mihi persecutor ignem, sed subjicit mihi desiderium Salvatoris.* Hoc similiter facit, quod Christus Dominus ad S. Birgittam dixit: *Quamvis non omnes effuderint sanguinem pro nomine meo; nihilominus tamen eandem mercedem habebunt, si habent voluntatem dare vitam suam pro me, tempore se sic offerente, & necessitate fidei ingruente. Ecce, quantum voluntas bona facit!* Ita habetur lib. 2. Revelationum S. Birgittæ cap. 11. in fine. Huic doctrinæ apertè astipulari videtur sancta Romana Ecclesia, dum de S. Martino Episcopo in ejus natali die sic canit: *O Sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.* Similiter S. Maria Magd. de Pazzis videns in ecstasi gloriam B. Aloysii, sic exclamare cæpit: Vix capio, tantam Cælestibus communicari posse gloriam, quantam video in Aloysio. O quantam gloriam habet Aloysius filius Ignatii! nunquam id credidissem, nisi mihi meus monstrâsset JESUS. Vellem, ut possem ire per mundum totum, & dicere, quòd Aloysius sit magnus Sanctus, & vellem, ut ejus gloriam omnibus possem ostendere, ut sic in eo glorificetur Deus. Tantam gloriam habet, quia internè operabatur. Quis unquam explicare poterit valorem & virtutem actuum internorum? Nulla est comparatio extrinseci ad intrinsecum. Aloysius fuit martyr incognitus. Ita S Magdalena de Pazzis. Ex his colligere pronum est, quòd, licèt non habeamus fidei persecutores, qui sanguinem fundant, ac nos trucident, nihilominus Martyres esse coram Deo possimus; nimirum per ardentia pro Christo moriendi, & aspera quæque amore illius perpetiendi habita desideria, per operationes internas, per vitiorum ac passionum refrænationem, & expurgationem, sive per alia heroica virtutum, ac bonorum operum exercitia.

29. Porrò quod in præsenti bene notandum occurrit, est, ut quilibet sciat, Martyrii coronam non omnibus, desiderium pro Christo moriendi elicientibus dari, sed tantùm iis, qui veraciter, & corde sincero pro Deo pati cupiunt. Signa autem, num tale desiderium, sincerum æstimari debeat, duo assignare possumus; Primum est; si quis curâ solicitâ omnia peccata, eorúmque occasiones declinare conetur: Secundum est; si quis tribulationes quaslibet forti ac heroico animo toleret; Hoc qui non agit, etsi millies optaret pro Christo mori, exiguum tamen reportabit meritum; quia hujusmodi desiderium, seu voluntas non videtur esse efficax & sincera, sed pura quædam velleitas, quam divina Bonitas non æstimat, nec remunerat. Quod probare possumus hoc discursu: Quemadmodum ipsum martyrium in se reapte summum charitatis actum includit; ita voluntas moriendi, ut sit vera, eundem charitatis actum continere debet, ergo cùm talis charitas longissimè à se proscribat peccata, graviora præsertim, sequitur manifestè, nec desiderium fundendi sanguinem posse stare cum illis, quia eundem chari-

(a) Serm. 30. de Sanctis.

charitatis actum implicitè importat. Item quia martyrium est actus fortitudinis maximus, & consequenter qui maxima pro Deo tolerare desiderat, ea quæ martyrio minora sunt, v. g. persecutiones, tentationes, famem, sitim &c. fortiter ferat oportet. Unde qui istiusmodi pœnalitates sufferre non valet, quomodo poterit subire martyrium? qui non potest portare quod minus est, quomodo poterit portare quod majus est? Et ideo qui verè & efficaciter vult aliquod bonum magnum præstare, si adesset possibilitas; is debet saltem intra eandem lineam agere bonum parvum, nimirum tantum quantum poterit; Quia ut S. Thomas docet dicens: (a) *Non est perfecta voluntas, nisi sit talis, quæ oportunitate datâ operetur.* Quamobrem ne tua pro Christo moriendi elicita desideria incassum sine fructu, & remuneratione abeant, tolera modò fortiter adversa, declina à malo, & fac bonum: Hoc si studiosè egeris, confide, quia mercede non carebis.

(a) *S. Th.* 1. 2. *q.* 20. *a.* 4. O.

# SERMO II.

## DE SPE THEOLOGICA.

*Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Hebr. 6. v. 19.

## PARS PRIMA.

1. QUòd si præsentem hujus vitæ statum penficulatiùs consideremus, eum nulli rei aptiùs possumus æquiparare, quàm navi in medio pelago fluctuanti, & per asperos fluctus, ac minaces scopulos non sine gravi naufragandi periculo ad portum naviganti. Quamdiu enim homo versatur in hoc mundo, velut in undoso mari variis agitatur procellis, animæ vel naufragium, vel certè ejus periculum afferentibus. Hinc enim irruunt tentationum venti, illinc ingruunt varii afflictionum turbines: Hic novi quotidie vitiosorum motuum impetus concutiunt; illic decumani anxietatum, & immoderatorum affectuum fluctus tantùm non opprimunt. Proinde ne anima nostra in hoc procelloso pelago navigans, salutis incurrat naufragium, suis instar cymbæ instructa esse debet nauticis, ut feliciter per discriminosum hujus fluctuantis vitæ oceanum sulcando ad portum felicitatis æternæ appellat. Eapropter *Crux* Christi, sive *Fides* in Christum crucifixum, habet se in hoc navigio spirituali tanquam arbor erecta, & tanquam malus illud dirigens. *Charitas* subministrat funes, qui hanc navem tenent colligatam; triplex enim charitas, erga Deum, erga proximum, & erga seipsum, triplices sunt funes hanc cymbam firmantes. *Desiderium æternorum*

eſt velum expanſum, quod auram Spiritûs Sancti felicer recipit, ut navis hæc proſperè ad portum propellatur. *Spes verò* anchora eſt; ſic enim eam vocitat S. Paulus, dum ad ſuos Hebræos perſcribens ait: *Confugimus ad tenendam propoſitam* nobis à Deo, tanquam fidei, & bonorum operum mercedem, *ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* (a) Quo loci Apoſtolus comparat Spem ipſi anchoræ, quæ ſicut in mari navem immobilitat, ita Spes in præſenti vita animam firmat in Deo. Eleganter hunc Pauli textum exponens S. Anſelmus ita fatur: Sicut anchora navem retinet, & firmat, ne ventorum rabie, & tempeſtate maris inſurgente ſubmergatur, & ludibrium maris & fluctuum fiat: Sic ſpes noſtra, inhærens gloriæ quam deſiderat, animam fidelem tenet, & conſolidat contra omnes maris tempeſtates, & confirmat in ſuo propoſito, ne deficiat velut ſcopulis adverſitatum & tribulationum fracta, & retinet, ne mergatur conſentiendo iniquitati. Hactenus D. Anſelmus.

2. Porrò Spes definitur à Magiſtro Sententiarum, Petro Lombardo, lib. 3. Diſt. 26. *Eſt virtus Theologica, divinitùs infuſa, quâ ſpiritualia & æterna bona ſperantur. Eſt enim Spes certa expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia, & ex præcedentibus meritis.* Dicitur *virtus Theologica*, quia verſatur circa Deum tanquam circa objectum, ſicut Fides & Charitas circa eundem verſantur, ratione tamen diversâ: Nam Fides Deum pro objecto habet, in quantum eſt prima Veritas: in quantum autem eſt Summum Bonum, eſt objectum Charitatis: in quantum eſt altiſſimum arduum, nempe Beatitudo æterna (quæ juxta Boëtium, *eſt Status omnium bonorum aggregatione completus*) eſt objectum Spei. Dicitur ulteriùs de Spe in definitione, quòd ſit *divinitùs infuſa*; infunditur enim à Deo ſolo in voluntatem noſtram, in qua eſt ſicut in proprio ſubjecto: Cupere enim, & exſpectare bona futura ſolius eſt voluntatis. Rurſum, quemadmodum Fides admittitur informis, ſic pariter & Spes; hoc eſt ſine charitate, quæ omnium eſt forma virtutum. Unde licèt Fides, Spes, & Charitas habeant Deum pro objecto, per peccatum tamen mortale amittitur Charitas; non ita fides & ſpes. Qua de re ſic diſſerit S. Thomas: (b) *Actus ſpei eſt expectare futuram beatitudinem à Deo, qui quidem actus perfectus eſt, ſi fiat ex meritis quæ quis habet, quod non poteſt eſſe ſine charitate: Si autem hoc exſpectet ex meritis quæ nondum habet, ſed proponit in futurum acquirere, erit actus imperfectus, & hoc poteſt eſſe ſine charitate. Et ideo fides & ſpes poſſunt eſſe ſine charitate: ſed ſine charitate propriè loquendo virtutes non ſunt*, quibus nimirum vita æterna eſt repromiſſa. Et ideo, ut ſpes ſuum in nobis producat effectum, animæque noſtræ naviculam à naufragio tueatur, ac certò ad tranquillitatis æternæ portum provehat, duo in allata Spei definitione contenta obſervare debemus; nimirum licèt ſpes noſtra non noſtris viribus humanis, ſed ſolùm gratiæ, ac bonitati divinæ innixa eſſe debeat; noſtra nihilominus cooperatio, ac bona opera ſic ſunt ei neceſſaria, ut ſine illis Spes, non virtus Theologica, ſed præſumptionis vitium ſit. Nam ùt dicit ſuprà citatus Magiſter Sententiarum; *Sine meritis aliquid ſperare, non ſpes, ſed præſumptio dici poteſt.* Hæc duo modò expendere ac rimari pergamus.

3. Legitur in libro Judicum, quòd, cùm conſurgeret Gedeon cum univerſo populo Iſraël ad pugnandum contra Madianitas, dixerit ad illum Dominus: (c) *Multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian*

C 2

(a) *Hebr.* 6. 18.

(b) S. *Th.* 1. *æ.* *q.* 65. *a.* 4. (c) *Judic.* 7.

*dian in manus ejus.* Videtur, quòd deberet potiùs dicere: *Tradetur Madian in manus ejus, quia multus est*; nam si esset parvus, tunc meritò diceretur, quòd non traderetur inimicus in manus ejus, cùm non tantas haberet vires ad pugnandum. Sed quæ est causa hujus præposteræ locutionis? Hæc est, quæ immediatè subditur: *Ne glorietur Israël, & dicat: Meis viribus liberatus sum*, & sic victoriam, seu pugnæ gloriam non Deo, sed suæ virtuti, ac robori adscriberet; Quocirca *non tradetur Madian in manus ejus, ne opus cælestis dexteræ, virtuti assignetur humanæ*, ait Salvianus. Quare ut victoriam non humanis viribus, sed solâ Dei virtute paratam demonstraret, mirum hunc vincendi modum ordinavit Deus. Seligere jubet Gedeonem ex toto exercitu trecenta duntaxat capita, quibus hosti bellum & inferret, & triumphum reveheret, quin nec hos quidem armis indui voluit, nec gladium educere, sed tubas duntaxat inflare, vasa confringere, faces seu lampades accendere; quibus rebus tantum terrorem hostibus incussit Deus, ut in mutuas cædes partim ruerent, partim verò fugâ dilaberentur. Et quia *omnia in figura contingebant illis*; ideo per hanc historiam nobis intelligi datur, quòd si inimicos nostros, qui junctis viribus nos à præmio vitæ æternæ, ad quod per virtutem Spei currimus, extorres facere satagunt, in fugam dare, victricémque beatæ æternitatis lauream referre cupiamus, nobis ipsis diffidamus oportet, ac in solo Deo confidere discamus, pro certa veritate tenentes, omnem victoriam, munus esse Dei, non meritum nostrum.

4. Opportunè Judas Machabæus ac veridicè dixit: (*a*) *Non in multitudine exercitûs victoria belli, sed de cælo fortitudo est*, quâ superatur, & profligatur adversariorum nervus, ac exarmatur eorum vis ac potentia. *Sic, sic, & non aliter prosternitur inimicus: qui pugnat viribus suis, antequam pugnet, ipse prosternitur*, ait Doctorum jubar Augustinus. Et hoc vel maximè intelligendum de conflictu spirituali, in quo nec minimæ tentationis assultum, nisi adjuvante divinâ gratiâ, sustinere valemus. Appositè Gregorius Magnus: *Necessariò* (inquit in Psalm. 3.) *sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicúnque à Deo fuerit derelictus.* Non igitur Spes nostra nostris innixa esse viribus debet, sed divinæ duntaxat bonitati; quia tunc spes nostra non fallet nos; prout ipse Deus per Psalmistam loquens testatur: *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit Nomen meum.* (*b*) Propheta Jeremias ad nostri discursûs prosecutionem ait: (*c*) *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Maledictus dicitur ille, qui relictô & contemptô Deô confugit ad auxilia hominum, in illísque suam ponit fiduciam. Et tales Deo injurii sunt; qui enim Deo diffidunt, negant ejus providentiam, scilicet Deum vel nolle, vel non posse, vel non scire opitulari; hinc fugiunt ad opem hominum, in quibus tamen nulla est salus, Psalmistâ dicente, & monente: (*d*) *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Hoc ut clariùs intelligatur, notandum est ex Divo Thoma quòd illi tantùm maledictionem hanc divinam incurrant, *qui sperant in homine sicut in principali auctore salutis; non autem qui sperant in homine, sicut adjuvante ministraliter sub Deo.* Quod scholium in cap. 17. Jerem. repetens ait: *Licet confidere in homine sub Deo, non tamen ut relinquatur Deus.* Quemadmodum autem (ùt in præsenti S. Basilius observat) homo, qui spem suam ponit in homine, ac etiam in seipso, execrandus est:

(*a*) 1. *Machab.* 3. 19. (*b*) *Psal.* 90. (*c*) *Jer. cap.* 17. (*d*) *Psal.* 145.

eſt : Ita omni laude dignus eſt , & verè benedictus homo, qui confidit in Domino ſecundùm illud quod ſubjungit Jeremias : *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Dicitur *benedictus*, qui ſuam habet fiduciam in Deo, ut ſcilicet in quocunque quis confidit , confidendi ratio ſit Deus, ait hìc S. Thomas. Similiter qui ſic Deo confidit, *beatus* pronuntiatur apud Pſalmiſtam : *Beati omnes qui confidunt in eo.* Nimirum, beati in ſpe, licèt nondum in re, ſunt illi omnes qui ſperant in Deo ; quia per ſpem Deus maximè honoratur: Quippe qui Deo confidunt, séque illi credunt, prædicant eum eſſe *optimum*, qui velit ſuâ bonitate ſuccurrere ; & eſſe *Omnipotentem*, qui poſſit; & eſſe *omniſcium*, qui ſciat opitulari ; atque eſſe *fideliſſimum*, qui ſperantes in ſe non fallat.

5. Verùm enim verò, quamvis taliter in Deum confidere oporteat , nobíſque ſic diffidere, quaſi omnis noſtra induſtria, & labor foret fruſtraneus ; nihilominus hic nequaquam excludi debet, hoc enim eſſet Deum tentare, ſi quis in ipſius auxilium & providentiam confiſus , manibus ſinui impoſitis, omnem ex parte ſua cooperationem negligere vellet. Hinc monet S. P. Auguſtinus : *Admonendi ſumus, ut, quamvis credamus , ſeu confidamus in Deum ; faciamus tamen quæ facienda ſunt ab hominibus in præſidium ſalutis , ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur.* Doctrina hæc roboratur ex variis argumentis, è ſacrorum eloquiorum codice depromptis. Promiſerat olim Deus populo ſuo electo, quòd ad clangorem tubarum muri civitatis Jericho ſubvertendi eſſent ; & tamen totum exercitum eandem urbem circumdare, & Arcam circumportari juſſit, ùt habetur in libro Joſue capite 6. Circa quam hiſtoriam ſic ediſſerit D. Chryſoſtomus : (a) *Si mœnia eſſent caſura, cur nam armis induuntur? Ideo ſcilicet, quia Deus noſtram quóque vult adhiberi diligentiam, & induſtriam.* Denique ſi eundem librum Joſue perluſtrare non piguerit, reperiemus in eo, quòd, licèt Deus certiſſimè Iſraëlitis promiſerit omnem regionem trans Jordanem, in ſola tamen Jerichunte urbis mœnia, manifeſtâ Dei virtute ceciderint ; in cæteris autem urbibus ſubigendis Hebræi acriter certare debuerunt, eáſque inſultu militari ſuperare, ùt patet ex capite octavo, & ſequentibus capitibus. Nam quanquam Joſue à Domino audierit : (b) *Aſcende in Oppidum Hai, ecce tradidi in manu tua regem ejus, & populum , urbemque & terram*, Nihilominus Joſue, quæ è parte ſua erant, nihil prætermiſit, ſed omnia, quæ ad exterminandum inimicum facerent, dexterrimè adimplere laborabat. Haud diſpari modo promiſit Deus nobis omnibus paradiſum cæleſtem, ſed non niſi mediantibus noſtris ſudoribus & laboribus. *Dei enim ſumus adjutores*, ait 1. Cor. 3. Apoſtolus. Græcè, *Cooperarii*, id eſt , ad ſalutem noſtram, quam ille deſiderat , ei cooperamur plantando, rigando , & exhibendo extrinſecùs miniſterium , dum ipſe intrinſecùs operatur incrementum. At contra hoc videtur eſſe quod ait Job. cap. 26. *Cujus adjutor es? nunquid imbecillis?* Reſpondet S. Thomas & dicit, quòd dupliciter aliquis adjuvat. Uno modo augendo ejus virtutem, & ſic nullus poteſt eſſe Dei adjutor. Alio modo obſequendo operationi alterius , ſicut ſi miniſter dicatur Domini adjutor, in quantum exequitur opus ejus. Itaque dum homo facit quæ Deus jubet, dicitur in ſecundo ſenſu *Dei adjutor* ; obſequendo enim divinis mandatis, Deum quaſi adjuvat in opere propriæ ſuæ ſalutis.

(a) *Chryſoſt. in Pſal.* 43.

(b) *Joſue* 8.



6. Aliud

6. Aliud in rem noſtram commemorat factum D. Joannes Evangeliſta: Nimirum quòd Chriſtus Lazarum, ante quatriduum mortuum, ac jam ſepultum, ad vitam revocaturus dixerit confertæ multitudini: *Tollite lapidem*; (*a*) Quod expendens S. P. Auguſtinus ſic diſſerit: (*b*) *Quid dicemus? nunquid lapidem Dominus à monumento, præcepto removere non poterat, qui inferni clauſtra virtute propriâ removit? Sed quod ab homine fieri poterat, homines facere præcepit; quod autem divinæ virtutis erat, ſuâ potentiâ demonſtravit: lapidem enim à monumento removere humanæ virtutis eſt; animam verò ab inferno revocare, ſolius divinæ potentiæ eſt.* Dominus non vult omnia per ſeipſum præſtare, ſed etiam aliqua aliis fa.i:nda relinquit; Defunctos à mortis tenebris revocare, hoc ſolius eſt divinæ poteſtatis; hoc per ſeipſum JESUS exhibet. At verò lapidem tollere, ligaturas ſolvere, hoc humanæ erat poteſtatis, & bene poterat per homines executioni mandari; ideo hoc hominibus committit, ut illud per ſe exhibeant. Sic res ſe habet in noſtræ ſalutis negotio; etſi enim ſalus æterna, quam ſperamus, ſit opus ſolius Dei: non tamen ad illam aſſequendam induſtria humana eſt omittenda aut negligenda. Joannes Moſcus in Prato Spirituali cap. 130. refert de Athanaſio Abbate, quòd in viſione viderit locum plenum luminis & gloriæ, audiverítque multitudinem innumerabilem laudantium Deum; cúmque pulſaret, vellétque ingredi, audivit: *Huc non ingredietur quiſpiam in negligentia degens: Sed ſi intrare vultis, abite, certate, nihil æſtimantes vanitates ſæculi.* Conandum ergo eſt ad bene operandum. Licèt enim ſpes ſit *certa expectatio futuræ beatitudinis*, ut dictum in ejus definitione ſuperiùs allatâ; hæc tamen certitudo ſolùm pendet ex parte Dei promittentis; unde ex parte noſtrî, & per accidens poterit eſſe hæc futuræ beatitudinis expectatio incerta & fallax; quia ſpes reſpicit etiam noſtram cooperationem & merita, utì ex ejus definitione liquet. Et ideo ejus certitudo, ſeu infallibilis expectatio beatitudinis non eſt abſoluta, quia ſpes, & expectatio noſtra tanquam fundamento nititur promiſſione Dei, quæ nobis facta non eſt abſolutè, ſed conditionatè: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 19. Huc ſuæ perſpicacitatem mentis collimabat coronatus inter Prophetas, ideóque monebat dicens: (*c*) *Spera in Domino*, id eſt, (ut explanat S. Thomas) ſpera te habiturum bona Domini, id eſt ipſum Dominum, ſecundum illud Pſal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ &c.* Ne verò hæc ſpes ſuo fruſtretur effectu, & fructu, hortatur ad bonorum operum exercitium: & ideo ſubjungit: *Et fac bonitatem*, id eſt, omnia opera virtutum, quemadmodum ſuggerit idem Pſaltes: Pſalm. 33.

*Declina à malo, & fac bonum.*

(a) *Joan.* 5. (*b*) *S. Auguſt. Serm.* 41. *de temp.* (*c*) *Pſal.* 36.

PARS

# PARS SECUNDA.

7. Quòd Spes Theologica pro proprio ac formali suo objecto respiciat beatitudinem æternam, constat ex ejus definitione superiùs jam adducta; quòd nimirum sit *certa expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia, & meritis nostris.* Ac proinde (ut docet S. Thomas 2. 2. q. 17. a. 2. ad 2.) Sicut Fides principaliter respicit Deum, quà verum, & secundariò respicit ea, quæ ordinantur ad Deum, ut verum; ita & Spes principaliter respicit beatitudinem æternam, ut ultimum finem; alia verò quæ petuntur à Deo, respicit secundariò, scilicet in ordine, sive ut media ad futuram beatitudinem assequendam. Ex quo sequitur, licitum non esse, aliquod bonum sperare sicut ultimum finem, præter beatitudinem. Hinc quæcunque demum à Deo speramus, & petimus, sive liberari à malis corporalibus, sive consequi bona, quæ non sunt ipsa beatitudo, conditionatè postulemus oportet; nimirum si hæc conducant ad consequendam futuram beatitudinem. Beatitudo verò ipsa non conditionatè, sed absolutè petenda est, prout nos orare docet Sapientia Incarnata apud Evangelistam Matthæum: (a) *Adveniat regnum tuum*; ut nimirum fiamus participes regni cælestis, & gloriæ paradisi. Hoc probè intelligens Regius Psaltes, ideo inter sui Psalterii dulcissimum sonum canebat; (b) *Unam petii à Domino, hanc requiram*, hanc unam rem petam, videlicet, *ut inhabitem in domo Domini*, non ad tempus, sed *omnibus diebus vitæ meæ*, id est, quamdiu durabit vita Sanctorum cum Deo, quæ fine dubio non habebit finem.

(a) *Matth. cap.* 6. (b) *Psal.* 26.

8. Quamobrem cùm in definitione Spei *beatitudo* ponatur, ideo omnia quæ à Deo petimus, ac speramus, non ad alium finem sunt postulanda & speranda, nisi in quantum conducunt ad hoc finale speratum, quod est fruitio Dei. Et quia ignoramus, num hoc vel illud, quod à Deo efflagitamus, saluti nostræ prosit, vel obsit; idcirco oportet nostram voluntatem divinæ substernere, de bonitate ejus piè fidentes, nihil nobis negaturum, nisi quod prospicit saluti nostræ impedimentô futurum. Et hoc est, quod ingenti spiritu nobis commendat Sapiens, ne de divina clementia ullum sinistrum formemus conceptum, sed de ejus ineffabili pietate semper bene speremus: *Sentite*, inquit, *de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Quasi dicat: Sentite, & sapite de Deo, quòd ipse per essentiam sit summum, infinitum, & omne bonum, ac proinde summè benignus & beneficus in omnes, ideóque solicitè ac magna cum fiducia quærendus, summéque amandus. Hac de causa Deus, ut bonitatem, & amorem suum immensum creaturis patefaceret, Filium suum Unigenitum misit in carnem, ut homines peccato perditos, & gehennæ addictos, suis atrocissimis pœnis, & infami crucis morte redimeret. Opportunissimè in præsenti quidam Pauli textus se offert: (c) *Si enim* (inquit) *cùm inimici essemus*, id est aversi à Deo per peccatum, saltem originale, *reconciliati sumus Deo* Patri *per mortem Filii ejus: multò magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius*, id est per vitam ipsius, quia Christus jam vivens procurabit, ut salutem meritô mortis ejus partam assequamur.

(c) *Rom.* 5. *v.* 10.

mur. Audiatur S. P. Augustinus: *Quis dubitat* (inquit lib. 13. de Trinit. cap. 16.) *Christum daturum amicis suis vitam suam, pro quibus adhuc inimicis dedit mortem suam?* Si impios, peccatores, inimicos, moriendo dignatus est reconciliare Patri, utique faciet, ut reconciliati, & amici facti vitam æternam assequantur, quam ipsis tanto pretio mercatus, & tam acerbâ morte promeritus est.

9. Hanc ineffabilem Dei benignitatem, ac ejus erga nos miseros amorem dum identidem considerarent piæ ac religiosæ animæ, tam altas in virtute Spei egerunt radices, ut nihil jam in mundo, nec ipsam quidem mortem pertimescerent, utpote divinæ clementiæ fortiter confisæ, cuncta illis cedere, quæ Deus illis evenire permiserit, ad animæ bonum ac salutem. Talis erat Sancta Virgo Gertrudis, quæ tantam proinde de Dei misericordia concepit fiduciam, ut neque pericula, aut tribulationes; neque temporalium rerum damna, aut quæcunque alia infortunia; sicut nec proprii defectus, aut errores illam movere, aut contristare potuerint, quoniam spem habebat firmam, hæc omnia tam bona quàm mala, divinâ Providentiâ sic ordinante, in animæ suæ bonum, & spirituale cedere incrementum. Ut autem intelligamus, quantopere talis in Deum fiducia sit placita Deo, illud quod de eadem Christi Sponsa scribit Ludovicus Blosius (a) hic subnectamus oportet: Dicit ergo Christum Dominum aliquando ei dixisse: *Fiducia illa, quam homo in me solo collocat, credendo me posse, scire, & velle ipsum fiducialiter juvare in omnibus, cor mihi transfigit, tantámque pietati meæ violentiam facit, ut non possim non ei gratificari, & manus porrigere ob gustum, quem ex eo, quòd totus à me pendeat, capio.* Ita Christus ad S. Gertrudem.

10. Porrò quanquam verba hæc, devotæ alicui animæ super mel & favum dulciora, satis esse possint ad magnam omnino fiduciam concipiendam, & fovendam de ineffabili Christi bonitate, propterea tamen silentio involvendum haud censeo, quod hic cælestis piarum animarum Sponsus ad uberiorem consolationem nostram Sanctæ Virgini Mechtildi quondam revelavit dicens: *Perplacet mihi videre homines confidentes de mea bonitate; talis enim, quicunque est, & in hoc perseverat, singulariter eam in hac vita remunerabor, & in altera uberrimam ei mercedem conferam. Et quantò plus de me confidet, tantò plus etiam à me consequetur: impossibile enim est, ut, quod quis sanctè de me credidit, & consequi speravit, non obtineat, cùm hoc ipsum ego promiserim. Mihi igitur fidat, qui grandia à me expectat.* Cùm verò Mechtildis quæreret à Domino, quidnam potissimum credere & sperare deberet de ineffabili ipsius bonitate; respondit Dominus: *Certâ fide crede, quòd ego te post mortem suscipiam, sicut Pater filium suum charissimum, quódque nullus unquam pater tam fideliter cum unico nato suo hæreditatem suam divisit, sicut ego omnia bona mea, & meipsum tibi communicabo. Quicunque hoc de bonitate mea firmiter, & cum humili charitate crediderit, beatus erit.* Ita refert Ludovicus Blosius, loco supra citato.

11. Ex his indubiè quilibet intelligere poterit, quàm nobiles in anima nostra proferat fructus pia in Deum confidentia, tales profectò, ut exprimi facilè nequeant. Quemadmodum enim viva Fides (ut visum Sermone præcedenti) nobiles omnino ac præcellentes progerminare solet fructus in anima; ita haud inferiores effectus Spes Theologica, quâ beatitudinem speramus, in anima sperantis gignit. Quippe, quid non potest Spes in rebus huma-

(a) *Blosius in Monil. Spirit. Cap. 11.*

humanis? quas non vires subministrat? Spes messis sic alit agricolam, sic eum excitat, ut omnes labores in arando, fodiendo, occando, seminando suaves ei videantur. *Ecce agricola* ( exclamat S. Jacobus cap. 5. cunctis fidelibus ) *expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum*, pluviam scilicet tempestivam, fructúmque inde enascentem & speratum. Spes lucri sic animat negotiationem, ut neque nives, frigora, æstus, maria, neque pericula pertimescat. Item sic militem afficit spes prædæ & triumphi, ut nec vulnera, nec sanguis ei animos infringant: Haud alium effectum in nobis excitat Spes gloriæ cælestis, quæ mirè animum nostrum roborat, ne tentationum tempestates, tribulationum turbines, persecutionum procellas expavescat, virésque tribuit ad impigrè currendum salutis semitam; quia hæc Spes est quasi calcar quoddam equitis Christiani, punctione suâ teporem & torporem excutiens, ne in via aspera animum despondeat. Denique hæc Spes etiam est quasi pes animæ, cui tota innititur, quo subsistit, quo incedit, & ad felicitatem progreditur, & de quo dixit Deus ad ad Josue: *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam.* (a) Unde egregiè D. Bernardus Serm. 15. in Psal. 90. ait: *Sperate in Deo omnis congregatio populi: quemcunque enim locum calcaverit pes vester, vester erit; Pes vester utique Spes vestra est, & quantumcunque illa processerit, obtinebit; si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit, & non titubet.*

12. Hæc & alia pretiosa bona, quæ ex hac Theologica virtute in animam nostram redundant, minimè ignorat Stygius impostor; ideo nullum non lapidem movet, nullásque non exerit vires, quò hanc virtutem Spei in nobis perimat, aut saltem labefactet. Thomas de Kempis ex profunda humilitate de tertio refert, quod sibi ipsi contigit. Scribit ergo lib. 1. de Imitatione Christi cap. 25. Cùm quidam anxius inter spem & metum frequenter fluctuaret, & vice quadam mœrore confectus ante altare quoddam se in oratione prostravisset, hæc intra se volvit dicens: *O si scirem, quòd adhuc perseveraturus essem!* Statímque audivit intus divinum responsum: *Quod si scires, quid facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, & bene securus eris*; Móxque consolatus divinæ se commisit voluntati, & cessavit anxia fluctuatio, noluítque curiosè investigare, ut sciret quæ sibi essent futura; sed magis studuit inquirere, quæ esset voluntas Dei beneplacens ad omne opus bonum inchoandum, & perficiendum. Hinc instruimur, non esse temerè perscrutandum, quid futurum nobis adveniet, sed in omnibus Deo fidere, quòd nos velut pientissimus Pater à cunctis eruet animæ periculis, ac longè majorem de nobis sit habiturus curam, quàm habere possunt parentes erga suos natos; hoc quippe expressis protestatur verbis apud Prophetam Evangelicum sic loquens: (b) *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, Ego tamen non obliviscar tui*, qui spem tuam, & fiduciam omnem in me reponis. Minimè proin ambigere oportet de divina protectione; quia veritas est infallibilis, utpote ab ipsomet Spiritu Veritatis dictata, quòd nimirum *Sperantem in Domino misericordia circumdabit*; (c) hoc est, illum proteget Deus suâ misericordiâ, & ab omni inimicorum infernalium, viam salutis obsidentium, incursu defendet, ac tandem felici beatitate æternùm perfrui concedet.

13. Minimè inopportunè ad præsen-

 tem

(a) *Josue* 1.

(b) *Isaiæ* 49. (c) *Psal.* 31.

tem nostrum scopum facit, quod scribit Hieremias Drexelius (*a*) ex Nicephoro & aliis Scriptoribus; nimirum Antiochiam terræ motibus creberrimè quassatam fuisse, præsertim anno quingentesimo vigesimo octavo, quo tempore Deus viro alicui sancto id consilii dictavit, ut ædium foribus insciberetur: *Christus nobiscum; State.* Quicunque hoc suis domibus inscripserunt, iis terræ tremores nihil obfuerunt. Inde urbs novo nomine dicta est *Theopolis*, quod idem sonat, ac *Civitas Dei.* Eundem planè effectum sperare poterit ille, qui domum cordis sui salutifero hoc præmunit titulo: *Christus mecum; sto, & illi. Fido.* Hic enim, fremat sive mundus, bella suscitent dæmones, vires totas effundant persecutores, insidientur mali, clam vel palàm sua tela hostes jaculentur, inconcussus tamen ac imperturbatus persistet; quia pro suo defensore & adjutore habebit Christum, quem in secreto cordis loquentem, atque his mellifluis verbis eum, qui in eo confidit, consolantem audiet, quod Propheta Jeremias audivit à Domino: *Ego tecum sum, noli timere*, nec hostem ullum, nec ulla adversa. *Ego sum adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.* (*b*) *Bellabunt* quidem *adversum te, & non prævalebunt; quia ego tecum sum, ut liberem te*, ab infernalium inimicorum tuorum assultu, ne tibi, præsertim in agone mortis, nocere valeant.

14. Enim verò, licèt beatitudo æterna, quam speramus, non aliter, quàm per præcedentia nostra merita acquiri debeat; cùm in Spei definitione ponatur, quòd illa proveniat ex Dei gratia, & meritis nostris; advertere tamen oportet, quòd hæc spes de obtinenda æterna salute fundari potiùs debeat super divinæ pietatis magnitudinem, & immensitatem, quàm supra propria bonorum operum merita; sæpè enim contingit, quòd illa multis permixta sint defectibus, ita ut, cùm credamus ea esse Deo grata, sæpiùs in conspectu illius sint *quasi pannus menstruatæ*, ut dicitur Isaiæ cap. 64. id est, sicut pannus sanguine menstruo fœdatus abominabilis est; ita sunt nonnunquam opera nostra in conspectu Dei; quia nimirum non omnibus vestita debitis circumstantiis, non puro fine, aut intentione facta. Hinc, ùt non sine basi S. Gregorius ait, *sæpe sordet in districtione Judicis, quod fulget in æstimatione operantis.* Et ideo, si etiam quis nescio quæ heroicarum virtutum obiret exercitia, haud tamen absolutè in his suam spem, sed potiùs in Dei misericordia, ac infinitis Christi meritis collocare debet; quia nimirum fiduciam hanc cacodæmon multò magis pertimescit, quàm quælibet alia virtutum opera; id quod palàm metiri licebit ex eo, quod Laurentius Surius commemorat de S. Bernardo, in ejus vita sic scribens: Cùm quadam vice gravi morbo urgeretur, raptus in ecstasim, visus sibi est ante tribunal Dei stare. Ubi cùm gravioribus & improbis accusationibus à dæmone accusatus fuisset, eique sui defendendi copiam fecisset, non fuit ausus Bernardus in suis meritis confidere, sed solùm respondit: Confiteor me indignum æternâ gloriâ, si opera mea, & merita sola considerem: Sed Dominus meus eam possidet duplici titulo. Primò, quia Filius æterni Patris est, quo quidem titulo etiam hæres est regni. Secundò, quia eam meritis suis, & pretioso suo Sanguine acquisivit. Contentus ergo primo titulo, qui etiam ei sufficit, donavit mihi secundum, cujus virtute jus ad regnum illud habeo. Hoc responso accusator fœdo rubore suffusus disparuit, & omnis illa judicii species cum suo tribunali

(a) *Drexel. in Rosis part. 1. c. 14.* (b) *Psal. 9.*

nali protinùs evanuit. Ex quo discamus & nos, tutissimùm fore, non tam in nostris bonis operibus, ac meritis confidere, quàm in ipsa Dei misericordia, & infinitis Christi promeritis, nihil tamen interea omittendo de bonorum operum studio; sed gnaviter in virtutum culturase exercendo, ac de bono in melius semper proficiendo, & de virtute in virtutem eundo; Siquidem hoc modo nostra Spes, & fiducia (quam de Divina clementia concipere debemus) erit firma, quæ nos neutiquam fallet, nec confundet: Res enim certa divino testimonio: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus*, quæ ad ad nostram animæ salutem faciunt, *accipiemus ab eo*; inquit S. Joannes in Epistola 1. cap. 3. vers. 21.

# PARS TERTIA.

15. Coeptam ut prosequamur materiam; notandum cuilibet incumbit, quòd Spes in arduis vel maximè à nobis sit retinenda, prout unumquemque nostrûm monet Propheta Oseas cap. 12. sic dicens: *Spera in Deo tuo semper*, & præcipuè tempore tentationis, & afflictionis, ne alioquì in tentatione positus cadas, sed spe roboratus generosè adversario resistas, eúmque vincas. Nam spes, quam habemus de Deo, nos liberat ab omni tentatione, quippe qui, ut dicitur Proverb. 30. *Clypeus est sperantibus in se*; Deus enim fideli in se speranti, séque invocanti est scutum, quia potentiâ suâ quasi prætento clypeo suum supplicem servat, tuetur, ac propugnat. Secundò debemus sperare in Deo tempore afflictionis; quia Deus tribulatos non deserit, dicente Judith cap. 13. *Qui non deserit sperantes in se*, sed eosdem eripit, & à malis, quibus premuntur, liberat. Expertus est id sanctus Rex David, qui in hac virtute singulariter excelluit, prout ipse plurimis in locis Psalterii sui de se testatus est, maximè verò quando ait, Psal. 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc sperabo.* Quòd verò Deo sic confisus nunquam sit confusus, nobis aliorsùm indicat dicens, Psal. 24. *Non erubescam quoniam speravi in te, Domine.* Siquidem Deus illum velut pupillam oculi semper tutatus est, & ex septem præsentissimis liberavit vitæ periculis, quæ enumerantur in libro primo Regum. Primum habetur cap. 18. vers. 11. Secundum cap. 19. vers. 10. Tertium cap. 21. vers. 1. & seq. Quartum cap. 23. vers. 19. de quo mox latiùs. Quintum cap. 24. vers. 3. Sextum cap. 26. vers. 1. Septimum cap. 27. vers. 1. Porrò, non tantùm Deus Davidem ex his gravissimis Saulis persecutionibus liberavit, sed etiam (ùt advertit Rupertus Abbas lib. 2. cap. 10.) in Davidis bonum convertit, ut ex singulis ipse fortior & gloriosior evaserit, ùt patet hìc ea, quæ singulas persecutiones consecuta sunt, leg enti; passionis enim comes, & assecla est gloria. Hoc ut vivaciùs mentis nostræ oculis patescat, paulò fusiùs examinare lubet caput vigesimum tertium, in quo perhibetur, quod graviter David, dum à facie Saul profugus lateret in deserto Maon, à militibus Saulis fuerit arctatus, ac ad necem quæsitus: *Saul enim* (ùt dicitur loco citato vers. 29.) *& viri ejus in modum coronæ cingebant David, & viros ejus, ut caperent eos*, quod cernens *David desperabat se posse*

evadere à facie Saul suâ virtute & sapientiâ, sperabat tamen, se Dei ope evasurum, sicut & factum. Cùm enim David undique cinctus esset à Saul, qui instar ferocissimi leonis, captâ jam prædâ, exultaret, ecce ex improviso defertur ad eum nuntium, Philisthinos suam terram invasisse, omniáque devastare, ac depopulari. Hoc nuntio perculsus Saul, atque coactus à persecutione Davidis desistere, *perrexit in occursum Philisthinorum*, ut eos persequeretur, ac à suo arceret solo. Hoc modo David Saulis tyrannidem effugit, & à præsentissimo liberatus fuit periculo.

16. Huic sancto Regi non cessit in fiducia erga Deum magnus ille credentium Pater, Patriarcha Abraham, cui à Deo promissum fuit, [illegible] illius sicut stellas cæli, & sicut arenam maris multiplicandum esse; Et tamen filium suum Isaac ( in quo promissio hæc adimplenda erat) paulò pòst sibi immolari, eidem præcepit dicens: Gen. 22. *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium &c.* Cui arduo mandato nihil oblocutus, sed mox obsequens perrexit cum filio suo Isaac ad destinatum à Deo sibi montem, eundem ibi oblaturus in holocaustum. Siquidem vir Sanctus, sicut priùs, dum cælitùs promissum fuerat ei ex Sara sterili nascendum sibi filium; licèt ipse jam fermè esset centenarius, & Sara annorum octoginta novem, ut colligitur ex Genesi cap. 17. *contra spem* (ut loquitur D. Paulus Rom. 4. 18.) *in spem credidit*; hoc est, contra id quod naturaliter sperare poterat, in spem credidit, id est, fidem habuit promissis divinis, & inde spem concepit de semine sibi nasciturо ex uxore sterili; Ita similiter jam natum Isaac à Deo jussus sacrificare, *contra Spem in spem credidit*; ducebat quippe filium in montem, eum ibidem secundùm mandatum Domini mactaturus, nihilominus confidebat de divina potentia ac clementia, Isaac denuo à morte suscitandum à Deo fore. *Abraham obtulit filium suum, arbitrans quòd potens est Deus à mortuis suscitare* eum, ait S. Paulus Hebr. 11. 19. Cùm autem tertius illuxisset dies, & montem ob oculos haberent, dixit Isaac ad Patrem suum: *Ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti?* Cui respondit Abraham: *Deus providebit*. Et reverà Deus providit; nam pater ( inquit S. Chrysostomus ) immolavit, filius seipsum in holocaustum obtulit, & Deus ambo tanquam sibi gratissima acceptavit; & nihilominus victima vivens permansit. Sic Abraham plenus in Deum spe, usque ad montem, usque ad altare, & tandem usque ad ictum venit, quo filium vitâ privare volebat; quoniam jam satis profundè cordi suo impresserat hæc verba: *Deus providebit*.

17. Nec à præsenti scopo aberrat, quod de filiis Israël sacræ perhibent paginæ; Cùm enim hi Ægypto egressi ad terram sanctam iter suum dirigerent, ductíque essent à Moyse ad mare rubrum. Simul id resciens Pharao Rex Ægypti, eos armatâ manu insecutus est; Quod videntes Israëlitæ, *timuerunt valde*, & in voces desperabundas eruperunt, & *dixerunt ad Moysen: forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine: quid hoc facere voluisti, ut educeres nos de Ægypto?* Exod. 14. 11. Moyses autem eos placans, & animans, mansuetè respondit, dicens: Nolite timere, Deus vos in arctum hunc locum concludi voluit, ut hìc suam in vos curam, & potentiam ostenderet; hic ergo locus magis vos ad spem excitare debet. Deus enim maximè adest in arduis, quando spei superest minimum. Ille vos ex Ægypto vocavit, ille viam & exitum dabit

bit, ipse potest hosce montes in planitiem, & hoc mare in terram vertere. *Nolite ergo timere, state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. Dominus pugnabit, & vos tacebitis*, vos quiescetis, otiosè & jucundè hanc Dei pro vobis pugnam spectando. Hac oratione Moyses Israëlitas trepidantes in spem erexit, & nos pariter docuit, quàm fortiter in arctis sperare in Deum, eúmque invocare debeamus. *In arduis* (inquit S. P. Augustinus) *constanter Deo crede, eique te totum committe quantum potes: ita enim ipse te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias: portabit te in brachiis suis, licèt non animadvertas, quod curet te.*

18. Quamobrem quisquis cum Rege David, ac filiis Israël à suorum hostium insultu liberari, & cum Patriarcha Abrahamo omni benedictione cælesti repleri desiderat, Deo sine animi fluctuatione credat, & semper contra spem in spem speret, oportet. Unde si quandoque tentatio aliqua adest, & dæmon tibi suggerit, quòd ulteriùs haud possis tam urgentibus & vehementibus tentationum insultibus resistere; Tunc plenus spe, & fiduciâ responde: Quamvis non possim ex propriis meis viribus; tamen potero cum Dei auxilio, quod spero mihi defuturum nunquam. Quod idem practicabis, quando tartareus hostis de vitio aliquo eradicando, vel virtute plantanda te penitùs desperare facit, cujus arduitatem impossibilem hostis effingit. In his casibus vel maximè animum spe erigere debes ad Deum, obsistendo inimico, & cum D. Paulo (Philip. 4. 13.) dicendo: *Omnia possum in eo qui me confortat* per gratiam, & virtutem suam, nempe per Christum. Hanc spem & fiduciam si habueris, experientiâ disces, te facilè posse ea, quæ antè impossibilia erant visa. Frequentabis præterea hoc exercitium, dum fortàssis aliqua sive publica, sive privata, gravis calamitas immineret; ut si e. g. bellum, pestilentia, fames, aut simile quid eventurum passim timeretur; in his enim casibus, qui non raró animi quietem conturbare solent, mox tibi recurrendum erit ad Spei præsidium, credendo & sperando, quòd talia à Deo permissa, aut immissa mala tibi servient ad animæ tuæ profectum, ac salutem. Hoc modo si Deo in omnibus tentationibus, & afflictionibus confisus fueris, haud dubiè in mediis etiam turbationum fluctibus, ac calamitatum procellis inconcussus, & imperturbatus persistes. Nam attestante Hebræo Vate, (Psal. 124.) *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.* Justi siquidem, quidquid ardui, laboriosi, adversi, & quantumcunque terribilis accidat, credere, sperare, diligere, rectè operari nequaquam desistunt. *Montem dixit* (ait in hunc locum Orator Constantinopolitanus, D. Chrysostomus) *spem in Deum immutabilem, inconcussam, firmam, & constantem; quemadmodum enim nemo, etsi innumerabiles adhibeat machinas, montem convellere, nec labefactare poterit; ita etiam, qui illum, qui spem in Deum collocavit, aggreditur, incassum laborabit; monte enim longè est tutior Spes in Deum.*

19. Hæc Spes in Deum S. Gregorium Thaumaturgum cum Diacono suo ita protexit, ut in montem evadens, cùm jam nullum amplius affulgeret medium effugiendi insecutores, cum Diacono manibus, oculísque in cælum sublatis, pro liberatione orans, hoc quidem impetravit à Domino, ut milites circumcursantes vestigantésque, & virum Sanctum, & Diaconum Socium, non duos homines, sed arbores esse existimarent: sícque re infectâ discederent. Ita refert

S. Gregorius Nyssen. in ejus vita. Hâc in Deum fiduciâ armatus, S. Joannes Silentiarius contra Saracenorum incursus à leone fuit defensus. Nam Alamundaro Saracenorum Rege Palæstinam incursante, & Monasterium, in quo degebat Joannes, invadente, noluit exire & fugere, tametsi ei suaderetur, ut in civitatem aliquam munitam se reciperet; sed magnâ spe se Deo resignans: *Si Deus*, inquit, *mei curam non gerit, ut quid vivo?* Nec eum spes, aut Deus fefellit: misit enim Deus leonem horribilem, qui Joannem custodiret, & tutaretur, propulsarétque pericula, & ab accessu arceret agmina Barbarorum. Ita Surius in ejus vita. Quâ virtute similiter roboratus Theodorus Abbas, qui ab alio Monacho interrogatus, an non formidaret, dum subitò aliquis importunus excitatur strepitus? respondit: *Si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat*; poposcerat enim precibus à Deo, ut auferretur ab eo formido. Ita habent Vitæ Patrum lib. 5. libel. 7. n. 6. Ex quibus patet, quòd spes firmissimum sit animi nostri fulcrum, omnium victrix difficultatum, nostræ peregrinationis baculus, nostrorúmque laborum refrigerium & solamen. Hos spei fructus graphicè depingit Jacobus Billius his versibus:

Spes mala cuncta levat, vinúmque educit ab undis;
Melláque de rigida pinguia rupe trahit.
Spes quóque sancta piis est ignea nocte columna,
Intus quæ nullis frangitur icta malis.
Christicolæ ô! sortem populi bis, térque beatam,
Rebus in adversis, cui datur ista Comes!
Hac Duce nam quivis lætâ subit aspera mente,
Vivit & in mediis ùt Salamandra rogis.

# PARS QUARTA.

20. VErùm enim verò, sicut hæc Theologica virtus: nempe Spes, à nobis sedulò exercita, plurimùm acceptos nos Deo facit, miréque animæ nostræ promovet salutem, ùt ex dictis liquet; ita ejusdem neglectus, seu diffidentia nos Divinæ Majestati valdè odiosos reddit & invisos, extremámque sæpe nobis affert perniciem, & perditionem, prout suo damno experti sunt Hebræi, qui ex Ægypto egressi, omnes penè in vastis Arabiæ locis periêre: Sic enim ait Deus: (Numer. cap. 14. vers. 29.) *Omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, non intrabitis in terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb Jephone, & Josue filium Nun.* Quid igitur deliquerunt Hebræi? Audi: Postquam Hebræi pervenerunt in Rathma & Cades, atque vicini erant terræ promissæ, tantúmque inter eam & ipsos intererant montes Idumææ; *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: mitte viros, qui considerent terram Chanaan.* Num. 13. Dixit hoc Deus, postquam populus iste diffidens promissis Dei, petiisset mitti exploratores in Chanaan, qui referrent, qualis esset terra, quàm fertilis & quàm munita, ùt patet Deuter. cap. 1. vers. 22. Mittit igitur Moyses duodecim exploratores ad terram considerandam; qui revertentes optimam esse dixerunt: tamen ex eis decem asseruerunt, locum esse acquisitu inaccessibilem: *Populus, quem aspeximus, proceræ*

*proceræ staturæ est : quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Numer. 13. verſ. 33. Hæc audientes Hebræi continuò pusillanimes facti, ſpem amiſerunt de acquirenda terra Chanaan : *Dixerúntque alter ad alterum, constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.* Numer. 14. Hoc ergo fuit grande peccatum filiorum Iſraël, quòd videntes tot mirabilia, quæ Deus pro eorum defenſione hactenus operatus fuerat, quæque eos certos facere debuiſſent, quòd in illam terram introducerentur, illi tamen Deo ſint diffiſi, nec credere voluerint Joſue & Caleb afferentibus : *Nolite rebelles eſſe contra Dominum; neque timeatis populum terræ hujus, quia ſicut panem ita eos poſſumus devorare, receſſit ab eis omne præſidium; Dominus nobiſcum eſt nolite metuere.* Numer. 14. 9. Quin imò voluerunt eos (Caleb ſcilicet & Joſue, qui murmurantibus reſiſtebant) lapidibus opprimere, ſi non à Domini gloria, ſuper tectum fœderis apparente, à tali facinore abſterriti fuiſſent; tunc etiam audierunt à Deo : *Veſtra cadavera jacebunt in ſolitudine : filii veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta &c.* Exploratores autem omnes, præter Joſue & Caleb, ſubitâ morte puniti fuerunt, ut ibidem refertur verſ. 36.

21. Atque hinc liquet, quàm inviſa ſit Deo diffidentia noſtra, & incredulitas, dum divinis promiſſis fidem adhibere titubamus. Eapropter religioſarum familiarum Fundatores inter alia, quæ ſolicitè ſuis ab aſceteriis propellere nitebantur, etiam erat hæc de divina Providentia & liberalitate diffidentia. Hos inter erat S. Franciſcus Seraphicus, qui, quoties ſuos aliò mandârat, nullum illis aliud viaticum dare conſuevit, quàm illud Pſalmi 54. *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*; cujus verſiculi fides inſtar omnis peculii erat. Accidit, ut duobus ab eo peregrinatum miſſis; diémque jam ferè totum, viâ inediáque confectis vires deficerent, quin ut & ſtipe oſtiatim flagitatâ, nihil à quopiam mortalium porrigeretur. Quàm pronum eſt tali tempore homines fieri ſubtriſtes, & impatientes? Quàm facilè ſolicitudo futuri, & præſens inopia confidentiam labefactat? Et tamen in his ipſis viris puſillanimitatem Deus cenſuit caſtigandam. Miſit igitur in ſpecie juvenis Angelum, qui, interrogatâ causâ, ob quam adeò dejecti animis eſſent, binos eis panes exhibuit; quibus dum illi aſſidentes humi ſuaviſſimè veſcerentur, cœpit eos aſperis verbis caſtigare : Homines, (inquit) modicæ fidei, cur divinæ curæ jam diffidebatis? Non vobis in mentem veniebant verba illa Prophetæ, quæ tam ſæpe vobis ſanctus Pater veſter inculcavit : *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet*, cùm ejus videlicet bonitas ne beſtiis quidem agri deſit? Quamobrem hoc ſcitote, nullam ob aliam cauſam diſtuliſſe Dominum opem ſuam, niſi ut fame ipsâ diffidentiam veſtram puniret. Dixit hæc, & complura alia talia; ubi loqui ceſſavit, ceſſavit pariter etiam conſpici. Satis illi fuit cum corpore mentem etiam illorum paviſſe. Nos quoque inde paſcamur, neque ſtatim animis concidamus, ſi non illicò manna è cælo cadat, aut è nubibus nobis advolent coturnices.

22. Profectò, tametſi S. Paulus, primus Eremita per 60. annos corvi miniſterio fuerit paſtus & refectus; Quòd ſi tamen annos, quos in ſolitudine exegerat, numeremus, videbimus, eum hoc à Deo beneficium primò poſt triginta aliquot annos accepiſſe; Proinde non eſt dubium, quin priùs ejus patientia per varias ærumnas fuerit à Deo probata, ac tandem tali ſingulari favore remune-

munerata. Sic & S. Onuphrius Paphnutio fassus est, se initiò suæ anachoreticæ vitæ tantas sensisse difficultates, ut subinde putârit se fame, siti, frigore, æstúque periturum, postea tamen Deum suam patientiam, jejunia, & pœnitentiæ opera arbitratum, duos cælites misisse, qui quotidianam deferrent annonam cum aquæ pauxillo. Opportunè similiter hìc occurrit historia de Daniele Propheta, qui cùm altera vice in lacum leonum fuisset missus, ut à leonibus necaretur, & devoraretur; tunc Deus per Prophetam Habacuc (quem Angelus Domini per capillos apprehensum ex Judæa in Babylonem portavit) Danieli prandium submisit: *Et clamavit Habacuc, dicens: Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.* Daniel. 14. 36. Ubi animadvertendum, quòd Daniel (ùt sacer ait historicus) sex diebus fuerit in lacu leonum, ac primùm septimo die à Rege eductus, & tamen Daniel non nisi post longam patientiam, ac fortem inediæ tolerantiam à Deo fuit consolatus, ac cibo refocillatus, scilicet die sextâ, non antè. Unde maximo perfusus gaudio dicebat: *Recordatus est mei Deus, & non dereliquisti diligentes te.*

23. Quamobrem, si & tu, qui Christianus, vel Religiosus audis, in magna constitutus sis inopia, panísque labores penuriâ, expectare similiter debes cum Daniele, Onuphrio, Paulo, ac sexcentis aliis Dei servis magna cum fiducia divinæ providentiæ auxilium, nec pietati divinæ ullum præfigere terminum. Hæc est instructio Davidis monentis, & dicentis Psal. 26. 20. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Quæ verba Cardinalis Bellarminus tali scholio explanat, dicens: *Expecta Dominum*, id est, patienter & cum fiducia expecta auxilium, & consolationem Domini: Hinc *viriliter age*, seu roborare: roborare autem non armis exterioribus, sed *confortetur cor tuum*, excita animum, audacter perge. Hinc verò multò magis confide, & cum patientia *sustine Dominum*, dum altissimâ suâ sapientiâ te rerum necessariarum egestate premi sinit ad tuam utique utilitatem, & profectum. Igitur cùm sit fidelis & verax in promissis suis Deus, crede oraculo Vatis Habacuc dicentis: *Si moram fecerit* ad te adjuvandum, *expecta illum* cum fiducia & longanimitate, *quia veniens veniet, & non tardabit.* Habac. 2. 3.

24. Ex quibus erudimur, omnem nos deponere solicitudinem anxiam debere circa vitæ necessaria, prout monet ipsa Sapientia Incarnata Matth. 6. 25. *Ne soliciti sitis animæ vestræ*, id est vitæ animæ, *quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.* Quod monitum ut efficaciter nobis persuadeat, mox adducit valde fortiter stringens argumentum: *Nónne anima plus est quàm esca? & corpus plus quàm vestimentum?* Hæc divina sententia hunc reddit sensum, ut explicant Chrysostomus, & Hieronymus apud Sylveiram lib. 4 cap. 17. num. 35. Anima plus est, seu pretiosior est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum: Qui ergo sine vestra solicitudine dedit quod majus est, dabit etiam quod minus est, scilicet escam, & vestimentum; qui enim dedit vobis vitam, dabit necessaria ad illius conservationem. Qua de re tractans Doctorum gravissimus D. P. Augustinus lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 22. ita scribit: *Meminerimus, multò amplius nobis Deum dedisse, quando nos fecit, & composuit ex anima & corpore, quàm est alimentum & tegumentum, quorum solicitudine nos duplicare cor non vult. Nónne* (inquit) *anima plus est quàm esca?* & cur hoc dixit? Nisi ut intelligas eum, qui dedit animam, multò faciliùs escam esse daturum? Et in Psalm. 61. ita edisserit:

*Pascet te, qui fecit te; qui pascit latronem, non pascet innocentem? Pascet te, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos; Qui pascit damnandos, non pascet liberandos?* Hactenus Augustinus. Atque hoc est, quod Christus iteratò monet, ac repetit, dicens: Matth. 6. 34. *Nolite ergo soliciti esse in crastinum:* Vult enim vel maximè à nostris mentibus evellere omnem solicitudinem de temporalibus.

25. At quæstio hìc insurgit, quare Dominus tam strictè nobis vetet solicitudinem circa temporalia, & tamen nobis est agendum de his quæ sunt necessaria ad vitæ sustentationem. Et hac de causa Paulus testatur de se, laborasse suis manibus: Act. 20. 34. *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Pro resolutione hujus difficultatis advertendum est cum Sylveira lib. 4. cap. 17. num. 37. solicitudinem distingui à providentia & cura. Solicitudo dicit quandam animi anxietatem atque angorem circa eventum alicujus rei, procedentem ex dubitatione, ac incertitudine talis eventûs. Providentia autem & cura consulit de futuro absque animi perturbatione & anxietate. Non vetat ergo hìc nobis Dominus curam & providentiam circa nostrum alimentum: non enim miraculosam à Domino sustentationem expectare debemus; & ideo omnium Dominus in Collegio suo loculos, in quibus aliquid reservabatur ad usus necessarios, admisit, ùt habetur Joan. 13. 28. Et Salomon ait Proverb. 6. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam: parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.* Secundò non vetat Dominus laborem procurandi cibum ad necessariam vitæ sustentationem, quemadmodum hanc Domini sententiam: *Respicite volatilia cæli, quoniam non seminant &c* voluerunt interpretari Euchitæ quidam hæretici, asserentes semper esse orandum, & nunquam laborandum aut seminandum. Contra hos scripsit S. P. Augustinus librum *de Operibus Monachorum.* Et facilè error hic refutatur Apostoli authoritate proximè citatâ, atque etiam illâ 2. Thess. 3. 10. *Qui non vult operari, non manducet.* Et, ùt notant D. Hieron. & D. Paschasius hìc Adamo dictum est: *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* Gen. 3. 19. Unde Chrysostomus homil. 16. in opere Imperf. ait: Dominus loquens ad Adam non dixit: *Cum solicitudine facies tibi panem,* sed, *cum labore & sudore faciei tuæ.* Ergo non solicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis.

26. Ex his erudimur, quòd, dum videmus aliquem de ligno, caseo, butyro, frumento &c. sibi in copia prospicere, non debeamus eum temerè judicare; quasi exiguam aut nullam haberet de divina providentia fiduciam. Audiatur Doctor Angelicus; hic enim in Catena sua verè aurea hanc Aurelii Augustini sententiam adfert: Cavendum, ne, cùm viderimus aliquem servum Dei providere, ne ista necessaria desint, vel sibi, vel eis, quorum cura sibi commissa est, judicemus eum contra Domini præcepta facere, & de crastino esse solicitum; nam & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, propter exemplum loculos habere dignatus est. Et in Actibus Apostolorum scriptum est, quæ ad victum sunt necessaria, procuranda esse in futurum propter imminentem famem. Non ergo hoc Dominus increpat, si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista non militet Deo, seu retrahatur ab æternis. Unde Glossa ait: *Non labor & providentia damnatur, sed solicitudo mentem suffocans, & impediens à quærendo regno Dei.* Laborandum ergo est pro acquirendo vitæ subsidio, sic tamen ut mens nostra sit ab ipsis terrenis rebus separata, & in

in Deum affixa, ut ipſum meditemur die ac nocte, omnéſque noſtras ad ipſum cogitationes dirigamus, prout monet D. Petrus: 1. Pet. 5. 7. *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum; quoniam ipſi cura eſt de vobis,* ſcilicet ſpecialis, licèt ſit ei cura generalis de omnibus juxta illud Sapien. 6. *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* Unde dicit Pſalmiſta: *Dominus ſolicitus eſt mei,* ſcilicet ſpecialiter, ait hìc S. Thomas. In Deum igitur ſit omnis noſtra ſolicitudo & cogitatio; Sic enim de noſtrûm quolibet verificabitur illud, quod Eliphax dicebat ad Job: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladii. Non timebis calamitatem cùm venerit. In vaſtitate & fame ridebis, & beſtias terræ non formidabis.* Job. 5. 20. Hoc eſt quod dicitur in Pſalmis: *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Pſ. 32. 18. Hæc eſt cauſa, cur Dominus reſpiciat oculo paterno timentes & ſperantes in ſe, ut videlicet duo hæc beneficia illis tribuat, liberationem à periculo mortis, & alimenta dum vivunt. Hæc omnia nunc allata quò uberiori & meliori intelligentiâ clareſcant, non abjicienda, ſed attentè ponderanda veniunt quæ ſequuntur.

# PARS QUINTA.

27. DIctum proximè fuit, quòd, qui ſpem ſuam in Deum defigunt, reſpicientur ſingulariter à Deo, *ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* At quâ ratione, quæres, hæc vera eſſe poſſunt, cùm legamus de antiquis Patribus, qui fidiſſimi erant Servi Dei: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti.* Hebr. 11. 37. Imò ipſe electus Chriſti Apoſtolus de ſe teſtatur, 2. Cor. 11. 27. *in labore & ærumna, in fame & ſiti, in frigore & nuditate.* Proinde videtur, Deum curam ſpecialem de ſuis Servis non habere, cùm eoſdem à fame, ac ab ipſa etiam morte non liberet? Quippe Apoſtolo teſte, *lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt.* Reſpondetur ad hoc, quòd licèt Deus nonnunquam ſuos famulos, & amicos etiam intimos fame, ſiti, frigore, nuditate, magnáque rerum neceſſariarum laborare ſinat inopiâ, non debemus tamen credere, Deum iiſdem neceſſaria non providere, aut eorum curam negligere; quia certiſſimum eſt illud, quod appromiſit Vates Regius dicens: *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum; ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Nam duo hæc beneficia, ſcilicet eruere à morte, & alere in fame, non tantùm intelligenda ſunt de ſalute corporali & temporali, ſed etiam, imò magis de ſalute ſpirituali & æterna. Audiatur S. Thomas: *Ut eruat à morte animas eorum;* à morte ſcilicet peccati, & à morte futuræ damnationis in reſurrectione. Hinc dicitur Oſeæ cap. 13. *De manu mortis liberabo eos.* Proſequitur David: *Et alat eos in fame;* alimento nimirum ſpirituali, ſecundùm illud Deuteronomii cap. 8. v. 3. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Et hæc refectio ſpiritualis, quâ Deus fideles ſervos ſuos reficit, multò eſt nobilior ac pretioſior, quàm ſit alimentum quo corpus reficitur, & à famis tortura liberatur. Ita Doctor Angelicus in Pſal. 32. lit. q.

28. Quando igitur Deus tempore famis & neceſſitatis non opitulatur amicis ſuis,

ſed

ſed eos fame nedum premi ſed & perimi ſinit, id non aliâ ratione facit,quàm ut ipſi per talem miſeriâ, & paupertatis afflictionem, velut per januam ad beatæ felicitatis convivium introducantur, inæſtimabiliq; Martyrii condecorentur coronâ. Sic S. Silverius Papa à Theodora Auguſta in exilium miſſus, & in Inſula Pontia ingentibus ærumnis obrutus, inediáque confectus expiravit. Item S. Martinus Papa ab Imperatore Conſtante in Cherſoneſum exulare juſſus eſt, ubi egeſtate ac inediâ afflictus intra dies paucos deceſſit. Similiter de aliis viris Sanctiſſimis frequenter in Martyrologiis legimus, eos in exilium pulſos, fame, ſiti, frigore, ac ærumnis oppreſſos ſecundùm corpus periiſſe: qui tamen à Deo in ſua neceſſitate deſtituti minimè ſunt dicendi, utpote de quibus aſſerit Paulus ad Romanos 8. 24. *Spe ſalvi facti ſunt.* Firmiter enim ſperârunt, ac de Dei bonitate piè confiſi ſunt, per hæc mala temporalia ſibi parari bona æviterna. Dicebat de ſeipſo Propheta Huſſæus: *Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Job. 13. 15. Quid putamus Jobum ſperâſſe? Num ſublunaria hæc bona? Minimè gentium: Quid enim hæc illi profuiſſent; ſi à Deo occiſus fuiſſet? Non ergo temporalia fuerunt, in quæ ferebatur illius ſpes, ſed ſpiritualia, ſed ſupercæleſtia, ſed perennia bona. Sic explicat Præceptor Angelicus, dicens: *Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo;* Quaſi dicat: Non credatis, quod propter mala temporalia quæ patior, de Deo ſperare ceſſaverim: Si enim ſpes mea eſſet de Deo propter bona temporalia tantùm, cogerer deſperare; ſed quia ſpes mea de Deo eſt propter bona ſpiritualia, quæ manent poſt mortem, etiam ſi me uſque ad occiſionem afflixerit, ſpes, quam de ipſo habeo, non ceſſabit. Ita S. Thomas in cap. 13. Job. lect. 20.

29. Similiter ſpem noſtram pro ſuo objecto habere debere, non bona caduca, ſed ſolida, & ſine fine perennatura, S. Tobias verbô nos docuit, & exemplô comprobavit. Cùm enim Rex Sennacherib exoſos haberet filios Iſrael, multóſque ex illis occideret, Tobias ſepeliebat corpora eorum. Contigit, quòd die quadam à ſepultura fatigatus juxta parietem obdormiſſet, & ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fieretque cæcus. Tunc amici, & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes: *Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleëmoſynas, & ſepulturas faciebas?* Tob. 2. 16. Quaſi dicant: Spes tua te fefellit, fuítque falſa, & fallax; ſperabas enim per eleëmoſynas obtinere à Deo proſpera omnia, & ecce Deus per ſepulturam mortuorum te cæcavit, & oculis privavit. Quid enim infeliciùs, & miſeriùs oculîs orbato & cæco? At quid arbitramur reſpondiſſe ſanctum hunc virum? indicat id ſacer Textus; *Tobias verò increpabat eos dicens: nolite ità loqui; quoniam filii Sanctorum ſumus,* putà Abrahæ, Iſaac, & Jacob &c. eorum ergo fidem, ſpem, patientiam, & conſtantiam in adverſis imitari oportet, *& vitam illam expectare, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Reſpondit igitur oppoſitè Tobias inſultantibus ſibi: *Ubi eſt Spes tua?* Quaſi diceret: Spes mea non fertur ad bona præſentia, ſed futura; Spero enim poſt hanc vitam, aliam vitam beatam & perennem, quam Deus dabit iis, qui in Fide & Spe illius conſtanter in quibuslibet adverſis perſiſtunt.

30. Hæc Spes alterius vitæ excitavit ſeptem fratres Machabæos, ut ſartagines, equuleos, & omnia tormenta ſuperarent; imò contemnerent; Unde ad Antiochum Tyrannum intrepidè dicebant: *Tu quidem ſceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis, ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit.* 2. Mach.

 cap. 7.

cap. 7. verf. 9. Idem ſenſerunt, & dixerunt cæteri Martyres fermè ad unum omnes, qui (ùt ait Apoſtolus Hebr. 11. 37.) *Lapidati ſunt*, ut Jeremias, & Zacharias Sacerdos filius Joiadæ 2. Paralip. 24. 21. *Secti ſunt*, ùt Iſaias ſerrâ à Manaſſe Rege in duas partes diſſectus. *Tentati ſunt*, variis & exquiſitis exercitati tribulationibus. *In occiſione gladii mortui ſunt*, ut Prophetæ Domini à Jezabele gladio interempti. 3. Reg. 18. 4. Item Sacerdotes illi octoginta quinque cùm Achimelech, uno die gladio occiſi juſſu Saulis in Nobe, quia videbantur faviſſe Davidi. 1. Reg. 22. 18. *Non ſuſcipientes redemptionem*, nolentes redimi à morte, cùm ipſis facilis evaſio offerretur, ſed illicita, & religioni injurioſa, ùt patuit in Eleazaro, & Machabæis; *ut meliorem*, vitâ præſente quæ ipſis offerebatur, *invenirent*, ac conſequerentur *reſurrectionem* glorioſam in fine ſæculi. Imò & ipſe Chriſtus Redemptor noſter (ùt idem Apoſtolus capite mox ſubſequenti ait) pro *propoſito ſibi gaudio* mox futuræ reſurrectionis, & aſcenſionis glorioſæ *ſuſtinuit crucem*, *confuſione contempta*, id eſt, ignominiam, & ſupplicii infamiam parvi pependit. Huc etiam proſpectavit Seraphicus Pater S. Franciſcus, dicere ſolitus: *Tanta eſt gloria quam expecto, ut omnis me pœna, omnis labor & crux delectet.* Ad quem ſcopum illa ejuſdem S. Pauli parænesis collimare videtur, quam ſuis Hebræis, cunctiſque Chriſti fidelibus tradidit dicens: Hebr. 10. 35. *Nolite amittere confidentiam veſtram*, etſi nullum prorſus corporis ſubſidium ſupereſſe videretur, quia hæc fiducia *magnam habet remunerationem*, nempe non quid terrenum, ſed gaudia ſempiterna. Atque hoc eſt quod idem Orbis Magiſter Romanis precabatur: Rom. 15. 13. *Deus autem ſpei*, id eſt, Author Spei noſtræ, *repleat vos omni gaudio & pace in credendo; ut abundetis in Spe*, id eſt, ut ſpes rerum cæleſtium, & æternæ hæreditatis abundanter in vobis creſcat, illáque vos roboret ad hilariter ſufferendas omnes præſentis vitæ ærumnas & egeſtates.

31. Non ergo de divina Providentia eſt ambigendum, aut diffidendum, dum in magna paupertate & neceſſitate relinquimur; nam quot ſunt, qui potiùs à rerum neceſſariarum inopiâ vexati ſalvantur, quàm ſi in ſtatu proſpero fuiſſent conſtituti? Hic igitur eſt præcipuus finis, quem providentia Patris ſibi habet propoſitum, juſtos paupertati, anguſtiæ, & penuriæ vult eſſe ſubjectos, ut eos faciat tanquam filios cæleſtis regni hæredes, quod longè excellentiùs eſt, quàm ſi ad libitum noſtrum panis copia nobis adeſſet. Quando igitur legimus plures Martyres in carceribus cruciatos, imò enecatos eſſe fame, noſſe debemus, hoc illis ex ſingulariſſimo divinæ gratiæ favore proveniſſe, eiſque hâc viâ de pane cæleſti, qui Chriſtus eſt, affluenter proviſum fuiſſe. Dum ergo Sapiens in Proverbiis cap. 10. v. 3. dicit: *Non affliget Dominus fame animam juſti*; id ſignificat non quid ſemper, ſed quid ſæpe eveniat, ait hìc Cornelius à Lapide, hanc ſubnectens pro noſtro propoſito moralem doctrinam: In Veteri quidem Teſtamento ordinariè Deus non permittebat Judæos juſtos fame affligi, quia promiſerat eis opum, frugúmque abundantiam, ſi legem ſuam ſervarent. In novo autem Teſtamento Chriſtianis juſtis opum non tam temporalium, quàm ſpiritualium copiam promiſit. Quare cùm Deus juſtos famem pati ſinat, copiam alimoniæ ſpiritualis, putà gratiæ, & conſolationum cæleſtium eis ſubminiſtrat, eáque animum paſcit, roborat, lætificat, impinguat. Promiſſis enim ſtat, qui pro re parva, v. g. denario, quem promiſit,

dat majorem, v.g. aureum. Igitur Deus promittens temporalia, si pro eis substituat spiritualia, quæ longè majoris sunt momenti, utique promissis stetisse dicendus est.

32. Cælestis Magister Christus JESUS, quanquam Apostolis suis promiserat, quòd specialem ipsorum curam habiturus, iisque de necessariis abundè prospecturus esset, attamen ipsos acrem quandoque famem ac sitim pati permisit, ùt liquet ex S. Matthæo cap. 12. Ubi scribitur: *Abiit JESUS per sata Sabbato. Discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare.* D. Lucas cap. 6. ait: *Confringentes manibus manducabant*; quasi manibus spicas triturantes, ut granis è palea segregatis vescerentur, ut ita fami subvenirent. Id quod expendens S. Chrysostomus ait: *Nisi malo inediæ nimium vexarentur Apostoli; nunquam certè illud in Sabbato fecissent.* Rationem autem, quare suos electos discipulos cum fame conflictari sinebat cælestis Magister, assignat S. P. Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in Monte cap. 27. ubi hanc aptam proponit similitudinem: *Sicut Medicus aliquando abstrahit cibum & potum infirmo, ut curet eum; Sic Dominus, qui habet providere, permittit hominem pati vel ut curetur (si curanda sunt aliqua) vel ut alii exemplum recipiant.* Hanc Aurelii Augustini auream sententiam allegat eruditissimus Joannes Sylveira, eámque egregio commentario explanat in hæc verba scribens: Ex profundo & alto consilio Deus hanc penuriam permittit aliquando in suis servis. *Primò*, si aliqua in eis curanda sunt, his habeant medicamen, ac purgentur, & curentur. *Secundò*, ob exemplum aliorum, ut in talibus pressuris videntes servorum Dei patientiam, etiam in similibus & ipsi habeant tolerantiam. *Tertiò*, ut omnibus fiat notum, quòd via ad cælum non est per delectationes, & oblectamenta, sed per abstinentias, labores, ac ærumnas. *Quartò*, ut cuncti sciant, & videant egregia merita servorum Dei, quòd in tanta egestate, ac penuria rerum, summâ constantiâ ac patientiâ se præbent armati; ut ita omnibus sit manifestum, quantâ gloriâ ac honore digni sint. Ita nervosè admodum Joannes Sylveira lib. 4. cap. 17. n. 98. in Evangelia. Atque propter has tres posteriores rationes Deus etiam voluit inopiâ affligi Sanctissimam Virginem, Dominam nostram; eam enim rerum necessariarum penuriam sæpè passam esse in vita hac mortali, ipsa indicavit S. Birgittæ lib. 6. Revelat. cap. 58. his verbis: *Cùm verò in timoribus, & paupertate, & difficultatibus essemus, non fecit nobis aurum & argentum Filius meus, sed hortabatur nos ad patientiam.* Lubeat hìc, paucis immutatis, usurpare verba Redemptoris nostri: *Non est Servus super Dominam suam; sufficit Servo, ut sit sicut Domina ejus: Si Matrem Christi ærumnis ac pressuris subjecit divina Providentia, quantò magis domesticos ejus?*

33. Eapropter macte animi Fratres charissimi, & dum inopia nos premit, dum victus corpori necessarius non suppetit, dum angustiamur undique, ponderemus oportet, atque seriò examinemus illud Incarnatæ Sapientiæ proloquium: *Nonne anima plus est, quàm esca?* Deus nos cælo possidendo creavit, ac proinde ejus erga nos providentia magis solicita est de salute nostra æterna, quàm de hac mortali vita, vel de bonis hisce terrenis; & ideo ait: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus.* Luc. 12. 31. Omnibus prospicit de mediis ad ultimi finis consecutionem necessariis. Quòd si verò permittat tibi deesse panem vel vestitum, téque in miseria defixum relinquat, signum est, quòd hanc agnoscat viam esse, quâ gloriam cælestem sis comparaturus: *Bene*

*omnia fecit.* Marc. 7. Prospexit omnibus de pluribus quæ nescimus; hoc enim certum est, quòd Pater noster sit qui nos diligit: Unde cùm adeò liberaliter panem dispenset canibus, id est Turcis, & Idololatris, panem utique non fineret deesse filiis, nisi id eis ad majus ipsorum bonum expedire cognosceret; ac proinde paternæ ipsius dispositioni acquiescendum nobis est, & cogitandum, quòd *anima plus est quàm esca.* Quòd si tibi Deus desideratas concederet divitias, & superfluitates, tu forsitan illis ad æternam tuam perniciem abutereris; quia testante Psalmographo, *prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Psal. 72. Nam ut Ezechiel cap. 16. ait: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ*, id est, occasio sive causa iniquitatis gravissimæ, ob quam igne de cælo consumpta fuit, *superbia*, *saturitas panis*, *& abundantia.* Cæterùm, cùm nostram salutis consequendæ Spem mirè augeat, & acuat divinæ misericordiæ consideratio; ideo de ea mox agendum, consultè judico. Sit ergo

# SERMO III.

## DE IMMENSA DEI MISERICORDIA

*Universæ Viæ Domini, Misericordia & Veritas.* Psal. 24. vers. 10.

## PARS PRIMA.

1. Constat ex hactenus dictis, quanti intersit piam erga DEUM habere fiduciam, ergo ad hanc magis roborandam & augendam, non inconsultò de Dei Misericordia pro majori consolatione nostra aliqua breviter annotare censui, quoniam hujusce meditatio ad spem vel maximè pusillanimes erigere solet. Porrò si contentio inter Divina Attributa, quemadmodum olim inter Apostolos, quisnam eorum major esset, oriretur, profectò Dei Misericordia primatum teneret, quia hæc ad omnes & extremas mundi plagas sese extendit, attestante Prophetâ, qui Psal. 118. ait: *Misericordiâ Domini plena est terra.* Et rursus Psal. 24. *Universæ viæ Domini, Misericordia & Veritas.* Hinc Christus audiente in spiritu Sanctâ Birgittâ ait: Ego sum charitas summa; nam omnia quæ ab æterno feci, ex charitate feci, & quæcunque facio, atque in futurum faciam, similiter ex mea charitate procedunt, procedéntque. Dilectio mea erga hominem modò æque grandis atque incomprehensibilis est, sicut erat tempore Passionis meæ, quando per mortem meam ex nimia charitate liberavi omnes electos. Et si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissimâ voluntate & perfectissimâ charitate corpus meum traderem, candémque Passio-

Passionem & mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus. Ita *Ludovicus Blosius.* In Consol. animæ cap. 1. n. 3.

2. Aliàs, ut idem Author ibidem num. 2. refert, Sancta Virgo Gertrudis divinitùs edocta est, quòd homo attendens imaginem Crucifixi in corde suo, æstimare debeat ipsum JESUM sibi blandâ voce dicere: En vides, quomodo causâ tui amoris pependerim in cruce nudus, despectus, totóque corpore vulneratus, ac per singula membra distentus. Et adhuc tanto charitatis dulcore cor meum erga te afficitur, ut si saluti tuæ expediret, aliterque æternam felicitatem consequi non posses, vellem pro te solo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo. O inexplicabilem charitatem! ô immensam erga me contemptibilem misericordiam! Siccine ô Christe JESU me tanto amoris affectu prosequeris, ut etiam pro me solo inaudita tormentorum genera sustinere haud recusares, quò tantùm me à gehennæ incendiis liberares, & cum Principibus cælestis populi collocares? Quid ergo retribuam tibi ô Summa Bonitas? Quomodo tam intensum erga me amorem reciprocabo? O anima mea! videsne, quàm tenerè atque ardenter Deus tuus diligat te, & quàm vehementer desideret te pervenire ad cælestem Beatitudinem? Eja ergo relinque terrena, & adhære tam bono & misericordi Domino, & misericordiam invenies.

3. Porrò quanta sit Dei Benignitas erga peccatores, ulteriùs demonstratur ex quadam visione S. Carpo Episcopo ostensâ; quam refert S. Dionys. Areop. ad Demophilum. Cùm enim infidelis quispiam hominem Christianum ab Ecclesiæ fide abduxisset, ipse Carpus, qui utrique compati, & pro utroque orare debuerat, graviter indignari, & Deum orare cœpit, ut amborum vitam repentè extingueret, subitò ei aperto cælo Christus innumeris Angelis stipatus apparuit, infra verò profundissimam voraginem vidit serpentibus plenam, ad cujus os duo illi viri trementes, jam jámque dejiciendi stabant, & cùm graviter ferret, quòd non protinus absorberentur, & ecce cùm oculos rursum levâsset, vidit clementissimum JESUM misericordiâ motum de cælesti sede consurgere, atque ad illos descendere, & manum benignam porrigere, simúlque Angelos eis opem ferre. Tunc Dominus JESUS ad Carpum dixit: Paratus sum, Carpe, iterum pro salvandis hominibus pati: & istud mihi gratum est, modò non alii homines peccent. Tu autem inspice, an utile sit, illam cum serpentibus mansionem præferre Dei, ac bonorum clementiúmque consortio.

4. Rursus pervolvat quis vetus Testamentum, & passim obviam habebit infinitam Dei clementiam, & ut cætera omittam exempla; Rex David quomodo iram Dei, ob sua peccata meritam avertit? Et videbimus duobus duntaxat verbis; Nam cùm à Nathan objurgationem, & sævas minas Domini audiisset, ait: *Peccavi Domino.* Lib. 2. Regum cap. 12. Vix verba compleverat, & ecce mox subjunxit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Relegat quis totam Christi vitam, & quid aliud videt, quàm perpetuam in omnes misericordiam? Gratis sanabat ægrotos, pavit famelicos, sublevavit periclitantes, mundabat leprosos, cæcis impertiit lucem, debiles & mancos restituit, dæmonia profligavit, mortuos resuscitavit, pœnitentes absolvit. Si ulteriùs totam illius doctrinam excutimus, quid aliud resipimus, quàm immensam Dei Misericordiam? Quid enim aliud agit Parabola de Ove revecta humeris Pastoris, de Drachma perdita

&

& inventa, de sanis, quibus non est opus Medico, de servo, cui donatum est omne debitum, de Publicano & Pharisæo, de viatore saucio, quem Samaritanus curat? Quid aliud de filio prodigo nobis significatur, quàm incomprehensibilis clementia Dei erga peccatores pœnitentes? Hic enim totâ hæreditate suâ jam dilapidatâ, dum ad Patrem rediisset, dixit Pater: *Proferte Stolam primam.* Luc. 15. Non dixit, unde venis? ubi fuisti? ubi sunt, quæ tulisti? quare tantam gloriam in turpitudinem commutâsti? Sed proferte, inquit, stolam primam, & induite illum. Procul igitur abhinc omnis diffidentia & animi fluctuatio. An non enim tanta Patris pietas quemlibet nostrûm ad Spem erigere deberet? præsertim cùm hæc Parabola omnibus misericordiam polliceatur.

5. Cur etiam Christus Salvator noster aram Crucis ascendit, nonne ut seipsum victimam efficacem pro omnium peccatis expiandis immolaret? Atque in ipsa Cruce pendens orat pro Crucifixoribus, pro conviciantibus & insultantibus; quis ergo est, qui putat negaturum veniam sibi agnoscenti peccatum suum, & imploranti misericordiam? Confidamus ergo tam misericordi Domino, & profectò experiemur eum misericordem esse. Nam ut ipse S. Mechtildi revelavit, ùt *Ludov. Blosius* in Monil. cap. 1. n. 9. refert. Quòd scilicet nullus sit adeò magnus peccator, quin, si verè pœnituerit, mox illi omnia peccata sua plenè dimittam, & cor meum tantâ clementiâ atque dulcedine super eum reclinem, ac si nunquam peccâsset. O verè ineffabilem Dei pietatem! Hinc B. *Joannes Taulerus:* (ut idem præfatus pius Author in Consol. Pusill. fol. 225. memorat) scribit: Licet Mater obliviscatur interdum unici Filii sui, Dominus tamen, prout ipse testatur, haud quaquam nostri potest oblivisci. Tanta siquidem ejus est misericordia, ut stupa aliqua, sive linum in immenso igne positum, non tam citò incendi possit, quàm ipse peccatori veraciter converso dolenti peccata omnia donare paratus est. Enimvero inter Dei Bonitatem & pœnitentem peccatorem neque tempus, neque medium ullum interest. Deinceps autem inter Deum & hujusmodi pœnitentem tam perfecta suboritur fidelitas, ac si peccata commissa non essent; támque bonus est Dominus, ut quæ semel condonavit, nunquam ei improperare, nec ullam propter ea pœnam eum sustinere velit; si tamen in vitæ correctione subsistit.

6. Quòd verò hæc ita se habeant, exemplum habemus clarissimum in S. Maria Magdalena, quæ licèt gravissima perpetraverit flagitia; tamen quàm primum ad Christum accessit, eique pedes lavit, impertita fuit plenariâ peccatorum omnium veniâ. Post hæc tantam cum Salvatore nostro contraxit familiaritatem, ut eam plùs, quàm vel ipsos Apostolos dilexerit. Hinc etiam post gloriosam suam Anastasim se primò Magdalenæ visendum præbuit. Et dum in solitudinem pœnitentiæ causâ secessisset, tot consolationibus recreata est, ut septies quotidie in cælum rapta choris Angelorum interesset, & ab ipso Christo ultra centenas vices visitata, miris voluptatibus recreabatur. Ulteriùs ut memoratorum veritas magis elucescat, aliquam subjungere libet historiam, quam refert Author, qui se Discipulum vocitat. Erat quædam nobilis puella vultu speciosa, quæ post commissum cum proprio Patre incestum, ob verecundiam ex aspectu Parentum causatam, clam successivè prius Matrem, deinde Patrem veneno interemit. Et illa de Dei gratia desperans obstinax in peccatis perseveravit. Tandem accidit, quod supra verba (scilicet majorem esse Dei misericor-

fericordiam, quàm hominum iniquitatem) in quadam concione audita, misera compuncta fit, móxque magnâ cum deteſtatione peccata ſua confitebatur; quibus confeſſis Eccleſiam intravit, ubi humi proſtrata ob vehementiſſimos contritionis actus ſæculo defuncta eſt. Tunc Confeſſarius populum in Eccleſia congregatum hortabatur, ut pro defuncta preces ad Deum funditarent; ſed vox de cælo intonuit: *Non ego veſtris, ſed vos potius meis interceſſionibus opus habetis.* Ex quo intellexerunt felicem illam fæminam ad cælum protinus ſine omni purgatorii pœnâ evolâſſe. Unde colligere eſt, quanta ſit Dei Benignitas erga pœnitentes; ut autem hanc Dei Clementiam magis intelligamus, perpendamus etiam ſequentia.

7. Chriſtus S. Gertrudi ait: Quilibet poterit reſpirare in ſpem veniæ (quamlibet etiam gravi pondere peccatorum ſe ſenſerit depreſſum) offerendo Deo Patri meam innocentiſſimam Paſſionem & mortem. Credat igitur peccator, ſe per hoc obtinere ſaluberrimum fructum indulgentiæ: quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, ſicut devota memoria meæ paſſionis cum Fide recta & verâ pœnitentiâ. Quam veritatem confirmat Exemplum, quod Diſcipulus hiſce commemorat verbis. Juvenis quidam cognovit ſororem ſuam, & frater ſuus ſupervenit & correxit eum, quem mox occidit, & ideo à Patre exhæreditatus, & à civitate proſcriptus eſt, qui poſtmodum clam civitatem intrans Patrem interemit & aufugit. Porrò dum poſtea quadrageſimali tempore audiret prædicari illud Ezech. cap. 18. *In quâcunque horâ peccator ingemuerit pro peccatis ſuis, omnium iniquitatum ejus amplius non recordabor.* adeò compunctus eſt, ut veniens ad Sacerdotem dixerit: Meliùs eſt, ut hîc confundar quàm ibi. Quamobrem omnia peccata ſua eſt confeſſus, quo peracto Sacerdos juſſit eum accedere ad Altare, in quo fuit imago Beatiſſimæ Virginis habens JESUM Crucifixum in ſinu ſuo, hîc igitur ſe proſtravit, & opem glorioſæ Virginis imploravit, &, ut pro ſe intercederet, enixè rogavit. Hinc ſe ad imaginem Crucifixi convertens ait: O JESU Chriſte propter vulnera & Sanguinem tuum ignoſce mihi, quòd inceſtum commiſerim, & ſanguinem Patris, & Fratris mei effuderim. Et ſic ſæpius iterando, & amarè flendo ruptum eſt cor ejus, & ſic ante Altare proſtratus obiit. Poſtmodum cùm Sacerdos ad Eccleſiam rediret, invenit illum in terra jacentem & jam extinctum. Quapropter ſequenti die petiit communem orationem pro eo fieri ab omni populo. Et ecce, dum omnes præſentes precibus inſiſterent, viſa eſt columba alba circumvolans per Eccleſiam, & in roſtro ſuo gerens unam ſchedulam, quam permiſit cadere ante Sacerdotem: igitur acceptam Sacerdos publicè legit, in qua erat ſcriptum, quòd anima illius pœnitentis deducta ſit in cælum, antequam calor naturalis receſſit à corpore. Et in inferiori ſchedulæ parte ſcriptum erat: Prædica infinitam Miſericordiam Dei omnibus peccatoribus & peccatricibus, quia quicunque verè conteritur, & peccata ſua purè confitetur, illius miſerebitur Deus.

8. Idcirco quis eſt, qui hæc audit, & deſperat? licèt enormibus ſe impiâſſet flagitiis, præſertim cùm *Albertus Magnus* Ser. in Dom. 3. Adventûs dicat: *Tanta eſt Divina Miſericordia, quòd reſpectu ejus omnium hominum peccata, quantacunque & qualiacunque ſunt, ſint quaſi ſcintilla in medio maris.* Cui aſtipulatur Mellifluus Doctor *S. Bernardus* Ser. de bono Latrone.

*Cuncta peccata*, inquit, *ab origine mundi commissa, Divinæ misericordiæ comparata sunt quasi una gutta ad pelagus totius maris.* O stupendam Dei misericordiam! O pretiosissima, veréque infiniti valoris, merita Christi, quæ tam immensam nobis misericordiam promeruerunt! Excutiamus igitur omnem diffidentiam, procul hinc abjiciamus omnem desperationem, & invocemus Salvatorem, & salvi erimus; quoniam non venit in mundum, ut nos propter nostra peccata tanquam Judex condemnaret; sed ùt Salvator, & Medicus ab his nos misericorditer sanaret. Audiamus eum apud Ezech. cap. 18. clarâ voce pollicentem: *Quâcunque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum illius non recordabor.* Ubi advertendum; quòd non excipiat criminum genus, neque perpendat magnitudinem aut multitudinem peccatorum. Tantùm ingemiscamus, ùt oportet, & parata est omnium superiorum criminum oblivio.

9. Ingemuit Rex David, & misericordiam adeptus est; ingemuit Publicanus in templo, & justificatus in domum suam descendit; ingemuit Latro in cruce, & audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiso*; ingemuerunt & alii milleni peccatores, & peccatrices, ex quibus ne uni quidem denegata est misericordia. Inter hos non minima erat illa muliercula, quæ ab ipsomet Christo audire meruit: Ego ignosco tibi peccata tua. Quod quemadmodum contigerit, operæ precium erit totam adnectere historiam, cujus meminit Discipulus. Quidam Sacerdos in Thuringia tulit in pixide Christi Corpus extra villam ad communicandum quendam infirmum. Tunc quædam meretrix stans non longè à via in suo prostibulo, & Sacerdotem videns, cœpit cogitare intra se, quòd si Fides Christiana esset vera, tunc iste esset Salvator mundi, quem Sacerdos in pixide portaret, & quoniam ipsa in conspectu ejus ausa esset tanta mala perpetrare, qui tamen tot & tanta tormenta sustinuisset pro redemptione mundi. Sicque in seipsa compuncta relicto prostibulo cucurrit per lutum veloci cursu ad Sacerdotem dicens: State Domine Sacerdos, & illo stante prostravit se mulier in luto ante Corpus Christi, & ait: Domine JESU Christe, si tu es ille, qui pro redemptione nostra natus fuisti de Virgine, passus & sepultus, ascendens ad cælos, sedens ad dexteram Patris, judicaturus vivos ac mortuos, & si Te talem iste Sacerdos portat in pixide, rogo te supplex per tuam ineffabilem misericordiam, ignosce mihi peccata mea. Ad hanc mulieris supplicationem respondit Christus de pixide: *Ego ignosco tibi peccata tua, & recipiam te in gratiam meam.* Hoc pellex audiens ait; & Tu Domine me suscipis in gratiam tuam, quæ peccavi in carne mea luxuriosè omni modo peccandi, qui excogitari possunt? Gratias tibi igitur ago bone Domine JESU: Et sic conversa mox malam suam vitam in meliorem commutavit: ac tandem per Salvatoris nostri gratiam piè decessit. An non verissimum, quod Regius Vates dicit, quod videlicet *Miserationes Domini sint super omnia opera ejus?* Psal. 144.

10. Ulteriùs quanta sit Divina Clementia erga peccatores pœnitentes, etiam intelligimus ex quadam revelatione S. Mechtildi factâ, quam refert *Blosius* in Monil. cap. 1. n. 5. Cùm enim hæc S. Virgo pro quodam homine oraret, adversus quem ipsa indignabatur, propterea, quòd ille adhuc quasi incorrigibilis maneret, Dominus eidem Virgini ait: *Eja condole mihi, electa mea, & ora pro miseris peccatoribus, quos tam caro emi pretio, & tam longanimiter expecto, cupiens vehementer, ut ad me convertantur. Ecce sicut hostiam*

*hostiam in ara Crucis me aliquando obtuli, sic adhuc eodem amoris affectu assisto Deo Patri pro peccatoribus, quia mihi maximè optabile est, ut peccator per veram pœnitentiam ad me convertatur, & vivat.* Verùm cùm non rarò contingat, etiam illos ex fragilitate humana in varia quandoque peccata labi, qui cæteroquin pii & devoti audiunt, peccatáque omni modo effugere conantur; quia quamdiù carnis sarcinam portamus, ab omni peccato (saltem veniali) immunes esse non possumus. Quapropter ne quis propterea inordinatè contristetur, & ob frequentiores lapsus spem abjiciat, ac in desperationis abyssum præceps ruat, benè advertendum est, & cordi imprimendum, quod aliàs Christus (ùt præfatus Author loco cit. n. 10. testatur) suæ Sponsæ Mechtildi manifestavit, dicens: Quamvis stellæ, id est, Electorum meorum animæ nube peccatorum & caligine ignorantiæ nonnunquam valde obtenebrentur: in firmamento tamen suo, hoc est in divina Luce mea, obscurari non possunt. Licet (dico) Electi mei plerumque involvantur peccatis, semper tamen illos eâ charitate respicio, quâ eos elegi, & ipsos in illa charitate attendo, ad quam perventuri sunt. Bonum igitur est homini, ut sæpe recogitet, quàm gratuitâ pietate ipsum elegerim, & quàm bene de ipso cogitaverim, quámque amanter eum respexerim, etiam cùm in peccatis jaceret, item quàm benignè mala ejus in bonum ei commutaverim. O altitudo inscrutabilis Sapientiæ & Misericordiæ Dei, qui tam miris & multis modis revocare, sibíque attrahere conatur cor peccatoris, nullum ei desperationis locum relinquens!

# PARS ALTERA

11. Porrò ut Salvator noster omnem diffidentiæ & desperationis radicem è cordibus nostris stirpitùs evelleret, S. Catharinæ Senensi, teste Venerab. *Blosio* in Monil. cap. 1. n. 13. revelavit: Peccatores, inquit, qui in mortis extremitate desperant de misericordia mea, multò graviùs me offendunt hoc uno peccato, quàm omnibus aliis iniquitatibus, quas unquam commiserunt. Item subjunxit, quòd si qualiscunque demum peccator in veritate doleret, quòd me offendisset, & in misericordia mea fideliter speraret, ipse eam certissimè inveniret, quoniam in infinitum major est ipsa misericordia mea, quàm sint omnia peccata, quæ unquam fuerunt commissa, vel quæ committi possunt ab aliqua creatura. Ex quibus, & id genus aliis, quæ brevitatis ergo prætermitto, quilibet facilè colligere poterit, quemadmodum sperare oporteat in Dei Misericordiam, ut hanc invenire mereatur. Sed ne ex consideratione tantæ Dei erga peccatores Clementiæ licentiosior quis fiat ad peccaudum, considerare etiam oportebit rigidissimam Dei Justitiam, quæ peccatores, qui spe veniæ consequendæ peccare non desinunt, sine misericordia ad inferos fulminare solet. Quemadmodum ergo diffidentia de divina misericordia est cavenda; ita hæc præsumptuosa fiducia fugienda, de qua Sapiens Ecclesiasticus cap. 29. vers. 24. dicit: *Repromissio nequissima multos perdidit*, & in futurum etiam perdet, illos præsertim, qui sub misericordiæ consequendæ spe suis cupiditatibus fræna laxant.

12. Quòd autem iste pessimus divinæ misericordiæ abusus apud non paucos reperiatur, revelatum fuit S. Birgittæ à

 Christo

Christo dicente: Talium cogitationum viri inveniuntur hodie multi, cogitantes taliter secum: Onerosum est ire per viam rectam, propterea ponunt sibi spem falsam & periculosam. Longa, inquiunt, est vita nostra, misericordia Dei est maxima, delectabilis est Mundus iste, & ad delectationem creatus; ideo nihil obest, si ad tempus utar mundo secundùm velle meum: quia in fine vitæ sequi volo Deum; est enim compendium quoddam vitæ hujus mundi, id est, contritio, & confessio, hanc si obtinuero, salvus ero. Talis cogitatio, velle scilicet peccare usque in finem, & tunc confiteri, est valde debilis spes, quia nesciunt, antequam cadunt. Quibus & in extremis inspiratur quandóque tantus dolor, & subitus finis, quòd nullo modo fructuosam invenire poterunt contritionem. Et meritò: noluerunt enim prævidere futura mala, cùm potuerunt, sed in arbitrio, & limitatione sua posuerunt tempus misericordiæ Dei. Hæc sunt verba revelationis, quæ habentur libro tertio, cap. 12. Et sic esse in experientia sæpè videmus; nam ut plurimùm, qui patientiâ Dei eo fine abutuntur, ut malam possint continuare vitam, impœnitentes moriuntur. Et licèt unus vel alter ex hujusmodi peccatoribus in morte consecutus fuerit peccatorum veniam; hæc tamen gratia extraordinariæ & insolitæ misericordiæ beneficium est, centesimo, imò vix millesimo concessum, aut in futurum concedendum: Habet proinde hìc locum illa Juris regula: *Gratia uni facta non est trahenda in consequentiam, & exemplum aliorum.* Haud aliter, gratia uni peccatori ab ineffabili Dei pietate data, non est extendenda ad prævaricatores reliquos. Egregiè hoc punctum pertractat *Ludovicus Granatensis*, qui, postquam divinam misericordiam uni ex latronibus, qui cum Christo cruci affixi fuerant, exhibitam considerasset, tandem subjungit: Nemo ex hoc exemplo arripiat occasionem differendi vitæ & morum emendationem, extrahendive ad mortem usque pœnitentiam: Quemadmodum enim miraculum hoc fuit Christo ultimum, ita fuit & maximum. Fuit enim speciale privilegium ad gloriam & magnificentiam hujus diei illustrandam præordinatum, ut probaretur virtus & essentia cælestis illius theriacæ, quam Deus confecerat ad remedium peccatorum. Et quia privilegium est particulare, non autem lex universalis, nemo debet hoc accipere tanquam regulam generalem omnibus, quod fuit particulare privilegium unius. Ita præfatus Author in meditat. vitæ Christi. cap. 53.

13. Quamobrem utilissimam quandam nobis instillat doctrinam *S. Anselmus*, sic disserens: Notandum est, quòd ante perpetrationem culpæ nunquam misericordia Dei debet cogitari, sed justitia & judicium ejus, furor & indignatio illius; hæc pensari, hæc ante mentis oculos meritò reduci, hæc sæpenumerò cum magno horrore retractari debent. Quando quis tentatur, & ad peccandum allicitur, non debet dicere: *Misericordia Domini magna est, multitudinem peccatorum meorum miserebitur.* Eccli. 5. Sed potiùs: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Hebr. 10. Quando appetitus luxuriæ quemcunque pulsat, non cogitet tunc: *Quacunque die peccator ingemuerit, omnia peccata ejus oblivioni tradentur*; sed potiùs sæpe recogitando tractet, quòd *maledictus omnis qui peccat in spe.* Veruntamen ne hac in parte plùs æquo sinistrum, vel dexterum teneamus latus, in arca cordis nostri duo reservemus oportet; Nimirum, sicut olim in Arca fœderis non solùm asservabatur Manna, quæ miseri-cor-

ricordiam designat; sed etiam virga, quæ symbolum est justitiæ; ita pariter sperare quidem debemus in Dei misericordiam; considerationem tamen justitiæ ejus non oportet negligere, sed ad utrumque mentis aciem reflectere. Sunt enim hæc duo in via Dei necessaria præcipuè, Spes videlicet in misericordiam Dei, & timor de ejus justitia; & qui has binas virtutes, Spem & timorem possident, à Deo respiciuntur, & æternùm salvantur, attestante Psalmographo Psal. 32. vers. 18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum; & in eis, qui sperant super misericordia ejus.* Quia nimirum (ùt ait S. Thomas in hunc Psalm.) *Respicit Dominus super eos, qui timorem habent & Spem. Unum enim sine altero non sufficit; quia timor sine Spe desperat; & spes sine timore præsumit.*

14. Non ambigo, quin jam dudum legeris illam, à Poëtis confictam fabulam de Icaro Dædali filio, qualiter nimirum cum præcipitari in mare necesse fuit, dum, liquatâ alarum cerâ, soli nimium propinquabat; incolumis haud dubiè evasurus, si patris vestigia sequens, inter Solis ardorem, & maris humiditatem volâsset medius. Unde Lemma inscriptum: *Inter utrumque securus.* Ita omnino Christianus & Religiosus, æquis intervallis inter Spem divini refrigerii, & metum extremi judicii constitutus, beatitudinis assequendæ fiduciam penè indubitatam habet. Paucis rem totam explicat S. *Gregorius Nazianzenus*:

*Ne Fide multum, neve despera nimis;*
*Illud solutos efficit, pessundat hoc.*

Hoc exercitio alterno usus est Rex David, prout ex variis sui Psalterii locis videre licet; missis reliquis, Psalmo 32. canebat: *Misericordia tua ante oculos meos est:* at mox subdit: *Et complacui in veritate tua;* per *Veritatem* hìc intelligitur Dei Justitia. In hoc ergo respectu Justitiæ, & misericordiæ totum consistit nostræ salutis negotium. Inter Spem igitur & metum nobis in via Dei procedendum, ut securi perveniamus ad patriam. Unde concinebat Poëta:

*Inter utrumque vola: medio tutissimus ibis.*

15. Hactenus dictis coronidem imponit omnium Ecclesiasticorum Doctorum primicerius, Magnus *Augustinus*, gravissimè juxtáque suavissimè in hæc verba divinam suam linguam solvens: Et spes, & desperatio timenda est in peccatis. Videte vocem desperantis ad augenda peccata; & videte vocem sperantis ad augenda peccata, & quomodo utrique voci occurrit providentia, & misericordia Dei. Audi vocem desperantis: *Jam*, inquit, *damnatus sum, quare non facio quidquid volo?* Audi vocem sperantis: *Misericordia Domini magna est, quando me convertero, dimittet mihi omnia; quare non facio quidquid volo?* Desperat, ut peccet; sperat, ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum. Væ à desperatione, væ à perversa spe. Utrique huic periculo, & utrique malo quomodo occurrit misericordia Dei? Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare? *Jam damnatus sum, quare non facio quidquid volo?* Audi Scripturam: Ezech. 33. *Nolo mortem impii, tantum ut convertatur, & vivat.* Hac voce Dei reducitur ad Spem, sed timendus est alius laqueus, ne ipsâ spe ampliùs peccet. Quid ergo tu dicebas, qui spe magis peccas? *Quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet; faciam quidquid volo.* Audi & tu Scripturam: Eccli. 5. *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Noli ergo dicere: cras me convertam, cras Deo placebo. Verum quidem

dem dicis, quia Deus conversioni indulgentiam promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit. Hactenus tam piè quàm eruditè *Augustinus* tract. 33. in Joan. Tom. 9. qui Concione in Psalmum 71. pro epiphonemate adnectit: *Potestatem ejus time, misericordiam ama; nec sic de misericordia ejus præsume, ut potestatem contemnas.* Hanc divini viri sententiam in terminis etiam tradere dignata est Cælitum Regina S. Birgittæ, eam sic adhortans: *Filia mea, sic time justitiam Dei, ut quæras misericordiam ejus; & sic de misericordia confide, ut tamen justitiam semper expavescas.* Lib. 1. Revelat. cap. 7.

# SERMO IV.

## DE DIGNO POENITENTIÆ FRUCTU.

*Dico vobis, quòd ita gaudium erit in Cœlo super uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem Justis, qui non indigent pœnitentiâ.* Luc. 15. vers. 7.

## PARS PRIMA

1. EGimus hactenus de immensa DEI Bonitate, nunc æquitas postulare videtur, ut, antequam de Charitate agamus, prius breviter aliqua de Pœnitentia præmittamus, partim, quia hæc ex Dei misericordia dimanat, partim etiam, quia ad Charitatem disponit, Teste Prophetâ in Persona Dei dicente: *Convertimini ad me* (scilicet per pœnitentiam) *& convertar ad vos.* (scilicet per charitatem) Zach. cap. 1. vers. 3. Porrò ad hanc pœnitentiam agendam Christus ipse nos invitat, dum ait: *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem Justis, qui non indigent pœnitentiâ.* Luc. 15. 7. Quibus verbis satis abundéque significat, quòd nihil gratius & acceptius ipsi & omnibus Cæli Civibus præstari possit, quàm dum peccator pœnitentiam agit, per hanc enim fit Deo gratissimus, & ut loquitur *Divus Gregorius* cap. 52. Pastor: quòd plerumque gratior Deo fiat amore ardens vita post culpam, quàm in securitate torpens innocentia; quod pulchrâ idem S. Doctor Hom. 34. in Evang. similitudine demonstrat. *Sicut Dux*, inquit, *in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter petit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit; Sic DEUS sæpe illos plus amat, qui post peccatum ferventius illi servierunt, quàm qui, peccato mortali non commisso, tepidos se in ejus servitio exhibuerunt.*

2. In quo autem Pœnitentia digna con-

consistat, docet præfatus sanctus Pontifex dicens: *Pœnitentia est perpetrata peccata plangere, & plangenda non committere.* Quomodo verò pro peccatis sit plangendum, insinuat id S. *Basilius*, dum ait: *Grandia peccata grandia suspiria & lamenta desiderant.* Aliam pœnitendi methodum nobis in hæc verba suggerit paulò ante memoratus Romanus Præsul D. Gregorius hom. 20. in Evang. *Tantò*, inquit, *à se licita quisque debet abscindere, quantò se meminit & illicita perpetrâsse, & ut tantò majora acquirat bonorum operum lucra per Pœnitentiam, quantò graviora sibi intulit damna per culpam.* Quanta verò hinc in pœnitentem gratiarum charismata influant, colligere possumus ex eo, quod evenit Patriarchæ Jacob, qui benedictionem à Patre obtinuit eò, quòd pulmentum, quo libenter vescebatur, obtulerit. Igitur cùm teste Regio Prophetâ, Psal. 50. *Sacrificium Deo* gratissimum sit *Spiritus contribulatus*, an non, qui illum obtulerit per pœnitentiam, parem à Deo Benedictionem sperabit? Obtulit hunc spiritum contribulatum Deo quædam peccatrix fæmina, & omni cælesti bono repleta est; quod, ut distinctiùs percipiamus, subjungere placebit totius facti seriem, quam recenset *Alphonsus Rodriquez* par. 1. Tract. 5. cap. 19.

3. Erat quædam meretrix in quadam Civitate, nomine Thais, ad quam S. Paphnutius Abbas, assumpto sæculari habitu, profectus est; dúmque ad eam venisset vir Sanctus, ejus pulchritudine captum se simulavit, &, ut amplexibus ejus potiretur, se adesse dixit, simúlque solidum ei pretium hujus intentionis ergo obtulit, rogans, ut se in locum secretum abduceret, ne ab aliquo videretur, sed ut peccatum sine verecundia & rubore perpetrare posset; cúmque illa S. Abbatem ad plura duxisset loca, & ille semper diceret, quòd videri timeret, duxit eum in obscurissimum locum dicens; quòd nullus posset ipsum videre, nisi Deus & diabolus. Quo audito ansam sumpsit Dei Servus mulierem ad meliorem frugem reducendi. Simúlque quemadmodum conspectum Dei formidare deberet, ipsam hortabatur, & mox ad pœnitentiam impudicam fœminam inducebat. Illa jam pœnitens omnes suos amasios convocavit, & coram eis sua pretiosa corporis indumenta igni ad comburendum tradidit cum dicto; *Satius est, ut ego ea comburam, quàm ut ab eis in futuro Judicio exurerer.* Quo facto secuta est Sanctum Abbatem in desertum, qui eam in parvam cellulam inclusit, & per fenestellam porrigebat ei omni die panem & aquam. In eadem etiam cella juxta se omnia necessaria peragebat, & præ peccatorum suorum pudore non audebat nomen Dei nominare, nec manus vel oculos ad cælum levare, sed ad orientem conversa dicebat: *Qui plasmâsti me, miserere mei*, sicut eam Abbas jusserat. Porrò elapsis tribus annis compassus est ei S. Paphnutius, & à S. Antonio Abbate quæsivit, utrum jam tempus esset eam emittendi, & an peccata ejus essent dimissa? Quare S. Antonius omnibus fratribus intimavit, ut pro pœnitente muliere Deum precarentur. Tunc S. Paulus, S. Antonii Discipulus, in ecstasi positus conspexit lectum pretiosissimum à tribus speciosissimis puellis præparatum, & dum quæreret, utrum esset S. Antonii? Responsum ei est, quòd non, sed Thaidis Sponsæ Christi; Igitur cùm supra hoc miraretur, & causam scire discuperet, ulterius audit: Dum esset inclusa, in toto triennio habuit semper peccata sua ante oculos, quasi quandam sarcinam flens continuo largiter super ea.

Hinc

Hinc didicerunt Sancti Patres, quòd non propter pœnitentiam, quam sustinuerat, sed propter peccatorum memoriam, & verecundiam omnia scelera ei fuerint dimissa. Et transactis quindecim diebus sanctè obiit.

4. Porrò si tanta peccatrix, quæ diaboli laqueus, & multarum animarum exitium fuerat, tantam sit consecuta misericordiam; si illa, quæ non unius duntaxat homicidii, & effusionis sanguinis causa extiterat, sed multorum, ita placuerit Deo, eò quòd peccata sua ob mentis oculos continuò habuerit, eáque amarè deplorârit; quis desperare audet, de sua malè transacta vita? quis est, qui hæc aure percipiens non animatur ad pœnitentiam, præsertim cùm intelligat Deum esse tam benignum in suscipiendis peccatoribus verè pœnitentibus? Et si nullum reperire licet, qui colubrum, aut scorpionem in sinu suo repentem non mox à se repelleret; ergo à fortiori nullus esse deberet, qui peccatum omni scorpione nocentius non protinus per pœnitentiam ab anima expelleret; Expellemus autem illud vel maximè, si hoc ob animi obtutum positum lugeamus, & detestemur. Quemadmodum enim vermis, qui ex ligno nascitur, illud ipsum corrodit, à quo originem ducit; ita illa tristitia, quæ oritur ex peccato, ipsum peccatum absumit. Hinc non rarò fit pœnitentem animam ex peccatis non tantùm non detrimentum, sed emolumentum potiùs capere, quod hâc pulchrâ demonstrare libet similitudine. Nam quemadmodum vestis censuræ, si aureis funiculis, & pretiosis gemmis copulentur, pulchriorem reddunt vestem, quàm si integra fuisset; sic fieri potest, ut anima post peccatum per pœnitentiam Deo gratior fiat, quàm fuisset, si nunquam peccâsset. Et hoc manifestè conspicimus in multis exemplis, quæ nobis proponuntur in variis Sacræ Scripturæ paginis.

5. Exemplum primum, quod occurrit, habemus in Apostolorum Principe Petro; Hic cum scandalo totius aulæ sacrilegi Pontificis adeò turpiter in Christi negationem, perjurationémque lapsus fuerat: & tamen postquam deflevit sua peccata Petrus, non solùm in pristinam Christi gratiam, & benevolentiam admissus fuit, verùm insuper supra modum honoratus, exaltatus, & beneficiis majoribus auctus quàm antea. Unde D. *Bernardus* ad specialem se reflectens prærogativam, quâ Dominus Petrum dignatus est privilegiare, post resurrectionem suam separatim ab aliis ei apparendo, licèt illum negâsset, ita scribit: In spiritu pietatis apparuit Simoni; quia magna omninò, & verè Domino JESU digna, pietatis dignatio, quòd ei quasi singulariter, & ante cæteros dignatus est apparere, quem præ cæteris de negatione ejus rea conscientia confundebat, & sic adimpletum fuit in Petro illud Paulinum: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Rom. 5. v. 20. Insuper paulò pòst claves regni cælorum Petro consignavit Christus, illum tanta cum authoritate suum in terris Vicarium constituit dicens: *Pasce oves meas* Joan. 21. Rectè proin D. *Ambrosius* serm. de Cathedra S. Petri ait: *Fidelior factus est Petrus, postquam Fidem se perdidisse deflevit; atque ideo majorem gratiam reperit, quàm amisit.*

6. Alterum exemplum habemus in Maria Magdalena, quæ licèt tot ac tantis immersa esset peccatorum sordibus, ut Evangelistâ teste audiret in civitate peccatrix; quamprimùm tamen ad JESU pedes, ad ejus implorandum misericordiam, se prostraverat, cùm ecce subitò, eodem Salvatore teste, ad eminentissimum

mum ſanctitatis gradum aſcendit Cùm enim perfectio, & ſanctitas à majori vel minori charitatis intenſione commenſuretur; de ipſa verò per infallibile æternæ Veritatis teſtimonium conſtet, *quia dilexit multum.* Luc. 7. ſequitur bene, Magdalenam non ſolùm à peccatis mundatam eſſe, ſed etiam ſanctificatam. Peraccommodè Mediolanenſis Præſul, S. *Ambroſius* in perſona illorum peccatorum, qui per veram ſuorum commiſſorum criminum pœnitentiam ad divinam recurrunt miſericordiam, ita loquitur in Pſalm. 37. *Plus acquiſivimus, qui plus peccavimus; quia beatiores facit tua gratia, quàm noſtra innocentia.* Quod evidenter videre eſt in Magdalena: incomparabiliter enim majus fuit lucrum, quod ſibi per divinam miſericordiam in converſione ſua acquiſivit, quàm jactura, quam priùs per malam vitam ſuam perpeſſa fuerat. Unde is, qui *ſpirituum ponderator eſt*, Prov. 16. de hac ſancta pœnitente pronuntiavit dicens: *Optimam partem elegit ſibi Maria.* Luc. 10. v. 42. Etſi enim illius ſoror Martha, puriſſima permanſerit virgo, Chriſtóque plurimùm dilecta & accepta fuerit; eam tamen multis præcellebat paraſangis Magdalena. *Etſi* (ait Petrus Bleſenſis) *Chriſtus commendavit otium Mariæ, non tamen ei diſplicuit occupatio Marthæ. Gratiùs acceptat Dominus plerumque peccatoris humilis & contriti pœnitentiam, quàm juſti remiſſi innocentiam.* Eccleſia etiam, quæ à Sancto Spiritu dirigitur, & gubernatur, Magdalenæ in Litaniis ſuper omnes virgines primatum tribuit; quia adeo in ipſa divina gratia ſuperabundavit, ut ad puritatem plùs quàm virgineam pertigerit. Et licèt S. Magdalena non fuerit virgo carne; quia tamen mente ardentior erat, & habebat animum magis paratum ad virginitatem ſervandam, ſi eam adhuc poſſideret, quàm aliæ Virgines, quæ tunc vivebant; Item quia in Magdalena multæ aliæ virtutum prærogativæ reſplendebant, Chriſto gratior fuit omnibus virginibus, quæ in Judæa tunc temporis reperiebatur, prout ipſe Dominus revelare dignatus eſt S. Birgittæ, dum eidem dixit: *Tres ſunt qui mihi præ cæteris placuerunt: Maria mater mea, Joannes Baptiſta, & Maria Magdalena.* lib. 4. Revel. cap. 108. Ex quo Virgines diſcant, non ſe efferre inaniter, quaſi meliores eſſent non virginibus; Cùm frequenter non Virgines plus placeant Deo, utpote in aliis virtutibus nobilioribus magìs exercitatæ, & probatæ.

7. Facit huc, quod commemorat Palladius, in hiſtoria ad Lauſum cap. 140. de Virgine quadam Religioſa, quæ, cùm ſpatio annorum novem vel decem ſolitariam vitam cum ſummo rigore tranſegiſſet, tandem ſuæ immemor fragilitatis quandam cum nonnullo muſico contraxit familiaritatem, quæ ſenſim in carnalem crevit affectum, qui miſeram in tantùm excæcavit, ut ſæpenumerò in ſacrilegas prolapſa ſit fornicationes cum eo, à quo tandem concepit, & ſuo tempore infantem peperit. Has inter anguſtias deprehenſa ſua agnovit peccata, & tota lacrymis infuſa ad Deum recurrit dicens: O Deus, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut omnes convertantur, & vivant; Si ergo vis me etiam ſalvare, demonſtra mihi aliquod tuæ clementiæ ſignum, & infantem, quem in laſcivia concepi, & in peccatis peperi, accipe ad te, eúmque emori ſinas. Exaudit Deus ejus preces, & paulò pòſt infans mortuus eſt. Sic illa reliquam vitam caſtitati conſecravit, & in pœnam à ſe commiſſi peccati, ægrorum ſervitio maxima cum charitate ſe devovit, quo in labore per 30. annos ad mortem uſque per-

perduravit. Porrò, hoc factum adeò divinæ Majestati gratum fuit, ut Sacerdoti cuidam devoto revelârit, magis illam sibi (Deo) in pœnitentia hac, quàm in virginitate placuisse. Quare si quis in carnalium voluptatum cæno collotenùs fuisset immersus, non tamen propterea de venia consequenda ambigere debet; præsertim, cùm non solùm, si contrito corde ad pœnitentiæ asylum accurrerit, peccatorum indulgentiam sit consecuturus, sed etiam ampliorem gratiam & favorem, sic, ut Deo gratior existat post peccatum commissum per pœnitentiam, quàm antè fuerat in sua innocentia. Audi hujus rei aliud denuo exemplum.

8. Pelagius apud *Heribertum Rosvveydum* lib. 5. libel. 5. num. 26. commemorat, & dicit, habitâsse quondam in quopiam Ægypti Cœnobio Monachum, virum famosum, sacro Diaconatûs Ordine insignitum. Interea accidit, quòd nonnullus Senatorum declinandæ persecutionis causâ, quam à Judice civitatis passus, in dictum Monasterium cum tota sua familia commigrarit. Diaconus autem iste instigatione diabolica seductus, cum maximo cæterorum Monachorum dedecore, publicóque scandalo carnale habuit commercium cum dicti Senatoris uxore. Videns autem ille suum infame crimen in publicam emanâsse famam, pœnitentiâ ductus quendam adivit Senem, in deserto, procul ab arbitris viventem, séque ad ejus pedes abjiciens suum peccatum pandit, Senémque profusis etiam lacrymis rogavit, ne se, quamvis facinorosum, repelleret, sed benignè susciperet, séque in illam, quam habuit subterraneam, ac occultam cellam, includeret, ídque mortalium nemini revelaret. Sic precatus à Sancto illo Anachoreta fuit receptus pœnitens Diaconus, qui in dicto loco abstruso vivus quodammodo sepultus austeram valdè egit pœnitentiã. Factum interea, quòd Nilus fluvius multo tempore (quemadmodum aliàs quotannis fieri solebat) aridam terram non inundarit, ex quo ingens secuta terræ siccitas & sterilitas. Cùm igitur ubique locorum Dei implorarent opem mortales, processiones instituerent, sacras Litanias publicè decantarent, revelatum fuit cuidam viro sancto, latere apud quendam Eremitam illum Diaconum, qui quondam suâ incontinentiâ populum graviter scandalizavit, & nisi ille venerit, & pro populo suas ad Deum preces effuderit, aquæ Nili nec ascendent, nec terram siccam humectabunt. Quæsitus ergo ab accolis Diaconus, ac repertus, dum pro avertenda calamitate publica orationem faceret, subitò Nilus intumescere cœpit, sëque in aridum solum affluenter effundere, & tot votis exoptatam conferre fertilitatem. Simile quid etiam refertur de S. Jacobo Eremita, qui post enormia scelera commissa in sepulchro quodam severam egit pœnitentiam per decennium. Interea cùm mortales passim fame perirent, eò quòd nulla è cælo decidebat pluvia, & propterea publicis Deum precibus sollicitarent, revelavit Dominus cuidam Episcopo, degere alicubi in sepulchro, qui suis id obtinere precibus posset, quod aliis esset negatum. Episcopus ergò cùm Clero & populo abiit ad sepulchrum Jacobi, eúmque suis & lacrymis, & divinâ revelatione sic urserunt, ut piis eorum precibus subactus, sublatis in cælum manibus & oculis, ad Deum preces effuderit. Nec mora, cælum quamvis antea æris instar rigidum, viri Sancti precibus repentè mollitum, uberrimam pluviam effudit. Ex his binis exemplis palàm erudimur, quàm benevolo animo ergá pœnitentes Deus afficiatur, ut aliquando

plùs favoris, & honoris pœnitentibus deferat, quàm innocentibus; siquidem ambigere non oportet, multos in regione illa extitisse, sanctæ, & innocentis vitæ homines, Deóque charos, qui supplicibus cælum precibus pulsârunt, salutaris ut decideret pluvia; & tamen solus pœnitens Jacobus Eremicola id obtinere potuit, quod similiter considerandum venit in proximè dicto Diacono, qui Deo charior post suum pudendum lapsum extitit, quàm antea fuit. Quæ cùm ita sint, nullus sanè, quantumvis enormibus onustus foret criminibus, habet quod desperet; etenim protestante Vate Regio Psal. 129. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.*

# PARS ALTERA.

9. Porrò ut cœptam prosequamur materiam, inservire nobis poterit, quod *Stapleton.* Dom. Pasch. Them. 6. memorat, quòd scilicet cervus, si senio est confectus, in ostio speluncæ tam fortiter respiret, ut serpentes in ea inclusos foras prodire compellat, quos statim devorans affluenter sudat, tantámque humoris copiam fundit, ut prorsus renovetur, & velox fiat. Idem contingit peccatori, qui si per gemitus peccata sua ex pectore eliciat, & per confessionem conterat, lacrymásque sudando emittat, fit *saliens sicut cervus, & transiliens colles* Cant. 2. Quamobrem quicunque à peccatis se morsum esse intelligit, naturam canis imitari debet; Nam ut S. *Climacus* cap. 5. de pœnit. docet; Sicut canis, si à fera aliqua mordeatur, adversùs eam vehementiùs exsurgit, & furit; Sic dum à peccato se læsum quis sentit, vehementiori erga illud odio accendi debet. Quantos verò hinc cælestium thesaurorum manipulos, Divinarúmque fluenta gratiarum quis reportabit, advertere liquet ex eo, quod meminit *Joannes Lanspergius* apud *Blosium* in Consol. pusil. cap. 40. n. 5, qui sic Christum ad solatium pœnitentis animæ loquentem introducit: Anima pœnitens postquam bonitatis meæ aliquam notitiam gustúmque susceperit, considerans, quòd adeò sim bonus & misericors, quòd denique adeò non impropero, nec imputo peccata, ut non solùm illa dimittam, sed pœnitentem etiam, sicut eum, qui nunquam peccavit, in gratiam & amicitiam meam recipiam, consoler, ac dona ei largiar; hæc, inquam, dum anima pœnitens meditatur, etiam ex lapsu suo occasionem sibi acquirit majoris fervoris & gratitudinis erga me. Majoris item odii, displicentiæque contra se ipsam irascens sibi ipsi, ac detestans se, quod me tam benignum contempserit Deum suum, qui cùm justè possem & damnare, & perdere, parco, consolor, ac benefacio. Ideóque quanto me sentit erga se magis misericordem, tanto majori zelo justitiæ movetur contra seipsam, quasi pro me vindicare cupiens in se contemptum mei. Hinc fit, ut non solùm veniam de peccatis petat, sed ad honorem Justitiæ meæ desideret etiam pati, humiliari, ac puniri, propterea quòd se contra me impiè erexerit. Inde contingit, ut quantò plus à me sentit se consolari, tantò magis indignitatem suam horreat ac detestetur, doleátque de enormitate suorum peccatorum, & indignetur, admirans, quòd tam ingrata esse possit mihi. Talis animæ, quæ ad hujusmodi ze-

lum venit, ut non minus diligat meam in se justitiam, quàm misericordiam, peccata absorbentur, sicut in camino ardenti unica aquæ gutta solet absorberi. Igitur inter omnia pœnitendi genera non potest aliud esse melius, quàm ut quis continuè consideret meam charitatem ac fidelitatem immensam erga se, simúlque suam è contra infidelitatem, ingratitudinem & perversitatem erga me. Ita apud citatum Blosium Joannes Lanspergius.

10. Verum enim verò cùm non leve probationis pōdus habeant historiæ, ideo nunc dicta confirmanda esse censeo aliquâ historiâ. Scribit *Cæsarius* lib. 2. hist. & mirac. cap. 18. Quòd quidam Comes Namurcensis nomine *Philippus* fuerit, qui, postquam vitam omni scelere plenam duxit, lethali correptus est morbo. Quid ageret, & quò se verteret tam sceleratus homo? desperaretne, an misericordiam imploraret? At quoniam haud ignorabat, majorem esse Dei Misericordiam, quàm sua licet enormia & innumera peccata. Quapropter incomprehensibilem DEI Bonitatem ob mentis obtutum posuit, eámque cum magna fiducia considerabat, ex qua pia consideratione sic Divino amore succensus est, ut suam malè transactam vitam non satis potuerit detestari, tantámque in morte contritionem ostendit, ut similis ei visa non esset, aliósque etiam ad lacrymas provocaret. Confessarios suos rogavit, ut corpus in plateam traherent, dicens: Sicut canis vixi, dignum est, ut moriar sicut canis. Quæ pœnitentia adeò placuit Deo, ut eum post mortem tot miraculis fecerit illustrem, ut de remotis regionibus ad ejus sepulchrum venientes, terram secum pro benedictione reportarent, eámque pro remediis variorum morborum adhiberent. Porrò quis hîc non satis dispicit, quàm dignum & efficacem pœnitentiæ fructum operentur hæ binæ considerationes, si videlicet ex una parte perpendimus gravitatem peccatorum commissorum, & ex altera immensam Dei Clemantiam. Fecit idipsum nunc dictus Comes; & ecce nedum suorum peccatorum veniam inde promeruit, sed insuper quàm pluribus aliis Divinis auctus est favoribus.

11. Cæterùm ex hac historia & iis, quæ dicta sunt, nullus sibi blandiatur adhuc pœnitendi tempus adesse, dum lethali deprimitur ægritudine; nam etsi hic Comes hanc gratiam omnino singularem à Divina Bonitate obtinuerit, tamen hæc justo DEI Judicio aliis millenis pœnitentiam procrastinantibus denegatur. Quàm difficilè verò pœnitentiam illi agant, qui hanc de die in diem differunt, docemur hâc similitudine; quemadmodum echinus, quò diutiùs partum differt, tantò difficiliùs parit, quia spinæ in catulis crescunt; ita simili modo res se habet in peccatoribus pœnitentiam differentibus: cùm enim peccata augeantur, difficilior inde conversio & confessio efficitur. *Plutarchus* lib. de genio Socrat. memorat, quòd *Archias* Rex Thebanus in lauto convivio, quod amicis instruxerat, consistens, literas à suo amico missas aperire neglexerit, & cùm propterea nuncius eum ad legendum urgeret, & in iis seria contineri diceret: respondit Rex: Seria in crastinum. Et ecce, eâdem nocte à Sicariis, de quorum insidiis Literæ monebant, occisus est. O quot simili modo cum hoc improvido Rege non à Sicariis, sed tartareis hostibus interimuntur, & ad supplicia sempiterna rapiuntur! eò, quòd seria, id est pœnitentiam in crastinum, & crastinum differendam esse stolidè judicant! *Dionysius Carthusianus* in speculo de amatoribus mundi scribit de quodam defun-

cto ex divina dispensatione alteri apparente, in memorabilia hæc prorupisse verba: *O cras, cras, quam longam restem mihi fecisti, & in barathrum mortis me procrastinando traxisti.*

12. Scribit *Cæsar Recupitus* è Societate JESU lib. 2. de signis Prædestinationis, quòd Neapoli degebat Juvenis quidam, lascivis valdè implicatus amoribus; hic cùm in gravem morbum incidisset, sæpè à suis ad confessionem faciendam admonitus fuit; sed frustra. Tandem cùm in extremis jam esset constitutus, & amici ad Confessionem spe veniæ à Deo consequendæ iterum hortarentur, dixit ad eos: Quid confessionem suadetis, cùm salus mea desperata jam sit? Quatuor video dæmones, qui lecto adstant, me ad infernum mox abducturi. Quibus dictis inter dæmonum manus, quos viderat, expiravit. Infelix hic Juvenis in morte pœnitentiæ locum non invenit, quia in vita sua non gemebundam columbam imitari voluit, sed corvum crocitantem *cras*, *cras*; Hic enim tanquam explorator ex arca à Noë emissus natantibus aliquot cadaveribus ita avidè inhiabat, ut in Arcam redire tamdiu semper distulerit, donec nunquam amplius sit reversus. Qui hanc proinde tenet epigraphen: *Dum differt, emanet.* Eorum hic typus est, qui pœnitentiam indies differunt, suúmque illud insanissimum *cras*, *cras* cum corvo nunquam non recantant. Contrà verò columbas gementes imitantur, qui intra mundi hujus procellas plùs æquò evagati, mox pœnitentes ad sanctæ Ecclesiæ arcam revertuntur. Appositè *Alcuinus* libro de virtutibus & vitiis ait: *Fortè respondes, cras, cras scilicet convertar: O vox corvina, corvus non rediit ad arcam, columba rediit. Si tunc vis pœnitentiam agere, quando peccare non potes, quando peccata te dimiserunt, non tu illa, satis alienus es à Fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis expectas.* His proinde, qui animæ negotium in suprema vitæ momenta rejiciunt, illa jure merito sapida Poëtæ carmina aptissimè occinunt.

Crastina qui differt meliorem in tempora vitam,
Quis rectè hunc dicat consuluisse sibi?
Num qui promisit veniam, si crimina plangas,
Crastina promisit tempora certa tibi?
Qui piger est hodie Superi ad mandata Monarchæ,
Ipsius obsequio cras minùs aptus erit.
Emporii tempus nunc est: si fluxerit illud,
Postea jam nulli quærere lucra licet.

13. Admodum opportunè venit, quod *S. Petrus Damianus* epistolâ trigesimâ in hæc verba enarrat: In Perusino monasterio, Sancti videlicet Salvatoris, cui nuper & ipse præfui, quidam Monachus paulò antè fuerat, nomine Gunizo, astutus nimìs & callidus, sæcularibus argumentis, & litigiosis contentionibus vehementer intentus. Hic itaque, dum & in immutandis Abbatibus, & fratribus perturbandis æstuans, non quiesceret, ad hoc usque pervenit, ut diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, & ejus se ditioni etiam corporaliter manciparet, hoc tamen pacto, quòd tertia die, priúsquam moreretur, suum exitum sibi nuntiaret. Promisit stygius hostis, credit infelix, & sub hac securitate in peccatis manet. Tandem cùm in morbum incideret, dæmon ei apparens, & sicut spoponderat, diem mortis indicat. Ille advocatis fratribus, quid cum spiritu nequam pepigerat, per ordinem enarrat.

At dum illi instarent, ut pœnitentiam ageret, & confiteretur, repentè obdormivit, & sive pulsarent, sive clamarent, excitari non poterat; Si verò de alia re quàm de pœnitentia loquerentur, expergefactus colloquebatur; si verò iterum de Confessione mentio fieret, protinùs insensibili sopore corripiebatur; sieque tandem horrendæ morti traditus est. Postea per plures noctes nigra canum turba non cessavit sepulturæ ejus assistere, & quasi depositum custodire, ita ut videntes percellerentur. Proinde ne tale irremediabile vobis, qui hucusque in limo peccati permansistis infixi, accidat infortunium, jam seriâ admonitione unumquemque vestrûm adhortatur Spiritus divinus per os Sapientis (*Eccl.* 5. 8.) sic terrens: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*, ut usurpetis corvinum *cras*, *cras* convertar; sed *hodie si vocem Domini* ad pœnitentiam vos vocantis *audieritis*, *nolite obdurare corda vestra.* Psal. 94. v. 8. Obduratur autem (inquit S. *Fulgentius* de fide ad Petrum cap. 3.) sive qui non convertitur desperans de indulgentia; sive qui sic misericordiam sperat, ut usque in finem vitæ in criminum immanitate permaneat. Non dubium, si oculorum aciem vel ad unicum duntaxat momentum retorquere nobis liceret ad æstuantissimum gehennæ rogum, quin multas millionum myriades Christianorum videremus in illis horrendis inferorum ignibus cruciari ea solùm de causa, quòd corvinam illam cantionem, *cras*, *cras*, identidem recinere assueverint.

14. In ultimo Tomo S. Hieronymi, in quo S. *Eusebius* de morte ejusdem Sancti Doctoris tractat, hæc S. *Eusebii* verba leguntur: *Nonne benignissimus est Dominus qui tantas tolerat injurias à peccatoribus, dans eis tempus, ut emendentur? Sed hoc noveris, quia sicut benignus est in tolerando, ita justus est in puniendo. Sed fortè quis iterum dicit: vir, qui toto tempore, quo vixit, malè fecit, in mortis articulo, accepta pœnitentiâ, à Deo veniam obtinebit. Heu quàm vana suspicio, & falsa meditatio! vix de decem millibus hominum, quorum mala semper fuit vita, meretur à Deo habere indulgentiam unus.* Quid ad hæc, ô peccatores, dicitis? an non ista sententia jure deberet vos sancto Dei timore replere, urgeréque, ne ad horam quidem vitæ correctionem differatis. Ne verò aliquis animum vestrum error subeat, notate per omnia, hâc censurâ, severâ quidem, attamen verâ, nedum perstringi eos, qui rarò aut nunquam per Sacramentalem Confessionem sua expiare conantur peccata; sed similiter illos, qui frequenter quidem sua confitentur scelera; at domum reversi in eadem liberrimè reincidunt, imò & occasiones peccandi quærunt, lætantúrque inventis. Hi namque omnes meritò censentur pœnitentiam ad mortem usque differre, licèt sæpiùs etiam in anno ad pœnitentiæ Sacramentum accedant, mores tamen non emendant. Tam ergo illi, qui peccatorum confessionem, quàm qui vitæ correctionem ad ultima vitæ momenta rejiciunt, stultissimè præsumunt, dum sibi persuadent, se in extremis mortis angustiis Deum habituros ad votum & libitum suum. Rationem porrò, cur paucissimi ex illis, qui perversè agunt, & iniquitatem velut aquam bibunt, in morte credantur pœnitentiæ invenire remedium, assignat omnium Doctorum & Theologorum Phœbus, D. P. *Augustinus*, dum in sermone quodam (serm. 58. de Temp.) ita scribit: *Erit tempus: in quo peccator velit pœnitere, & non poterit; quia quando potuit, noluit; & propter malum nolle perdidit bonum posse.* Veritatem docuisse *Augustinum*, propriô suô & irremediabili damnô expertus est quidam fœnerator

seu danista, qui (ut scribit *Raynerius* part. 3. tit. *Pœna* cap. 2.) cùm moneretur à Sacerdote suo ad pœnitentiam, vitæque correctionem, semper dicebat: Bene, adhuc faciam, quia satis est de tempore. Similiter infirmitate correptus hoc ipsum repetebat, & cùm indefessè instaret Sacerdos; videns illius periculum, ille subitò rapitur quasi mortuus; Et cùm adhuc instaret, hortans eum ad pœnitendum, clamavit æger: O pœnitentia! ubi es? De cætero pœnitere non valeo, hoc justo Judice vindicante, quòd quia, dum facere pœnitentiam potui, nolui; modò volo facere, dum non possum. Et hæc dicens, mortuus est.

15. Heu! heu! quis dinumerare poterit eos, qui sub hac vanissima spe æternis se addicunt tormentis! Quibus optimè illa Christi protestantis, ac perditos quósque increpantis verba accommodantur: *Quæretis me, & non invenietis, & in peccato vestro moriemini.* Joan. 8. v. 21. Nam ut plurimum, qui primo divinam quærunt misericordiam in ultima vitæ linea constituti, eam haud reperiunt, sed suis peccatis immoriuntur & damnantur. Huc facit aliud exemplum cujusdam impii, quod in vita Thomæ Mori, regni Anglicani magni Cancellarii, & Martyris illustrissimi refertur: Rogabant amici amicè hominem, ut mores emendaret, & ad saniorem mentem rediret; quibus impius respondit, se tribus verbulis veniam peccatorum suorum infallibiliter à Deo obtenturum. Verùm spes vana eum fefellit; cùm enim postea equitando in ponte transiret fluvium, & improvidum pedem equus impingeret saxo, una cum sessore hero in flumen cecidit. Quid jam miser egit? forsan dixit, quemadmodum sibi proposuerat, illa tria verba Davidis: *Miserere mei Deus?* Aut: *Tibi soli peccavi?* Vel cum Publicano: *Deus propitius esto?* minimè gentium. De sceleribus suis, de cælo, de Deo altum servavit silentium, illud unum ingeminavit: *Rapiat omnia dæmon*: inter quæ verba infelix miserabiliter expiravit. In quo proinde magni Patris *Augustini* sermo (pro divino oraculo cuilibet peregrinanti retinendus) impletus est: *Hæc est* (inquit serm. 81. de Temp.) *justissima Dei lex, ut qui vivens obliviscebatur Dei, tandem moriens obliviscatur & sui.* Unde cum D. *Chrysostomo* exclamare fas est: *Qui sic vivit, sic moritur*, ut plurimùm namque contingit, ut finis vitæ toti vitæ nostræ cursui respondeat. Et reverà quid stolidius, quàm velle, ut ipse à Deo in morte exaudiatur; cùm tamen Deum toties ad pœnitentiam adhortantem in vita sua exaudire contempserit? Quid turpiùs, quàm Deo, summo Benefactori ultimam vitæ partem velut fæcem consecrare, diabolo verò summo & infensissimo hosti optimam & potissimam vitæ partem donare? Hinc similes in ultimo vitæ termino constituti, si Divinam fortè imploraverint opem, quid putamus audituri sint? Profectò illud Prov. 1. v. 24. *Quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.* Sicque miser peccator in angustiis deprehensus aperiet oculos, & aliud non conspiciet, nisi indignationem Divinam, & subtùs videbit infernum apertum, intus conscientiam peccatis onustam, circa lectum legiones dæmonum paratorum animam ejus ad inferos conducendam. Unde clamabit cum *Propheta*: Psal. 17. vers. 5. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.*

16. Quamobrem videat quisque, quàm gravi se exponat periculo differendo

do pœnitentiam de die in diem. Amplectamur ergo admonitionem *D. P. Augustini*, qui Ser. 58. de Sanct quemlibet nostrûm adhortatur dicens: *Emenda Frater vitam tuam, dum tempus datur, implora nunc auxilium Divinum, dum locus datur fletui, noli pœnitentiam differre, dum hoc in tempore vivis, in quo tantum ejus fructus est utilis.* Verùm licèt præterea aliqui in mortis articulo pœnitentiæ anchoram arripiant; quàm tamen talis pœnitentia periculis obsita sit, audiamus præfatum *S. Doctorem* Ser. 36. supra hoc sic ratiocinantem: *Si quis* (inquit) *in extrema necessitate ægritudinis suæ positus, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatus, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quòd bene hinc exit: si securus hinc exit, ego nescio, pœnitentiam dare possumus, securitatem autem non.* Non quidem dico, damnabitur, sed nec dico, liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? tene certum, & dimitte incertum; Age pœnitentiam, dum sanus es, Si sic agis, dico tibi, quòd securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam eo tempore, quo peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Ita gloriosus Doctor. Unde docemur, quantis periculis sese exponant illi, qui morum emendationem de die in diem procrastinant. Et licèt forsan multi eorum in ultima ægritudine positi Ecclesiæ Sacramenta percepturi sint, quàm tamen hæc pœnitentia periculis plena sit, audivimus. Quare, amice frater, noli differre vitæ correctionem, ne quidem in crastinum, sed dic cum *Psalmista*: Psal. 76. *Dixi, nunc cœpi*; Ab hac hora vitam emendabo, nunc mentis teporem, & torporem excutiam, nunc omnibus mundanis cupediis valedicam, & Deo meo Sanctissimæque ejus Matri imposterum ferventiùs inserviam. Quæ si proposueris, & in proposito constanter permanseris, haud dubium, quin municeps eris illius ineffabilis ac interminabilis gaudii, quo verè pœnitentes æternùm fruuntur in Cælis.

# SERMO V.
## DE TERTIA VIRTUTE THEOLOGICA Sc. CHARITATE.

*Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Joan. Cap. 14. vers. 23.

## PARS PRIMA

JActo spiritualis ædificii fundamento, & superstructo ac erecto firmissimo Spei Theologicæ muro, ac, quæ ad hanc spem magis roborandam, augendámve conducere queunt, suprapositis, superest, ut ei culmen ac fastigium imponamus, ac

de Charitate differamus, quæ ejusdem ædificii culmen, & perfectio est, ut testatur S. P. *Augustin.* Serm. 22. dicens: *Domus DEI Fide fundatur, Spe erigitur, Charitate perficitur.* Charitas ergo gemma virtutum est, quæ cæteras format, illustrat, ac perficit, eísque ornatum singularem ac venustatem ex sui consortio impertit. Charitas est vestis polymita Josephi omnium virtutum varietate decorata. Hinc bellè *Hugo* de laude charitatis in hæc excurrit verba: Charitas omnem animi languorem sanat; charitas omnium vitiorum radices extirpat; charitas omnium virtutum origo est; charitas mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, Deum demonstrat. Animam, in qua charitas habitat, superbia non inflat, invidia non devastat, ira non dissipat, mala tristitia non vexat, avaritia non excæcat, gula non inflammat, luxuria non inquinat, semper munda est, semper casta, semper quieta, semper læta, semper pacifica, semper benigna, semper modesta. *Ita citatus Author.*

2. Charitas est vestimentum Jacob, cujus fragrantia benedictionem Patris cælestis impetrat. Charitas demum est currus ille igneus, qui sublevat interiorem hominem in Paradisum spiritualem; causat enim in anima fideli, nil desiderare nisi JESUM, nil cogitare nisi JESUM, nil suspirare nisi JESUM. JESUS enim est finis & scopus ejus. Hinc non immeritò ante omnia ad charitatem amplectendam S. P. N. *Augustinus* mox in initio suæ Regulæ nos adhortatur, dicens: *Ante omnia, Fratres Charissimi, diligatur Deus.* Sciebat enim perbene, non fore possibile virtutem sinè Charitate reperiri. Siquidem hoc expressis declarat verbis *Apostolus* 1. Cor. 13. dicens: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam factus sum velut æs sonans. Et si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum; & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, scilicet quantùm ad meritum vitæ æternæ, quæ solis diligentibus Deum repromittitur. Ad hunc Apostoli textum reflexionem faciens *Richardus de S. Victore* ita eleganter scribit part. 1. de Charitate cap. 3. Hæc est virtus, in qua nec minimum opus respuitur, sinè qua nec maximum acceptatur. Non prædicatio, etiamsi fiat linguâ Angelorum: non Fides, etiamsi montes transferat: non eleëmosyna, etiamsi omnes facultates in cibos pauperum distribuat: non corporis afflictatio, etiamsi corpus tradatur, ita ut ardeat. Adeóque ad hoc, ut omnia opera virtuosa apud Deum habeantur accepta & grata, necessum est, ut hujus amoris signaculo, velut legitimationis charactere sint obsignata. His conformiter est, quod in Sancto Parente nostro Augustino lib. 50. homiliarum homil. 50. legimus, videlicet: *Sola charitas sufficit, si adsit: cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit.*

3. In Anglia olim Nobiles certamen ludicrum instituerunt, in quo quisque in clypeo florem, Rosam, Lilium depictum habebat; at Dux Britanniæ fasciculum florum, in quo omnes aliorum flores depicti erant, in suo clypeo præseferebat, cum lemmate hoc: *In me omnia.* Profectò si Virtutes cum clypeis propriis, encomiis, suis insignitis, in campum adversus vitia bellaturæ prodirent, non dubium, quin Charitas præ cunctis aliis excellentiæ famâ præstaret, utpote in suo ferens clypeo hoc præconium: *In me omnia.* Siquidem quidquid in aliis virtutibus per partes videre licet, hoc omne in se Charitas complectitur; quia hæc quandóque stare potest absque aliis Virtutibus, istæ

iste verò sine Charitate minimè subsiste-re possunt. Hinc meritò gloriari hoc lemmate potest: *In me omnia.* Hæc demum teste *Marsilio Facino* numus est, quo Deus emitur, & comparatur. *Venalis*, inquit, *est Deus, at quo numo? quo te emit, scilicet Charitate.* Quod ergo inter planetas Sol, inter elementa ignis, inter metalla aurum, inter gemmas carbunculus, hoc inter Virtutes Charitas est.

4. Porrò ut de Charitatis laude ad ejus effectum procedamus, inservire nobis poterit fabula de *Prometheo*, de quo fabulantur Poëtæ, quòd è luto corpus humanum formaverat, & dum se movere, & actiones vitales exercere non posset, conscendit cælum, & clam surripuit ignem, quo suam è luto formatam statuam & animavit, & vitam ei communicavit. Etsi verò hoc tantùm Poëtarum figmentum sit, nobis tamen ex hac fictione moralitatem aliquam eruere licebit; quid enim aliud per corpus illud formatum intelligitur, quàm homo? quid aliud per ignem, quàm Charitas? Videmus enim, quòd homo velut insensibilis statua, è luto ficta, nullam operationem vitalem ad Superna & cælestia habeat, cùm omnes affectiones ejus semper in terrestribus velut in luto sint fixæ; at quàm primum Charitas ipsi infunditur, mox vivere vitâ supernaturali incipit, operationésque æternæ gloriæ condignas exercet. An non enim Charitas peragit officium animæ vegetativæ? quia facit hominem attrahere alimentum, scilicet devotè audiendo Verbum DEI, & illud opere implendo, ex quo vegetatur, & nutritur anima. An non Charitas exercet officium animæ sensitivæ? inflammat enim videre cælestia per meditationem & fidem; auditum aperit ad audiendum Verbum Dei, & inspirationes illius; odorem excitat, quo fragrantiam bonorum exemplorum, & Virtutum à Christo & Sanctis relictorum olfacimus; Gustum augmentat, quo suavitatem Domini, & bonæ conscientiæ delitias percipimus; causat quoque, ut illud, quod quis vel maximè horrebat, hilari arripiat animo. An non demum Charitas munus animæ rationalis agit? efficit enim, quòd homo rectè cælestia apprehendat, terrena spernat, & cum S. *Paulo* dicat: *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Phil. cap. 3. vers. 7. Et cum S. *Ignatio*: *O quàm sordet mihi terra, dum cælum aspicio!* Causat quoque, quòd homo rectè judicet, DEUM esse supra omnia amandum, seipsum odio habendum, proximum diligendum sicut seipsum. Omnia denique esse vanitatem præter amare DEUM, & illi soli servire.

5. Hinc meritò DEUS nobis præcipit, hanc Charitatis flammam ut foveamus, & nutriamus. Quare enim in Veteri Testamento diversis temporibus postulavit sibi offerri varia Sacrificia? Tempore Paschatis petiit oblationem Agni, post partum postulavit turtures, unum autem præcepit, quod fieri volebat omni horâ, & tempore quocunque, ut nimirum ignis arderet in altari, unde ne hic extingueretur, præcepit cunctis Sacerdotibus, ut continuò ei apponerent ligna. Levit. cap. 6. Quare, inquam, hoc Deus fieri postulavit, nisi ad denotandum, ut Charitatem, quæ per ignem præfiguratur, in altari cordis nostri per exercitationem bonorum operum accendamus, & omni tempore custodiamus? Accendemus autem proculdubio hanc Divini Amoris flammam in animo nostro, accensámque nutriemus, si omnia DEI mandata, Ecclesiæ præcepta, Regulam & particularia Ordinis statuta strictè observare

servare satagamus: si hæc negligimus, & ea, quæ non ad mortalem culpam obligant, parvi pendimus, tunc certum est, Reginam Virtutum, scilicet Charitatem in nobis diu permanere non posse, S. Gregor. testatur dicens: *Qui modica spernit, paulatim decidet: qui enim peccata minima flere & devitare negligit, à statu Justitiæ non quidem repentè, sed per partes totus cadit.* Unde Christus; *qui diligit me*, ait, Joan. 14. *sermonem meum servabit.* At Sermo Christi est, nedum graviora sed etiam minora peccata declinare; ergo amanti hæc omnia licèt minima devitanda sunt. Ex quo hoc capiet emolumentum, ut præter multiplicia cælestium charismatum fluenta, in amantem transfundenda, etiam efficiatur templum Sanctissimæ Trinitatis; quod expressè nobis insinuat Christus, dum his verbis: *Qui diligit me, sermonem meum servabit*; hæc subjungit: *Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* O igitur stupendam Charitatis excellentiam! O incomprehensibilem hujus virtutis effectum! Quis eam sat laudum encomiis efferre sufficiat? quis ejus perfectionem, etsi Tullianâ præditus eloquentiâ satis deprædicet? quis, inquam, fructum in ea latentem dignè comprehendat? Efficit enim ex diaboli mancipio Filium Dei adoptivum, ex orci pabulo hæredem Christi, ex sordido peccatore DEI Templum.

6. Alterum medium, quo hunc Divini Amoris ignem in pectoribus nostris excitare possumus, est attenta ponderatio, quòd scilicet Charitas hominem, etsi adhuc in lacrymarum valle peregrinantem, aliquo modo beet. Vera enim hominis beatitudo, seu felicitas in possessione Summi Boni duntaxat consistit; hæc autem possessio, cùm non possit ordinariâ viâ haberi per realem unionem, necessariò per intentionalem, qualis est Charitas, obtineri debet. Hinc videmus, quòd veri DEI Amatores in summa mentis tranquillitate sint constituti, quia omnia desiderabilia cum statu viæ compatibilia in Deo possident. Et è contra mundi mancipia, licèt quandóque aurum argentúmve in magna copia sibi accumulent, sumptuosa habitacula, pretiosa corporis indumenta, auro gemmísque coruscantia, & quàm plurima artificiosorum hortorum, virentiúmque pratorum spacia possideant, nunquam tamen eorum appetitus satiatur aut quietatur, quin potiùs hæc omnia ipsis varia cruciatuum genera, quàm gaudiorum oblectamenta generant. Et hujus rei ratio est, quia homo satiari aut beari nequit sine adeptione ultimi finis, ad quem creatus est, qui finis solus est Deus. Meritò itaque S. P. *Augustinus* lib. 9. Conf. cap. 1. DEUM alloquens, ait: *Fecisti nos Domine, ad Te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te.* Inquietum certò erit cor nostrum, donec terrena ex cordibus nostris stirpitus eliminemus; inquietum erit, donec mundi delitias declinemus, carnísque blandimentis ac seculi cupediis abrenuntiemus; inquietum erit, donec omnem creaturarum affectum exuamus, totísque ad Deum amoris passibus curramus.

7. O quàm stolidè ergo agunt illi, qui relicto summo bono, fluxas falsásque mundi divitias affectant! O quàm dementer faciunt, qui pro veris æternísque gaudiis aculeatas, & instar fumi transituras sæculi voluptates, quæ hominem satiare nequeunt, consectantur! Unde rectè ad transitoria contemnenda, & æterna quærenda nos stimulat *S. Anselmus* in prologio cap. 25. dicens: *Cur vagaris per multa homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? ama bonum, in quo*

*sunt omnia, & satis est, desidera simplex bonum, & sufficit.* Quamobrem ne quondam nos Deus de aliqua arguat dementia, proscribamus nunc à nobis longè cuncta & singula, quibus mundani homines se vanè oblectare solent, & satagamus Deum supra omnia amare; ad hoc verò præstandum, necesse erit hunc Divini Amoris ignem à Deo instanter petere, desiderando, precando, divinamque opem implorando, & cum S. Francisco per diem crebrò repetendo: *DEUS meus & omnia.* Item cum *S. Anselmo* postulando & dicendo: *Auffer, Domine, à me, si velis substantiam, manus, pedes, solum relinque cor, quo te diligam, hoc enim solo Tibi placebo.* Porrò ut magis in hac Theologica virtute nos fundemus, perpendenda erunt sequentia.

# PARS ALTERA

8. CONstat ex hactenus dictis Charitatem inter reliquas virtutes eminere, ideóque cùm hæ cælorum januam nobis pandant, inferre debemus hoc multò efficaciùs efficere Charitatem, juxta illud Axioma philosophicum: *Propter quod unumquodq; tale, & illud magis tale.* Itáque cùm reliquæ virtutes, in quantum præsupponunt Charitatem, sui possessorem ad vitam ordinent æternam, à fortiori id præstare debet Charitas, quæ est fons, & complementum omnium Virtutum. Unde si quis nil aliud sciret, præter amare JESUM, tunc talis perdoctus censendus foret, non quidem in schola Philosophorum, sed in schola Christi, quod insinuare videtur *Thomas Kempensis* dicens: *Verè magnus est, qui magnam charitatem habet.* Hinc *D. Bonaventura* vir insigniter doctus interrogatus est à *B. Ægidio* dicente: Multis te, Reverende Pater, gratiæ suæ donis auxit omnipotens Deus, nos verò simplices & idiotæ quidnam faciemus, ut salvi esse possimus? Ad quæ *S. Doctor* respondit: Etiamsi nullam aliam homini gratiam conferret DEUS, nisi ut ipsum diligeret, sufficeret ei ad obtinendam salutem. Et *Ægidius,* potestne, inquit, homo indoctus æquè ac doctus diligere Deum? Respondit *S. Bonaventura,* posse etiam simplicem aniculam non minus diligere Deum, quàm Sacræ Theologiæ bene doctum Doctorem. Hæc audiens *B. Ægidius,* & ferventi spiritu exsiliens hortum ingressus est, civitatémque respiciens altâ voce clamavit: *O vos paupercula simplices & indoctæ anus, diligite Deum, poteritis effici majores, quàm sit Doctor noster Bonaventura.* Quo dicto hæsit in Deum absorptus per tres horas immobilis. Huic ergo scientiæ, huic arti & industriæ, huic amori divino præ cunctis danda est opera; quia secundùm amoris mensuram anima in cælo locum sortitur sublimiorem, ita ut plurimi simplicitatis maximæ illos ibi præcellant, qui sapientiâ fuêre admirabiles, & subtilitate eminentes, ut docet *S. Thomas* in lib. quart. Sententiarum, Distinct. 49. quæst. 1. art. 4. quæst. 4. Hinc scitè ac nervosè ad rem canit Poëta religiosus:

Maxima res amor est, quæ se sibi tollit amantem;
Inque Deum transfert, si Deus est quod amas.
Te facit ergo Deum: cur non Deus unicè ametur?
O Genus humanum! quàm sine corde jaces?

Esse

Esse Deum se quisque facit, si certat amando;
Vult magis esse caro, stercus, inane, nihil.

Quare, si rectè sapimus, ante omnia huic incumbendum industriæ ac studio, ut Deus ardenter diligatur, quia in ejus dilectione vera scientia sita est, & satis doctus censendus est, qui Deum amare addidicit, prout piè admodum canit devotus Asceta *Thomas de Kempis*:

Si Christum discis, nihil est, si cætera nescis:
Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.

9. Quantùm verò Dei Amatores præmiabuntur, quis, amabò, explicare satis poterit? Siquidem tantam mercedem sperandam habent, quantam teste *Apostolo* 1. Cor. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Rursus in libro *Judicum* cap. 5. vers. 31. legitur, quòd illi, *qui Deum diligunt, sicut Sol in ortu splendet, ita rutilent.* Hinc cacodæmon, quia perbenè noscit, ex radice Charitatis maximum in amantem animam fructum redundare: ideo hunc semper nobis invidet, nostrúmque cor à Deo abstrahere continuò laborat. Quemadmodum verò huic capitali inimico resistere debeamus, docemur historiâ ex Sacris Paginis desumptâ. Cùm enim vice quadam duæ matres ad Sapientissimum Salomonem venissent, quarum utraque infantem tanquam suum filium cupiebat, & quia ex rationibus ab hisce duabus fæminis adductis, sat intelligere Rex non potuit, cujusnam esset infans; ideo ut exploraret, quænam earum vera esset Mater, ait: *Dividatur infans, & quælibet illius capiat medietatem, & abitote hinc.* Huic sententiæ mox assensit falsa mater, aítque: *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur.* Quod ut vera mater audiit, dixit: Ergone patiar infantem meum occidi? Ah non patiar, cedam potiùs juri meo, ut filius meus vivus permaneat. Ex quibus verbis Salomon agnovit hanc esse veram hujus infantis matrem, unde dixit: *Date illi infantem vivum* & indivisum. Quare altera confusa convictáque recessit. Lib. 3. *Reg.* cap. 3.

10. Quid igitur nunc aliud infanti huic assimilabo, nisi cor hominis? Et quid aliud duabus hisce matribus, nisi Deum & diabolum? Deus enim tanquam vera mater cor humanum creando genuit, ideóque illud jure merito à quolibet nostrûm petit dicens: *Fili mi, præbe mihi cor tuum*; Prov. 23. At verò ad idem possidendum anhelat & dæmon. Cui nunc id dandum erit? Deo ne an diabolo? Volumus itaque agere Salomonis personam & Judicem. Denegemus ergo id ei, qui contentus est solâ illius medietate, quíque non curat possidere illud totum, & donemus ei, qui vult totum aut nihil. Quid dicit, & quid prætendit hostis infernalis? Ego sum contentus, ait, unicâ cordis tui particulâ, sum, inquam, contentus, ut audias Sacrum, ut recites Breviarium, ut subinde te disciplines, jejunes aut mediâ nocte surgas: sed semper esse in hujusmodi exercitiis vires tuæ non patiuntur, consultum igitur facies, si amplectaris interdum animi voluptatem, aut mundanis intersis deliciis; quid detrimenti capies, si quandóque in sæcularium conviviis compareas? hoc enim exigit discretio. Et quid refert, si subinde committas aliquod peccatum, mentiaris nonnunquam joci, & recreationis gratiâ? Non id magni faciendum est, parum pro nihilo reputatur. Ut verbo dicam: diabolus contentus est medietate cordis nostri, idémque cum falsa illa matre clamare videtur: *Nec mihi, nec tibi, sed*

*dividatur*. At quid jam dicit Deus? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, Matth. 22. Aut vult totum, aut nihil. Nos igitur instar Sapientissimi Salomonis judicemus, sententiámque proferamus & consequentiam. DEUS postulat totum cor, dæmon contentus est illius medietate, totum igitur & indivisum offeramus Deo illud per Sapientem petenti: *Fili præbe mihi cor tuum*.

11. Verum enim verò ut nunc dicta magis stabiliantur, inservire nobis poterit gratiosa quædam fabula, quam refert celebris quidam Poëta de ericio. Animal hoc undique spinosum est & setosum, & nonnunquam se taliter constringit, ut minima videatur esse pila. Quâdam vice contigit miserum hoc animalculum privari domicilio, eò quòd venatores arbitrati intus latere prædam totum illud destruxerint. Unde miser ericius suo orbatus habitaculo, totus miser vagabatur per campos, & sylvas, obviam interea reperit vulpem, quam enixè cœpit rogare, ut se dignaretur suo hospitio excipere; sed cùm vulpes ericium non vellet exaudire, ille magìs magísque institit vulpem ferventiùs obsecrans, ut saltem concederet sibi minimum & abjectissimum suæ cavernæ angulum: spondebat enim non velle se minimùm in illo movere, nec ullam ipsi adferre molestiam. His vulpes persuasa clementer indulsit, quod postulabat ericius, qui quàm primum occupaverat angustissimum locum in caverna vulpis, cœpit se dilatare & extendere taliter, ut vulpes, ne pungeretur ab illius pelle spinosâ, fuerit coacta capessere fugam, sic totam ericio cavernam cedere debuit. Pari modo solet agere diabolus, quemadmodum ericius, qui primùm duntaxat rogat, ut ei concedamus unicum solùm cordis nostri angulum, id est, ut hoc aut illud officium ambitiosè affectemus, ab aliis magni æstimari laudaríque gaudeamus, ut cognatos & notos sæpiùs visitemus, ab eis oblata munuscula accipiamus, aut vicissim similia iisdem offeramus, hoc enim, suggerit stygius impostor, humanitas & charitas exposcit, nullúmque inde detrimentum patiemur. Item infernalis hæc vipera suadet, ut semel solummodo cogitemus de hac aut illa muliere, aut hanc vel illam fæminam curiosè aspiciamus. Et quid damni, inquit, poterit unquam causare unicus intuitus, unica cogitatio? non tanti hæc facienda est. At quamprimum versipellis inimicus subintravit cordis nostri domicilium, taliter se mox dilatat & extendit, ut ex eodem extrudat Deum & Sanctos, omnémque virtutem, gratiam & sanctitatem expellat. Proinde rectè admonet nos *Apostolus* ad Ephes. cap. 4. vers. 27. *Nolite*, inquit, *locum dare diabolo*, & ne quidem minimum: quia si eum introire permittimus, cuncta dilatat, & sibi amplificat, miseréque animam nostram à gratia Dei, à cælesti paradiso, ab angelorum consortio exulare facit, efficítque, ut hæc sempiterni incendii bustum fiat, prout millê & ampliùs exemplis comprobatum habemus.

12. Allubescit hìc commemorare terribilem plagam, quâ percussi sunt duo filii *Aaronis*, *Nadab*, *& Abiu*; igne enim consumpti sunt: *Egressus ignis à Domino devoravit eos, & mortui sunt*. Levit. 10. 2. Sed quam ob causam pœnam adeò repentinam atque ferocem fuêre promeriti? eam Scriptura præmisit his verbis: *Acceptis thuribulis posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes Domino ignem alienum*. Etenim secundùm legem Domini in thuribulis suis ignem (qui sacer dicebatur, quia ab altari holocaustorum desumptus, quique de cælo delapsus, jussu Domini nutriebatur, & conservabatur) imponere debe-

debebant, cùm tamen ipsi è contra profanum atrii ignem in thuribulis suis usurpârint. En causam tam horribilis pœnæ. Et *quia omnia in figura contingebant illis*, ut loquitur *S. Paulus* 1. Cor. 10. ideo eandem, aut consimilem vindictam divinam meritò vereri debent omnes, quot quot in suis thuribulis, hoc est, in cordibus suis ignem profanum, inordinatum scilicet ac perversum creaturarum amorem reponunt, ac fovent. Dixi, *perversum amorem*, quia & datur creaturarum amor, quo Deus non offenditur; quomodo autem constitutus esse debeat hic amor, declarat D. P. *Augustinus* apud *Josephum Mansi* tract. 4. discur. 14. his verbis: *Quando tibi dicitur: Nolite ista* (scilicet res mundi) *diligere, an hoc dicitur, ut non manducetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis? non hoc dicitur, sed sit modus propter Creatorem, ut non vos illigent ista dilectione, ne ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis.* Et iterum in sermone quodam, cujus titulus est: *De amore Dei, & amore sæculi*, distinguit; Glossando enim verba illa Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus*, ita ait: Amorem parentum, uxoris, filiorúmque non abstulit, sed ordinavit; Non dixit: *qui amat*, sed; *qui amat super me*; Hoc est, quod Ecclesia loquitur in Canticis *Canticorum* cap. 2. *Ordinavit in me charitatem.* Ama patrem, sed noli supra Dominum: ama genitorem, sed noli supra Creatorem. Hanc *Augustini* sententiam confirmat S. *Leo Papa* serm. 5. de jejun. 7. mens. & sic loquitur: *Æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeunter utendum est; & peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus quidquid de prosperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis.* Ex qua doctrina non obscurè liquet; fas esse diligere creaturas, sed (quod profundè notandum) amore ordinato; scilicet ut hic amor non sit finis, sed medium, quo commodiùs pervenire possimus ad ipsum Deum, qui solus ùt finis ultimus à nobis diligi debet, juxta illam Sapientiæ Incarnatæ parænesim: *Diliges Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Matth. 22. Proinde quisquis præter Deum aliquid ùt ultimum finem amat, aut aliquid plùs amat, quàm ipsum Deum, talis non absimilis est mulieri maritatæ, quæ plùs aureum vel gemmeum Annulum diligit, quàm maritum, à quo eum accepit, prout egregio hoc Epigrammate testatur *Jacobus Billius*, in sua Anthologia sacra sic ludens:

Fœmina si pulchram capiens à conjuge gemmam;
Præ gemmæ nimio spernat amore virum:
Ecquis erit, qui non hanc execretur, & omni
Dignam odiô, dignam suppliciôque putet?
Heu nos iste notat, mutato nomine, sermo,
Plenáque perfidiæ pectora nostra ferit.
Innumerîs qui cùm donîs cumulemur in horas,
Præferimus danti munera sumpta Deo.

# PARS TERTIA.

13: Ulteriùs, in quonam perfecta charitas, seu amor Dei fundetur, perspicuè nos hisce verbis *D. Thomas* 2. 2. q. 24. art. 12. in corp. edocet: Consi-

stit

ſtit in hoc, quòd Deus diligatur ſuper omnia, & quòd homo totaliter illi ſe ſubjiciat, omnia ſua referendo in ipſum. Eſt ergo de ratione Charitatis, ut ſic diligat Deum, quòd in omnibus ſe velit ei ſubjicere, & præceptorum ejus regulam in omnibus ſequi; quidquid enim contrariatur præceptis ejus, manifeſtò contrariatur Charitati. Ex hac Præceptoris Angelici doctrina, maximè ex ultimis illis verbis: *Quidquid contrariatur præceptis divinis, contrariatur charitati*, docemur, quòd illa anima verè Deum toto mentis affecta diligat, quæ nihil contra Dei præcepta amat; Siquidem teſte S. *Laurentio Juſtiniano*, trutina & ſtatera, quâ noſter erga Deum amor ponderatur, eſt mandatorum divinorum adimpletio. *Hæc eſt Charitas*, exclamat D. *Joannes* (2. Joan. 4. v. 6.) *ut ambulemus ſecundùm mandata ejus*; quaſi dicat: in hoc Charitas eſſe oſtenditur, & apparet, *ut ambulemus* paſſibus morum, non corporum, de bono in melius proficiendo, *ſecundùm mandata ejus*, ea cuſtodiendo, prout monet ipſa Veritas æterna, Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Quantò enim diligentiores & exactiores in divinæ legis completione fuerimus, tantò magìs ipſum amare in comperto erit. Nam ut ipſum Verbum *Patris* Joan. 14. v. 21. proteſtatur: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me*, ille eſt, qui veram dilectionem habet ad me. Horum verborum à Chriſto prolatorum memor Doctorum graviſſimus, S. P. *Auguſtinus*, ita ea ad noſtrum inſtitum Tract. 75. in Joan. egregiè explanat: Qui habet mandata mea in memoria, & ſervat ea in vita; qui habet in ſermonibus, & ſervat in operibus; qui habet audiendo, & ſervat faciendo; qui habet faciendo, & ſervat perſeverando, ipſe eſt qui diligit me: Opere enim eſt demonſtranda dilectio, ne ſit infructuoſa nominis appellatio. Hactenus S. P. *Auguſtinus*.

14. Ex his detegitur multarum animarum error, quæ ſe Deum amare arbitrantur, quia quoſdam ferventes erga Deum amoris affectus in ſe perſentiſcunt, piáque ſuavitatis cujuſdam ac conſolationis teneritudine afficiuntur; Siquidem genuina Dei dilectio non oſtenditur, aut probatur ex eo, quòd quis dulciùs ac teneriùs ad Deum afficiatur, nec quòd in oratione majorem ſuavitatem, aut conſolationem percipiat; ſed quia majori fidelitate & conatu ex charitate præcepta univerſa cuſtodit, puriùs vivit, & accuratiùs in omnibus divinæ voluntati ſe accommodat: & hoc, ſcilicet perfecti amoris, ſeu charitatis ſubſtantiam non in affectibus, ſed in effectibus conſtitutam eſſe, cæleſtis Magiſter noſter apertè his verbis Joan. 14. v. 23. docet: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Quaſi dicat: Parùm ad veram dilectionem proderit, quòd quis affectibus abundet, ſi ſeipſum non vincat: ſi peccata omnia non vitet; ſi præcepta non impleat: ſi Deo promiſſa non ſolvat: multum verò dilectionis habet, qui affectibus, & dulcedine carens, præcepta divina cuſtodit, & ab eo, quod Deo placitum eſt, nullâ ratione diſcedit. Liceat proinde epiphonematis locò exclamare cum dilecto Chriſti diſcipulo (1. Joan. 3. 18.) *Filioli mei, non diligamus verbò* tantùm, *neque linguâ* multùm affectuosè promittentes, & nihil ſolventes; *ſed opere & veritate*, ut nempe illud ipſum, quod in affectu eſt, in effectum protuberet, ac boni operis fructum progerminet.

15. Porrò aliam adhuc qualitatem verus erga Deum amor habere debet, ut ſit nempe fortis; id eſt, ut pro Dei amore dura & aſpera pati non abhorreat. Nam ut

ut S. *Thomas* in caput. 11. Matth. ait: *Diligentibus Deum adverſitates omnes non ſunt graves, quia condiuntur condimento amoris: quia quando aliquis amat aliquem, non gravat eum, quicquid patitur pro illo; unde omnis gravia & impoſſibilia, levia facit amor.* Id ad oculum conſpicere licet in Patriarcha *Jacob*, qui totus in Rachelem ferebatur. O quantùm pro comparando hoc ſponſalitio laboravit, & ſudavit! *Servivit ergo Jacob pro Rachel ſeptem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Gen. 29. 20. Siquidem ipſemet de ſe fatetur: *Nocte & die urebar gelu & æſtu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Gen. 31. 40. Ad hanc hiſtoriam S. *Hieronymus* ſecum conſiderationis oculum reflectens, ita ſcribit ad Euſtochium Virginem: Nihil amantibus durum eſt, nullus difficilis labor eſt. Intuere, quanta paſſus fuerit Patriarcha Jacob, qui ut Rachelem in conjugem conſequeretur, æſtu urgebatur & gelu; & tamen videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, cùm tamen ſeptem annorum ſpatia volverentur in tam grandi labore. Ex quo ſequentem eruit moralitatem idem *Sanctus Doctor* nos omnes ſic exhortans: Amemus & nos Chriſtum, & facilè videbitur omne difficile, & jaculo illius vulnerati per momenta dicemus cum Pſalmiſta: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.*

16. In quarto libro Regum perhibetur, quòd, dum Eliſæus cum nonnullis diſcipulorum ſuorum pranderet, is miniſtro ſuo ollam ſolitò capaciorem igni admoveri juſſerit: Accidit autem, quòd, dum ex agro collectas herbas aliquas eidem ollæ immitteret, & eaſdem pro pulmento faciendo in bullientibus aquis excoqueret, inter alias per errorem herbas aliquas admodùm amaras, quas *colocynthidas* vocant, cæteris melioribus oleribus admiſcuerit, mox verò, ut ex deguſtatis herbis commiſſum errorem adverterunt, in hæc verba lamentabiliter eruperunt: *Mors in olla, vir Dei*, 4. *Reg.* 4. 40. Eliſeus autem per admixtam herbis illis farinam modicam, eaſdem protinus indulcoravit, valdéque ſapidas, guſtuíque gratas effecit: *Et non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla.* Hìc nobis cogitandum eſt, quòd eundem effectum, quem modica illa farina, amaris herbis adjecta, operata fuit, amor quoque divinus pariter in præſentis vitæ adverſitatibus operetur; Siquidem efficit, ut omnia illa, quæ aliàs nobis intolerabilia, ſenſuíque prorsùs contraria erant, mox facilia, ſuavia, & grata eſſe videantur, idque ſolius illius objecti virtute & efficaciâ, quod ſincerè à nobis diligitur. Siquidem ut S. *Bernardus* ſerm. 85. in Cant. ait: *Ubi amor eſt, ibi labor non eſt, ſed ſapor.* Quia, qui ſincerè & ardenter amat, pro deliciis & voluptatibus habet omne id, quod pro objecto amato ſuſtinet, & patitur. Audiatur S. *Laurentius Juſtinianus*, qui in faſciculo amoris cap. 6. ita loquitur: *Ardenter Chriſtum diligenti nihil difficile videtur, ignem, ferrum, vincula, carceres, perſecutiones, flagella, adverſaque omnia Chriſti amor tolerare facit.* Doctrinam hanc infallibili ſuo teſtimonio corroborare dignatus eſt Spiritus Sanctus, dum in Canticis Canticorum per Salomonis calamum hæc exaravit: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8. 7. Ubi per *aquas & flumina* in omnium Doctorum ſententia intelliguntur tribulationes & perſecutiones, quæ tamen Sanctos à Charitate Dei ſeparare non valebant.

17. Aſpiciamus S. *Ignatium*, Martyrem illuſtriſſimum; hic perpeſſis innumeris malis, vinculis, carceribus, adeò in divino amore profecit, ut in epiſtola quadam, quam ad Romanos ſcripſit, hæc

de se fari non dubitarit: *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant; tantum ut Christo fruar.* Intueamur *Apostolum Paulum*; hic sua vincula, carceres, persecutiones, &c. gaudii nomine nuncupat: *Placeo mihi in infirmitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* 2. Cor. 12. 10. Quæ verba sic explicat S. *Thomas*: *Placeo mihi*, id est, incredibili jucunditate afficior, & in infirmitatibus ipsis, ac contumeliis, aliísque malis mihi allatis, delector, & gaudeo. Sic & omnes alii Apostoli, ac Christi discipuli mirè gaudebant, si pro sui Domini amore aliquid pati contingeret, prout apertè ex Actibus Apostolorum liquet, ubi *D. Lucas* cap. 5. vers. 41. ait: *Ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati.* Denique si omnium Sanctorum, nedum virorum, sed & mulierum, vitas perlustraverimus, passim reperiemus, quòd eorum animus miro replebatur gaudio, dum aliquid adversi pro Dei amore pati ipsis contingeret. Ex quibus omnibus docemur, illum solum esse, ac dici posse, verum Christi amatorem, qui fortiter & constanter etiam inter aspera quæque & adversa Christo adhæret, neque se ullâ tentatione aut persecutione ab eo separari permittit; quemadmodum de se, aliísque suis Co-Apostolis proximè laudatus *Paulus* testatur, id in suis animis habuisse, dum Rom. 8. v. 35. exclamat: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? &c. Certus sum enim, quia neque mors &c. poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo JESU Domino nostro.* Qui sic Deo adhæret, hujus amor est sincerus, & verus, ac genuinus Dei amor. Siquidem parum est, amare Deum tempore consolationis, quando cuncta ad votum fluunt; si postmodum, quando res malè cedit, quando adversitates ingruunt, amor hic tepescat. Hinc Ascetarum facilè Princeps, *Thomas de Kempis* lib. 3. cap. 5. hanc statuit conclusionem: *Qui non est paratus omnia pati, & ad voluntatem stare dilecti, non est dignus, amator appellari. Oportet amantem omnia dura & amara propter dilectum libenter amplecti; nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.*

# SERMO VI.
# DE CHARITATE FRATERNA.

*Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Joan. 15.

## PARS PRIMA

1. QUia Theologi docent cum D. *Thoma* 2. 2. q. 25. a. 1. habitum Charitatis, ut se extendit ad DEUM, & Proximum, esse unum; ideóque cùm de primo hujus habitûs actu, videlicet de amore erga Deum tractaverimus, æquitas

tas postulat, ut etiam tractemus de altero actu videlicet de charitate erga proximum. Quomodo verò proximus diligendus sit, docet liber *Leviticus* cap. 19. vers. 18. hisce verbis: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Pro cujus majore declaratione sapienter notat Angelicus Doctor S. *Thomas* 2. 2. q. 25. a. 7. amorem sui esse duplicem. Primò inordinatum & malum, quo quis exteriorem duntaxat hominem & carnem, quam cum bestiis communem habet, diligit. Secundò ordinatum & bonum, quo quis diligit excellentiam interioris hominis, & vitam secundùm rationis præscriptum instituit: & juxta hunc amorem regulanda est proximi dilectio, ut pulchrè declarat S. P. *Augustinus*, tract. in Joan. dum ait: *Priùs vide, si nôsti diligere teipsum, & tunc tibi commendato proximum, quem diliges, sicut te ipsum; Si autem nondum nôsti diligere te, timeo, ne decipias proximum sicut te.* Ex quo non obscurè colligitur, quòd ille, qui non diligit se ipsum amore ordinato, neque amabit proximum dilectione verâ; nam ut *Ecclesiasticus* cap. 14. vers. 5. loquitur: *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Id est quasi dicat: *nulli.* Nam qui erga se ipsum nullum habet amorem ordinatum & bonum, quâ ratione credi poterit, eum ferri erga alterum dilectione sincerâ & verâ, qualem requirit à nobis Deus? Hic usurpare fas est verba illa à Salvatore nostro olim prolata *Luc.* 4. *Medice cura teipsum.* Sic pariter, si alium diligere cupis, ùti decet, & obligaris, priùs dilige te ipsum, & cura, ne ab ordinata tui dilectione deficias.

2. Præter hanc autem Christus aliam nobis tradidit *Joan.* 13. dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Unde advertendum, quòd, quemadmodum Christus gratuito nos amore fuit prosecutus, & absque omni sui emolumento nos cælesti suâ doctrinâ imbuit, à peccatis liberavit, veniâ nos impertiit, dolores denique & languores nostros in corpore suo, suæ Passionis tempore portavit; sic debeamus & nos, non amore concupiscentiæ (qui amor respicit bonum proprium) sed amore amicitiæ (qui respicit bonum Amici) alterùtrum diligere; videlicet omnibus tùm Bona gratiæ tum gloriæ cordialiter optando, & pro viribus procurando; Onera aliorum portando, & in nos suscipiendo; in peccatis jacentes non despiciendo, sed tum precibus, tum suavi admonitione eos erigendo, illisque totis præcordiorum medullis compatiendo. Sic enim S. *Paulus* dilexit proximum, uti ipsemet testatur ad Rom. cap. 9. vers. 3. dicens: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo: optabam enim anathema esse à Christo pro Fratribus meis: Et: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* 2. Cor. cap. 11. Huic Sancto gentium Doctori non cessit in dilectione proximi S. *Moyses*, qui adeò proximum amare gestiebat, ut dicere non dubitârit ad Dominum: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Exod. cap. 32. Quid porrò non etiam alii fecerunt Sancti, quo proximum lùcrari possent? Profectò hos sigillatim referre nimis longum foret. Omissis igitur cæteris audire libet heroicum *S. Ignatii Lojolæ* factum. Cùm enim quidam Lutetiæ pellicis amore nefario teneretur, neque ab illo S. Ignatius hominem posset ullâ omnino ratione divellere, aliquando rescivit vir Sanctus miserabile veneris mancipium extra oppidum iturum, eò fortasse, ubi turpes ejus delitiæ erant. Ignatius igitur in lacum frigidissimum viæ, quâ turpis amator transiturus erat, adjacentem sese conjicit, corporéque gelidis aquis immerso capite tantùm ex-

stans, ad illum jam appropinquantem ait: Perge miser, perge, ad tuas fœdissimas voluptates; impendentem capiti tuo ruinam non vides? Hic ego pro te tamdiu me macerabo, donec justissimum Dei furorem in te paratum avertam. His conspectis auditisque infelix volupiæ verna totus exterritus, & hoc insignis Charitatis exemplo perculsus, resilit, pedem retulit, ac familiaritatem illam scelere copulatam discidit, vitámque melioravit. Dicebat præterea hic S. Pater: Si quid ad animarum salutem pertineret, paratissimum esse, nudis pedibus, cornibúsque onustum per plateas incedere, nullum denique recusare habitum, aut ridiculum aut probrosum vestimenti genus, quod posset esse utile hominibus. Quamobrem quisquis verè proximum suum diligere appetit, imitetur hos viros Sanctos, & tametsi fortassis non possit eadem præstare, faciat saltem ea, quæ judicat confratri suo prodesse, eúmque his lucrari posse, & haud dubiè cum *Moyse*, *Paulo*, *Ignatio*, ac multis aliis inæstimabile præmium Virtuti Dilectionis fraternæ repromissum reportabit, Beatitudinem videlicet æternam, quam Christus omnibus charitatis operibus vacantibus apud *S. Matth.* cap. 5. promittit dicens: *Beati Misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

3. Enim verò, ut clariùs intelligamus, qualiter proximus, seu confrater noster sit diligendus, notandum est, duos generaliter esse actus charitatis, in sacris eloquiis expressos: Primus consistit in operatione, quíque declaratur illis *Christi* verbis Matth. 7. 12. *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Alter consistit in omissione, & significatur à seniore *Tobia* illis verbis: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne aliquando facias alteri.* Tob. 4. 16. De quibus S. *Prosper* lib. 3. de vita contemplativa cap. 15. sic ait: *Hæc est proximi tota dilectio, ut bonum, quod tibi conferri vis, velis & proximo: & malum, quod tibi nolis accidere, nolis & proximo.* Ex his duobus actibus generalibus sequuntur alii plures particulares, quorum aliqui sunt merè *interni*, alii *externi*. Interni sunt *primò*, ut, excluso omni odio, & aversione erga personam, bene afficiamur erga proximos nostros. *Secundò*, ut proximis nostris velimus, optemus, & desideremus omnia bona non solùm animæ, sed & corporis, in quantum hæc eorum animæ saluti proficiunt, secùs si obessent; nam in quantùm bona temporalia alicujus impediunt salutem; de eorum damno & infortunio nedum fas est gaudere, sed insuper licitum nonnullis optare eorum carentiam & damnum. *Si enim hoc optet* (ait *S. Thomas* lect. 1. cap. 5. Job) *sub ratione boni, ut per adversitatem alicujus perveniat ad spiritualem profectum, hoc licitum est.* *Tertiò*, ut nostrum sentire, & velle cum judicio, sententia, & voluntate proximi (in quantùm fas est, & id rationi, ac prudentiæ non adversatur) conformemus, sítque in nobis juxta S. P. *Augustini* parænesim, *Cor unum, & anima una in Deo*; seu ùt hortatur Tarsensis Præco (*Philip.* 2. 2.) *Idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, in idipsum sentientes.*

4. Alii sunt actus charitatis *externi*, quibus interiorem nostram benevolentiam, & amorem erga proximum foris ostendimus, non tantùm linguâ & verbis, sed opere ipso comprobamus. Hujusmodi actus sunt, primò, ut ore, linguâ, & verbis proximo, quantùm licet, & expedit, gratificare, & in Christo placere studeamus; præsertim non obloquamur, non contradicamus, non verbis contendamus, opinioni illius non repugnemus, præsertim si nobis sit senior.

Item

Item mordacibus sermonibus neminem pungamus, verbis duris, & asperis non obloquamur; sed omnibus nos gratiosos & amicabiles cum prudentia exhibeamus. *Secundò*, ut mores proximi inhumanos, agrestes, inurbanos, & asperos, omnesque defectus, tam morales, quàm naturales, quos corrigere in ipso non possumus, patienter supportemus; quemadmodum Christus mores discipulorum suorum, & defectus patienter sustinuit, utpote quos nactus est idiotas, rudes, & ad discendum tardos, moribus incultos &c. Sic nos etiam facere jubet S. *Paulus*: *Alter alterius onera portate*, Gal. 6. 2. Rationem, cur id monet, adjungit: *Et sic adimplebitis legem Christi*, id est, charitatem, quæ specialiter Lex *Christi* dicitur. Quisquis proinde charitatis præceptum perfectè adimplere satagit, talis sit, oportet, quales idem Apostolus Ephesios olim esse cupiebat, ut nimirum sint (*Ephes.* 4. 2.) *supportantes invicem in charitate*, scilicet mutuò sustinentes defectus aliorum, & hoc ex charitate. Non enim debent hujusmodi defectus supportari ex negligentia, vel ex consensu & familiaritate, vel carnali amicitia, sed ex charitate, inquit hìc S. *Thomas*, quod vel inprimis notent Superiores, & animarum curam habentes, ad quos nedum spectat suorum subditorum defectus cum patientia & charitate supportare, sed quandóque etiam ex charitate, & justitia eos pungere, & corrigere, eos præsertim, qui pravo habitu & consuetudine solent delinquere; & contra tales (ut monet iterum Angelicus *Doctor* lect. 1. in cap. 6. ad Galatas) severiùs est agendum. At verò, quando proximum corrigere nullo modo possumus, cum patientia supportandus est in charitate, scientes ex mente magni Patris *Augustini* Serm. 21. de verbis Apost. *Quòd nullâ è re meliùs charitas fraterna probari, & colligi possit, quàm ex patienti imperfectionum, & importuniorum gravaminum tolerantia*. Hanc tolerantiam qui non habet, nec habere nititur, sed injuriis se afficientes similiter injuriatur, maledicentes maledicit &c. talis sibi ipsi testis est, quòd à vera dilectione longè absit, ac distet; hæc enim haud secùs ac *Struthio*, qui etiam ferrum digerere valet, omnia quæque dura supportare, & concoquere novit, dicente *Paulo* 1. Cor. 13. 7. *Charitas omnia suffert*, id est absque turbatione sustinet omnes defectus, vel quæcunque adversa secundùm illud *Rom.* 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.*

5. Ex his facilè intelligimus, in quonam vera ac genuina proximi dilectio fundetur, ac quàm illa ad assecurandam animæ nostræ salutem sit necessaria; modò indagemus, quàm magna & eximia accipiant stipendia, qui sub charitatis vexillo militantes, conantur ea facere proximo suo, quæ sibi ab aliis fieri desiderant; id autem colligemus ex sequenti exemplo. Scribit celeberrimus apud Hispanos Concionator, *Philippus Diez* serm. 4. post Domin. 1. Quadrag. de Nobili quodam viro, qui sicut temporalibus divitiis, ita & vitiis deditus erat. Hic vice quadam cùm Religiosos quosdam in mensa secum haberet, rogarétque ejus Domina, ut quædam verba salutis proferrent, unus ex illis dixit ad Dominum: Ego vobis dicam brevia verba tam fructuosa, quòd si ea servaveritis, in judicio generali animam meam obligo pro anima vestra. Dixit Salvator in Evangelio: *quodcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Hoc si servaveris, procul dubio salvus eris. Verbis his commotus nobilis, firmiter sibi proposuit, sic se velle facere, & hanc brevem doctrinam opere complere. Igitur cùm ali-

quando recreationis causâ ad venandum cum suis militibus exîsset, & ortâ tempestate, & pluviarum abundantiâ vacui redirent, vidit in via molendinum cujusdam pauperis à torrente dissipari,& everti,hominémque, cujus fuerat, insufficientem esse ad id reparandum, ait suis: Hoc est quod ego promisi servaturum: Si enim essem talis pauper, optarem, ut aliquis mihi opem ferret: Unde desilientes milites de suis equis, trabes & rotam in locum pristinum, jussu istius divitis reposuerunt. Rursùm progredientes ulteriùs, repererunt quendam peregrinum pauperem, quem cùm vidisset Dominus, ait suis militibus: Hoc etiam est de illis, quod ego facere promisi: si enim essem adeò pauper, optarem, ut aliquis mihi auxiliaretur, & humanè reficeret. Duxítque pauperem in domum suam, & consorti suæ ait: En, ego hospitem tibi adduxi, curam ergò istius habe. At illa: In veritate, inquit, utilis est talis hospes, pro quo Christus se obligavit debitorem. Cúmque lautè pauperem tractâsset, serò prope cubiculum suum illi pauperi lectum sumptuosum disposuit: mediâ autem nocte cœpit pauper sitire, & dicere: En siti morior, quod cùm Dominus audisset, ait: Hoc etiam est, quod promisi servare, quòd si ipse essem pauper,& nescirem inter tot gradus quò transirem, vehementer desiderarem, quòd aliquis mihi potum præstaret: potum igitur porrigam, qui acceptâ camisiâ ivit ad cisternam pro accipienda aqua, & in illam ruit præceps. Manè autem facto, & recedente paupere (qui Christus ipse fuerat) interrogavit Domina famulos de Domino & Marito suo, de quo unanimiter nihil scire responderunt. At illa: Ite, inquit, ad omnes Ecclesias, & Monasteria, inquirentes de illo; quia post felicem Religiosorum illorum adventum totaliter in alium (ut scitis) mutatus est. Quibus redeuntibus, nec eum invenientibus, ait Domina: Mittite anchoram in cisternam,ne fortè lapsus sit in illam, quia potum ferre pauperi iverat. Quo facto extraxerunt illum mortuum, & plangentibus omnibus, conspiciunt in collo illius circulum aureum, Angelicis manibus sic præparatum, quòd nec extrahi posset, nec junctura illius ulla appareret: sed scripturam hanc continebat: *Nos Angeli priùs animam istius duximus in cælum, quàm corpus fuisset infrigidatum in aqua; quia misericordiæ operibus vitam finivit.*

6. Audiatur alia historia, in sacris divini eloquii paginis reperta: *Eliezer*, procurator totius domûs Abrahæ, pro Domini sui filio conjugem quærens, & eligens, sic Deo supplicabat: Gen. 24. 12. *Domine Deus Domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham. Ecce ego sto propè fontem aquæ, & filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendum aquam. Igitur puella, cui ego dixero: inclina hydriam tuam ut bibam: & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est quam præparasti servo tuo Isaac: & per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cum Domino meo.* Necdum preces finierat Eliezer, ecce advenit *Rebecca*, puella decora nimis, pro haurienda aqua, hanc ergò dum rogaret Eliezer, ut pauxillum aquæ sibi ad bibendum præberet, illa confestim dixit: *Bibe Domine mi, celeritérque deposuit hydriam super ulnam suam, & dedit ei potum.* Gen. 24, 18. Nec his contenta, sed insuper recurrens ad fontem, & haustam aquam omnibus camelis, quos Eliezer secum habebat, alacri ac prompto animo dedit. Hæc charitatis officia coràm spectans servus, continuò collegit, hanc ipsam esse, quam elegisset Deus, magno suo amico Abrahamo pro nuru eam daturum; Unde

ſine mora protulit inaures aureas ad ornandam faciem ejus, & armillas poſuit in manibus ejus, eámque ſecum duxit ad Dominum ſuum Abraham, qui illam Iſaac filio ſuo in uxorem conſignavit. En, quoniam Rebecca benefecit alienigenæ incognito, ad tam altum meruit connubium evehi. Ex quo diſcamus, illum vel maximè dignum eſſe Deo, qui proximum ſuum charitate proſequitur, eíque in neceſſitate opitulatur. Cuncta hæc ſi attentè inſpiciantur, ac conſiderentur, palàm omnibus fiet, charitatem erga proximum, præcipuum eſſe ſignum, quo, qui ſunt filii Dei adoptivi, dignoſcantur. Audiatur hac ſuper re *Orator aureus*, aureè certè de laudibus charitatis ita diſſerens: Charitas ſignum omnium ſignorum maximum eſt, ex quo noſcitur affecta Chriſti. Nam licèt ſexcenta quidem miracula edant, dum diſſident inter ſe, ridiculi cæteris erunt; Sicut ſi nullum ſignum edant, diligant autem ſe ſe, verè ſuſpiciendi, invictique omnibus mortalibus permanebant. Nam & Paulum eam ob rem miramur magis, quàm ob mortuos ſuſcitatos. Stupenda vox eſt: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* 2. Cor. 11. Sexcenta mihi narra miracula, nihil huic æquiparandum adducis. Ita *Chryſoſt.* in Catena aurea S. Thomæ *Joan.* 13. Dilectio itáque, quâ diligimus, & benefacimus fratribus propter Deum, teſſera eſt, ſeu rubrica, quâ dignoſcuntur oves Chriſti, & à grege dæmonis diſtinguuntur, prout ex dicendis ulteriùs patebit.

# PARS ALTERA

7. NOtum perſpectumque eſt, Imperatores, Reges & Principes certa veſtimentorum genera (quæ die Liberey nominari ſolent) ſuis famulis præbere, quò ab aliis non ſuis dignoſci queant. Quæ cum ita ſint, haud dubiè etiam Rex Regum, & Dominus Dominantium, Chriſtus JESUS ſuos ſervos novâ, ab aliiſque diſtinctâ veſtium qualitate amiciet, hoc eſt, mit einer allſolchen Himels-König gebührender Liberey. Quæ autem hæc eſt? Dilectio proximi eſt. Hoc enim expreſsè declarat ipſemet Salvator apud S. *Joan.* cap. 13. verſ. 35. inquiens: *In hoc cognoſcent omnes, quòd Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Nemo enim ſervus eſſe poterit Regis cæleſtis, niſi illum diligat, & quo pacto diliget ipſum, ſi non etiam ſimul amet proximum? Unde S. *Joan* Epiſt. 1. cap. 4. verſ. 20. ait: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & Fratrem ſuum odit, mendax eſt; Qui enim non diligit Fratrem ſuum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo diligere poteſt? Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & Fratrem ſuum.* Quare quicunque hoc aureo veſtimento à Chriſto indui, & inter ejus vernas numerari diſcupit, ſincero confratrem ſuum proſequatur amore oportet, & haud dubiè, quod deſiderat, obtinebit. Hoc probè noverat dilectus Chriſti Diſcipulus *S. Joannes*, qui non immeritò ſuis diſcipulis identidem illud inculcare ſolebat: *Filioli diligite alterutrum.* Tandem diſcipuli & fratres ejus, qui aderant, tædio affecti, quòd eadem ſemper audirent, dixerunt: Magiſter, quare hoc ſemper loqueris? qui reſpondit; *quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat ſufficit.* S. Hieron. in Com. *ad Gal.* 6.

8. Cæterùm videre oportet ulterius, quid

quid hæc Christi Liberey efficiat, & comperiemus, quòd calefaciat animam, ab ea teporem insitum excutiendo, illámque in Divino amore succendendo; sicque omnia secundùm se aliàs difficillima, suavia & delectabilia reddit juxta illud axioma: *Amanti nihil difficile.* Tegit quoque hoc vestimentum inhonestas nostras actiones, videlicet peccata à nobis commissa, teste Scripturâ dicente: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. *Petri* cap. 4. vers. 8. O quanto proinde studio, quantáque sedulitate ac diligentiâ non laborandum erit, ne hæc pretiosissima vestis per contentiones deturpetur, aut per odia sive mutuas simultates planè laceretur! Præsertim cùm hæc vestis, fraterna scilicet Charitas inter cæteras virtutes longè præstet. Hinc legimus in *vitis Patrum*, quòd quidam Frater ex Sene quæsiêrit dicens: Abba, dic mihi sincerè, quid tibi videtur? Sunt duo fratres, quorum unus in cella se continens per sex dies non rarò jejunium servat, neque tamen interea consuetos suos labores prætermittit. Alter verò sedulò laborat, quomodo infirmis obsequium præstare possit. Dic mihi ergo, cujus opus melius est apud Deum? Respondit Senex: *Et si ille jejunus per nares se suspenderet, non esset similis alteri in conspectu Dei.*

9. Quamobrem sic argumentor. Infirmitas est duplex, corporis videlicet & animæ. Unde in quantum anima in excellentia & dignitate corpus superat, in tantum etiam infirmitas animæ gravior & damnosior est, quàm infirmitas corporis; ergo cùm teste præfato Sancto Senecione tam ingens meritum sperandum habeat ille, qui ægrotanti secundùm corpus inservit, quale ergo non præmium consequetur ille, qui confratri suo secundùm animam infirmanti obsequium spirituale præstat? Præstabimus autem hoc, si fratri delinquenti compatiamur, si illum suavibus verbis, ut errorem seu peccatum emendet, inducere laboremus, & modestè, si opus foret, corrigamus, si denique pro illo preces ad Deum frequenter fundamus, exoremúsque divinam clementiam, ne istum aut illum nostrum confratrem, ob hoc aut illud crimen commissum misericordiâ spoliet, neque ab eo infinitæ suæ miserationis affectum avertat, sed injuriæ immemor in suam recipiat gratiam, eíque vitam largiri dignetur æternam. Et ad hoc Charitatis opus proximo exhibendum invitant nos innumera SS. virorum exempla, qui nullum non lapidem movebant, quò proximum suum Christo lucrifacerent. Ex quibus brevitatis ergo hoc tantùm adduco, quod *Sophronius* in Prato Spirit. cap. 97. refert.

10. Duo Eremitæ jurârunt sibi invicem, ne alter ab altero unquam separaretur. Ast unus eorum postea tentatus ad sæculum redire, & libidini indulgere decrevit. Cúmque hunc alter à suo malo proposito dimovere haud potuisset, secutus est eum, ut saltem perpetrato peccato ad eremum eum reduceret. Igitur miserum, dum suis concupiscentiis carnalibus satisfecisset, & è lupanari prodiisset, magno charitatis affectu alter est eum amplexus, obsecrans, ut secum ad eremum redeat. Sed illo nihilominus in peccato persistente, mansit etiam in eadem civitate alter, qui quotidie manibus laborabat, luxuriantíque socio laboris sui fructum largiter tribuebat, frequenter præterea pro salute sui confratris jejunabat, & seipsum affligebat, precésque ad Deum fundere non intermittebat. Hâc tam excellenti charitate compunctus tandem alter, flagitiosam vitam deseruit, & ad desertum cum fratre reversus est. Sequamur itàque hujus Religiosissimi Eremicolæ

micolæ exemplum, & mercede non carebimus, præsertim cùm charitas fraterna ad Religiosæ perfectionis culmen conscendendum singulariter conducat, quod videre licet ex hac historia.

11. *Paphnutius*, inter priscos eremi cultores, magni nominis Vir, & multorum Anachoretarum Pater, eos sibi visus est fecisse progressus in via Domini, ut simplici piáque curiositate rogârit Deum, ut sibi monstraret hominem, qui se ratione vivendi exæquaret. Annuit Deus, & ei ab Angelo significari jussit, parem illi haberi tibicinem, qui in vico non procul distante tibiis inflandis victum quæreret. Obstupuit ad hoc nuntium Paphnutius, & multa secum animo reputans: Ita ne, ajebat ipse sibi, tot annis tanto conatu non plus profeceris, quàm ut virtute tibicinem æques? Et mox iter aggressus, omni studio hunc ipsum virum quæsivit, inventum studiosissimè percontatus est, quod vitæ genus, quas maximè virtutes sectaretur? Ille ad quæstionem tam seriam subridens, & quod res erat, fateri orsus: Ego, inquit, priùs latro, nunc plagiaulus, Schwegel-Pfeiffer / sum. De virtutibus meis, vir optime, frustra quæris, nullas habeo, quarum & nomen ignoro. Paphnutius urgere hominem cœpit scitando, ut ediceret, si quid bonæ actionis vel intra latrocinia fecisset? Cui ille, ah, inquit, hircum mulges: sterilis mihi conscientia est. Ebrietatis & libidinis mancipium fui. Illud unum memini, Monialem à nobis captam, quam socii vitiare volebant, à me liberatam, & in proximum pagum deductam esse. Alterum est, quod memoriæ occurrit, videlicet, quòd ante annos aliquot fæminam in sylvis inerrantem, lacrymantémque repererim, cúmque fletûs causam sciscitarer; ne me roges (ajebat illa) mulierem infelicissimam, sed si ancillâ eges, abduc, quo lubuerit, maritus meus ob grande æs alienum in carcere tantùm non agit animam, nec spes libertatis est. Tres filios meos, sed eheu, non meos amplius, creditores sibi rapuerunt mancipia in debitorum vicem. Ego cùm ad similem fortunam quærerer, inediâ & miseriis confecta huc profugi, omnis auxilii, sed & consilii inops. His auditis ego, ajebat tibicen, sortem tam indignam miserescens, & id esse Divinæ voluntatis ratus, ad nostram specum ægrè spirantem fæminam adduxi, ubi jam pænè fugientem animam cibo revocavi. Et quia nescire non potui, Deum divitem esse Dominum, profugam in civitatem reduxi, atque pro liberandis tam filiis, quàm marito, pecuniæ sat multum erogavi. Tu verò, vir bone, pluribus me quæstionibus ne fatiga, hic omnium virtutum mearum cumulus est; vitia mea citiùs quàm virtutes recitare possem. Hîc *Paphnutius* altum suspirans; Ego verò, inquit, mi frater, Deo id mihi aperiente, comperi, te nihilo inferiorem nobis esse, qui solitudines habitamus; & corpus summis rigoribus exercemus. En ergo mi optime frater, cùm tanto loco sis apud Deum, quanto vix Charissimi, cúmque omnis Sanctimoniæ fons sit, velle Sanctum esse, ne, quæso, teipsum negligas. Hoc enim tibi restat, ut abneges teipsum, crucem tuam tollas, & sequaris Christum. At ille perinde, si volentem, & jubentem Deum cerneret, tibiis, quas manibus gerebat, abjectis, & Divinæ voluntati satisfacturus, Paphnutium è vestigio secutus est. Ita triennio cælestem egit aulædum in terra, & cælo receptus inter Angelorum choros æternas Deo laudes decantavit. *Palladius* in histor. Lausiaca cap. 63.

12. Hinc cernere licet, quanti meriti sint apud Deum fraternæ Charitatis exercitia.

citio. Unde meritò quilibet omnem navare deberet operam, nullamque prætermittere occasionem, quâ suo proximo emolumento esse posset. Porrò si quis tam heroicis, ut præfatus tibicen, charitatis operibus vacare non valet, peragat ea saltem, quæ suo respectivè statui sunt convenientia; præcipuè, ut jam memoratum, pro proximo Deum exorando; & ne sibi quis malè persuadeat, per similes preces oranti nullum aut saltem exiguum emolumentum importatum iri, notare debet ex Speculo Exempl. historiam subsequentem. Cùm quidam Sacerdos ad pœnitentem infirmitate lethali oppressum vocatus, eundem ob gravitatem scelerum desperantem reperisset, eundem sic allocutus est: Ego spoliabo me omnibus bonis & meritis totius vitæ meæ, & illa in te transferre volo. Tu verò spolia te omnibus peccatis tuis, & in me transferas, ego pro illis Deo respondebo, & pœnitentiam agam, sicque noli desperare. Cúmque illi placuisset permutatio, ulterius dixit: Ecce nunc teneris mihi aperire, quæ mala feceris, ut sciam, de quibus tenear pœnitentiam agere. Tunc ille liberè ordinem vitæ suæ cum omnibus flagitiis, quantum in se fuit, aperuit. Cui Sacerdos: Nunquid & de his tu mecum doles, & si absolvere ab illis te possim, idipsum optas? Cúmque ille omnino se id operare affirmaret, absolutionem ei impendit, cum qua paulò post mortuus est. Post mensem autem apparuit huic Confessario, & dixit, in via salutis se esse, quærentíque quomodo res circa merita, quibus se spoliaverat, haberet? respondit: Deus tibi duplicata reservat ob eximiam charitatem, quâ meam desperationem evicisti. Unde dilucidè perspicere est, quòd non solùm fructum similium precum, aliorúmque pietatis operum pro aliis oblatorum precator sive oblator non perdat, sed insuper hunc sibi non modicum multiplicet. Ex his ergo generatim dictis quilibet facilè intelliget, quomodo & qualiter exercenda sint dilectionis fraternæ opera, quod porrò metiri etiam licebit ex sequentibus.

# PARTICULARIA QUÆDAM *De Correptione Fraterna.* PARS TERTIA.

13. OStendit aliquando *Zachariæ* Prophetæ *Dominus* lapidem; & ait: quòd licèt rudis esse videretur, esset tamen expoliendus, & magno usui futurus templo suo, ut autem affabrè elaboraretur, septenis oculis attentissimè videre eum jubebat dicens: *Septem oculi super lapidem unum.* Zachar. 3. 9. His verbis nobis in sensu morali intelligi datur, quòd licèt tuus confrater, dum in peccatis hæret, vilis sit, & rudis lapis, tamen linguæ tuæ zelo eum perpolire debeas, illum arguendo, monendo, docendo. Verùm ut hoc rectè facias, huic operi requiruntur oculi multi, id est, multa veniunt consideranda. Hæc

autem omnia ſequentibus explicat verbis Apoſtolus ad *Galatas* cap. 6. v. 1. ita: *Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis* &c. Dicit, *fratres,* ut intelligas, quòd, quo jure fratrem tuum; eodem omnes peccatores corripere tenearis, quibus tua poteſt prodeſſe correptio; omnes námque ſunt fratres tui, affirmante Magno *Auguſtino* ſerm. 135. de Temp. Fratres ſunt, Dominus & Servus; Imperator & miles; dives & pauper. Filii enim ſumus unius Patris, nempe Dei, unius Matris Eccleſiæ, una omnium per Baptisma nativitas, una menſa Altaris, idem gloriæ finis; lex eadem Evangelica, propter quæ ajebat *Chriſtus* Matth. 23. 2. *Omnes vos fratres eſtis.* Ampliùs dicit *Apoſtolus*: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*: Notemus verbum, *præoccupatus*; hoc eſt, circumventus, intricatus, irretitus, & velut laqueo conſtrictus, quaſi quis dicat: Quid miramini, quòd inter millenos ambulans laqueos, in aliquem incidat? Totus mundus decipulis, laqueisque plenus eſt, quos dæmones ſtruunt in viis, per quas incedimus: *In via hac qua ambulabam*, dicebat *David* Pſ. 141. *abſconderunt laqueum mihi.* Non tanto ſtudio leporum, perdicúmque veſtigia venator indagat, mille præparans illis tendiculas, quanto noſtra diabolus, ut incautos irretiat. Miſerere ergo pauperculi, quem Satan circumvenit, quem captivum apprehendit. O quàm ſtrenuè movit *Abraham* in abjectam illam barbarorum colluviem: Lot enim nepotem ſuum nihil tale quid formidantem ceperant captivúmque abduxerant: quare ſtatim arma corripuit Abraham, & tam ſtrenuè, diligentérque egit, ut non quieſceret, quoúſque nepotem è manibus inimicorum erutum, in priſtinam vindicaſſet libertatem. Hoc & tu facere debes, quando *præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.*

14. Notandum porrò, *Paulum* per hoc indicare voluiſſe, quòd correptio fraterna propriè locum habeat in peccatis infirmitatis, vel ignorantiæ; hæc quippe ſunt, in quæ labitur homo circumventus, illaqueatus, præoccupatus, ſic ſuam non advertet infelicitatem, quando maximè, ſed malè ſecurus agit. In peccatis autem malitiæ non ita locum habet: etenim in illis non capitur quiſpiam inexſpectatò, nec dicitur *præoccupatus*, ſed quòd ipſe ſibi malum videns, ac volens conſciſcat, de quo agunt Theologi. Hoc idem indicare vult *Apoſtolus*, addens: *Homo*: Eſt enim, qui peccat ùt homo, & eſt, qui peccat ùt diabolus. Quando quiſpiam peccat ùt homo, qui, cùm infirmus ſit, & imperitus, & imprudens, à diabolo illaqueatur, illi compatere, nec mireris, quòd ſtraminea domus conflagret, ſi ignis illi ſubjiciatur; & diſſolvatur, paulatímque ſublabatur fragilis, & ex luto facili compoſita caſa. Si ulteriùs quæratur, ad quem ſcilicet ſpectet principaliter admonere ſuum proximum? Reſpondet *Paulus*: *Vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite*, & peccata ejus corrigite. Nam ſi quis ſpiritualis eſt, ſed carnalis, & iiſdem peccatis ſcatens, utíque audiet ab alio, quem corrigit: *Medice, cura teipſum.* Et illud *Chriſti* Matth. 73. in eo verificabitur: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo.* Sic appoſitè in hanc rem expendit S. *Ambroſius* lib. 2. de Pœnit. cap. 8. id, quod Judæ Patriarchæ contigit. Voluit hic arguere, & flammis plectere Thamaris, nurûs ſuæ, inceſtum: Cúmque in eam rem vehementiſſimè incumberet, reſpondit illa, proferens ei baculum, & annulum teſtes, qui convincebant luxu-

riam, incontinentiámque illius, sic dicens: Gen. 38. 25. *De viro, cujus hæc sunt, concepi*; sícque illius os obstruxit, & cœpit dicere: *Justior est, quàm ego.*

15. Prosequitur *Paulus*: *In spiritu lenitatis hujusmodi instruite.* Nam ùt *S. Bernardus* observat, ab incitatiore, & sævo, validioréque flatu frangi, & mergi naves, secundùm illud *Psalmi* 47. 8. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Si spiritu illo vehementi proximum correxeris, non salvabis, sed conteres, inquit *Bernardus*. Opportunè ad præsentem scopum *S. Chrysostomus*: Considera (inquit in *Psal.* 50. Tom. 1.) quomodo Nathan reprehendat Davidem: Accessit, ingressúsque non dixit: *O Rex adulter, homicida, proximi scandalum, Reipublicæ offendiculum.* Ingressus non dixit: *O flagitiose, ô profane, ô adulter, ô carnifex*, sed captat benevolentiam, propositò divitis, pauperísque paradigmate. Quin imò *Davidem*, peccatum suum jam agnoscentem, & confitentem, dicentémque: *Peccavi*, non asperiùs objurgat, non dixit ad eum: *O miser, ô calamitose &c.* sed continuò his verbis consolatoriis lenivit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non moriê-ris.* 2. Reg. 12. 13. In te tulisti sententiam dicens, *virum mortis esse, qui fecit hoc*; nec ideo tamen vult punire te Deus, sed vitæ tribuit indulgentiam: Tu quidem dixisti: *gladio interibit*; at ego dico tibi: *Non morieris.* Hæc profectò est bona correptio, optimus modus lapsum erigendi, & adjuvandi proximum. Hanc correctionis formam etiam tenuit *S. Joannes Baptista*: Cùm enim Herodem tam fœtentem peccatorem corripere vellet, non appetiit eum verbis asperis: non dixit: (inquit proximè citatus *aureus Orator* homil. 28. in cap. 2. ad Corinth. tom. 4.) *Scelesté, pollute, prævaricator, conculcâsti Dei legem, contempsisti quæ statuta sunt, potentiam tuam legem fecisti*; sed in reprehensione apparuit multa mansuetudo viri, & mititas; dixit enim: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; erat magis verbum docentis, quàm reprehendentis; erudientis magis, quàm punientis. Ita *Chrysost.* Ex dictis ergo docemur, quomodo proximum arguere debeamus, nimirum in spiritu lenitatis eum erudire oportet, eíque demonstrare, in quanto sit salutis amittendæ periculo constitutus; Et hoc est, quod aliorsum idem *Apostolus* suo præscripsit Discipulo, S. Timotheo, dicens: *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* 2. *Tim.* 4. 2. Pro *argue* in Græco est: *Argumentis convince*, Nam si Superior, vel alius quisque absque argumentis alterum increpet, temerarius esse videbitur, nullúsque eum perferet, & ille quem increpat, fiet impudens, & durus, & obstinatus. Jubet ulteriùs *Apostolus*, increpationem faciendam *cum omni patientia*, id est, cum longanimitate & lenitate. Item *cum doctrina*, quâ scilicet solidè eum, quem corripit, errâsse doceat, eíque viam veritatis ostendat: Ratione enim homines, qui utuntur ratione, convinci, & duci volunt, non verberibus regi sicut jumenta irrationalia.

16. Hoc igitur modo in spiritu lenitatis, & compassionis debes fratrem corrigere; hic enim est Dei Spiritus. Ob quam causam D. P. *Augustinus* tract. 6. in Joan. cap. 9. benè advertit, Spiritum hunc in columbæ specie super Christum apparuisse in Jordane. Habet námque columba rostrum, sed fel non habet: ita Spiritus Dei mordet, reprehendit, corrigit, sed suaviter absque felle amaritudinis in pectore. Hinc dicitur in libro Sapientiæ cap. 12. *O quàm bonus, & suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus!* Qui hunc Dei Spiritum habet, benignè corripit pecca-

peccatores, nimirum in spiritu lenitatis. Proinde qui alterum corripit, imitari debet prudentem Abdemelech, qui, ut Jeremiam Prophetam è puteo, in quem à suis hostibus conjectus fuit, extraheret, quosdam illi funes submisit, quos brachiorum axillis supponeret; quia verò noverat, quòd nudas carnes offendere posset rudis & asper funis, veteres pariter illi pannos simul submisit; quibus funes obvoluti minùs afficerent carnes. *Pone veteres pannos* &c. Jerem. 38. 12. Hanc historiam commeditans *D. Gregorius* lib. 25. moral. cap. 8. eam nostro proposito accommodat, & congruè in usum præsentis doctrinæ transfert, dicens: Noli peccatori in puteum peccatorum demerso nudos reprehensionis funes submittere, illum etenim irritabis; sed adde verba, & rationes, quæ dolorem minuant, quem rudis adferre correctio potuisset: Sanctorum exempla profer antiquorum, qui post lapsum erecti, velociùs viam salutis decurrerunt, & ad metam felicitatis æternæ pervenerunt.

17. Advertendum ultra, quòd *Apostolus* præcitatum suum monitum, quod ad Galatas perscripsit, sic concludat: *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Quibus verbis docemur omnes, qualis debeat esse correctio, dum alteri quis loquitur, eúmque monet, ut seipsum consideret, an non forsan ipso, quem corrigit, sit pejor, & coram Deo peccator gravior; si autem talis non sit, profectò esset, si Deus suas ipsi subtraheret manus. Hinc inculcat nobis *Apostolus* 1. Cor. 10. 12. *Qui stat, videat ne cadat.* Proinde firmiter retinenda in memoria est illa passim nota S.P. *Augustini* sententia: *Nullum peccatum committit unus homo, quod non committeret alius homo, nisi sustentaretur ab eo, per quem factus est homo.* Huc non importunùm venit, quod Cælestis *Magister* dixit ad Petrum. Luc. 22. *Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Noveris Petre, quòd Satanas optârit, atque à Deo postulârit dari sibi licentiam in te, sicut in Job, ut ventilare te queat, sicut agricola frumentnm in cribro, seu vanno jactat, exagitat, versat. Sed meæ habeto gratias orationi, ejus namq; virtute non deficiet fides tua; non enim tuâ virtute in te illa conservabitur, nisi enim pro te rogâssem, periisses. Proinde *Conversus*, hoc est, in te convertens oculos, te ipsum considera, quòd licèt in tantùm sis à me confortatus & honoratus, & Sacramentis, gratuitisque subsidiis roboratus, corruisti tamen, & nisi ego meos ad te convertissem oculos, atque in te defixissem, perpetuum cæcatus fuisses, & in negationis, ac perjurii tui peccato obstinax perseverasses. Idipsum, quod Dominus dixit Petro, tibi pariter, qui Christi vis esse discipulus, commendetur; nimirum ut tu jam ad Deum per pœnitentiam veram conversus, indoleas proximi tui lapsibus, ac salutis æternæ periculis, in quæ se per peccatum præcipitavit. Audi, & imitare D. *Ambrosium*, qui ex toto corde, & imo pectore Deum sic deprecabatur: *Da Domine, ut quotiescunque peccatum alicujus lapsi exponitur, compatiar, non superbè increpem, sed lugeam, & defleam, & dum aliena fleo delicta, meipsum defleam dicens: justificata est magis Thamar, quàm ego.* Hæc *Ambrosius* lib. 2. de pœnit. cap. 8. qui meminit historiæ illius, quam proximè retulimus de Juda Patriarcha, & Thamar nuru illius. Si ergo videris alterum corruisse, considera, quòd gravi fortè impulsus fuerit occasione, te verò minor & levior occasio transversum ageret.

18. Porrò, tali consideratione omnes, qui

qui justi audiunt, suam justitiam sartam, tectam custodiunt, dum pulsâ superbiâ in humilitate seipsos conservent. Longè aliter egêre Pharisæi, de quibus scribit *D. Greg.* hom. 34. in Evang. quòd toti in alienis fuerint corrigendis defectibus, sed cum stomacho id faciebant, & supercilio, velut ille, qui proximus altari pauperem irridebat Publicanum, in ipso quidem peccata contuitus, in se verò bonum illud, quod sibi videbatur habere, ex quo factum, ut alterum & contemneret, & aversaretur; ipse verò infernali superbiâ intumesceret. O verè malam justitiam, quæ suos possessores non ad superos, sed ad inferos deducit! Audiamus perorantem, ac protestantem non Prophetarum aut Apostolorum aliquem, sed ipsum æternæ Veritatis Magistrum *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth. 5. 20. Illi seipsos justos esse arbitrabantur, at superbi erant, & in peccatores acriter commovebantur; unde eorum justitia non vera, sed falsa erat, affirmante *D. Gregorio*: *Falsa justitia dedignationem habet; vera justitia compassionem.* Nam qui veraciter justus est, propriam attendit miseriam, consideratque, quòd ex eodem, quo alter, luto sit compositus, atque fragilis, nec minoribus circumdatus animæ periculis; proinde Divinæ tribuendum censet pietati, quòd non in graviores, quàm alter, corruerit calamitates. *Nisi Dominus Exercituum reliquisset nobis semen* gratiæ suæ, *quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Isaiæ 1. 9.

19. Ex hucusque dictis facilè quilibet agnoscet, quòd ille, qui alterum corripit (ne infructuosa sit correptio) debeat regulariter loquendo, homo esse justus secundùm illud *Davidis* Psal. 140. 6. *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quod confirmat *Apostolus* supra citatus: *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite.* Dicit: *Spirituales*: quia (ut S. *Thomas* scribit in hunc Pauli textum) rectum judicium habet de omnibus, qui circa unumquodque rectè dispositus est: sicut qui sanum gustum habet, rectè judicat de sapore. Solus autem spiritualis bene dispositus est circa agenda; & ideo ipse solus de eis bene judicat, & consequenter fructuosè corripit delinquentem: Sit ergo bonus & justus qui alium corripit, ne sibi improperetur illud ad *Romanos* 2. v. 21. *Qui alium doces, teipsum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis?* Magnum enim stultitiæ, vel malitiæ genus esse videtur, verbo dedocere mala, & opere in mala prolabi. Unde ad tales, qui seipsis neglectis, alios docere, & curare attentant, spectat etiam (ut superiùs visum) illa cælestis Magistri parænesis: *Medice, cura teipsum.* Luc. 4. 23. Planè ridiculi redduntur populis, qui aliis medentur, ipsi interim vulneribus scatentes, sibi nullam curam impendunt. Refert *D. Hieronymus* lib. 1. contra Jovinianum tom. 2. Quòd, cùm inter Græcos non leves essent exortæ discordiæ, Rhetor quidam celebris, nomine Gorgias, voluit illos corripere, eúmque in finem librum edidit eloquentem. Cúmque illum attentiùs legerent, prodiit in medium ejus inimicus Melanthius, cœpítque scommatibus Rhetorem lacerare & dicere: Videte; quis ille nostras arguat simultates, vir scilicet, in cujus domo cùm plures non sint, quàm ipse, conjux ejus, & ancilla; perpetuis tamen inter se strident dissidiis sic, ut illos nemo possit ad concordiam revocare. *Hic nobis de concordia præcipit, qui se & uxorem, & ancillam in una domo concordare non potuit;*

quo ille confusus erubuit. Quisquis proinde proximum corripere & erudire vult, ipse prius sufficienter in omnibus imbutus sit oportet, ne alioquin cæteris fiat in ludibrium ac derisum. Hinc iterum *S. Hieronymus* Epist. 3. ad Nepot. de vita Cleric. ut Nepotianum, sibi amicissimum, ab hujusmodi sannis, ac censuris liberaret, ei scripsit: Non confundant opera tua sermonem tuum: ne, cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat: accusare avaritiam & latro potest: Sacerdotis os, mens, manúsque concordent. Opportunè *Jacobus Billius* in sua Anthologia sacra in tales pietatis magistros, parum piè viventes invehitur eleganti hoc Epigrammate:

Multa quidem internâ multi de pace loquuntur;
Cùm tamen in medio pectore bella gerant.
Quámque piæ menti Christus sit dulcis: at illi
Interea haud gustu, quod docuêre, tenent.
Mercurii rectum callem tibi monstrat imago:
Quam tamen ostendit, non tenet illa viam.
Huic statuæ similem pietatis jure magistrum
Dixero, cui pietas nil tamen ipsa sapit.

20. Notandum ulteriùs, quòd correptio fraterna, de qua hucusque egimus, non sit de consilio, sed de præcepto divino; siquidem si in iis, quæ ad corporalem spectant necessitatem, proximo succurrere teneamur. Dicitur enim 1. *Joan.* 3, 17. *Qui substantiam hujus mundi habuerit, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in illo?* Si, inquam, obligatio est succurrendi proximo in corporali necessitate constituto, quantò magis in necessitatibus spiritualibus, & in periculis animæ proximo succurrendum? Et hoc est quod prompsit Siracides: *Mandavit illis unicuique de proximo suo.* Eccl. 17. 12. Nimirum cuique hominum, cujuscunque demum sit conditionis, status, sexûs &c. commendata est lex charitatis, quæ tenetur consulere saluti animæ alterius, quando cernit illius periculum, & ipse adjuvare eum potest. Sicut ergo charitas omnibus est in præcepto, ità & correptio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, sive sit subditus, sive Prælatus, uti docet *S. Thomas* 2. 2. q. 33. art. 3. in corp. Nam si quilibet teneatur proximo in necessitate corporali existenti opitulari (ut jam dictum) multò magis ex præcepto dilectionis tenetur homo fratrem in peccato existentem à peccato retrahere, dando ei consilium, & auxilium ad deserendum, aut vitandum peccatum, & ad bene agendum, secundùm illud *Isaiæ* 35. 3. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere.* Et hoc est, quod etiam mandavit Dominus Matth. 18. 15. *Si peccaverit in te*, id est, vidente aut sciente te, *frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.*

21. Licèt porrò ab hoc fraternæ correptionis præcepto nullus eximatur; ad Prælatos tamen illud specialiter pertinet, quod etiam dicendum de Patribus & Matribus-familias, uti docet Theologorum Phœbus *D. Thomas* 2. 2. q. 33. art. 3. ad 1. ita differens: Dicendum, quòd in correptione fraterna, quæ ad omnes pertinet, gravior est cura Prælatorum. Sicut enim temporalia beneficia potiùs debet aliquis exhibere illis, quorum curam tem-

temporalem habet; ita etiam beneficia spiritualia, putà correctionem, doctrinam, & alia hujusmodi magis debet exhibere illis, qui sunt suæ spirituali curæ commissi. Nec dubitandum, quin multi ob fraternæ correctionis neglectum graves in orbe altero solvent pœnas. Lubeat inspicere vitam S. *Mariæ Magd. de Pazzis*, & reperiet lib. 2. tract. 2. cap. 3. de quâdam Moniali, quam vidit Sancta in purgatorio esse per sexdecim dies triplici de causa, quas inter una erat, quòd non monuerit quædam admonenda, & emendanda in cæteris Monialibus, quæ tamen ipsa, tanquam una de Senioribus, corripere, & emendare potuisset. Imò quod amplius est, hæc correptionis omissio facit aliquando hominem reum gehennæ ignis. Exemplum refert *Cardinalis de Vitriaco* in vita S. Mariæ Oegniacensis lib. 3. cap. 11. Vidit enim hæc Sancta, in ecstasi posita defunctam suam matrem in maximis pœnis, intellexitque ab ea, quòd esset æternum damnata ob bona injustè possessa, & quod noluerit advertere ad peccata domesticorum, nec ea corrigere. Sicut autem, dum correptionem omittimus, culpæ & pœnæ reatum apud Deum incurrimus: ita ejus gratiam singulariter obtinemus, ac nostra peccata obliteramus, dum proximo nostro hoc fraternæ correptionis obsequium impendimus, testem sisto Latronem in cruce: hic postquam collatronem, supplicii socium corripuit, & de blasphemia, in Christum impiè prolata, increpavit cum dicto: *Neque tu times Deum &c.* Statim post verba hæc, quasi in operis sui mercedem, Paradisum à Christo petiit: *Et dicebat ad JESUM: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quod & promptè obtinuit. *Et dixit illi JESUS: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23.

22. Enim verò, ut fructuosa possit esse correptio, in tempore opportuno facienda est, prout monet Sapiens Ecclesiasticus cap. 4. v. 27. dicens: *Ne reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis*; dicit: *in tempore salutis*, ut scilicet opportunitatem designet; Quia quando delinquit aliquis, non debet statim corrigi, nisi adsit locus, & tempus; sed misericorditer expectari, quia *charitas* (ut dicitur 1. Cor. 13.) *omnia sustinet.* Non tamen debent hujusmodi defectus & peccata (ut supra num. 4. annotatum) supportari ex negligentia, vel ex consensu & familiaritate, vel carnali amicitiâ; sed ex charitate, monente *Apostolo*, Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* Verùm, correptio opportunè tunc fit, (inquit *Præceptor Angelicus* in Job. cap. 6. lect. 2.) *cùm aliquis aliquem reprehendit eo tempore, & in illo statu, in quo præsumi potest, quòd non fiat inde deterior, sed melior. Sed si eo tempore aliquem reprehendere velit, quo consternatus animo, & ad iram dispositus est, videtur non velle correctionem, sed subversionem*, quod à fortiori intelligendum, qui actu accensus est bili, aut vino, crapuláque repletus, & gravatus; talem enim in eo statu corripere, non prudentiam, sed insipientiam denotat. Hinc bene dicitur apud *Ecclesiasticum* cap. 20. vers. 21. *Ex ore fatui reprobabitur parabola; non enim dicit illam in tempore suo.* Quamobrem cùm finis fraternæ correptionis sit fratris emendatio; tunc obligat præceptum correptionis, quando ea speratur. *Et ideo* (asserente *D. Thoma* 2. 2. q. 33. a. 6. in fine Corp.) *ubi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat* (quales ut plurimùm sunt, qui ex certa malitia peccant; non ita qui ex infirmitate, aut ignorantia) *sed ad pejora labatur; est ab hujusmodi correctione desistendum: quia ea,*

*quæ sunt ad finem, debent regulari secundùm quod exigit ratio finis.* Eapropter, quia Dominus sciebat Judam (inquit idem *Angelicus Doctor*) non emendandum fore, si ipsum admoneret, sed magis exasperandum: quia non est probabile, quòd verba moverent quem tot miracula visa non moverant; ideo ipsum non præmonuit. Hinc etiam monet Ecclesiasticus cap. 8. *Non incendas carbones peccatorum arguens eos*, qui ex correptione deteriores fiunt. Ex quibus apparet, quòd ad fratrem corripiendum non solùm charitate, sed etiam singulari prudentiâ sit opus; Nam multi quidem habent zelum Dei in corrigendo, sed non secundùm scientiam. *Æmulationem quidem Dei habent, sed non secundùm scientiam*, inquit S. *Paulus* ad Rom. cap. 10. Ex quo deducitur, quàm necessaria in corripiendo, præter charitatem, prudentia sit. Porrò quanta sit mutuò nos corrigendi necessitas, colligimus ex quodam Sancto Patre, qui (teste *Cornelio à Lapide* in cap. 18. Matth. vers. 15.) dicere solebat: Mundum nulla alia de causa magis perire, quàm ob omissionem fraternæ correptionis, & ob violatum vitandæ fornicationis præceptum. Et S. P. *Augustinus* lib. 1. de Civit. Dei cap. 9. sustinet, propter neglectum correptionis fraternæ præceptum, in hoc mundo bonos cum malis, gravissimis calamitatibus affligi. Et reverà videtur propemodum totus Orbis Christianus hujus divini Præcepti immemor vivere, cùm rarissimè sit invenire aliquem, qui proximum suum delinquentem corripiat prout oportet.

23. Pro coronide notandum, quòd sicut leniter & prudenter est adhibendum, ita mansuetè ac humiliter correptionis verbum est excipiendum, juxta monitum *Sapientis*. Eccli. 5. 13. *Esto mansuetus ad audiendum verbum.* Amanda quippe est, non timenda virga correptionis. Non enim est virga conterens, sed virga fructum salubrem ferens: Sicut virga Aaron, virga est directionis filios DEI dirigens in via regni cælestis. Virga ista non est projicienda: projecta enim vertitur in colubrum qui occidit, ut legitur *Exodi* 4. Virga Moysi de petra aquam producit: habentes enim corda lapidea, correptionis virgâ in lacrymas resolvuntur, & Deo devoti efficiuntur. Sic pathetice discurrit *Doctor Angelicus* opusc. de Erudit. Princ. lib. 5. cap. 33. qui post pauca subdit: *Non est timenda disciplina, quâ Pater cælestis filios suos corripit, sed gladius quo hostes occidit.* Unde cum quis à fratre corripitur, à Deo corripitur; est enim instrumentum Dei. *Considera opera Dei*, ait *Ecclesiastes*. 7. 14. *quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Quamobrem tantæ charitatis officium nec timeat Religiosus, nec erubescat obire. Non timeat inquam, de fructu fortassis spirituali dubius in delinquente; corripiendus enim est sub spe divini duntaxat auxilii, à quo tota sermonis efficacia dependet: Siquidem in omnibus bonis agendis (doctrina est sæpe laudati *Præceptoris Angelici* 2. 2. q. 33. a. 2. ad 1.) operatio hominis non est efficax, nisi adsit divinum auxilium: & tamen homo debet facere quod in se est. Unde *Augustinus* dicit in lib. de cor. & grat. Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum, & quis non pertineat; sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. Et ideo omnibus debemus fraternæ correctionis officium impendere sub spe divini auxilii. Hactenus S. *Thomas*, quæ proinde pro præsenti eruditione nostra sufficiant; modò qualiter etiam illi, qui nos persequuntur, diligi à nobis debeant, videamus.

# SERMO VII.

# DE DILECTIONE INIMICORUM.

*Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Matth. 5. vers. 45.

## PARS PRIMA.

1. QUod olim Lucifero cum Angelis suis Apostatis in cælo, & Protoparentibus nostris in paradiso existentibus denegatum fuit, conceditur nobis misellis in lacrymarum valle etiamnum degentibus. Quid ergò his, & illis fuit negatum? At quid dico, negatum; cùm planè propter affectatæ dignitatis desiderium horrendis affecti fuerint pœnis & tormentis. Lucifer enim unà cum suis rebellibus asseclis cælo exturbatus, ad terrificum gehennæ supplicium fulminatus est, totâ æternitate à damnatione sua non liberandus. Adam verò & Eva è Paradisi delitiis expulsi, omnibus miseriis obruti fuerunt. Ob quale ergò desiderium tam lacrymabilem sortem tum Angeli Apostatæ, tum primi Parentes nostri sunt adepti? Quia voluerunt fieri similes Deo. Lucifer enim dixit: *Exaltabo solium meum, & similis ero Altissimo* Isai. 14. Serpens verò ad hos Paradisi incolas; *eritis*, inquit, *sicut Dii scientes bonum & malum* Gen. 3. Ecce causam tanti infortunii. O miserabile spectaculum! ô tragœdiam luctuosam! Quem ergo amodò reperire licebit, qui Deo assimilari discupiet, cùm tam atrociter hoc desiderium divina justitia puniat? Sed macte animi fratres, reperitur enim methodus extra cælum, & Paradisum, quâ Deo similes effici possimus, neque tamen propterea ullâ afficiemur pœnâ, quin imò ferme infinitis meritorum cumulis ditabimur. Quid ergo illud? Inimicorum Dilectio est, ut refert S. P. *August.* in Psal. 70. *Qui bene vult*, inquit, *suo inimico, Deo similis efficitur.*

2. O igitur stupendam virtutem, inimicorum dilectionem! quis te exæquet? quis te sat laudum præconiis adornet? Tu, enim efficis ex miseris homulis cælestes Deos, juxta regium *Prophetam* dicentem: *Ego dixi Dii estis, & Filii excelsi omnes.* Psal. 81. Hinc meritò ad hanc consequendam celsitudinem Salvator noster nos invitat, dum ad inimicorum dilectionem nos adhortatur apud *S. Matth.* cap. 5. inquiens: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Ast quare hoc ô Dulcissime Redemptor? *Ut sitis*, inquit, *Filii Patris vestri, qui in cælis est* Ex quo apertè colligitur non esse signum evidentius, quòd quis sit ex numero

numero ſalvandorum, & per conſequens adoptatus filius Dei, quàm diligere odientes ſe. Quid enim, quæſo, movit latronem cum Chriſto crucifixum, ut dixerit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum?* Quid enim aliud in Chriſto ſuſpexit, quàm ſummum ejus contemptum, verbera, improperia à Judæis Gentibúſque ipſi illata? Ubi ſceptrum? ubi Regium Diadema? ubi Palatinorum frequentia? Nil horum conſpexit hic pœnitens Latro, & nihilominus profeſſus eſt Chriſtum eſſe Regem, & Dei Filium. Unde ergo hoc collegit? profectò ex illa Chriſti oratione: *Pater ignoſce illis, neſciunt enim, quid faciant.* Rurſus, quid flexit Centurionem, quòd publicè clamârit: *Verè hic filius Dei erat*; nonne quia tunc Chriſtus oravit pro ſuis inimicis? Ergo cùm ex hac inimicorum dilectione Filii Dei cognoſcantur, ſequitur bene, nihil præſtantiùs reperiri poſſe Virtute dilectionis inimicorum.

3. Hinc non immeritò S. *Agnes* S. Birgittæ dixit: *Nihil eſt pulchrius aut acceptius Deo, quàm lædentem ſe diligere, & pro perſequentibus orare.* Lib. 4. revel. cap. 124. Hoc clarè videre licet in Protomartyre *Stephano*, qui dum pro ſuis inimicis oraret, cæli aperti ſunt. Et quare? Ut omnes Sancti, & cæli incolæ tam admirandum & heroicum ſpectaculum intueri poſſent. Pariter dum hic S. *Levita* pro ſe oraret, ſtetit; dum verò pro lapidantibus ſe Deum precaretur, genua flexit, & ſub hac oratione obdormivit in Domino. Et cur rectè tunc? Reſpondet quidam, quoniam ad ſummum virtutis apicem per hanc inimicorum dilectionem pertigerat. Idcirco rectè concludit *Caſſiodorus* ſuper Pſalmos: *Nihil poteſt eſſe fortiùs, nihil egregiùs, quàm audire noxia, & non reſpondere contraria.* Similia etiam habet magnum Eccleſiæ lumen S. P. *Auguſt.* qui lib. Conf. ait: *Nihil mirabilius in rebus humanis, quàm diligere inimicos.* Siquidem per hoc nedum Filii Dei conſtituemur, ſed inſuper Martyres Chriſti efficiemur: quod fatetur D. *Gregorius* hom. 35. in Evang. dicens: *Sine ferro & ſanguine Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam veraciter in animo cuſtodimus: Mori à perſequente, martyrium eſt in aperto opere, ferre verò contumelias, odientes diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.* Cui conſonat os aureum *Chryſoſtomi* hom. 3. de David & Saule. *Ea res tibi*, inquit, *pro martyrio computabitur, ſi inſidias molientem inter bene meritos numeraveris, non deſinens pro illo orare Deum obſecrando, ut illi fiat propitius.* Quemadmodum enim martyrium ſanguinis omnia peccata tam quo ad pœnam, quàm culpam delet, ita quoque non raro ſimilem peccatorum veniam meretur inimicorum dilectio, teſte ipſomet Salvatore noſtro apud S. *Matth.* cap. 6. dicente: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra.* Quod verò hæc ita ſe habeant, docemur hoc exemplo, quod Author, qui ſe *Diſcipulum* appellat, his ferè refert verbis:

4. Erat quidam miles, qui interemit Patrem alterius militis; quare filius quæſivit opportunitatem, quomodo poſſet vindicare mortem Patris ſui, & contigit, quòd in die Paraſceves ille miles ſine armis tranſiverit, quem mox alter inſecutus eſt, volens eum occidere. Tunc ille proſtravit ſe ante pedes ejus dicens: Propter mortem Domini noſtri Salvatoris Chriſti, quam hodie pro nobis omnibus ſuſtinuit, indulge mihi, quòd Patrem tuum privaverim vitâ. Hâc ſupplicatione alter compunctus ait: Propter mortem Redemptoris noſtri ignoſco tibi, & levavit eum de terra, & in ſignum reconciliationis oſculatus eſt eum.

Nec mora illâ horâ animæ tum patris, tum fratris sui de pœnis purgatorii ad cælum evolârunt. Miles verò cùm intraret Ecclesiam, ac cum reliquis Crucifixum oscularetur, Crucifixus amplexus est eum cum dicto: Quia hodie indulsisti huic militi propter me, qui Patrem tuum occidit; ideo hodie indulgeo tibi omnia peccata tua; & in signum reconciliationis osculor te in maxillam tuam, quod videntes circumstantes glorificaverunt DEI Bonitatem & misericordiam.

5. Porrò ut magis elucescat, quàm gratum sit DEO Sacrificium injuriarum condonatio, consultum erit audire, quod legitur in vita *Sanctæ Elisabethæ* Pannoniæ Regis Filiæ. Hæc S. Matrona post mortem sui conjugis, dum tanquam publici ærarii prodiga à Mariti sui consanguineis, ipsisque suis subditis omnium administratione bonorum orbata, ac ab illis, quos olim multis auxerat beneficiis, indignis habita modis fuisset, ac ad tantum contemptum venisset, ut aliquando ingressa viam alto cœno obsitam & angustam, cùm anum, quam felix olim infelicem stipe aluerat, aliisque beneficiis affecerat, obviam habuisset, hæc ei non tantummodo viâ non decesserit, sed impulsam in medium lutum abjecerit. Quid hic ageret Sancta Elisabeth? objurgarétne mulierculam, ac ei ingratitudinem ob tot accepta beneficia exprobraret? minimè. Sed ut sensit hanc esse diaboli tentationem, suæque patientiæ materiam, læta se cœno corripuit, & sua vestimenta lavit. Hæc & id genus alia dum S. Vidua pateretur, illa semper beneficia pro maleficiis reponere studebat. Cúmque vice quâdam ardentiùs Deum, ne suis calumniatoribus irasceretur, precaretur sic: O *Dulcissime Salvator, ego omnibus, quicunque me aliquâ affecerunt injuriâ, non tantùm ex corde indulgeo, sed insuper te enixè oro, ut omnibus his sua peccata ignoscere velis, ac singulari aliquo beneficio hos afficere.* Sic precanti Dominus apparuit, illámque miro inundatam solatio recreavit dicens: O Filia mea charissima, quamvis hactenus gratum mihi semper præstiteris obsequium, nunquam tamen sic mihi placuisti, & cor meum tibi demeruisti, quam nunc, dum hanc orationem pro tuis inimicis ad me effudisti. Scito ergo te propterea obtinuisse à me omnium peccatorum tuorum veniam, & tametsi hactenus multis te locupletaveram beneficiis, inposterum tamen longè copiosioribus te remunerabor favoribus, specialémque tui curam geram. Hinc itaque satis abundéque videre licet, quanti referat pro suis inimicis & malefactoribus Deum deprecari.

6. Cæterùm causam, cur DEUS omnibus erga suos calumniatores benè affectis tam facilè remittat peccata, insinuat S. P. *August.* In Enchir. dum ait: *Multa sunt genera eleëmosynarum, quas cùm facimus, adjuvamur, ut dimittantur peccata nostra, sed eâ nihil est majus, quâ ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit.* Ergo cùm juxta hujus S. Doctoris sensum eleëmosyna præstantissima sit injuriarum remissio, bene sequitur, hanc habere etiam maximam vim delendi peccata. Quod ulterius confirmat D. *Chrysost.* in verba ad Rom. 12. *si esurierit inimicus tuus*: dum per hæc excurrit verba: *Quantò majora mala intulerit inimicus, tantò majoribus afficit beneficiis: quòd enim alii jejunio, planctibus, precibus, sacco, cinere, ac diversis pœnitentiæ austeritatibus vix perficiunt, ut nimirum sua peccata deleant; hoc nobis sine sacco & cinere, & jejunio facilè licet præstare; si modò ex animo iram deleamus, eisque, qui nos læserint, sincerè* dimit-

*dimittamus*. Hactenus *Chrysost.* Porrò licèt gehennæ pœna tam grave sit malum, ut omnem creati intellectûs capacitatem innumeris transcendat parasangis; eo nihilominus multò pejus est unicum peccatum mortale, ut docet *Alphonsus Tostatus* in Gen. cap. 48 sic disserens: *Peccatum est omnium malorum pessimum, quia etiam minimum peccatum est secundùm suam speciem pejus omni pœnâ, etiam pœnâ gehennæ.* Hac igitur velut indubitata veritate supposita, facilè est in cognitionem venire, quàm nobis fructificet inimicorum dilectio; hæc enim nos eruit à summo hoc malo, nempe à peccato. Opportunè supra allegatus *S. Chrysostomus* illud Matth. 7. *Nolite judicare, & non judicabimini*, ad nostrum propositum exponit dicens: Nolite judicare, scilicet vosmetipsos vindicando: unde si remittitis, non inde judicabimini; id est, non condemnabimini ob peccata vestra: quia illa misericorditer vobis remittentur ratione hujus misericordiæ, quam exhibuistis vestris inimicis, injuriam vobis illatam condonando. Hæc bene expendens *S. Antoninus* part. 4. tit. 6. cap. 4. §. 5. ita scribit: *Dilectio inimicorum est utilior nobis, quàm amicorum, quia valet ad sanandum peccata,* Unde *Augustinus* dicit: *Ego ad dilectionem inimicorum vos moneo; Quia ad sanandum vulnera peccatorum nullum medicamentum efficacius esse cognosco.*

7. Quanquam ergo non nemo peccata super numerum arenæ maris multiplicata haberet, posset nihilominus certam concipere veniæ consequendæ spem; si inimicos suos ex corde diligeret, eísque pro maleficiis reponeret beneficia; hoc quippe *Incarnata Sapientia* vivæ vocis oraculo nobis appromisit dicens: *Dimittite, & dimittemini.* Luc. 6, 37. Ubi advertendum, JESUM nostrum nullam excipere peccatorum multitudinem, nec ullam criminum gravitatem, tantùm ex corde dimittamus inimicis nostris, eísque ubi possumus, benefaciamus, & parata est omnium nostrorum malefactorum venia, & condonatio. Idipsum ostenditur ex aliis verbis Christi; dicit enim apud *S. Matth.* cap. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ubi *S. Thomas* dicit: Nulla est major misericordia, quàm offendenti dimittere; unde qui hoc agit, & inimico suo dimittit, consequetur & ipse misericordiam, id est veniam peccatorum suorum. Hoc non esse vanum commentum, sed solidâ basi nixam veritatem, docet exemplum, quod legere est in floribus Exemplorum de matrona quadam nobili, quæ unicum habebat filium, annorum novendecim juvenem; hic, nescio quam ob causam, cùm ab adversario suo fuisset confossus ictu (ut ajunt) unico, illéque ministros justitiæ sibi jam jam imminentes effugere vellet, imprudens ad ædes, quas occisi juvenis mater incolebat, confugit. Quid putas, hic egit nobilissima matrona? Ecce, non involavit in parricidam, nec domesticos inclamavit, non lictores vocavit, ut latroni injiciant manum; sed propter JESU Christi Crucifixi amorem hosti parcit, amore, favore, & beneficiis prosequitur inimicum; trepidantem è latibulo evocat, securum esse jubet, equo, viaticóque eum instruit, aliáque veste donat, indagantiúmque manibus subducit, atque generoso caballo sublimem etiam inter honores obviantium in tutum emittit, suppliciόque subtrahit reum, homicidam, inimicum. Quibus confectis, in cubiculum se recipit, & ante aram in genua provoluta, Deo per preces enixè tam salutem inimici, quàm animam filii

commendat. Et ecce, quid possit inimicorum dilectio, & misericordia exhibita inimico. Oranti subitò apparuit filius, multâ luce circumfusus, matrémque, sic affatur: Quas tibi referam gratias mater amantissima, quæ bis mihi vitam dedisti? semel pariendo, & hodie parcendo inimico? insigni enim tua charitate, & oratione à Deo obtinuisti veniam omnium meorum peccatorum, & indulgentiam consecutus sum multorum annorum, qui mihi remanebant in purgatorio exsolvendi: Deo gratias, Domina mea mater, Deo gratias! Dixit, & in conspectu matris cælum ascendit, eámque tenerrimo delibutam solatio reliquit.

8. Legant exemplum hoc, & æmulentur, qui odio & inimicitiâ concitati nolunt inimicis parcere, illis benefacere, aut cordicùs ignoscere; & discant, quàm parvo stipendio (unica voce: *parco, ignosco, in gratiam recipio*) possint sibi, & aliis cælum aperire. Sanè nullum habemus aliud æternæ salutis nostræ obstaculum, præterquam Dei offensam: Nam (ut dicitur *Apocal. 21.*) *Nihil intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens*; ad illam verò abolendam inter omnia efficaciora media nullum est securius, brevius, magísque indubitatum, quàm indulgentia offensarum, quas inimici nostri nobis irrogârunt; per hanc námque vicissim à Deo omnium offensarum, quas in illum commisimus, indulgentiam consequimur. Certè si hæc res justâ bilance examinaretur, optare quilibet deberet (quantum tamen sine proximi cujúsque damno, seu peccato fieri posset) habere aliquos, quorum offensiones essent remittendæ. Talis siquidem injuriarum remissio est eleëmosyna perfectissima, *quæ* nostra *purgat peccata*, & (ut ait *Raphaël Archangelus* ad Tobiam cap. 12. 9.) *facit invenire* in conspectu Altissimi, *misericordiam*, & post præsentem peregrinationem nostram *vitam æternam*.

9. Inquies: Ergò homo aliquis fornicarius, simoniacus, usurarius, sacrilegus &c. spem concipere poterit, omnia sibi dimittenda esse scelera, suámque animæ æternam salutem in tuto positam esse, licèt aliud non faciat, quàm quòd inimicis suis illatas sibi injurias condonet? Movet hoc dubium *Cardinalis Cajetanus* in cap. 6. Lucæ vers. 37. & respondet: *Potest sperare homo indulgentiam omnium peccatorum suorum, etiam gravissimorum, & innumerabilium plenariam, dummodo condonet malè sibi facientibus; siquidem Christus, ad quem remissio spectat, indefinitè de quovis loquitur peccato.* Hoc tamen intelligendum esse dicit, dummodo non ex parte nostra nullum ponamus obicem, habeamúsque veram de peccatis pœnitentiam, firmúmque emendationis propositum; móxque subjungit idem purpuratus Doctor: *Hæc responsio secundùm Theologici Juris regulas procedit; crediderim tamen ego, hominem, qui tanto Dei amore agitur, ut hominibus offendentibus ipsum remittit ex corde propter Deum, etiamsi in fornicatione perseveret, tandem à Deo converti, ita ut remittat ei Deus peccata sua omnia, convertendo cor ejus ad veram pœnitentiam. Unde Dominus non dicit, quòd nobis remittentibus Deus* RE-MITTIT, *sed dicit in futuro*, REMITTET. Ut verò hoc assertum efficaciùs confirmet, subnectit: *Novit enim solus JESUS, quàm acceptum, gratúmque sit Deo, remittere aliis offensas; & ideo ipse solus potuit hoc revelare.* Denique ut magis, magísque intelligamus, quàm in conspectu DEI, & Sanctorum suorum, fit

ſit heroica virtus, inimicos diligere, pro eorundémque æterna ſalute preces fundere, aliquo modo metiri licebit ex eo, quod aliquando S. *Joannes Baptiſta* (prout habetur in Revelationibus *S. Birgittæ* cap. 71. extravag.) divæ Birgittæ dixit de quodam DEI amico: Hic cùm vice quadam in itinere eſſet conſtitutus, fuit à prædonibus invaſus, & omnibus ſuis ſpoliatus, imò etiam tunicâ exutus, & vias ſuas abire juſſus; has omnes injurias cùm æquanimiter non ſolùm perferret; ſed inſuper pro malefactoribus ſuis ardentes ad DEUM preces pro eorum ſalute funderet, tantum cauſavit in cælo gaudium, ut tota cæleſtis curia exinde oblectamentum caperet ſingulare. Proinde haud mirum, eos, qui ſuis benefacere amant inimicis, ſpeciali modo DEI ad ſe attrahere favores, & de ſua ſecuros eſſe ſalute, cùm totum cælum pro illis DEO ſupplex fiat. Diſce hinc, mi frater, tuos diligere inimicos, ut & tu à delictis tuis mundari, & inter chariſſimos DEI filios aliquando numerari queas.

# PARS ALTERA

10. PORrò ut cœptam proſequamur materiam, perluſtremus pauliſper Caput 17. lib. *Regum*, & videbimus, quòd Goliath adeò ſuo robori confidebat, ut omnes Iſraëlitas ad ſecum dimicandum ſeorſim ſuperbè provocare auſus ſit, quaſi omnes devoraturus. Hinc, ut Sacer memorat textus, *omnes Iſraëlitæ, ut vidiſſent virum, fugerunt à facie ejus, timentes eum valde.* Quis nunc non etiam videt, quòd odium, & ſe vindicandi cupido inſtar iſtius Philiſtæi fermè omnes homines ad pugnam invitet, in eáque bellantes proſternat, & veluti triumphata mancipia ſibi ſubjiciat? Conſpicimus enim verè paucos reperiri, qui victoriosè hunc Goliathum, id eſt vindictæ paſſionem debellant. Quamobrem, cùm hic inimicus tam validus ſit, percontabitur forſan aliquis cum *Davide*, qui pugnaturus cum Goliatho dicebat: *quid dabitur viro, qui percuſſerit Philiſtæum hunc?* Cui reſpondeo illud, quod Iſraëlitæ Davidi reſponderunt; *quòd* videlicet *virum, qui percuſſerit eum, ditabit* Rex *divitiis magnis*; quia dum quis ſtirpitùs ex corde iram, & odium evellit, & calumniantem ſe diligit, vitam prolongat, conſcientiam exhilarat, animam virtutibus magnis variiſque adornat, Gratiam DEI ſibi multiplicat, ac gloriam cæleſtem mirum in modum auget. An non hæ divitiæ magnæ? Item *filiam ſuam dabit ei uxorem*, id eſt, felicitatem æternam ſimili heroi deſponſabit, ita ut non ſit ferè certius ſignum Prædeſtinationis, quàm dilectio inimicorum.

11. Hoc minimè ignorabat Sanctiſſimus Claravallenſium Abbas *Divus Bernardus*, qui vel ideo omnes ſibi illatas injurias ſummâ tulit manſuetudine. Nam cùm fortè cœnobita quidam, diverſum ordinem profeſſus, Claram-vallem veniſſet, atque virum Sanctum precatus eſſet, ut in ordinem ſuum ſeſe reciperet, ſed ab eo repulſam paſſus, unde ille Monachus mox totus exarſit, alapámque adeò validam viro Sancto duxit,

duxit, ut percussi mala subito fœdóque livore notata intumuerit. Hunc porrò sacrilegum percussorem haud aliter, ac si beneficium, non colaphum accepisset, non solùm, ne quid sui causâ mali pateretur, egregiè defendit, sed etiam comiter ac liberaliter, ut ab aliis haberetur, studiosè curavit. Neque hunc solum, sed & multos alios habuit sibi contrarios & gratis offensos, pro quibus vir Sanctus ferventissimas ad DEUM preces effudit, eósque insigni suâ modestiâ ac submissione placare studuit. Sed ut redeamus ad propositum. *Rex domum ejus*, qui hunc Goliathum prostraverit, *faciet absque tributo*, id est, dum pro suis peccatis in flammis purgatricibus tributum solvere deberet, liberabitur ab hoc, scilicet à pœnis purgatorii, quas vel maximè evitare facit hæc dilectio, uti expertus est quidam Religiosus, alioquin tepidus, sed inimicis facilè veniam dare solitus, & propterea non sine aliorum admiratione à Purgatorio liberatus. Nimirum si quævis *eleëmosyna à peccato liberat*, & *non sinit animam ire in tenebras*, ut Tobias dixit, quantò magis hanc vim perfectissima eleëmosyna, quâ venia datur inimicis, habebit?

12. Cæterùm ad nostrum propositum quærit non nemo, cur Deus serpentem æneum affigi voluerit in deserto, ut ex ejus aspectu sanarentur Israëlitæ à serpentibus icti? Et respondet *Didacus Nyssenus*, hoc factum esse, ut significaret Deus, quantum bonum esset, inimicos suos benignis oculis aspicere. Quanto proinde conatu non laborandum erit, ut tam excellens munus, videlicet inimicorum dilectionem assequi valeamus, præsertim cùm hæc tanta secum afferat præmia. Adipiscemur autem eam, si firmiter nobis persuademus, quòd scilicet nullus possit nos injuriâ aliquâ afficere, quin id Deus von velit. Quapropter non debemus indignari adversùs injuriantem, sed respicere oportet Deum percutientem. Porrò si nullus ab alio chirothecâ ferreâ percussus, tam stolidus sit, ut chirothecam duntaxat, & non percussorem apud Judicem accuset; cur ergo reprehendere eos volumus, qui nos in aliquo læserunt, cùm tamen non hi, sed magis ipse Deus hæc mala nobis intulerit? Deus enim Teste *S. Hieron.* est Faber, inimici verò nostri sunt limæ & mallei, quibus suos purificat, perficit, ac Sanctos facit. Quemadmodum ergo ferrum non accipit verbera à malleo, ut à causa principali, sed solùm ut instrumentali; sed accipit ab ipsomet fabro, ita etiam impii suis calumniis nos non affligunt principaliter, sed ipse Deus, qui illis utitur tanquam instrumentis ad nos probandum. Hinc *Christus* ad Pilatum dixit: *Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Itaque rectè docet *S. P. August.* quòd scilicet justo DEI Judicio concessum sit impiis pro libitu tractare Electos DEI, ut per eos polliantur, & capaces regni cælestis efficiantur.

13. Præterea etiam, etsi venena quædam in se sint noxia, nihilominus tamen à morbis liberant; ita Inimici nostri licèt in se mali sint, multorum tamen commodorum causa nobis existunt. Expertus est sanè hoc Prometheus Thessalus, ut refert *Plutarchus* lib. de utilit. cap. ex inim. Quem Lacydes Argivorum Rex, cùm occidere voluisset, casu tuber ejus percussit, ac dissecuit, atque adeò rupto ulcere præter voluntatem servavit inimicum. Simili modo fit non rarò, ut convicium alicui impactum medeatur animæ morbo.

Quod experta eſt S. M. Monica, quæ ( ut filius ejus *Auguſtinus* lib. 9. Conf. cap. 8. ſcribit ) quia meribibula per convicium ab ancilla appellata eſt, hoc ſtimulo percuſſa, reſpexit fœditatem ſuam, eámque confeſtim damnavit, & exuit. Quemadmodum enim ignis exurens ſpinas, terram purgat, & frugiferam reddit; ſic inimicus ſuâ perſecutione ſpinas peccatorum noſtrorum, ſi patienter feramus, adurit, animámque noſtram DEO chariorem reddit. Quandóque etiam fit, ut, quod amici nobis præſtare non valent, id poſſint inimici. Et contingit nobis ſæpe, quod cuidam monacho moribundo ( ut memorat *Ulyſſes Aldrov.* lib. 9. Orynth. cap. 1. ) cui Phlebotomus tribus vicibus venam aperire non poterat, noctu veſpertilio pedem è lecto protenſum momordit, venámque rupit, ac ſanguinem exſuxit, qui cùm poſtea diutiùs manaret, monacho ſanitatem reddidit. Talis veſpertilio ſæpe eſt injuria illata, quæ, ſi patienter eam ſufferamus, ad ſanitatem animæ nobis magis quandóque prodeſt, quàm alia quæque ſpontanea mortificationum exercitia.

14. Cùm ergo ita ſit, pro inimicis noſtris, non ſecùs ac pro nobis benefacientibus, orare tenemur, quoniam hi nos ſanant, poliunt, & in via DEI progredi compellunt. Hoc probè noverat quidam Frater ( uti refertur in Vitis PP. lib. 7. cap. 7. p. 4. ) qui quantò plus eum aliquis injuriabat, tantò magis ad eum recurrebat dicens: *Iſti ſunt, qui nobis occaſionem præbent ad perfectionem noſtram, qui autem beatificant nos, decipiunt nos, & ſemitam pedum noſtrorum ſubvertunt.* Aſt audiamus adhuc generoſius quid de S. Virgine *Lydvvina*, quæ à furente muliere conviciis primùm & contumeliis proſciſſa, dein etiam fœdiſſimè conſputa, non modò immota perſtitit, ſed etiam munuſculum clam ei ſubmiſit, dicens: illis ſe multum debere, qui ad viam mandatorum DEI currendam compellunt. Aliàs etiam à quatuor militibus invaſa in lecto, nudata, turpiter contrectata, non modò indignata non eſt, ſed etiam accuſare eos volentes cohibuit, ne facerent. Hæc patientia, & in inimicos ſuos charitas ita DEO placuit, quòd eidem cæleſtem nuntium miſerit, ſolis inſtar luminoſum, qui ei dixit: *Salve chariſſima Soror, ecce nunc abſoluta eſt corona, quam nuper in ecſtaſi poſita imperfectam vidiſti. Ludibria, ſarcaſmi, verbera, cæteræque injurioſæ actiones circa te commiſſæ, fuère gemmæ, quas in illa corona deeſſe vidiſti.* Ecce quid nobis conferant emolumenti perſecutores, & inimici noſtri; ſuſtollunt enim nos in altum, ad magnam ſcilicet gloriæ coronam. Hinc rectè dixit S. P. *Auguſtinus* in Pſal. 54. *Ne putetis, gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur: aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.* His omnibus ritè expenſis cum *Zacharia*, Patre Joannis Baptiſtæ concinere libitum eſt: *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos.* Luc. 1. verſ. 71. Proinde, cùm inimici noſtri ſalutem noſtram mirè promoveant, æquitas poſtulat, ut eosdem diligamus, & ubi poſſumus, illis benefaciamus, aut ſaltem pro eorum ſalute Deo ſupplicemus, quia ab ipſis uberiora accipere ſolemus beneficia, quàm ab intimis fautoribus, & amicis noſtris, quemadmodum aliquando Chriſtus Dominus *B. Baptiſtam Verenam* ( quæ S. Franciſci Regulam profitebatur ) erudivit dicens: *Agnoſce, te magis obligatam eſſe illi, qui tibi malum*

*malum fecit, quàm ei qui bonum; illæ enim personæ sunt, quæ purgant animam tuam, & pulchram faciunt, gratiosam, & acceptam in conspectu meo.*

15. Dic sodes, si quis tibi notabilem de ligno Crucis, in quo Salvator noster pependit, partem dono offerret, nonne tu hasce Reliquias summo animi gaudio susciperes, eásque reverenti osculo amplexans pectori etiam adstringeres, & veluti pretiosissimam gemmam solicitè asservares, magnóque benevolentiæ affectu prosequereris illum, qui tam pretioso te beâsset thesauro? Cùm itaque inimici tui, vel inviti prorsúsque nescientes tam singulare præstent beneficium, suísque tibi offerant manibus verissimas Dominicæ Crucis Reliquias, an æquum censeas eos aversari, & veluti capitales hostes longè à te proscribere? Ah! mi Christiane, mi Religiose, non sic; hæc non est justitia Christiana, non lex Evangelii, sed dogma à Lucifero, ejúsque asseclis propugnatum, suísque sequacibus inculcatum; nobis verò, qui per æternam prædestinationem filii DEI sumus discreti, alia lex commendatur, ut nimirum benefaciamus his, qui in negotio salutis nostræ quoquo modo sunt proficui, quorúmque è manibus maxima DEI munera recipimus; & hi vel imprimis reputandi sunt nostri adversarii, qui licèt malè putent nobiscum, re ipsa tamen ingentia nobis accumulant beneficia, quemadmodum ex hucusque dictis sufficienter constare possit.

16. Quæres pro uberiori, ac clariori dictorum notitia; num etiam obligatio in conscientia sit pro inimicis orare, aut eis benefacere; an verò solius perfectionis instrumentum sit istud, aut necessitatis? Occurrit huic quæsito scitâ & eleganti responsione noster S. Thomas de Villanova Sermone in fer. 6. post Cineres, qui postquam suos Auditores ad dilectionem inimicorum strenuè fuisset adhortatus, tandem sic concludit: Quod diximus in themate: *Diligite inimicos vestros &c.* aliquid habet de præcepto, aliquid verò de consilio: Inimicus enim diligendus est sicut proximus; quia per hoc, quòd factus est inimicus, non desinit esse proximus. Teneris ergo non odisse, non persequi, non desiderare ei malum, non excludere eum ab orationibus tuis generalibus, & in extrema necessitate ùt proximo succurrere, &, si est in mortali, ùt proximum corrigere. Cæterùm, eum familiariter & temporaliter diligere, & extra casum necessitatis ei benefacere sicut amico, hoc consilium est, non præceptum. Unde Dominus non ait: *Ego præcipio vobis*, sed: *Ego autem dico vobis*; quòd plus habet consilii, quàm præcepti. Unde sequitur: *Estote perfecti, quoniam Pater vester perfectus est*: ostendens hoc magis ad perfectionem, quàm ad necessitatem pertinere. Ita citatus Sanctus. Igitur extra necessitatis casum non tenemur inimico specialia dilectionis signa exhibere, nec aliquod subventionis beneficium impendere; tenemur tamen non facere ei malum, imò nec optare ei malum, aut de malo aliunde ipsi advenientе gaudere, juxta illam sacri Parœmiastis parænesin: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum.* Prov. 24. v. 17.

17. Veruntamen bene hìc observandum, quòd optare malum inimico suo in quantum malum, malum est ac impium; at verò optare ei malum, quod est impedimentum majoris mali, vel promotivum majoris boni, hoc bonum est,

est quemadmodum docet *Magister Angelicus* ( 3. D. 30. q. 1. a. 1. ad 4. ) ita differens : Potest aliquis salva charitate optare malum temporale alicui , & gaudere si contingit , non in quantum est malum illius , sed in quantum est impedimentum malorum alterius , quem plus tenetur diligere , vel communitatis , aut Ecclesiæ. Similiter de malo etiam ejus qui in malum temporale incidit, secundùm quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus. Ita S. *Thomas*, qui articulo secundo in quæstione citata in Corpore ita scribit : Charitas vehementiùs optat alicui bona gratiæ, circa quæ est principaliter , quàm aliqua alia bona temporalia ; tamen non est de necessitate charitatis , sed de perfectione, quòd ad illa bona se extendat. Et ideo quilibet tenetur ex charitate odienti se optare bona æterna, non autem bona temporalia. Unde quamvìs sit de perfectione charitatis , ut bona temporalia optemus inimicis ; tamen est de necessitate salutis , ut mala ei optemus, non in quantum mala, sed per accidens, ut articulo præcedenti dictum. Et similiter est de effectu : quia cooperari in his, quæ sunt ad vitam , pro loco, tempore, & modo suo tenetur homo etiam inimico, saltem orando in communi , ut eum à suis orationibus non excludat , quamvìs fortè specialem de eo mentionem non faciat : sicut nec oportet, quod de omnibus , ad quos charitatem habet, specialem orationem faciat , sed communem. In aliis autem bonis non tenetur ei cooperari , nisi necessitas incumbat, sed est de perfectione charitatis : sed tenetur non facere ei malum , nisi in quantùm est impedimentum majoris mali, vel promotivum majoris boni, ut justitiæ, vel alicujus hujusmodi. Hucusque *Magister Angelicus*. Ex quibus erudimur , quòd licèt eximiæ sit virtutis, diligere amore speciali & particulari inimicum, aut specialiter orare pró ipso, eique benefacere , hoc tamen non semper de præcepto est, sed & de consilio, hoc est , de perfectione charitatis. Hæc de inimicorum dilectione pro nostra spirituali institutione disseruisse satis. Modò qualiter hæc virtus de diligendo inimico ad consequendam æternam salutem etiam sit necessaria , patebit ex dicendis.

# SERMO VIII.

# DE IRA ET ODIO.

*Omnis , qui odit Fratrem suum , homicida est.*

1. Joan. 3. 15.

## PARS PRIMA

1. ANte omnia quæ de Ira & Odio notanda occurrunt, illud nosse debemus, ut bene intelligamus differentiam, quæ juxta communem Doctorum sententiam reperitur inter odium *inimicitiæ*, seu *invidentiæ*, & inter odium , quod nuncupatur

cupatur *odium displicentiæ*, seu *aversionis*. Docent enim Theologi cum suo *Angelico Magistro* 2. 2. q. 23. a. 1. corp. duplicem dari, & assignari amorem, videlicet *amorem concupiscentiæ*, & *amorem benevolentiæ*, seu amicitiæ. Amor concupiscentiæ est, quo alterum amamus, quatenus nobis est bonus, utilis, delectabilis &c. Amor amicitiæ est, quo alterum amamus, quatenus ipse in se est bonus, & amore dignus. Ita pariter ab iisdem assignatur duplex odium; odium scilicet *inimicitiæ*, quod opponitur amori *benevolentiæ*; & odium *aversionis*, quod contrarium est amori *concupiscentiæ*. Odium *inimicitiæ*, seu *invidentiæ* est, quando non ea quæ circumstant personam, sed personam ipsam aversamur, & odimus, Odium *aversionis*, seu *displicentiæ* est, quando non personam, sed quæ circumstant personam aversamur: exempli gratia, est quispiam nobis molestus, præjudiciosus &c. Sive dum est aliquis turpis, deformis, inurbanus, litigiosus, sive alio quopiam modo nostræ indoli contrarius; tunc enim abhorret natura, & non potest amare amore concupiscentiæ eum, qui nihil amabilitatis præ se fert. Et hoc modo etsi aliquis innatam erga proximum habeat aversionem, exinde tamen non efficitur cujuspiam peccati reus, dummodo aliud nihil accedit, quod in odium personæ tenderet. Hinc dicitur *Proverb.* 14. v. 20. *Etiam proximo suo pauper odiosus erit.* Septuag. legunt: *Amici odio habebunt amicos mendicos*; cùm enim in pauperibus nihil resplendeat eorum, quæ amor concupiscentiæ in amato adesse desiderat; hinc fit, quòd passim mendici aliis invisi sint & odiosi. Odium hic non positivum, sed negativum accipe, ut sit idem quod minor amor, despectus, fastidium. Odiosus ergo aliis est egenus, id est minùs dilectus, neglectus, despectus. Sic dicitur Genes. 29. 31. *Lia odio habita*, id est, minùs dilecta, & neglecta præ Rachele à Jacob: & tale odium culpâ caret.

2. Hoc ut meliùs capiatur, notandum est, duo in homine, qui censetur odio habendus, reperiri, scilicet naturam & culpam; culpam odio persequi licet, non naturam, natura enim bona est, divinarúmque manuum opus. Qua in re nos eleganter erudit *Cassiodorus* super Psalmum 138. sic disserens: *Perfectum odium est, homines diligere, & eorum vitia semper horrere: nam in illa parte, qua creaturæ Dei sunt, amandos esse non est dubium; in illa iniquitate horrendi sunt, in qua se polluerunt.* Et hoc modo odisse proximum, negotium est, nedum omni expers peccato, sed & summâ dignum laude, utpote bonum & perfectum, juxta illud *Psalmistæ* Psal. 138. v. 21. *Perfecto odio oderam illos* scilicet peccatores, & malè agentes. Hoc autem est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, odio nimirum *inimicitiæ*; nec vitia propter homines diligas.

3. Quod diximus de odio justo, virtuoso & perfecto, idem quoque dicendum est de ira; non enim omnis ira est peccaminosa, datur & ira insons. Proinde advertendum ex D. *Chrysostomo* homil. 16. quòd, quando Christus in Evangelio (Matth. 5. 22.) dixit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, hoc debeat intelligi, qui irascitur temerè & sine causa. Nam ira per zelum est commotio animi contra vitium, quod videt in persona contemnente legem DEI. Et ira hæc, teste *Alberto Magno*, est mater disciplinæ, cos virtutis & fortitudinis. Nam hàc irâ commoti sunt Moyses contra idololatras. Exodi 32. Phinees in luxuriantes. *Numer.* 25. Samuel

muel in Agag Regem. 1. *Reg.* 15. Elias in Sacerdotes, & Pseudo-Prophetas Baal. 3. *Reg.* 18. Mathathias in legatum Antiochi. 1. *Machab.* 2. Et hi omnes in ira sua Deo summè placuerunt. Opportunè *S. Gregorius* supra illud Job. 5. 2. *Virum stultum interficit iracundia*, ita scribit: Sciendum, quòd alia est ira, quam impatientia excitat, alia quã zelus justitiæ format: illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinæ animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. Nam quò contra subditorum vitia tepuit, eò contra illum districtio æterni Rectoris exarsit. Hæc *Gregorius*. Ex quibus sat clarescit, dari & iram insontem, quâ succensi Dei servi in sceleratos animadvertentes, non quidem homines, sed eorum culpas abominantur, & castigant; consentaneè nimirum ad illam *Vatis Regii* parænesim: *Irascimini, & nolite peccare.* Psal. 4. v. 5. Id explicans Doctorum gravissimus *Augustinus*, sic scribit in Psalm. 30. *Irasceris filio, non odisti filium, ei servas hæreditatem: & ad hoc irasceris, ne perdat quod ei servaveris, malè vivens moribus pravis.*

4. His de ira justa & licita prænotatis; jam quæritur, quid sit ira peccaminosa & mala? Respondet *Cornelius à Lapide* in cap. 5. Matth. vers. 22. Ira est appetitus vindictæ: ipsa est peccatum mortale, si deliberatè inferat, vel optet grave malum corporis, vel bonorum, vel famæ proximo, aut de eo gaudeat, etiamsi is illud mereatur; quia iratus de eo gaudet, non ut est bonum justitiæ, sed vindictæ. Ira verò est veniale peccatum, si leve malum appetat proximo, etiamsi ira sit vehemens, & valdè interius, exteriúsq; excandescat, ut docet *Cajetan.* in summula, verbo *ira.* Et *Toletus* in Instruct. Sacerd. lib. 7. cap. 57. Hoc enim secundùm se non est peccatum mortale, nisi erumpat in grave malum proximi, aut se exponat periculo blasphemiæ, gravis convitii, scandali, aut alterius peccati mortalis; quæ iram facilè & frequenter comitari solent. Ex quibus enodata manet sententia quædam, à Christo Domino prolata, quæ non intelligentibus eam non leves injicere solet animi scrupulos; est autem hæc: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. 5. 22. Hoc enim intelligendum est de eo, qui grave convicium, vel contumeliam dixerit proximo, per quod fama, vel honor ejus graviter lædatur, quale est dicere viro honesto & honorato, *tu fatue*: hic peccat mortaliter, ideóque reus erit gehennæ: Sub *fatue* intellige reliqua conviciorum, dirarum, probrorum, & imprecationum genera, quæ peccata sunt mortalia, si valdè proximum dehonorent, aut ex animo graviter nocendi, convitiandi & dehonorandi proferantur.

5. Modò, ut de ira mala & peccaminosa ad odium similiter mortiferum promoveamus gradum, indagare oportet, quid sit odium injustum, sive odium *inimicitiæ*; Qua in re nos erudit *Magnus Augustinus*, dum odium hoc lib. definit. sic describit: *Odium est vetus ira, ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perseverans.* Quàm gravè porrò scelus æstimari debeat odium proximi, discemus id ex *D. Thoma*, qui in sua Summa 2. 2. q. 34. a. 4. in Corp. docet, quòd odium proximi sit gravissimum peccatorum eorum, quæ in proximum committuntur. Dicitur enim 1. Joan. 3. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Quia ergo homicidium est gravissimum peccatorum inter ea, quæ committuntur in proximum; ita & odium. Cur autem reus homicidii sit, qui proximum odit, rationem assignat

S. *Hieronymus* Epist. 62. Quia nimirum ille, qui hominem odit, periisse eum cupit: Sicut qui odit divitem, divitias ejus perire desiderat; ita qui hominem odit, vitam, quâ homo constat, perire cupit; & sic reus est homicidii, si non apud homines, certè apud Deum: Sicut mœchus à Christo pronuntiatur qui solùm viderit mulierem ad concupiscendam eam, ut dicitur *Matth.* 5. licèt eam nunquam actu externo tetigerit. Ubi advertendum, duplici modo posse hic à voluntate peccari. Primò, *desiderio*, quando voluntas ardenter desiderat rei executionem, veluti cùm quis inimicum conspectum desiderat interimere. Secundò, *complacentiâ*, cùm voluntas non quidem petit opere ipso exequi quod propositum est, sed sese eodem oblectat, & ex prohibito objecto quandam percipit voluptatem. Ut cùm quis inimicum suum ab alio occisum intuetur, sibíque in ejus conspectu complacet. Et hæc complacentia appellari solet, *delectatio morosa*, à mora, quâ voluntas ei hæret affixa. Ex quibus patet, qualiter, qui alium odit, homicida sit, licèt ejus necem desiderio ardenti non optet; satis est enim, quod id fiat affectu complacentiæ. Ab hoc proinde odio, velut ab interno cordis homicidio, fugere nos omnes docet Sanctissimus noster Legislator *Augustinus*, dum in aurea sua Regula ita scribit: *Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & animam faciat homicidam.*

6. Prosequitur D. Joannes: *Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in seipso manentem.* Quasi diceret: Qui odit alterum, non habet spem vitæ æternæ, nec eam sperare potest, sed manet in morte peccati, inde transiturus ad mortem æternam gehennæ. Nec tali patrocinantur illa, si quæ possidere arbitretur, virtutum multarum opera; nulla enim ibi vera virtus esse poterit, ubi odium proximi charitatem omnem excludit. Tempestivè venit, quod memorat *Vigliegas* de Charitate Exemplo 22. de juvene quodam, qui post mortem suam parenti apparens, se condemnatum testatus est. Patri ad hoc obstupescenti, & multa de illius virtutibus loquenti, causámque damnationis quærenti respondit filius: Sum virgo corpore, nulli rem ullam, nulli famam abstuli, non fui blasphemus, non lusor, non ganeo, jejunavi, oravi, & alia pietatis opera exercui; veruntamen si quis me offendebat, nolui ex corde ignoscere, odiúmque animo excludere; ideo ego justo Dei judicio æternùm cælo exclusus, pœnas pro odii peccato solvo æternas. Vides ergo, mi optime frater, quòd opera, quæ ab homine, odio & livore tabescente procedunt, quantumvis sublimia & pretiosa appareant, nihil omnino faciant ad æternam vitam comparandam, nec esse grata Deo; quia charitate, quæ pretium & valorem dat bonis operibus, non informantur. Hujus rei testimonium etiam habemus in quodam Sacerdote, nomine Sapricio, hic à quodam aliàs intimo amico suo, nomine Nicephoro graviter offensus, injuriam condonare renuit, quamvis Nicephorus tum per alios, tum per seipsum sæpiùs etiam flexis genibus illatæ offensæ veniam efflagitaret. Historiam hanc latiùs prosequitur *Laurentius Surius*, & ex eo *Petrus Ribadeñeira*, cujus hæc est epitome.

7. Cùm Valerianus, & Galienus ejus filius Imperii, rerúmque potirentur, fuit Antiochiæ Sacerdos quidam Sapricius, & alius quidam laicus, sed tamen Christianus, nomine Nicephorus, quos arctissi-

ctissima copulabat amicitia, quam diabolus rupturus, studuit inter eos seminare discordias, quarum sementem fecit adeò vafrè, ut concordiam eorum quamvis arctissimam, sanctissimámque non paulatim dissuerit, sed subitò abruperit adeò potenter, ut alter alterius alloquium, congressúmque velis (quod ajunt) remísque fugerent, adeò ut cane pejus & angue sese invicem oderant. Porrò, Nicephorus paulatim placatus, divinitúsque instinctus resipuit, & ut advertit sese odio hoc, quasi præcipiti curriculo ad ima tartara devolvi, misit quosdam sibi familiares, qui Sapricium orarent per JESUM Christum, quò positis simultatibus & odiis mutuis in gratiam secum rediret. Audiit supplicem Sacerdos (quem oportuerat esse primum pacis actorem) nec exaudiit, quia neque fratri suo voluit reconciliari, neque ignoscere amico, veniam per suos amicos petenti. Non destitit in cœpto Nicephorus, sed alios, atque alios amicos secundùm tertiúmque ad Sapricum submisit, qui placarent iratum, sibíque reconciliarent. Sed oleum operámque perdidêre. Non potuit Sapricii cor quovis adamante durius emolliri. Tunc enim verò Nicephorus, ut implacabile Sapricii cor vel suâmet præsentiâ placaret, sibíque ejus animum magis etiam demereretur, ipsemet ædes Sapricii adiit, & vestigiis ejus advolutus oravit supplex, ut ignosceret sibi per amorem Dei. Sed impius ille supplicem repulit, neque justis adeò precibus aures accommodavit. O cor durum, dignúmque vindice pœnâ, quam meritò illi Deus inflixit. Cæterùm hoc rerum statu crevit Antiochiæ Imperatorum persecutio concita in Christianos, pro quali fuit & agnitus, & comprehensus, & ductus ad Præsidem Sapricius, ubi se Christianum & Sacerdotem professus, cùm se Deos adoraturum negâsset, jussit eum Præses in cochleam projectum immaniter torqueri, quod tormenti genus acerbum sanè & crudele Sapricius tam invicto animo pertulit, ut Præsidi etiam insultaret dicens: *Corpus tu quidem hoc excarnificare potes, animæ autem meæ, quæ in manibus Christi JESU est, potestatem nullam habes.* Igitur ut Judex ejus constantiam animadvertit, séque oleum operámque ludere sensit, eum jussit obtruncari. Cognovit in eum latam mortis sententiam Nicephorus, usúsque occasione, Sapricio ad supplicium ducto obviam prodiit, publicáque viâ pedibus ejus advolutus ait: *Rogo te Martyr Christi ignosce mihi, si quid peccavi ut homo.* Sapricius ad hæc nequidem verbulum respondit. Itáque Nicephorus per aliam plateam versus eidem obviam progressus, modestioribus, atque amantioribus verbis veniam poposcit adeò supplici gestu, ritúque, ut ipsi lictores, à quibus Sapricius ad Martyrium rapiebatur, Nicephorum irriderent, quod ab homine jam jámque morituro veniam postularet. Sed immite Sapricii pectus, quovis marmore, quovis ferro durius nullis potuit precibus inflecti, vel emolliri. Denique cum jam esset in loco supplicii, Nicephorus posuit ei ob oculos ingens Dei beneficium eidem collatum, quòd suomet sanguine ac morte divinam posset confirmare veritatem. Quamobrem rogavit, ut hoc se quoque beneficio afficeret, veniáque impertiret in ejus Domini gratiam, cujus amore moreretur. Neque hoc satis fuit ad expugnandum cor inexpugnabile Sapricii, quo scilicet intelligamus esse subinde quædam mortalium corda, vel ipsis feris leonibus, ac tigribus efferiora,

sibique

ſibíque conſtaret illa S. *Pauli* veritas: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Infeliciſſimus ille mortalium, cúm jam carnifex eum juſſiſſet genua flectere, lethaléque excipere ferrum, dixit: Cur autem me vultis occidere? Cui lictor, quoniam noluiſti Diis ſacrificare, & contempſiſti edictum Imperatoris propter hominem, qui dicitur Chriſtus. Tunc enim verò Sapricius, facio enim, quæ juſſerunt Imperatores, & Diis ſacrifico. Aderat huic ſpectaculo adeò triſti præſens Nicephorus, qui Sapricium lacrymis, teneróque pietatis affectu proſecutus eundem multis rogavit, monuítque, ut adeò conſtanter Fidem Chriſti profeſſus, ejúſque causâ tot támque diros jam cruciatus perpeſſus, porrò quóque conſtanter ageret, ne paratam tot doloribus Martyrii Lauream prodigeret; Sed qui clauſerat aures fratri veniam petenti, non meruit eas aperire eidem tam ſalubria ac neceſſaria ſuadenti: neque dignus fuit divinam conſequi miſericordiam, qui cum amico ſupplice redire noluit in gratiam. Itaque infelix & miſerabilis homuncio in ſua perfidia obſtinatus, in ſupremo mortis agone Chriſtum, quem vel in extremis tormentis fuerat profeſſus, negavit. Porrò, Nicephorus, ut periiſſe vidit Sapricium, amore divino ſuccenſus, Martyríique cupidus, protinus exclamavit: Ego ſum Chriſtianus, & credo in nomen Domini noſtri JESU Chriſti, quem iſte negavit, me ergo jam pro illo ferite. Nec mora, quid rerum gereretur, fuit admonitus Præſes, qui dimiſſo Sapricio Nicephorum juſſit obtruncari. Dictum factum. Sic alter ſecundùm corpus vitam retinuit, ſecundùm animam amiſit; Alter ſecundùm corpus occiſus, ſecundùm animam beatâ fuit immortalitate donatus.

8. Jam verò quis non videt in hoc Martyrio S. Nicephori, quanto ſeſe periculo objiciat cor durum, vindictæ cupidum, placari neſcium? Quis hîc non advertit omnia Chriſtiani hominis opera, quamvis ſublimia, pretioſa perfectáque, niſi radice charitatis nitantur, niſi ex amore DEI Proximíque naſcantur, nihil omnino facere ad æternam vitam comparandam, nec eſſe grata Divinæ Majeſtati? Deus enim nihil æſtimavit omnes Sapricii cruciatus ſui causâ toleratos, quod hos exinaniiſſet odium, quo cor ſuum, proximíque ſauciavit. Unde veriſſima eſt illa *Chriſti* ſententia *Matth.* cap. 6. *Si non remiſeritis hominibus delicta eorum, neque Pater veſter cæleſtis remittet vobis peccata veſtra.* Et rurſus cap. 7. *In qua menſura metieris fratri tuo, in ea remetietur tibi Dominus.* Hinc legimus in ſpeculo Exemp. quòd Burgenſis quidam nobilis, cùm odium erga quoſdam uſque ad mortem foviſſet, poſt mortem illius; dum in templo preces pro eo perſolvuntur, res ſtupenda, & à ſæculis inaudita accidit: Nam Crucifixi imago retraxit manus clavatas de ligno, & appoſuit auribus ſuis, & vox audita eſt: *Nec pepercit, nec parcam.* Sanè grande hoc prodigium Deus patrare voluit non tam ad miſeri hujus hominis confuſionem, quàm ad noſtram cautionem & monitionem, ne ſequentes ejus veſtigia ſimilem pariter incurramus æternæ mortis pænam, ſi vindictæ cupiditatem animo excludere recuſemus, aut cunctemur.

* * * *
* * *
* *
*

PARS

# PARS SECUNDA.

9. Porrò si hæc nondum sufficiant ad expugnandum alicujus cor irâ, rabiéque plenum, & vindictæ cupidum, moveatur saltem hâc horrifica tragœdiâ. Anno 1570. cùm inter duos in Hispania Religiosæ & celebris familiæ viros graves inimicitiæ exortæ fuissent & enutritæ, alter eorum lethali morbo correptus ad extrema deductus est. Tunc vel metu mortis imminentis, vel etiam facti pœnitudine motus, adversarium ad se advocavit, priusquam Ecclesiæ Sacramentis muniretur, eíque libens ac volens injuriam omnem remisit, imò amplexatus est eum. Hic, ut erat petulanti ingenio, ad alium sociorum quempiam conversus dixit: *Bonus ille vir mori timet, ideoque dimittit.* Pupugit ea vox moribundum adeò quidem, ut veniam, quam donârat, revocaverit illicò, simúlque durum illud atque diabolicum addidit: *Nec tibi condono ipse, nec à te mihi condonari volo.* Vix verba compleverat, & statim voce, & sensu omni privatus in ultimum agonem incidit, in quo infelicem animam efflavit. Fiunt ei tamen de more à Religiosis consueta suffragia. Quibus peractis omnes mensæ accumbunt. Et ecce sub hunc discubitum funesta & lamentabilis umbra ingreditur, atroci vultu, rigente horridáque comâ, oculis ignem spirantibus; hinc ad discumbentes conversus vocem hanc, velut è nubibus elisum tonitru emisit: Ob immane odium, quo vivus in terris arsi, ardeo in inferis mortuus, æternúmque ardebo; sed & ille, cujus culpâ ardeo, brevi ardebit. Móxque ad illum Religiosum sibi inimicum conversus ait: Sat epulis datum est, à mensa surge infelix, lata quippe est in me, & in te à Deo Judice sententia, ut, qui odia, & inimicitias aluimus in terris, alamus etiam in inferis, & in æternum quidem. Dixerat, & in illum adhuc mensæ inhærentem irruit, eúmque de mensa extrahit, & stringit. Cæterùm cùm infelix Religiosus se defendere, & pugnis, dentibus, morsibúsque reluctari vellet, subitò tellus sub pedibus eorum se diduxit, & utrumque absorbuit, atque ad inferos misit, nihílque de illis reliquum fuit, nisi intolerabilis fœtor. Hinc cæteri horrore, timoréque pleni ad sepulchrum iverunt, ubi jacuerat infame cadaver, & in eo repertum est nihil. Sic uterque cum corpore & anima ad pœnas sempiternas properavit. *Henricus Engelgrave.* in cælo Empyr. p. 2. fest. S. Stephani §. 1.

10. O Rem tremendam & perhorrescendam! Non jam *homo homini*, ut inquit *Ecclesiasticus* cap. 28. v. 3. sed Frater Fratri *reservat iram, & à Deo quærit medelam?* Verum est adagium: *Iræ Fratrum inter se sunt atrocissimæ.* Fratres hi ejusdem Religionis Filii, ejusdem mensæ participes, ejusdem Domini nempe DEI, Servi, si tamen Dei, quos detestanda odia mancipârunt diabolo; in eadem Virtutum schola educati, iisdem legibus ad perfectionis studium imbuti, per sacra votorum vincula sibi, Deóque colligati, tot annorum austeritatibus, & exercitiis probati, intestinæ tamen simultatis peste afflati, diabolicum sub habitu Religioso serpentem circumtulerunt. Maluerunt excidere cælo, quàm vindictam excludere corde, quàm frater placari fratri, & qui-

quidem Religiosus Religioso. Verè miserabiliores omnibus hominibus sunt viri Religiosi, qui spretis omnibus mundi illecebris se totos Deo consecrârunt, si Charitatem perdiderunt. Quid enim illorum Castitas, Paupertas, Obedientia, Charitate destituta, quàm lampas sine oleo, arbor sine fructu, corpus sine anima, Martyrium sine merito? Hinc meritò *Apostolus* ad declinandam iram nos adhortatur, cùm enim præmisisset: *Sol non occidat super iracundiam vestram*; subjecit: *Nolite locum dare diabolo*. Eph. c. 4. Quasi diceret: O homines Christiani, præcipuè vos Deo Sacri, initio statim iram comprimite, & refrænate, ne in animo hæreat, vel in verbum, aut factum asperius erumpat; nam si plusculum huic perturbationi indulgetis; si iracundam cogitationem fovetis, locum diabolo paratis, aditum aperitis, ut sese occultissimè insinuet, offensam acceptam aggravando, sanguinem commoveat, bilem excitet, malâ suggestione tanquam folle vindictæ cupiditatem succendat.

11. Habent, cur etiam atque etiam timeant sibi Religiosæ mentes, ne à parvis initiis in gravissimas iras delabantur; ne ex impatientia in amaritiem cordis, ex hac in varios indignationis motus, & denique in contentionem, mutuam aversionem, & discordiam devolvantur. Ideo rectè S. *Basilius* Orat. 9. ex collectaneis, monet. *Contentiones*, inquit, *in principio quidem exiles esse solent, & facilè curantur; at procedente tempore avitæ, insanabiles omnino evadunt.* Unde D. *Paulus* 2. Timoth. 2. ait: *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Incentor iræ diabolus similis est serpenti, qui cùm per foramen caput inseruerit, per illud totum deinde corpus infert. Cæterùm quod hîc probè notandum occurrit, etiam est quod docet S. *Anastasius*, quòd videlicet, si quis non dimittit injuriam, quæ sibi facta est, non orationem pro se facit, sed maledictionem super se inducit, cùm dicit: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus* Matth. 6. v. 12. Similem maledictionem in suummet caput accersivit suâ oratione quædam mulier, quæ cæteroquin laudatæ vitæ, & pietatis operum perquam studiosa erat; jejuniis macerabat corpus, preces frequentabat, &, ut Deo de nocte quoque vacare posset, parcissimè indulgebat somno. Sed harum virtutum præstantiam iracundia corrumpebat; nam si ab aliquo offensam acceperat, facta est implacabilis, & in odium obstinata. Tandem gravi morbo correpta, & præsenti Sacerdoti peccata est confessa, sed subticuit vitium immodicæ iræ. Denique dum ei Sacerdos Viaticum porrigere vellet, illa clausit os, & corpore ad parietem converso dixit: Sicut avertebam me sæpius ab iis, quæ gratiam offensæ rogabant, ita & nunc Deus avertit se à me; actum est, projecta sum à facie ejus, æternum non videbo illum, dæmonum in tormentis sum socia. Dixit, & desperatam animam exhalavit. *Joannes Junior* Dominicanus in scala cæli. Ex qua & aliis historiis nunc enarratis colligere fas est, quàm Deus odientes se in sua imagine, id est in proximo suo, vicissim odio persequatur adeò, ut de illis verificetur illud Psalmistæ. *Psal.* 108. 18. *Et dilexit maledictionem*, cùm odium corde excludere noluit, *& veniet ei: noluit benedictionem*, quæ suos inimicos diligentibus datur, *& elongabitur ab eo.*

12. Ex his facillimè colliges, habere etiam, cur sibi timeant religiosæ mentes, ne à parvis initiis ad gravissimas iras, & inde in salutis discrimen delabantur, & devolvantur.

Narrat

Narrat *Angelus Paciuchellius* Tractatu de Patientia, Clericum aliquem ex Ordine PP. Capucinorum in morbum incidisse, cui curando, cùm à Provinciæ capite, seu Provinciali domicilii locum, aërémque mutandi ex consilio medici licentiam postularet, nec impetraret, ad eam tandem devenisse impatientiam, aversionem, & iram, ut vultu, verbis, & gestibus, magnam intus latere tempestatem foris proderet. Hoc fomento tenaciùs morbo adhærescente, tandem animam exegit. Erat, quo tempore animam exhalabat miser ille, in Conventu de Gravina Pater Clemens, homo vitæ intemeratæ & sanctæ; hic priora enarrata resciens, in ecstasim raptus vidit infelicem illum Clericum ob impatientiæ & iræ crimen æternis ignibus addictum. Intellexisti hæc, mi frater, ob impatientiæ & iræ crimen perennibus adjudicatum flammis. Damnatus est, & ad inferos præcipitatus, non ob Sacrilegium, luxuriam, gulam, crapulam, ambitionem, &c. sed ob solam iram, & aversionem adversùs Superiorem suum conceptam, & non dimissam: Et tu Deus bone! tibi non caves? Ob levissima quæque excandescis, & indignaris confratri tuo? Quid tibi in morte aliquando constituto eveniet? Rogabis proinde Dominum JESUM Christum per illum amorem, & pietatem, quâ ille ob salutem nostram Crucis mortem subiit, ut te liberet ab omnibus vitiis, & peccatis, singulariter verò ab omni impatientia, ira, & odio, & cordi tuo inserat veram mansuetudinem, patientiam, & dilectionem proximi, etiam ejus, qui tibi malefacit, ut sic damnationis periculum effugiens, cælum securè merearis introire.

13. Porrò, ut insanum hunc iræ impetum reprimere indies magis addiscas, in memoria retineas ponderosum illud argumentum, quo usus est ad compescendam vindictæ cupiditatem *Thomas Morus*, Angliæ Cancellarius, & Martyr illustrissimus. Hic (ut scribit *Stapletonius* in ejus vita cap. 6.) cùm carcere detineretur, remedium, quod subjicio, carbone sibi descripserat: (dignum autem est, quod niveo vel aureo charactere pectori Christiano inscribatur) Vel bonus est, cui tu irasceris, vel malus? Si bonus est, tu certè malus qui bonum odisti: Si malus est, aut vitam corriget, & piè moriens salvabitur; aut si in malitia perseverat, damnabitur: Si salvabitur, cogito fore quòd me (qui spero, me quoque salvandum) tunc intimè & in æternùm diliget, egóque eum æterno amore complectar. Cur ergo nunc eum ad tempus odio persequar, qui me in æternum dilecturus est? Cur ab eo nunc ad momentum odio divellar, cui postea æternâ dilectione conjungar? Quòd si damnabitur, tantos in inferno miser ille cruciatus perferet, ut immanis planè sim, si non magis miseriis ejus compatiar, quàm personam odio persequar. Hæc *Morus*. Consentaneè nimirum ad illam Orbis Magistri admonitionem: *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* Rom. 12. 19. Et quoniam secundùm eundem *Apostolum* Hebr. 10. 30. *horrendum est incidere in manus Dei viventis*; ideo non debet homo seipsum ulcisci: quia hoc esset præripere, & invadere officium Dei, de ejúsque vindicta diffidere, quæ tanta est, ut potiùs commiseratione, & compassione digni sint, qui, cùm nobis leves injurias irrogant, in manus Dei viventis, & irati incident, in quas horrendum est incidere. Pulchrè & acutè *D. Bernardus* serm. 3. de Annunt. *Mihi vindicta, & ego retribuam.*

*tuam, dicit Dominus: Ita prorsus est. Ipse retribuet, sed si ei vindictam serves, si non tollas ab eo judicium, sinon reddas retribuentibus tibi mala.* Faciet judicium, *sed injuriam patienti: in æquitate judicabit, sed pro mansuetis terræ.* Aliàs, ùt scribit *S. Hieronymus, qui seipsum vindicat, ultionem Domini non meretur.*

14. Verùm enim verò, cùm hactenus dicta offensum præcipuè concernant, non autem offendentem; proinde superest, ut coronidis loco quædam dicamus, & investigemus, ad quid teneatur ille, qui proximum injuriatus est. Id quod discemus à Magistro cælesti, dum sequens nobis tradit hortamentum: *Matth. 5. 23. Si frater tuus habet aliquid adversùm te, vade priùs reconciliari fratri tuo &c.* Id est, si habet, quod jure de te queratur de injuria sibi à te facta, tu vade ad eum, si videlicet locus, tempus, & prudentiæ ratio id permittat, eique te per veniæ petitionem reconcilia; est enim hoc non consilium, sed præceptum, quod nisi adimplere pro posse satagas, frustra offers Deo munus tuum; non respiciet ille tua, quæ putas te operari, bona opera, in fumum abibunt tua quotidiana & repetita sacrificia. Quapropter age, amice lector, & exequere quod monet D. *Chrysostomus: Accede ad proximum tuum, à quo eum lædendo recessisti. Si cogitatu offendisti? cogitatu reconciliare: Si verbis? verbis: Si factis? factis. Si præsens est, humilia te; si absens, bonam voluntatem, ac propositum satisfaciendi habe.* Hæc porrò suo similiter communit calculo nostræ Eremitanæ Religionis Author, & Institutor, Sanctissimus Præsul *Augustinus*, dum omnes sub Regula sua militantes his cohortatur verbis: *Quicunque convitio, vel maledicto, vel criminis objectu aliquem læserit, meminerit satisfactione quantocyus curare, quod fecit.* Et interjectis aliquot verbis, rursùs ait: *Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.*

# SERMO IX.

## DE JUDICIO TEMERARIO.

*Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Matth. 7. v. 1.

## PARS PRIMA.

1. ANtequam agamus de judiciis temerariis, in quibus peccatum committitur, prælibare oportet quædam, quæ à Doctoribus de judiciis justis, in quibus nulla conscientiæ noxa reperitur, communiter afferri solent, ut his præ-

cognitis faciliùs & clariùs intelligatur, in quo fundata sit judicii temerarii malitia. Notandum igitur, opera quædam exteriora evidenter mala esse, & contraria legi Dei, quæ sunt peccata mortalia, & judicare propter illa de personis, quæ illa committunt, ipsos peccare mortaliter, & in perditionis periculo versari, nulla est culpa, nec tale judicium est temerarium, sed justum & rectum, quia adest sufficiens ratio illud formandi, adeóque non fit injuria personæ, de qua judicium fertur, quia suâ culpâ omnino meretur tam malam de se opinionem. Nec offenditur Deus, quia non usurpatur judicium de rebus occultis, quod ad ipsum solum spectat. Unde quando Christus dicit: *Nolite judicare* &c. id solùm intelligendum est de judicio, quod fit sine justa causa, uti docet S. *Chrysostomus* sic disserens: Dominus hoc mandato: *Nolite judicare* &c. non prohibet corripere & castigare manifesta peccata; sed proximos ex causis levibus, solísque suspicionibus condemnare. Quamobrem dum Apost. agit de vitando judicio temerario dicens: Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Hoc illis dictum est, qui volebant non de factis manifestè malis, sed de cordibus alienis, cùm homo exteriùs nihil clarè malum egisset, judicare. Sic docet S. P. *Augustinus* lib. 2. contra Donatum, cap. 7. Id quod etiam lib. 2. de serm. Domini indicat his verbis: *In his rebus, quæ possunt & bono animo fieri & malo, non audemus de alterius corde, quod non videmus, ferre sententiam; in illis autem factis, quæ bono animo fieri non posse manifestum est, uti sunt stupra, furta, ebrietas, & alia similia, non improbatur in sacra Scriptura, si judicemus.* Cùm enim talia sint materia correptionis fraternæ, quæ non solùm non interdicitur, sed magnopere commendatur, imò præcipitur in divinis literis (ut visum superiùs serm. 6. num. 20.) manifestè liquet, judicium de iis factum, non esse temerarium vel vitiosum; siquidem correptio fraterna esse non potest, nisi præcedat prævium judicium de malefacto proximi, uti notavit D. *Irenæus* lib. 4. cap. 49.

2. Notandum porrò: quemadmodum opera exteriora sunt, quæ naturâ suâ sunt mala, peccatáque mortalia, & judicare ex illis malitiam cordis, nullum est peccatum, ut ostensum; sic sunt alia opera & facta, dictáque exteriora, quæ licèt naturâ suâ peccata mortalia non sint, tamen sunt mortalium peccatorum indicia & signa, & propter hujusmodi indicia exteriora, & argumenta, dubitare de persona, vel suspicari, illam in illa mortalia peccata, quorum indicia, signáque exteriora dat, labi, res est, quæ sine peccato fieri potest. Hinc *Siracides* cap. 19. vers. 26. dicit: *Ex visu cognoscitur vir*, hoc est, qui non diligenter & circumspectè oculos suos custodit, sed liber & negligens est in visu, aspiciendo quidquid ei libet, ostendit cor suum vanum & lascivum esse, nec prudentiam ei inesse, nec honestatem. Unde sequitur: *Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis, annuntiant de illo.* Alii vertunt: *judicant mores ejus*, seu annuntiant de interiori animæ ejus dispositione. His ergo verbis dat Siracides quatuor indicia, per quæ quasi per fenestras mentem cujusque introspicias, ac latentem virtutem, vel vitium, simplicitatem vel hypocrisin deprehendas. Et primum, nempe *ex visu cognoscitur vir*, est clarissimum; prodit enim se natura per oculos. Unde sicut sapientia & sanctitas *lucet in vultu sapientis*, & sancti *Eccles.* 8. Ita insipientia & nequitia caligat

in vultu insipientis & nequam. Hinc sapienter & cautè quoscunque Dei servos monet S. P. *Augustinus* in aurea sua Regula ita scribens: *Ne dicatis, vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius.*

3. His breviter de justis judiciis, quæ fundamentum habent, & quæ culpæ expertia sunt, prælibatis, modò de judiciis, in quibus peccatum contrahitur, agere oportet. Hæc autem judicia perversa trifariè considerari possunt. Primum dicitur *Judicium temerarium*, & hoc procedit ex defectu certitudinis, & rationis, ut asserit *D. Thomas* 2. 2. q. 60. a. 2. Corp. Hoc autem fit, cùm aliquis judicat de his quæ sunt dubia, vel occulta, per aliquas conjecturas insufficientes & leves. Secundum est *Judicium usurpatum*, ex defectu authoritatis procedens. Nam quando homo judicat, in quibus non habet authoritatem, tunc dicitur judicium usurpare. Tertium est *Judicium præsumptuosum*, quod procedit ex defectu bonitatis; hoc autem contingit, cùm quis ex suspicione alterius, vel ex malis propriis judicat alium esse malum. Sicut autem tres judicii temerarii assignantur gradus; ita similiter tres ejusdem numerantur actus. *Primus* est: de actione alterius omni ex parte honesta & bona sinistrum ferre judicium. *Secundus* est: actionem per se indifferentem, perverso fine factam interpretari. *Tertius* est: proximum apertè delinquentem, in quem tamen jus nullum habet, judicare ex odio, ira, invidia, aliáque consimili animi passione, ejúsque errores exaggerare, eum despicere, contemnere, séque meliorem illo reputare.

4. Igitur primus judiciorum temerariorum actus est, quando de proximis nostris, qui in exteriori bene vivunt, nec ulla improbitatis indicia dant, judicium formamus, eos nimirum in secreto malos, & vitiosos esse intrinsecùs. Hujusmodi autem generis judicia sunt mortalia peccata gravissima; quia per ea maxima fit injuria Deo, usurpando id, quod proprium ipsius Dei est, nimirum de rebus occultis & internis judicando. Ac de his judiciis præcipuè intelligitur *Paulus* dixisse, 1. Cor. 4. 5. *Nolite judicare, quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Væ igitur illis, qui perversi judicii gladium stringunt super Dei famulos judicando eos esse malos, cùm boni sint. Hujusmodi pessima judicia Deus jam dudùm interdixit, per *Psaltem Regium* sic proclamans: *Nolite tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari.* Psal. 104. 15. Væ igitur illis, qui correptionem hanc surdâ pertranseunt aure. Audiant tales, quid dicat *Isaias Propheta* cap. 5. v. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Aquila* vertit: *Væ qui dicunt malo: bonus es; & bono: malus es.* Id est, qui perversorum maligna facta defendunt: bonorum verò virtuosa opera impugnant; His intentatur *Væ*, quod est æternarum pœnarum expressivum. Tales olim fuêre Judæi, quibus *Christus* Luc. 7. vers. 33. ait: *Venit Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum*; id est, non bibens, nec comedens jucundè more aliorum hominum, sed jejunans, & austerè locustis victitans, *& dicitis: dæmonium habet*; hoc est, (interprete Doctore Angelico) dæmonis operatione sic abstinet, abstractéque vivit. *Venit Filius hominis manducans, & bibens* cum hominibus mensâ, & modo vulgari, ac cum eis familiariter conversans,

versans, & en iterum perversissimum judicium, & calumniam; Judæi sine fronte innocentissimum JESUM nuncuparunt flagitiosissimè bibulum, & gulosum, deliciarúmque amicum: *Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus Publicanorum, & peccatorum.* De his porrò, & similibus temerariis judicibus verum habet illud S. *Climaci* (grad. 12.) dogma: *Sicut superbia etiam sine alio vitio hominem perdere potest; ita judicare proximum* (modo dicto) *per se jam solùm sufficit ad nos funditùs perdendos.*

5. Ad præsens hoc temerariorum judiciorum genus, quod modò explanatum, reducitur etiam sequens: nimirum, quando bona sanctáque opera servorum Dei ab hominibus tribuuntur vitiis, & conditionibus naturalibus: quamvis enim eos non judicent malos in secreto, tamen malè judicant, & sentiunt de operibus virtuosis, quæ faciunt, auferendo ab eis valorem, & dignitatem, quam habent, virtutis, & gratiæ divinæ. De his D. *Gregorius* in suis Moralibus ita scribit: Sunt aliqui, qui de omnibus malè judicant; Dicunt enim, si quis studet humilitati & mansuetudini, hypocrita est: Si honestæ recreationi, gulosus est: Si patientiæ, timidus est: Si justitiæ, impatiens est: Si simplicitati, fatuus est: Si jucunditati, dissolutus est: Si religioni, singularis est: Si societati, sæcularis est; Si silentio & solitudini, melancholicus est; Si aliorum correctioni, præsumptuosus est: Si instat vigiliis, jejuniis, & orationibus, indiscretus est: Si sobriæ dormitioni, somnolentus est: Si prædicationi, & aliorum saluti, appetitor laudis humanæ est: Si desistat, negligens est: Si habet gratiam hominum, adulator est; Si adulari renuit, superbus est. Ita *Gregorius*. Hi porrò temerarii censores, & judices Judæ Proditoris vestigia terunt. Vix Maria Magdalena ex nimio erga suum cælestem Magistrum amore effudit unguentum super caput ejus, continuò factum hoc indignè tulit Judas, ac ab eodem hæc unguenti profusio perditionis censurâ afficitur; dicebat enim: *Ut quid perditio hæc?* Matth. 26. 8. At verò, quod Judas Iscariotes perditionem, & damnum esse judicabat, id *JESUS* summè commendabat, dicens: *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis: ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Ah! utinam non multi vel in ipso electo Dei populo, inter Christi vernas reperirentur, qui similiter suis in judiciis hallucinarentur, sugillaréntque id in proximo suo, quod tamen Deus benignissimo dignatur contuitu, magnóque remunerat præmio.

6. Porrò principalis radix, unde hoc peccatum de proximo temerè judicandi procedit, est odium, & mala voluntas, quam homo erga suum proximum habet. Quemadmodum enim si quando radix arboris alicujus vitiosa est, videmus per experientiam, quòd humorem suum vitiosum in ramos & germina transmittens, malam qualitatem illis pariter communicet; sic similiter, si quando cor humanum veneno odii, & aversionis erga proximum suum est obnoxium, quidquid hic boni operatur, defectui adscribitur. Tales sceleratissimi judices olim fuêre Judæi; Siquidem quidquid operabatur pientissimus JESUS, omnia in sensum reprobum sunt interpretati. Si cui Sabbatô valetudinem restituisset, mox è specula sua prorumpebant, &, en, clamabant: *Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit.* Joan. 9. 16. Si cui paralytico peccatorum veniam fecisset, statim dicebant: *Quid hic sic loquitur? blasphemat.* Marc. 2. 7. Si dæmones

mones ab obsessis pelleret, multi non verebantur dicere: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Luc. 11. 15. Quemadmodum ergo Pharisæi omnia, quæ in Christo intuebantur, semper cavillabantur, & sacrilegè taxabant; sic usq; modò agere gestiunt eorum sectatores, filiíque diaboli in Dei amicos; Quidquid hi operati fuerint, omnia in sensum reprobum illi trahunt: nulla enim virtus tantæ est auctoritatis, quæ nequissimâ hac crisi non notetur. Iniquissimi hi, & odio plenissimi judices omnia simul vitiorum, virtutúmque nomina turpissimè confundunt. Quàm verò horum malitia in conspectu Altissimi execrabilis sit, plaga his criminosis judicibus inflicta quadantenùs designabit. Core, Dathan, & Abiron, etsi eos omnia mirabilia, quæ Deus per Moysen & Aaron operari dignatus fuerat, latere non possent; audebant tamen temerariâ præsumptione contra eos se erigere affirmantes, quòd ipsi se volebant elevare, ac sublimare ob suam ambitionem super populum Dei, & quòd, cùm non essent electi à Deo, se Principes & duces populi constituebant. Hinc & arroganter dicebant ad *Moysen*: Num. 16. 13. *Nunquid parùm est tibi, quòd eduxisti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? Reverà induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis & mellis &c an & oculos nostros vis eruere?* Sed quid accidit? Ecce vindicavit Deus famulos suos de hac injuria, illis temerario ausu illatâ; nam terra sub malignorum horum pedibus dehiscens eos absorbuit, & vivos ad inferna transmisit.

7. Huc etiam facit quod de S. *Philippo Nerio* in ejus vita scribitur: Cùm vir Sanctus Romæ instituisset visitationem septem Ecclesiarum, non defuêre aliqui, qui devotionem hanc sugillarent, dicentes, quod ex superbia, tantâ multitudine congregatâ, totius Urbis oculos ad se niteretur convertere: Hos inter etiam fuit Summi Pontificis Vicarius; qui Sanctum Philippum ad se accersitum acriùs increpavit dicens: Non pudet te, qui mundi contemptum profiteris, tantâ stipatum turbâ per urbem incedere, ut auram popularem colligas, indéque Ecclesiæ dignitates tibi adsciscas? At quid factum? Ecce Prælatus iste intra paucos dies miserabiliter mortuus occubuit; sícque persecutio cessavit, & viri sancti bona & recta intentio omnibus per signa miraculosa evasit manifesta. Discite hinc vos malevoli judices, intacta relinquere servorum Dei piè gesta, neque iniquâ ea imposterum ponderate bilance, ne in manus irati Numinis incidere vos, ultricésque dare pœnas contingat. Contrà & vos, qui judiciis hominum vapulatis, macte animi estote, neque miremini, si vestra rectè facta in sensum reprobum interpretetur mundus vósque malè judicet. Siquidem non aliter egit cum Dei Filio; audite ipsummet clarâ voce protestantem, & dicentem: *Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis & domesticos ejus? Si me persecuti sint, & vos persequentur.* Matth. 25. Quasi dicat: Si semper & ubique oblatrârint illi, qui tanta cum sapientia disposuit omnia, quíque in tanta prudentia & mensura omnia ponderavit verba, & opera sua: quid facient vobis, qui non habetis tantam sapientiam, nec tam circumspectè loqui, aut operari potestis? Qui igitur Christi vestigia sequi cupit, aliorum temeraria judicia floccipendat oportet.

8. Alter hujus judicii temerarii actus est, indifferentia, & quæ speciem tantùm mali habent, sinistrè interpretari. Ut si quis Sacerdotem in domum suspectæ mulieris intrantem judicet, ex intentione cum ea peccandi ingressum esse, cùm tamen is ad ejusdem confessionem excipiendam

piendam intrârit. Quam deteſtabilė autem tale judicium in oculis Dei ſit, & quàm ſeverè hoc puniat, docemur hâc hiſtoriâ, quæ refertur in Vitis PP. part. 1. cap. 23. Dum quidam Sanctus Monachus nomine *Vitalius* de proſtibulo aliquando egrederetur, quidam, qui temerè judicabat eum explendæ libidinis gratiâ in illo fuiſſe, colaphum ei impegit dicens: Uſquequo peſſime illuſor Chriſti non emendas te ab his nequitiis tuis? Qui dixit ad eum: Crede mihi, accipies alapam à me humili, ut tota Alexandria collidatur ad clamores tuos. Paulò pòſt vir Sanctus in cella ſua mortuus eſt. Interea verò alteri, qui illum percuſſerat, quidam dæmon ad inſtar Æthiopis apparens, inſignem ei dedit colaphum dicens: Suſcipe alapam, quam miſit tibi Abbas Vitalius, & cadens ſtatim cœpit ſpumare. Sed poſt aliquas horas ad ſe rediens, currit cum aſtantibus ad cellulam Vitalii, ut liberaretur, ubi & protinus ad ſolum illius aſpectum deſideratam obtinuit gratiam. Dum verò porta cellulæ aperiretur, Sanctum virum genibus innixum, veluti animam exſpirantem invenerunt; in pavimento autem legebantur digito inſcripta hæc verba: *Viri Alexandrini nolite ante tempus judicare, quouſque veniat Dominus*: Adibat autem Vitalius lupanaria, & in eiſdem pernox precibus vacabat, ut meretrices à turpi corporis quæſtu avocaret, hinc etiam eis pecuniam tantam, quantam ex vaga venere aliàs lucrarentur, tribuebat, ut vel unius noctis continentiam ſervarent. Ex quo liquet, quàm periculoſum ſit de aliorum actibus ſiniſtrum formare judicium. Sed ut hujuſce rei veritas magis eluceſcat, audire libet, quod iterum narratur in *Vitis PP*.

9. Fuerunt duo Fratres magnæ Sanctæque vitæ in congregatione, & meruerunt ſinguli videre gratiam Dei in altero. Factum eſt autem aliquando, ut unus ex eis egrederetur in ſexta feria, qui aliquem Monachum vidit manè manducantem; quare non interrogavit fraternè eum, utrum forſan eſſet infirmus, aut neceſſitatem comedendi haberet, ſed dixit: *quare tam manè manducas Frater? nonne ſcis, quòd ſit dies Veneris?* Quoniam putabat comedentem ſuæ Regulæ adverſari. Poſtero die facta eſt celebratio Miſſarum ſecundùm conſuetudinem; & dum alter ſuum confratrem intueretur, vidit, quod gratia, quæ ei data fuerat, diſceſſerit ab eo, & contriſtatus eſt. Qui cùm veniſſet in cellam, dixit: Quid feciſti frater, quia non vidi ſicut pridie gratiam Dei in te? Ille autem reſpondens ait: Ego neque in actibus, neque in verbis, neque in cogitationibus conſcius ſum mihi alicujus mali. Ad hæc alter: Nonne aliquod verbum, vel ſermonem otioſum locutus es? Et recordatus dixit: heſternâ die vidi quendam manè manducantem, & dixi ei: hâc horâ manducas frater in ſexta Feria? Hoc forſan eſt peccatum meum. Quare ad ſuum confratrem ait: Labora mecum duas hebdomadas, & rogemus Deum, ut mihi indulgeat. Et fecerunt ita. Elapſis duabus hebdomadibus vidit alter rurſus gratiam Dei in ſocio, & toti conſolati Deo gratias referebant. Porrò ſi ob tam pauca verba ex incuria duntaxat prolata hic Aſceta ſingulari illâ gratiâ ad tempus privatus fuerit, profectò pertimeſcendum habemus & nos, ne hâc planè ob ſiniſtra de aliis judicia deſtituamur.

10. Probè noverat virus in hoc vitio latens S. *Franciſcus Seraph.* qui vel ideo (ut *D. Bonaven.* in ejus vita teſtatur) acriter objurgavit ſui itineris ſocium. Cùm enim vir Sanctus pauperculo cuidam obviaret, & nuditati ejus identidem ingemiſceret, frater, cum quo iter agebat, dixit: Pater,

etsi ille rebus pauper est, fortasse rerum concupiscentiâ dives est: Quæ, ut audiit S. *Franciscus*, mox ipsum tunicam suam exuere, & pauperem operire jussit, simúlque nudus ad pauperis vestigia se abjicere, & de suo Judicio temerario à mendico veniam flagitare debuit; Quòd frater, ne à suo S. Patre repelleretur, libenter magnáque præstitit submissione. Pravæ igitur suspiciones, præsertim cùm de crimine nihil constet, sedulò vitandæ sunt. Ad hoc autem præstandum, cogitemus, dicamúsque cum S. *Paulo* 1. Cor. 5. vers. 12. *Quid mihi de iis, quæ foris sunt, judicare?* Præterea etiam juvabit ad hoc judicium declinandum consideratio, quam nobis suggerit S. *Chrysostomus*, dicens: Sicut difficilè aliquem suspicatur malum, qui bonus est: ita difficilè suspicatur aliquem bonum, qui malus est; quoniam quilibet homo judicat alterum secundùm se. Hinc *Ecclesiastes* cap. 10. vers. 3. ait: *Stultus in via ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes, quos obvios habet, stultos æstimat.* Et quemadmodum ille, qui per vitrum viride prospicit, omnia ei viridia apparent, qui per rubrum, omnia rubra; Sic ille, qui variis vitiis obrutus est, dum per suam conscientiam velut per speculum prospicit, omnia, quæ in proximo intuetur, vitiosa esse judicat. Quibus accommodatur illud *Apost. ad Rom.* cap. 2. v. 1. *In quo alium judicas, teipsum condemnas*, eadem enim agis quæ *judicas*. Et sicut præterea stomachus malæ complexionis cibos quoscunque etiam optimos in malam vertit substantiam, bonus autem omnes cibos etsi nocivos in substantiam bonam immutat; sic quoque malevoli homines, quæcunque in proximo conspiciunt, mala esse suspicantur, Boni verò & virtuosi cuncta, etiam quæ minùs videntur recta, in optimam trahunt partem.

11. Ergo quisquis coram Deo inter bonos, Religiosósque viros numerari cupit, caveat, ne de quibuscunque actionibus sui confratris sinistrum ferat judicium; sed credat omnia recto fine, & intentione illum operari, studeátque omnia ejus facta in partem optimam interpretari. Et quantum proinde præmium à Deo sperari possit, colliget ex visione quadam Fratri Leoni uni ex primis S. Francisci sociis factâ. Multi enim fratres ejusdem Ordinis magnâ claritate circumdati, & in ordinem distincti apparuerunt illi, in quorum medio quidam cæteris gloriosior gradiebatur, ex cujus oculis tanquam radii solares claritas emicabat adeò, ut ipsum intueri nequiret. Quare Leo proximè sibi astantes percontatus, quis esset ille? A quibus audiit, esse Fratrem Bernardum de Quintavalle primum S. Francisci Socium. Causam porrò tanti jubaris fuisse hanc: Quia hic in vita sua cuncta, quæ vidit, in meliorem traxit partem, omnésque Divinâ gratiâ multò digniores, & meliores se æstimavit. Si enim pauper mendicus ei obviaret, dicere amabat; Ecce Frater Bernarde, hic pauper suam pauperiem longè patientiùs tolerat, quàm tu tuam. Quod si verò ei quidam dives splendidè comptéque vestitus obvius esset, seipsum ad sui confusionem sic compellabat: Ecce iste quidem se sumptuosè vestiit, sed quis scit, an non fortassis sub hoc vestimento asperum nudo corpori appressum cilicium gerat, ut vel hoc stratagemate vanam declinet gloriam, carnémque suam occultè plus, quàm tu, castiget? Et propter hanc oculorum suorum simplicitatem tanto rutilat splendore. In *Chron. Minorum* part. 1. lib. 5. cap. 9. Sequamur itaque hujus viri Sancti exemplum, atque opinionem talem de proximo nostro formare satagamus. Etenim hoc nobis

nobis etiam suggerit S. *Dorotheus* Doctr. 16. Si enim, inquit, ad cellam cujusdam fratris intramus, & omnia incomposita, disturbatáque super cumulum jacere conspicimus, & fratrem ipsum minimè munditiæ externæ studiosum; sed in actibus suis sordidum etiam esse intelligimus, tunc dicere, sive cogitare debemus: O quàm felix & beatus est hic frater, quoniam sic in Deum absorptus est, ut externarum reum penitùs obliviscatur, eásque floccifaciat. Quod si verò ille in cunctis operibus suis mundus apparet, rémque suam ordinatè, solicitéque disponit, rursus ad simile judicium formandum nos accingere debemus: Ecce decor, & externus ordo manifesta præbent signa, hunc fratrem perbenè in interna animæ munditia constitutum esse. Habemus igitur hîc normam, secundùm quam nostrum Judicium circa aliorum acta mensurare, & regulare poterimus. Quomodo verò quis se gerere debeat, dum aliquem apertè peccare actionémve secundùm se peccaminosam elicere conspicit, intelliget ex mox dicendis.

# PARS SECUNDA.

12. NOtum perspectúmque est illud *Apellis* factum. Hic enim (ut Langius in Polyant fol. 617. refert) Imagines à se pictas ante domûs ostium exponere, hominúmque de iis judicia audire solebat. Itáque aliquando accidit, quòd quispiam Sutor transiens, & picturam contemplans, crepidas non ritè factas diceret, quod judicium Apelles patienter tulit; Ubi verò etiam de crure aliísque membris judicium ferre cœpit, indignatus protinus prorupit foras, dixitque: *Sutor ne ultra crepidam.* Similiter agere videtur Supremus omnium rerum Architector Deus, qui varias effingit statuas, animas scilicet creando, quæ sunt imagines Dei. Has exponit in publico mundi theatro, teste *Apostolo* dicente: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus*; (1. Cor. 4.) Exponit, inquam, has suas à se plasmatas imagines Deus, non quidem, ut nostra de eis judicia exploret, sed ut per earum aspectum, Divinum laudemus Artificem. Caveamus itaque judicare in his Dei simulacris ea, quæ ad nos minimè pertinent, si ab hoc mirabili Opifice objurgari, reprehendíque pertimescamus. Ast, dicet forsan aliquis, non judico de his, quæ bona & recta sunt, sive quæ mali speciem non præseferunt, sed tantùm de his, quæ peccaminosa videntur, sive in quibus offensa Dei relucet, quis enim peccata committentem benè agere dicet? Cui respondeo, nequaquam licitum fore tale Judicium, non quidem debemus laudare peccantem, sed nec etiam condemnare, quia ut S. *Paulus* ad Rom. cap. 14. vers. 4. ait: *Tu quis es, qui alienum judicas servum? Domino suo stat, aut cadit.* Ac si diceret, qui non suum servum sed alienum, etsi apertè delinquentem, judicat, pollere debet judiciariâ potestate ab illius servi Domino sibi delegatâ; ergo si tu de aliorum peccatis judicium fers, quæro ex te, quis tibi hanc potestatem dedit? Fortassis Te Deus alterius creavit Judicem? Nequaquam, sed socium, quia *Pater omne Judicium dedit Filio*, Joan. 5. non tibi; igitur si judicas alterum, ejus jurisdictionem tibi arrogas. Et quid amabo, hâc arrogantiâ virulentiùs? quid hâc superbiâ sceleftiùs periculosiúsve? Procul igitur abhinc omne Judicium temera-

merarium, quemadmodum monet *Apostolus* ad Rom. cap. 14. vers. 10. dicens: *Quid judicas fratrem tuum? Omnes stabimus ante Tribunal Christi.* In quo tantò rigidius feremus judicium, quantò rigidius proximum quisque judicaverit. Propterea *Apostolus* Epist. cit. cap. 2. subjungit: *Inexcusabilis es, ô homo omnis, qui judicas.* Quid gravius? quid tali censurâ formidolosius? Ad hunc scopum videtur etiam collimare pius Asceta lib. 3. c. 24. §. 1. dicens: *Quid ad te? utrum ille sit talis, vel talis? aut ille sic, aut sic agit, vel loquitur? tu non indiges respondere pro aliis, sed pro te ipso rationem reddes, quid ergo te implicas?*

13. Quamobrem etsi quandoque aliquem apertè videremus peccare, nón propterea tamen debemus nos meliores æstimare; sed imprimamus cordibus nonostris auream hanc D. P. *Aug.* sententiam, dum labentem intuemur confratrem. *Nullum peccatum*, inquit, *fecit homo, quod non potest facere alter homo, nisi adjuvetur ab eo, à quo factus est homo.* Unde commiserationem potiùs, quàm indignationem concipere debemus, ut superius serm. 6. n. 17. dictum. Præterea sperare possumus, quòd post illum actum peccaminosum contritionem elicuerit; quia ut mellifluus *Bernardus* ait: *Quando video aliquem suum proximum interficere, antequam cultellum extrahit, debeo eum pœnitentem æstimare, multò magis, si hodie video aliquem peccare, cras non debeo eum pro peccatore habere, sed pœnitentem æstimare.* Quod ulterius confirmat S. *Joannes Eleëmosynarius.* *Surius* enim in ejus memorat vita de quodam Juvene impudico, qui Virginem Deo Sacram ad libidinis suæ intemperantiam allexit, & secum Alexandriâ cum maximo totius civitatis scandalo Byzantium abduxit. Nemo non erat, qui Juvenem illum æternæ damnationis filium, & scelestum, & Sacrilegum appellaret. Cúmque eum Clerici coram B. Joanne exprobrarent, & excommunicandum fore dicerent, utputà, quòd duas animas perdiderat, suam videlicet, & illius Sanctimonialis. Quod ùt vir Sanctus audiit, compescuit os dicens: Nolite filii, nolite tantâ facilitate de proximo Judicium ferre. In duobus námque gravissima mala incurritis, unum, quòd præceptum illius transgredimini, qui nos ante tempus judicare prohibet; alterum, quòd summâ quâdam temeritate aliorum vos Judices constituitis. Incertum enim est omnino, an hucusque peccati vinculis alligati maneant, an verò Dei benignitate soluti peccati jugum à cervicibus suis excusserint. An ignoratis, quòd in eo judicio, quo judicabitis, judicabimini?

14. Porrò, si hujus memorati Patriarchæ Alexandrini opinio nondum alicui sufficientem addat stimulum ad excutiendum hoc malevolum judicium, exterreatur saltem eo, quod meminit S. *Dorotheus*, qui sic ait: Nihil gravius, nihil difficilius, quàm proximum judicare, vel contemnere. Cur non magis nos ipsos dijudicemus de malis propriis, quæ optimè novimus, & de quibus vel inviti reddere rationem Deo cogemur? Quid usurpamus judicium Dei? quid ad nos de creatura, & servo alieno? An non extremiscimus totis visceribus, dum audimus, quid Seni illi Magno contigerit. Qui cùm audivisset unum è fratribus in adulterium cecidisse, cum indignatione dixit: *Pessimè fecit.* Et ecce quidam Angelus illius peccatoris animam, cùm jam è vita migrâsset, ad Senem detulit, dixítque: En, quem judicâsti, vitâ functus est; quò me igitur jubes ipsius animam deferre, ad Superos ne, an ad Inferos? Quibus verbis Angelus nil aliud illi Seni in-

nuere

nuere voluit, quàm hoc: Si tu Justorum jam factus es Judex, dic mihi, oro, de miserabili hâc animâ, quam sententiam feras, velisne misereri, an sævire? Quæ cùm vir Sanctus audivisset, ita perculsus est hâc horribili interrogatione, ut reliquum omne vitæ suæ tempus inter lacrymas gemitúsque, & inter innumeras ærumnas transegerit, veniam tanti peccati deposcens à Deo. Ad pedes tandem Angeli revertentis procidens, audivit impetrâsse se veniam à Deo, Deúmque id fecisse, ut ostenderet, quàm ei grave & molestum esset Judicium nostrum temerarium, monuitque, ne animo id unquam faceret. Non tamen potuit Sanctissimus Senecio his verbis ullam admittere consolationem, sed perpetuis pœnis tormentísque sese, dum vixit, addixit. *Biblioth.* PP. tom. 2. cap. 6.

15. O si Sanctus hicce Eremicola ob tam leve judicium, quo ex nimio tantùm zelo, & non cum debito fraternæ compassionis affectu pronuntiârit Monachum hunc pessimè fecisse, quòd adulterium perpetraverit, ita confusus fuerit! Quid, quæso, fiet illis, qui nedum proximum suum ob aliqua commissa peccata cum furia pessimè egisse asseverant, sed insuper sæpe ex depravatæ passionis motu illum multis pœnis dignum esse judicant, & propterea etiam talem à Deo puniri gaudent, & optant? Profectò veniet tempus, ubi similes corrupti aliorum Judices pari judicio à Deo corripientur. Præterea etiam justo Dei Judicio plerúmque contingit, ut hi, qui alios judicant, in eosdem defectus, quos aliis imputârunt, cadant, Teste D. *Bonaventura* in Speculo Virginis dicente: *Sæpe merentur temerarii Judices aliorum, ut, aut in similibus, aut in gravioribus excessibus cadere permittantur, ut discant ex sua infirmitate compati alienæ.* Et certè hoc ipsum experiebatur Abbas *Machetes*, qui rotundè (uti *Cassianus* lib. 5. cap. 30. refert) fassus est, tria fuisse, in quibus alios judicarit, ac reprehenderit, sed in omnia tria paulò pòst ipsemet incidit. Unde hortabatur unumquemque, ut semetipsum tantummodo judicet, non autem aliorum vitam discutiat, eò quod manifestum sit, iisdem vitiis obligari Monachum, in quibus de aliis judicare præsumpserit. Et dato, quod in eadem non labatur delicta, attamen eâdem pœnâ dignus est, qui judicat, quàm qui peccatum committit; quemadmodum Salvator noster dilectæ suæ Sponsæ *Mechtildi* lib. 2. cap. 7. revelavit dicens: Magni esse criminis, dum homo judicat proximum suum, quem si injustè judicaverit, reus erit tanti sceleris, quanti esset is, qui fecisset hoc malum, quod de eo judicatur. Quod si homo etiam fecit id, quod de eo dicitur; tamen quia nesciens intentionem facientis secundùm cor suum, & sensum judicat, tam reus erit ex ipso judicio, quàm ille, qui rem ipsam perpetravit, & nisi pœnitendo diluat, simili pœnæ, quam ille promeruit, qui hoc malum fecit, & ille subjacebit.

16. Heu, quàm rigida est hæc censura! O verè pertimescenda, altéque cordi imprimenda sententia! Quis enim non advertit, quàm severe divina sæviat Justitia in iniquos aliorum Judices, dum eos sic arguit, non secus, ac si ipsimet peccata, de quibus proximum judicant, perpetrâssent. Ast dicet forsan aliquis hanc revelationem haud esse de Fide. Cui respondeo; esto, quòd non sit de Fide, ergone abjicienda? Profectò non, siquidem veritas ejus manifestè eruitur ex Sacris Paginis. Christus enim apud

S. Matthæum cap. 7. verſ. 3. ſic ait: *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Ex quo colligere eſt, ut rectè annotavit *S. Dorotheus* Serm. 6. quòd Chriſtus comparaverit peccatum Proximi feſtucæ, Judicium verò de eo trabi; Sícque longè gravius delinquit peccantem judicando, quàm ejus, qui judicatur, peccata perpetrando. Unde memoratus vir Sanctus deteſtandam temerarii Judiici impietatem ulteriùs exaggerare audet hiſce verbis: *Quid eſt gravius, quid hoc vitio moleſtius, atque infamius? Quid magis averſatur Deus, & abominatur, quàm crimen hoc? uſque adeò grave eſt proximum judicare, ut reverà omne peccatum excedat.* Et hoc vel maximè verificatur in eo, qui in impietate vivens, alios minoribus peccatis innexos ſuâ ferit maledictione, & judicio: cui rectè dicitur: *Medice, cura teipſum.* Audiamus; quid in talem proferat Spiritus Sanctus: *Eccli.* 21. 30. *Dum maledicit impius diabolo, maledicit ipſe animam ſuam.* At quid hoc? Dedecet ne, dæmoni maledicere? Nonne contra ſerpentem locutus eſt Deus ipſe *Gen.* 3. 14. *Maledictus eris ſuper terram.* Ita prorſus. Verùm cùm duo in diabolo reperiantur, natura ſcilicet & culpa, naturæ, cùm ſit bona, divinarúmque manuum opus, nemo jure maledicere poteſt: propter culpam verò ipſe maledixit Deus, maledixit David, probi omnes maledicere poſſunt. Poteſtne quoque peccator? Reſpondet D. *Thomas* 2. 2. q. 76. a. 1. ad 4. *Cùm autem peccator maledicit diabolo propter culpam, ſeipſum ſimili ratione judicat maledictione dignum, & ſecundùm hoc dicitur maledicere animam ſuam.* Pari paſſu cùm tu malus ſis, malè de malo dicens & judicans, malè de te dicis & judicas, imò ſi malè imprecaris illi, quia malus eſt, imprecaris & tibi, utpote malo. Atque hoc eſt, quod dixit *Apoſtolus* Rom. 2. *Propter quod inexcuſabilis es, ô homo, qui judicas, in quo enim judicas alterum,* quaſi malè agentem, *teipſum condemnas,* id eſt, oſtendis te eſſe condemnabilem; quoniam eadem agis tu ipſe, quæ judicas in altero eſſe damnabilia. Itaque, ſi probi & virtuoſi, dum impios non cùm debita charitate, ſed ex zelo quodam aſpero & inordinato reprehendunt, inexcuſabiles ſint, ut oſtenſum; quantò magis rei erunt improbi illi, qui adverſus alios delinquentes intorquent judicii ſui jacula, linguæque gladium ſtringunt? Hæc de gravitate judicii temerarii pauca dixiſſe ſit ſatis; modò de ejuſdem remediis aliqua annectere lubet.

# PARS TERTIA.

17. PRimum adverſus morbidam hanc judicii temerarii contagionem antidotum proponit nobis dulciſſimus Redemptor noſter JESUS Chriſtus; nimirum propriorum peccatorum noſtrorum memoriam. Nam cùm fortè invidi Judæi mulierem in adulterio deprehenſam ad eum deducerent, dicentes: *Joan.* 8. 4. *Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio; in Lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* JESUS autem cognitâ eorum verſutiâ, *inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra.* S. *Hieronymus* lib. 2. contra Pelagium arbitratur, Judæos hos, qui accuſabant, omnia ſua peccata mortalia in hac ſcriptura conſpexiſſe. Hinc erigens ſe Dominus, dixit ad eos: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Hoc

medio coërcuit à pravo judicio Pharisæos Dominus: nam quando à Christo audierunt, ut ille, qui arbitraretur se immunem esse à delicto, primum in adulteram lapidem jaceret, *unus post unum incipientes à senioribus exibant*; quia malè sibi conscii erubescebant de suis sceleribus, & quòd adulteram damnare vellent, dum ipsi essent adulteri, vel adulteris pejores. Et reverà magnam sapit temeritatem, si nos ejusdem criminis rei alterum judicemus, illiúsque malefacta condignis mulctari pœnis, nostra autem impunè transire optemus. Causa porrò, & origo hujus defectûs hæc est, quia minimè perpendimus gravitatem peccatorum nostrorum, teste S. *Climaco*, expertissimo in rebus ad Spiritum pertinentibus Magistro; Percipiamus ipsummet loquentem: *Grad* 10. Qui celeres, nimiúmque diligentes Proximi delictorum Judices sunt, hoc idcirco patiuntur, quia nondum suorum peccatorum fixam atque perfectam memoriam curámque susceperunt. Nam si quis amoto proprii amoris velamine mala sua diligenter inspiciat, nullius jam rei alterius in hac vita curam geret, id apud se reputans, tempus sibi sufficere non posse, quo seipsum lugeat, tametsi centum annos vixerit; etiamsi Jordanem Fluvium in lacrymas conversum ex oculis manare conspexerit. Hæc *Climacus*. Quod ipsum etiam egregiè confirmavit Senex ille, qui à fratre quopiam rogatus, quæ causa esset, cur assiduè judicaret fratres Monachos? Respondit: *quia necdum teipsum cognovisti; nam qui seipsum novit, Fratrum vitia non aspicit.*

18. Præclarè hoc præstitit S. *Abbas Pimenius*, nam dum vice quadam Patres antiqui in unum convenissent, & de multorum fratrum vita, & moribus detrahendo, & judicando locuti fuissent, Pimenius se ab eorum consortio subducens, foràs egrediebatur, tollénsque magnam sportam implebat eam arenâ, & ponebat super dorsum suum. Deinde de eadem arena accipiens replebat parvam sportellam, & appendebat illam ante se. Quem cùm fratres sic facientem conspexissent, inquisierunt ab eo, quid hoc factum sibi vellet? & respondit: Sporta magna, quæ multum de arena continet, significat peccata mea, quæ, quoniam multa sunt, projeci ea post tergum meum, nolens illa videre, ne pro illis doleam, aut plangam; Sed ecce, pauca delicta Fratris mei ante oculos meos locavi, & discrucior in ipsis condemnans fratrem; sed non oportet sic judicare, sed magis peccata mea ante me adducere, & de ipsis cogitare, supplicaréque Deum, ut mihi ea indulgeat. Quod audientes Patres dixerunt: *In veritate hæc est via Salutis æternæ.* Non absimilis est Pimenio nunc memorato Abbas *Moyses*, qui à reliquis Patribus accersitus, ut sententiam in Fratrem lapsum diceret, advenit sacco arenâ pleno onustus, rogatúsque quid ferret? respondit: *peccata mea, quæ quoniam vix portare valeo, multò minùs aliena portare possum.* Quibus verbis vir Sanctus innuere voluit, quàm detestabile, juxtáque periculosum foret absque authoritate legitimâ de apertis etiam delictis proximum temerè judicare. Sequere ergo, amice frater gemina hæcce exempla, & amplectere adversus hoc virulentum vitium antidotum, quo nunc præfati Sancti hi Patres usi fuerant ad profligandam hanc contagionem, quæ ut efficacius præstare valeas, attentè rumina, nec è memoria tua elabi sinas nunc dicenda.

19. Quod quemlibet nostrûm à Judicio temerario etiam avocare deberet, est, quòd Deus Ter Optimus Maximus nunquam

quam permitteret aliquem labi in aliquod peccatum, nisi sciret hunc ipsum lapsum vertere in bonum. Hinc Theologi in Tractatu de Prædestinatione docent, permissionem peccati in Electis esse effectum prædestinationis illorum; quia dum in varia prolabuntur peccata, alacriores ad currendam perfectionis semitam resurgunt; nam quemadmodum S. Paulus ad Rom. cap. 8. ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ubi *Glossa* addit, *etiam ipsa peccata*: & S. Thomas ibidem Lect. 8. docet, *peccata Prædestinatorum cooperari ipsis in bonum.* Idem passim asserunt SS. Patres, inter quos S. P. *August.* hæc scribit de corrupt. & gratia cap. 9. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, usque adeò prorsus omnia, ut etiam, si qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia meliores redeunt, atque cautiores.* Præterea etiam permissio peccati est volita à Deo propter aliquem bonum finem. *Deus enim*, ut citatus S. *Doctor* in Enchir. cap. 11. ait, *cùm sit summè bonus, nullo modo fineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeò omnipotens & bonus, ut benè faceret etiam de malo.* Et quod hæc ita se habeant, clarè conspicere licet in Apostolorum Principe Petro, in Evangelista Matthæo, in S. Maria Magd: ac centenis aliis peccatoribus, qui si nunquam cecidissent, nec ipsi tam Deo grati evasissent, & multi præterea in sempiternum præcipites acti fuissent exitium, quos tamen lapsus & pœnitudo Petri aliorúmque pœnitentium erexit, ad pœnitentiam agendam provocavit, ac tandem ad æternæ Beatitudinis præmium ablegavit.

20. Præterea etiam tametsi reproborum peccata non veniant in eorum utilitatem & fructum, cedunt tamen in bonum Electorum; Nam ut discurrit D. Thomas sup. cap. 8. Epist. ad Rom. lect. 6. Sicut mala naturalia, quæ accidunt in Universo, non semper ordinantur ad bonum illorum, quibus accidunt, bene tamen ad bonum Universi: ita malum culpæ, seu permissio illius non semper eligitur in bonum ejus, cui permittitur peccatum, bene tamen in bonum nobilissimarum partium Universi, scilicet Electorum. Suppositâ igitur hâc doctrinâ tanquam certissimâ, videamus, quantæ sit malitiæ genus, si mox, dum aliquem peccare cernimus, eum iniquè judicemus; præsertim cùm ignoremus, utrum delinquens sit ex numero Prædestinatorum, an verò reproborum. Si est inter Prædestinatos, tunc credendum est, hoc ipsum peccatum committenti cedere in majus animæ suæ bonum. Sin autem inter reprobos peccans est, rursus indubiè hujus peccata in Electorum commodum verti. Convertamus ergo nos sive ad Electos, sive ad reprobos, & videbimus cuncta eorum mala à Deo in finem optimum dirigi. Quid itáque iniquiùs Judicio tali? Proinde non immeritò S. *Raymundus* inter alia vice testamenti suis Filiis spiritualibus relicta, specialiter hortatus est eos, ne quem unquam judicarent; dixítque hoc esse necessarium ad veram mentis puritatem, ut in omnibus Dei voluntati attenderetur, qui omnia permittit ad bonum finem.

21. Quapropter ut quis ex alterius lapsu fructum metere valeat, imitetur Sanctum quendam Anachoritam, qui (ut S. *Dorotheus* Doct. 8. refert) cùm aliquando Fratris cujusdam lapsum cognovisset, cum gemitu in hæc prorupit verba: *Heu mihi! ille hodie, ego cras.* O quàm citò invenit, ne fratrem suum judicaret, per illud enim verbum; *Ego cras*, in seipso timorem salubrem excitavit, sícque judicium temerarium effugit. Cæterùm etiam in his & similibus casibus optimè quis

quis fecerit, si intra se ruminaverit hæc: Et si ego fuissem gratiâ divinâ destitutus, sive in his, aut illis occasionibus positus: haud dubiè & ego, quemadmodum talis, & talis, in peccati laqueum cecidissem; quare gratias potiùs Deo meo agam, quòd hisce periculis me non exposuerit, quàm quod proximum meum temerè judicare vellem. Juvabit præterea ad hoc judicium radicitùs extirpandum attenta consideratio, quòd videlicet sæpissimè multi materialiter duntaxat peccent, etsi quandoque gravia perpetrare videantur, utpotè quia bonâ fide autumant non fore malum, quod agunt; Sæpè etiam adest ignorantia inculpabilis, multæque aliæ causæ nobis penitùs incognitæ, ob quas Misericors Deus illis hunc, aut illum actum, secundùm se aliàs peccaminosum, non imputat in peccatum. Igitur si quis absque omni consideratione, & sine ulla item potestate de similibus materialibus peccatis mox proximum suum reprehendere, & judicare præsumeret, quem tamen Deus excusat, an non meritò talis malevolus Judex enormiter delinqueret? Hinc rectè quemlibet nostrûm *D. Bernardus* serm. 4. in Cant. adhortatur dicens: *Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum.* Item: *quemadmodum exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ Domini*, ut loquitur *Isaias* cap. 54. *à viis nostris*; id est Judicia ejus à Judiciis nostris. Sæpe quippe quod nobis justum videtur, à Deo reprobatur, & è contra quod quandoque iniquum esse suspicamur, à Deo laudatur, & præmiatur. Unde non rarò in nostris Judiciis gravissimè hallucinamur, uti colligere licet ex historia, quam subjungo.

22. In Vita *MARIÆ de Victoria* narratur, cùm Anno Domini 1604. Ordinem Monialium instituisset, accidit aliquando, ut intelligeret monialem quandam totaliter desperatam cum morte luctari. Advolavit ergo illa, & invenit spectaculum prorsus miserandum. Nam quidquid vel Sacerdos, vel sociæ pium in aurem inclamâssent, semper visa est indignari. Inter cætera exhibebatur miseræ imago Crucifixi; sed illa aversabatur Salvatorem, quem neque oculis quidem benignis intueri voluit. Jubebant illam, ut saltem osculo suum Salvatorem veneraretur, sed illa os, oculosque pertinaciter clausit. Quin, quod horrendum auditu est, in Sacrosanctam Christi Crucifixi effigiem cum ingenti circumstantium scandalo sæpius phlegmata fœdissima exspuit. Ob quam causam varia hominum judicia de ea circumvolabant. Alii enim dicebant, eam non esse mentis capacem; alii eam conscientiæ stimulis & furiis agitari dicere non dubitabant; alii verò asseverabant illam sæpe quidem, sed nunquam rectè candidéque peccata confessam esse, odia ac libidines suas Confessarium celâsse, ut casta, & sancta haberetur, proinde illi justo Dei judicio contingere, ut jam in extremis uti non posset remedio Sacramentorum, quibus in vita abusa pro divina gratia atque amore iram meruisset. Itaque mirum non esse, si spem jam nullam habeat, quæ Divina nunquam seriò tractâsset. Porrò inter omnes, qui tam diro spectaculo præsentes aderant, nemo magis hanc sacrilegam desperationem abominatus est, quàm MARIA de Victoria, quæ memor divinæ Potentiæ clementiæque ad lectum propius accedit, ut suis precibus Divinam opem puellæ impetraret, eámque à desperatione liberaret; neq;

ab inceptis precationibus remisit, donec videret ægrotam menti restitutam, & ab illis insaniis liberatam. Vim habuêre preces, puella enim menti quietíque pristinæ restituta est. Cúmque interrogaretur à MARIA de Victoria, cur ab Authore Salutis, atque ab ipsa Christi Crucifixi imagine paulò antè adeò horruerit? & cur amantissimum suum Sponsum in Cruce pendulum conspuerit? Cui illa, quid? inquit, ego ne, ut tu Venerabilis Mater dicis, à Christo me averti? egone dulcissimum Salvatorem meum sputis in eum projectis inhonoravi? Absit, absit. Sed scito me nequaquam à Christo, aut ejus effigie, sed ab ipsomet cacodæmone tantopere abhorruisse, præsentem enim adfuisse diabolum horrendâ specie spectabilem, qui sese identidem inter Crucem & me interposuit, omníque vi voluit, ut locò Crucifixi ipsum oscularer. In quam tam impiam suggestionem, cùm ego nollem consentire, cacodæmoni in faciem spui, tentationíque impurissimæ obstiti, neque tranquilla fieri potuissem, donec tuis precibus tentator abigeretur.

23. Verùm enim verò quis hæc audiens, non admiretur? non obstupescat? ac simul ab hoc judicio sibi non caveat? præsertim cùm intelligat, omnes hos gravissimè hallucinatos fuisse, dum indubitanter hanc devotam Christi Sponsam, pessimam lascivámque fuisse fœminam pronuntiârunt. Quare nos admonet *Gentium Doctor* Epist. 1. ad *Corinth.* cap. 4. vers. 5. scribens: *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Ast, ut supradictorum veritas magis elucescat, adjungere libet aliam præcedenti non multùm absimilem historiam, cujus meminit *Stengelius* Tom. 3. de Jud. Divin. cap. 37. num. 1. Non procul Voburgio perantiquo Oppido colonus provectæ jam ætatis, uxore ac liberis jam dudum extinctis, in agresti casa solus degebat, nec aliud agebat, quàm votis ac precibus Deum venerari. Unde passim, pius rusticus audiebat. Hic omnibus Dominicis ac Festivis diebus ad Oppidum prædictum, ut Missarum Solenniis interesset, confluxit, peractísque divinis officiis ob suam inopiam stipem ostiatim quærebat, quâ sequenti hebdomadâ vitam toleraret, cui etiam omnes hujus loci incolæ liberaliter eleëmosynam impertierunt. Cæterùm duo latrones hunc rusticum ob receptas ab incolis donationes multo argento divitem esse rati, invaserunt noctu tuguriolum ejus, & miserandum Senem corripuerunt, mortémque minati, nisi collatum sibi peculium omne prodat. Pauper Senecio, cùm negaret quidquam auri argentive possidere, ad terram ipsum prostrârunt, funémque collo ejus injecerunt, ac miserandum in modum pium rusticellum strangulârunt. Hinc undique pecunias quæsierunt, sed nullas invenerunt; quare consilium injerunt, quemadmodum nefarium scelus tegerent, omnémque latrocinii suspicionem à se removerent. Corpus igitur interfecti è trabe suspenderunt, ut visentibus opinionem ingererent, infelicem hominem ultrò sibi mortem consciviffe. Sic obseratâ fortiter januâ parricidæ profugerunt. Latuit res in diem proximam Dominicam, in qua à Voburgensibus dum desideraretur, ægrum cives suspicati, submittunt, qui decumbentem invisant, & stipem cum edulio delicatiore deferant. Sed famuli cùm domunculam clausam reperissent, nec signum aliquod ab inquilino percepissent, Oppidanis renuntiant Senem abesse, & haud dubiè Religionis

aut

aut voti causâ peregrinatum abiisse. At ubi diutius quàm pro more abesse animadversum est, res paulatim in suspicionem venit, fortasse miserum se ipsum occidisse. Itáque fores vi infregerunt, simúlque introeuntes lamentabile spectaculum conspexerunt, scilicet miserabilem Senem è ligno suspensum. Defertur res ad Magistratum Voburgensem, qui pendulum detrahi, & tanquam cædis reum sub patibulo humari præcepit. Quapropter omnes passim unanimiter hunc pium rusticum, non talem, qualis forinsecùs æstimabatur, sed simulatorem & hypocritam fuisse dictitârunt, multísque aliis malis modis, uti in similibus eventibus homines facere amant, eum judicârunt. Enim verò Supremus ille Virtutum Arbiter non diu sivit pauperculum colonum tantâ notari infamiâ, sed quantocyus ejus Sanctimoniam in hunc manifestavit modum. Nundinæ Voburgii futuræ erant, ad quas maxima hominum multitudo confluere solebat, inter quos etiam erant claudi, cæci, elephantiaci, qui non secus ac sani ad illam frequentiam concurrebant. Ex his primùm cæcus, dum alienâ manu ductus patibulum transiret, ubi innocentis rustici cadaver sepultum jacebat, repentè cœpit oculos aperire, cælum terrámque mirabundus intueri. Secutus est hunc eodem tempore, qui in pedibus ligneis incedebat, & mox etiam ille in eodem loco sanitati restitutus, abjectis grallis magnâ lætitiâ circumfusus sine mora currere cœpit. Accessit demum, qui fœdâ lepra erat notatus, quare & ille præter omnem spem in eodem loco à sua infirmitate absolutus est. Hæc res tam inusitata, cùm per oppidum latè spargeretur, cogitarunt incolæ, fortassis innoxium illum Senem & rusticum non debito in loco tumulatum. Interea evenit, quòd illi scelerati latrones, qui agricolam hunc domi suæ interfecerant, Voburgii alio nomine comprehensi, jam in vinculis detinebantur, qui cùm ex custodibus carceris audirent, quæ cæco, claudo, & elephantiaco proximè patibulum transeuntibus accidissent, miraculo attoniti cædem à se factam confessi sunt, omnémque rei seriem Magistratui exposuerunt; quam ob causam ad casam Senis accesserint, hominem jugularint, & jugulatum in furcam egerint, ut furti suspicionem à se amolirentur: se omnino existimare, tres illos juxta patibulum ope illius sanitati redditos esse, ut Innocentis cædes divinitùs proderetur. Senatus Voburgensis Episcopo Ratisbonensi prodigium nuntiat, qui mox cum Sacro Ordine, & frequenti hominum concursu locum supplex accessit, corpus effodit, suísque ipse & suorum humeris Voburgium deportavit, ubi multis deinceps beneficiis in homines collatis nobilitatus, & cultus est. Parricidæ illi tum propter hoc, tum propter alia facinora extremo affecti sunt supplicio.

24. Quis igitur nunc hanc historiam legens, vel audiens non dilucidè cognoscat, verissima esse, quæ paulò ante memorata sunt? Intelligit enim, quòd hic colonus passim pro facinoroso homuncione habebatur, ob cujus tamen Sanctimoniam Deus miracula patrare non est dedignatus. Idcirco cùm tam fallax sit Judicium humanum, summopere nos satagere oportet, ne ab hoc pessimo vitio circumveniamur; ut verò ejusmodi laqueos evadere valeamus, perpendenda nobis quoque erunt commoda, quæ hujusce Judicii triumphatores referre solent, sed quia multa & varia sunt, omissis cæteris, unum duntaxat &

& quidem principale emolumentum inde enaſci ſolitum per cujuſdam hiſtoriæ narrationem ſpecificabimus. Anaſtaſius Epiſcopus Antiochenus cognomento Sinaita, teſte *Baronio* tom. 8. annal. Anno 599., refert, quòd quidam Vir unus ex eis, qui Monachali inſigniti ſunt ſchemate, cùm negligenter per ſummum otium vitam ſuam omnem exegiſſet, eâ, quæ eſſet ad mortem, infirmitate cœpit infirmari. Cúmque jam ultimum duceret ſpiritum, magnam præ ſe tulit lætitiam. Quamobrem quidam aſſiſtentium Patrum ad moribundum converſus ait: Frater unde, quæſo, tibi tanta ſecuritas, ut mortem non ſolùm non pertimeſcas, imò hanc quaſi irrideas? an neſcis forſan te magnâ negligentia animíque remiſſione vixiſſe? Cur ergo gaudes, ubi dolere & flere potiùs deberes? Cui frater reſpondit: Eſt ita omnino Patres, vitam per ſummam negligentiam duxi; Sed Angeli Dei hac ipſa horâ peccatorum meorum chirographum ad me attulerunt, cúmque omnia peccata, quæ poſt ingreſſum Religionis commiſi, legiſſent, percontati me ſunt, an ea agnoſcerem? Quibus reſpondi, maximè agnoſco, ſed ex quo renunciavi ſæculo, vitámque monaſticam inſtitui, nec quemquam judicavi, nec ab ullo mihi factam injuriam meminiſſe volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto, & oro, qui dixit: *Nolite judicare, & non judicabimini.* Et, *Dimittite, & dimittetur vobis,* Quæ poſtquam Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum conſciderunt, & inde nunc ſumma cum lætitia, & ſecuritate proficiſcor ad Dominum. Hæc ubi frater ille narravit Patribus, ſuum ſpiritum Domino reddidit, magnæque aſtantibus ædificationis, utilitatisque cauſa, & auctor extitit.

25. Quapropter Frater chare, ſi & tu cum hoc felici Monacho quondam ſecurè rigidiſſimum DEI Judicium effugere affectas, ſi mortem (quæ aliàs teſte Philoſopho omnium terribilium terribiliſſimum eſt) cum interna cordis dulcedine, ſpiritualíque gaudio præſtolari optas; ſi peccata tua in nihilum redigi deſideras; quid putas tibi faciendum fore? forſan dices, ut hanc à Deo gratiam impetrare valeam, neceſſe profectò habeo, ut jejuniis, vigiliis, ciliciis, diſciplinis, aliiſque id genus pœnitentiæ operibus carnem macerem, & extenuem. Aſt falleris, ſi arbitraris te ſine his auſteritatibus non poſſe prædictos favores adipiſci, tametſi enim talia mortificationum exercitia multùm proſint, ſi cum debito modo, & diſcretione fiant; nihilominus tamen ſunt & aliæ longè faciliores methodi, quibus æque extraordinarias à Deo gratias conſequi poſſumus, inter quæ media non ultimum tenet locum fuga judicii temerarii, ut ex præfata ſatis abundéque liquet hiſtoria. meritò proinde monet noſter Salvator apud S. *Lucam* cap. 6. dicens: *Nolite judicare, & non judicabimini.* Quid ſuaviùs, quid conſolabiliùs, quid feliciùs, quàm audire ab ipſomet Deo, ſe non judicari? Et ecce, hæc promiſſio omnibus de proximo ſuo ſiniſtrum judicium non ferentibus facta eſt. An non igitur operæ pretium fuerit omnem navare operam, ut quis temerarium judicium ex corde ſuo evellat, evulsúmque poſt columnas Herculis projiciat? Enimverò ut hoc efficaciùs præſtare valeas, obſerva diligenter pro coronide binas haſce doctrinas practicas, quarum unam tibi ſuppeditat quidam Aſceta, de gradibus humilitatis ſic ſcribens: Multò tibi diligentiſſimè non ſecùs atque à maximo peccato cave, ne

ne ullo de aliis judices modo: sed quidquid illi fecerint, dixerintve, in meliorem partem accipe, sollicitéque apud temetipsum inquire, quâ eos defendas ratione, non aliter, ac si ipsorum ageres Advocatum, quod si id, quia res prorsus evidenter mala est, præstare nequeas, nihilominus eósdem apud te quantùm potes, excusa, conjiciendo culpam, vel in deceptionem animi, vel in tentationis vehementiam, vel in malitiam diaboli, vel in id genus alia, & tuum denique animum ab horum cogitatione averte.

26. Alteram verò sumes ex eo, quod Deus S. *Catharinæ Senensi* dixit: *Ut attingere possis ad unionem & puritatem, nunquam judices de re aliqua, quam videris ab aliquo fieri sive dici contra te, sive contra alium. Etsi videres etiam peccatum expressum, extrahes ab ista spina rosam odoriferam, videlicet eos offerendo coram me per veram & fraternam compassionem, & isto modo pervenies ad puritatem perfectam.* An non hæc magna promissa? Igitur sic facies. Quandocunque conspexeris confratrem tuum minùs rectè agere, converte te toto cordis affectu ad Deum, & dic: O mi dulcissime Deus, ecce frater meus hoc seu illud malum commisit; utrum autem hoc sit in oculis tuis etiam perversum, quemadmodum videtur meis, planè ignoro; sive igitur ita est, sive non, à me tamen procul absit judicare. Verumtamen ô mi Deus, hoc te enixè oro, quod si hic meus frater verè per hanc aut illam actionem Te Summam Bonitatem offendisset, quæso, parce ipsi, ac resurgendi gratiam concede, neque ideo eum à facie & misericordia tua repelle: Ego enim tibi offero in hujus delicti compensatioñe pretiosum Filii tui Sanguinem, ipsiúsque charitatem, & mansuetudinem, quâ tolerat nos. Nosti etiam, Domine, ex malo, elicere bonum, cedat igitur ad majorem tuam gloriam defectus iste, & ad meliorem humilitatem delinquentis. Custodi præterea, Domine, oculos id spectantium, ne scandalizentur, liga linguam, manus, &c. ne eadem agant. Hæc si studiosè observare studueris, scito, te non solùm ex alterius lapsu nullum reportaturum spiritûs nocumentum; sed quàm plurimum insuper spiritualis incrementi cumulum congregaturum in præsenti tempore, quo frueris cum ineffabili animi jubilo in æternitate.

27. Pro coronide notandum, cùm in præsenti materia nonnulli possint oriri scrupuli inanes, ad quos pellendos observandum est, quòd licèt verum sit, quando de dubio proximi peccato agimus, ut judicium de eo faciamus, dandam à nobis operam esse, ut id in meliorem partem interpretemur, & quoad possumus excusemus, ut supradictum num. 11. attamen quando agimus de culpa proximi, ut ei medeamur, damnúmque, quod inde possit existere, impediamus, oportet nos illam in pejorem partem declarare; hoc est, licèt eam non credamus, debere tamen nos diligentiam adhibere ad medendum ei, ac si eam crederemus, & quamvis nesciamus verum esse, debere nos applicare media, quæ necessaria sunt ad malum, ac damnum, quod inde sequi potest, evitandum. Exemplis res clarior fiet: E. g. alis domi tuæ servum, & habes indicia quædam & conjecturas, quòd furetur, aut domesticam aliquam fœminam solicitet, & quamvis propter hæc indicia in corde tuo non judices, neque credas verum esse, sed dubites, & potiùs ad excusandum, quàm condemnandum inclines; tamen custodis domum tuam, arcas tuas probè claudis, numos manibus ejus non credis, neque permittis eum cum mulieribus domi conversari, vel, ubi ex morantur,

rantur, ingredi, præcidens illi quas haberet occasiones, commoditatésque peccandi. Hoc est, res dubias in partem deteriorem, ut remedium eis adhibeatur, trahere, id quod licet, valdéque bene fit, dum prudenter fiat. Nam si verum est, proximum (de quo dubito) nullam habere culpam, utendo ego hâc diligentiâ, & circumspectione, nemini damnum, nec injuriam facio; quia justam id faciendi causam habeo. Et si fortè verum esset, ipsum habere culpam, & in peccata, quorum de illo sunt indicia, lapsum esse, illa diligentia & solicitudo tollendi ei occasiones, ac remedium adhibendi, valdè utilis est, & necessaria, ut is se corrigat, & emendet, nec aliis malefacere pergat. Hoc porrò argumentum magis adhuc stringit, ubi non dubia indicia, sed clara apparent delicta, quæ etsi juxta dicta excusari debent à privatis personis; non sic tamen in Judice, sive Superiore, ad quem de jure spectat subditorum excessus punire, ne malum in detrimentum aliorum porrò serpat; séque tacendo, connivendo, delictum perpetratum excusando, attenuando, alieni peccati reum, ac participem faciat. Hæc pro informatione nostra de judicio temerario disseruisse sufficiat; Quia verò non minùs dilectioni fraternæ adversantur murmurationes, detractiones, & contentiones; ideo de hac vitiorum triga agendum seorsùm. Sit ergo

# SERMO X.
## DE MURMURATIONE.

*Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt.* 1. Cor. 10. v. 10.

## PARS PRIMA.

1. UT à Definitione sermonem incipiamus, sic murmuratio definiri, seu describi potest, quòd nimirum *sit quædam querela cum impatientia, in his quæ homo deberet patienter ferre*: & tale murmur fit, dum vel ore, vel malâ voluntate contradicitur, fitq; communiter contra Prælatos & Superiores, tam Laicos quàm Ecclesiasticos, & de illis crebrò inferiores queruntur. Hinc legimus Exodi 16. v. 2: *Murmuravit omnis congregatio contra Moysen, & Aaron in solitudine, & dixit ad eos: Utinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium! cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?* Aliàs (ut habetur Exodi 17. v. 3.) cùm Hebræi viderent deesse aquam, mox contra Moysen, suum ductorem Ducémque obmurmurarunt: *Sitivit populus præ aquæ penuria, & murmuravit contra Moysen dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos siti?* Voluit autem divina Providentia electum populum eò pervenire, ubi nec guttula aquæ siti sedandæ in promptu esset, nimirum ut non murmurando & querendo, sed orando, & firmiter sperando in Deum, ab eo cum humilitate posceret aquas, nec dubitaret, quin ipse de more succurreret siti illorum. Aliâ vice tædio affecti Israelitæ; quòd hinc inde per laboriosa

riosa itinera ducerentur à Moyse in solitudine; unde dixerunt ad eum: *Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ; anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Numer. 21. v. 5. Porrò quantoperè talia contra Prælatos & Præpositos murmura Deus aversetur, quantúmque illa eundem ad iracundiam, & vindictam arment, liquet ex pœna, quam passi sunt Hebræi propter sua murmura: Misit enim Dominus in populum suum electum, & dilectum ignitos serpentes, quibus multi eorum sunt enecati. Quamobrem pœnitentiam agentes *venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te: ora, ut tollat à nobis serpentes.* Numer. 21. 7. Jam nemo est, qui nesciat illud *Pauli* assertum 1. Cor. 10. 6. *Hæc autem in figura facta sunt nostri*; id est, propositi sunt nobis Israelitæ in exemplum, non imitandum, sed fugiendum, ideo subdit: *Ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.* Et mox iterum vers. 10. idem Apostolus, soliciti Pastoris officio fungens, omnes Christi fideles monuit dicens: *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt*, scilicet in solitudine à serpentibus morsi *perierunt*, id est mortui sunt temporaliter & æternaliter, duplici nimirum morte videlicet corporis & animæ. Subnectit continuè *Paulus*: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta autem sunt ad correptionem* seu admonitionem *nostram*; quasi diceret: Deus punivit Hebræos in figura nostri, hoc est, ad exemplum nostrum, ut eorum pœnâ sapiamus, ne nos similiter, si contra majores nostros murmurare non timeamus, cum illis Israëlitis pereamus æternùm.

2. Hoc irremediabile malum ne incurramus, oculos figamus oportet in aliud horribile divinæ vindictæ exemplum, quod nobis similiter sacræ proponunt paginæ de Core, qui erat homo de Tribu Levi; hic cum ducentis quinquaginta proceribus Synagogæ ex invidia, & ambitione adversùs Moysen & Aaronem seditionem movit, contendens, Sacerdotium deberi Filiis Levi, quòd tamen erat hæreditarium familiæ Aaronis. Huic rebellioni se etiam conjunxerant Dathan, & Abiron, & Hon de Tribu Ruben, existimantes Principatum, & regimen populi sæculare non deberi Moysi, sed Tribui Ruben, qui erat primogenitus Jacob. At verò Moyses suam injuriam dissimulans, Aaronem protegere volens, dixit ad Core, eique adhærentes: *Quid est enim Aaron, ut murmuretis contra eum?* Numer. 16. 11. Verùm quia hos rebelles murmuratores pacare non potuit Moyses, ideo Deus inusitato eosdem castigare voluit supplicio. Nam illos 250. viros ignis à Domino egressus absumpsit. Core verò, Dathan, Abiron, & Hon, sicut etiam ipsorum uxores, liberi, famuli, ancillæ, totæque domus cum rebus omnibus à terra absorpti sunt, idque ad detestationem tanti criminis, & ad terrorem populo incutiendum, ne posteris temporibus aliqui contra legitimos suos Superiores murmurare, eisque rebellare præsumant. At verò; ô incredibilem ac obstupescendam Israëlitarum cæcitatem, & stupiditatem! visâ námque tam horrendâ rebellatoribus murmurosis à justissimo scelerum vindice inflictâ plagâ, saniora sapere noluerunt. Quippe statim postero die in seditionem versi, tumultuari iterum cœperunt, prout Sacer Historicus refert, dicens: *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini.* Sed ecce terribilem rutsus pœnam & vindictam divinam; nam quatuordecim

cim millia hominum, & septingentos ex murmuratoribus consumpsit incendiū, ùt videre est in libro *Numeri* c. 16. v. 49.

3. Quis hinc non intelligat, quàm execrabile malum sit murmuratio adversùs Prælatos, & Superiores, quæ tam formidabili supplicio punitur? Graphicè & nervosè hanc in rem disserit *Gerardus Abbas*: *Grande malum sit, oportet murmuratio, quando eam tam tremendo jam olim Deus punivit supplicio. Si tam rigidus Dei furor fuit in Judæorum cruditate, quàm erit abominabile, murmur in Religiosorum perfectione?* Si Dathan, & Abiron prior utérque sic castigatur, quid posterior illis Religiosus murmurator, ceu alter Dathan, alter Abiron, qui illorum, tótque aliorum exemplo non corrigitur, expectandum habebit? Profectò non aliud, quàm exitium sempiternum, quod etiam incurrit ob sua murmura miser iste Religiosus Clericus, cujus superiùs serm 8. num. 12. meminimus. Proinde ad hoc malum à nobis avertendum „ nos graviter commonet *Mellifluus Doctor Bernardus*, sed hìc profectò non mella stillans: *Grave peccatum* (inquit de modo bene vivendi serm. 48.) *est murmuratio: Regnum cælorum nullus qui murmurat, accipit; nullus, qui illud accipit, murmurare potest.* Igitur necessarium est valdè nobis consilium *Pauli Apostoli*, dicentis: *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. Linguas ergo nostras à murmuratione custodiamus, ne* (*quod absit*) *sicut illi perierunt in hoc sæculo, nos pereamus in futuro. Non ergo murmuremus, ne fortè sicut illi perierunt in hac vita, nos pereamus in futura. Caveamus ab omni murmuratione, ne fortè quod illi passi sunt in corporibus, nos patiamur in animabus.* Bernardum sequitur Author *Anonymus*, qui in Sermone quodam (serm. 19.) ad fratres in eremo sic scribit: *Murmuratores, detractores, vel susurratores nullatenus esse debemus, scientes, quòd tales Regnum Dei non consequentur.*

4. Notatu dignissimus in præsenti occurrit quidam Evangelicus textus, tractans de Juda Proditore, quando se in perditionis barathrum præcipitavit; dicitur námque: *Tunc abiit unus de duodecim, Matth. 26. 14.* Ubi *D. Chrysostomus* homil. 81. in Matth. quærit, & ait: *Tunc* istud ad quodnam tempus referendum est, quando ista locutus est? Tunc Judas, ut Magistrum proderet, abiit, quando ista locutus est, nempe contra mulierem, ac Magistrum, cùm tantum unguentum diffundi permitteret, cùm ejus pretium posset pauperibus elargiri, & cùm hæc loquitur, ac murmurat, in tam nefandum proditionis scelus labitur. Plura alia delicta commiserat Judas; fur erat, & loculos habebat, & tamen tunc in proditionis delictum non labitur: sed modò, quando nempe negatâ debitâ reverentia contra suum Magistrum insurgit, ipsúmque devenustare satagit, & sub pietatis prætextu mulierem calumniatur, & contra ipsam murmurat. *Tunc* (ait *Chrysostomus*) quando ista locutus est, *abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes ad Principes Sacerdotum &c.* Tunc merebatur derelinqui à DEO, ut in profundum adeò corrueret præcipitium, & ut nos discamus à tam execrabili vitio abhorrere, ne similiter ob murmurationis grande nefas justè sinamur labi de scelere in scelus, ac tandem in perditionis barathrum devolvamur, & cum Juda suppliciis deputemur æternis.

5. Porrò, quò magis magísque ab hoc murmurationis crudeli monstro fugiamus, audiendus est *Henricus Harphius* qui in sua mystica Theologia lib. 2. part.

part. 1. cap. 7. de hujus vitii gravitate ita ſcribit: Certò certiùs ſcias, nihil homini damnabiliùs eſſe coram Deo murmuratione, præſertim contra Prælatos, & Superiores: Quia, ùt *Auguſtinus* ait, in nullo populus Iſraël in veteri Teſtamento Deum in tantum offendit, ſicut quòd murmuraverunt adversùs Deum, hoc eſt, adversùs Superiores, quos Deus ordinaverat, videlicet Moyſen & Aaron. De hujusmodi Religioſis vix ſpes eſt, quòd proficient; quia murmuratio eſt unica filia dæmonis, cui cuncta paſcere monaſteria commiſit, quam iſti ſibi deſponsârunt. Hæc *Harphius*, vir ex S. Franciſci Ordine religioſiſſimus, & in rebus ad ſpiritum pertinentibus expertiſſimus, qui ulteriùs in murmurationis vitium invehens taliter declamat; *O maledictum peccatum! ô odibilis beſtia! Nam omnia opera bona tu devoras. Tu prænuncia es ignis infernalis: tu pauperem animam non Deiformem, ſed Dæmoniformem efficis. Ob tuam odibilitatem Dathan, & Abiron cum ſua progenie oportuit viventes deſcendere in infernum. Propter te Chore cum ducentis quinquaginta viris infernali igne comburebantur, ac corpore ſimul & animâ ad inferna deducebantur.* Ob hanc murmurationis culpam è tanto numero filiorum Iſraël (trigeſies centena millia putantur fuiſſe) nemo omnium niſi Caleb & Joſue, in promiſſionis terram penetrârunt; his duobus ſolis exceptis, reliqui omnes in vaſtis illis eremis perierunt, ùt dictum ſuperiùs. Serm. 2. num. 20. *Illorum igitur pœna*, inquit *Origenes*, *emendatio ſit noſtra.* Qua de re graviter & accuratè *Chryſoſt.* Vides (inquit tom. 4. hom. 8. in Ep. ad Philip.) quod eos erudiat per plagas, ne murmurent? Eſt enim ſervorum improborum & inſenſatorum murmurare. Meliùs fuerit nihil operari, quàm cum murmuratione. Nam & quod factum eſt, perit. An non vides, quòd & in ædibus noſtris iſta perpetuò dicimus: nempe ſatiùs eſſet hæc non fieri, quàm murmurando fieri? Et ſæpe malumus miniſteriô privari, quàm murmurantem ſuſtinere.

6. Hæc nobiliſſima Græci Oratoris admonitio apud paucos admodùm, fructificare ſolet; cùm cernamus hanc Judaicam murmurationis labem etiam Chriſtianos nimiùm quantùm inficere. Proniſſimum eſt cuique contra Magiſtratum, Præſides, Majores, contra quoſcunque alios, contra Deum ipſum tacitis querelis murmurare. Verùm, ſi laici tantùm iſtiuſmodi murmurationis toxico eſſent infecti, tolerabile malum eſſet; cùm ignorantia ex aliqua ſaltem parte eosdem excuſare poſſit. At verò, quòd hæc peſtifera lues Religioſos etiam invadat, hoc ſtupendum videtur; nam quot inter eos ſunt, qui, cùm eſſent in ſæculo, prorsùs ignorabant, quid eſſet murmuratio, jam videntur in Monaſterio emiſiſſe votum murmurandi: tam ſunt proni ad murmura & aſſidui in illis. Horum autem vitam, ac religionem Deo minimè gratam eſſe, irrefragabilis eſt teſtis *S. Jacobus* Apoſtolus: audite eum magnâ energiâ perorantem; *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe*, Deum timentem & colentem, *non refrænans linguam ſuam* à murmurationibus, *ſed ſeducens cor ſuum*, ſibi perſuadendo ſua murmura non eſſe peccata, *hujus vana eſt religio*, inanis & falſa, Deóque inviſa & odioſa.

7. Opportuniſſimè ad præſens propoſitum facit, quod ſcribit *Zacharias* in Annalibus Patrum Capucinorum ad annum 1559. de quodam fratre Laico: Hic per integras ſeptimanas laborabat in

in horto; diebus verò Dominicis mittebatur cum Patribus Concionatoribus de Monasterio. Hoc, cùm sæpenumero ei à suis Superioribus injungeretur, laboris hujus tandem pertæsus intra semet mussitare cœpit: Totis hebdomadibus in horti cultura desudo, &, cùm diebus festis interquiescendum esset, novis iterum fatigationibus infestor: Ubi hoc iterum contigerit, non parebo, sed potiùs Religionem deseram. Proximô intercurrente festô, cùm ille timeret, ne fortè iterum mitteretur cum Concionatore, peractô prandiô, relictâque consuetâ oratione (quâ Patres quinque Pater & Ave in Ecclesia recitare solent) subduxit se confestim ad cellam, nihili curans sacrilegum propositum. Interim maxima horribilium corvorum multitudo ad cœnobium advolat, rostris ac pennis omni conatu in cellam fratris penetrare laborans. Cùm tam insolitis crocitationibus omnes terrerentur, & quid nigrum agmen vellet, perquirerent; Guardianus: Non hi, inquit, corvi sed dæmones sunt, habéntque potestatem in unum ex nostris, ut ipsum secum ad orcum avehant. Cúmque omnes (excepto illo fratre qui satis negotii habebat, ut corvos arceret) ad pœnitentiæ Sacramentum confugerent, Guardianus, accito fratre, periculum ei exposuit, monuitque simul, ut examinatâ conscientiâ, Confessario, si quid reperiret, detegeret. Vix persuasus est. Perceptâ igitur absolutione, corvi admirando cum strepitu evanuerunt. Intellexistisne, qui claustra incolitis, quàm ambigua aleísque plena vestra sit salus, dum contra vestrorum Superiorum ordinationes, & jussa obstrepitatis, & mussatis.

8. Audite porrò, quid de hujusmodi murmuratoribus Religiosis verè irreligiosis sentiat *S. Bernardinus Senensis*; dicit enim, eum, qui cum murmure suo Superiori obedit, Christo Domino acetum cum felle propinare: Ipsissima hujus Sancti, & præcelebris Doctoris verba sunt: *Qui cum murmure obediunt, felle Dominum pascunt.* Verba sunt *Psalmistæ*: (Psal. 68. 22.) *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*; cibus enim Christi est obedientia opere adimpleta. Unde Dominus ipse ait: (Joan. 4. 34.) *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Potus autem ejus est obedientia cordis, quam Dominus perfectò sitit. Fel igitur Christo in escam datur, cùm sit murmuratio oris: acetum ei quoque ministratur in potum, cùm sit murmuratio cordis. Obedientia talium, obedientia dæmoniorum est; Proinde *Luc.* 4. scriptum est, quòd ad præceptum Christi exibant dæmonia, clamantia & dicentia: *Quia tu es Filius Dei vivi*, qui licèt obediant, tamen obedientes non sunt. Ita *S. Bernardinus.* Hujus similiter sententiæ olim erat gloriosus Patriarcha *S. Benedictus*, qui in sua à se conscripta, & à Spiritu divino dictata Regula cap. 15. sequens suis discipulis ac alumnis, & quorumcunque etiam aliorum Ordinum Religiosis tradidit dogma, dicens: *Cum malo animo si obedit discipulus, & ore si murmuraverit, imò etiam solo corde, etsi impleat jussionem tamen acceptum non est Deo opus, & obedientia, qui cor respicit murmurantis.* Cùm enim hujusmodi obedientiæ actus, esto demum opere exerceatur, ex ipso adjuncto murmure vitietur, ille sanè Deo placere non potest, quia bonus non est: *Bonum enim* (ut omnium vox est Philosophorum) *ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu.* Ut ergo pestilens hoc murmurationis malum à finibus nostris

nostris procul pellatur, superest nihil, nisi ut attentas & obedientes demus aures Orbis Magistro monenti, & dicenti: (Philip. 2. 14.) *Omnia facite sine murmurationibus, ut sitis sine querela*, id est, ut nemo jure de vobis queri possit, *& simplices*, id est sinceri & candidi *filii Dei*, qui titulus novus est, & maximè honorificus, quique nos ad omnem virtutem & sanctitatem exstimulare debet, ne simus degeneres, neve murmuremus contra paternam ejus providentiam, dum sinit malos dominari bonis. Addit Paulus: *Sine reprehensione, in medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*, ut in nocte hujus sæculi quasi stellæ resplendeatis, & refulgeatis per animi constantiam, fortitudinem, & patientiam, quæ vos murmuratores esse neutiquam patietur, aut sinet.

# PARS ALTERA.

9. Coeptam ut prosequamur materiam, aliqua de murmurationibus, quæ in specie fiunt contra cibum & potum, superaddamus oportet. Quòd si quis librum Exodi, & inprimis capita 14. 15. & 16. Item caput 11. caput 14. & caput 21. libri *Numeri*, paulò diligentiùs perlustraverit, reperiet in illis, quòd Deus Hebræos tam amicè, & humaniter tractare nunquam potuerit, quin semper obmurmurarent. Clamores illorum assidui erant isti: *Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine. Quid bibemus? Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen, & Aaron, dixeruntque: Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate; cur induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?* Vix sedato hoc populi fremitu, mox ortus est alius, nam confusis clamoribus vociferabantur: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique, & cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.* Hæc illi perpetuis querelis urgebant: modò panem, modò aquam, modò carnes deesse conquerebantur, nunquam nō fremebundi contra Deum & murmurantes. Profectò omnia in figura: Hebræi quippe præfigurabant homines claustrales: sicut enim illi erant populus à Deo singulariter electus, & dilectus; ita & isti; Sicut Israelitæ ex Ægypto (ubi duris laboribus tanquam servi & mancipia vix non opprimebantur) educti à Deo per desertum deducebantur in terram melle & lacte manantem; Ita Religiosi singulari Dei beneficio ex Ægypto hujus mundi tam immundi vocati, & extracti, in libertatem filiorum Dei asserti fuere, ut per Claustrorum desertum, tanquam per viam securiorem, licèt nonnihil asperiorem, & molestiorem, pertranseuntes, tandem pertingant ad æternæ promissionis terram, hæreditatem videlicet cælestem. Veruntamen, licèt Hebræis Deus mensam omnino lautam in deserto præbuisset, nimirum panem Angelicis manibus confectum, qui omnium ciborum suavitatem & gustum continebat, Scripturâ attestante: Sapient. 16. 20. *Angelorum escâ nutrivisti populum tuum, & paratum*

*panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem*; hâc tamen tam exquisitâ & cælesti dape contenti non erant, nimis levis fuerat ei ista tractatio; hinc contra Deum, Moysen, & Aaronem perpetuò murmurabant, ùt vidimus. Sic etiam multi ex Religiosis inveniuntur, qui, quanquam eis sufficienter, imò sæpè etiam affluenter de cibo & potu provideatur; murmurare tamen non cessant; Subrepit enim hæc pestis sæpe numero in Claustra Religiosorum, & abstinentiæ professores, efficit non tantùm de penuria & parcitate cibi & potûs, sed etiam de ejusdem sufficientia, & abundantia murmuratores.

10. Quòd si verò quispiam nosse cupiat, quid manducent, qui edulia sibi apposita cum murmure manducant, id discet ex visione quadam, quæ cuidam ex Sanctis illis eremi Patribus cælitùs facta fuit, uti narratur in libro de doctrinis Patrum lib. de Provid. num. 25. Hic ergo Sanctus Anachoreta cùm aliquando cum pluribus fratribus cœnaret, comedentibus illis, vidit in spiritu quosdam edentes mel, alios autem panem, nonnullos verò stercus. Et admirabatur intra semetipsum, & deprecabatur Dominum dicens: Domine, revela mihi hoc mysterium. Et audivit vocem desuper dicentem: Qui manducant mel, hi sunt, qui cum timore & gratiarum actione edunt ad mensam, & incessanter Deum laudant. Qui autem panem manducant, hi sunt, qui gratias agentes percipiunt quæ à Deo donata sunt illis. At verò, qui stercus manducant, hi sunt, qui murmurant, & juxta suum sensum judicant, & dicunt: Hoc bonum est, & illud malum. Illi itaque comedunt stercus, qui, dum eis quidpiam, quod ad eorum gustum non est, apponitur, impatienter & indignè ferunt, suámque linguam in murmura solvunt.

11. Verùm, quod vel maximè hac in re videtur paradoxum, est, quod inter hos murmurones multi reperiantur, qui in paternis ædibus pane caruerunt, pellendæ fami necessario; jam in religione non sufficit illis mediocritas, lautitiis inhiant, & abundantiam in cunctis adesse volunt. Hi professionis suæ prorsus immemores, è diametro agunt quod Magnus Pater *Augustinus* in aurea sua Regula interdicit, dum Religiosos omnes in hæc verba monitos esse voluit: *Non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt*; Ast isti quanquam tempus ferme omne otio & ignaviâ miserè dilapident, inutiliáque videantur esse terræ pondera; volunt tamen, quasi de religione optimè meriti, bene haberi, & tractari; horum & genium & ingenium his admodùm vivis coloribus expressit S. Hieronymus epistolâ ad Nepotianum sic scribens: *Nati in pauperi domo, & in tugurio rustico, qui vix millio, & pane cibario rugientem satiare ventrem poterant, nunc similam & mel fastidiunt.* Hi porrò, secundùm *S. Basilii* mentem simillimi sunt illis Israëlitis, qui in deserto murmurârunt, & ejusdem criminis obnoxii.

12. Huc facit, quod de Joanne Dajelo Londini in Anglia in domo Carthusiensi professo, affert *Stengelius* part. 4. cap. 7. num. 8. Mundi Theoritici. Allati fuerant huic Joanni Dajelo quadam die cibi non sapientes, nec, ùt arbitrabatur, sufficientes. Itaque in impatientiam datus cæpit murmurare, palámque cum stomacho dicere: *Mallem bufones, quàm hujusmodi pisciculos comedere.* Annuit voto Deus, & non fraudavit eum desiderio suo. Tantam enim extemplò bu-

fonum copiam illi in cellam adduxit, ut cumulati totum illius loci pavimentum replerent. Nec otiosi hærebant, sed quocunque pedem movebat Joannes, post eum reptantes, aut salientes tanquam ministri sequebantur. Si mensæ accumberet,commanducabant, in patinas, in discum, involantes ingrati parasiti. Si se ad quietem recipiebat, aderant undique bufones, etiam in lecto sociati: si quem in focum proijceret, illæsus statim exsiliebat. Unum forcipe prehensum, igne torrere instit, sed tantus ex eo fœtor exhalavit, ut avernali hac mephiti per totum claustrum intolerabiliter propagatâ, à cæpto desistere compelleretur. Alios fuste elisit, sed mox alii, aliique superveniebant, & numerum augebant.Toto mense Pharaonica hæc plaga in cella, in horto autem trium mensium spatio perduravit. Desiit tandem,ubiJoannes stulti desiderii sui impietatem satis deploravit,quam etiam postea omnibus magno animi dolore solebat commemorare. Hâc igitur correctus plagâ, didicit posthac omnia quàm diligentissimè cavere murmura.

13. Quæ ut & tu, qui ista legis, vel audis, fugere discas, neque in victûs tenuitate, ac penuria constitutus, in querelarum alveos prorumpas, perpendas necessum est, convivium illud, quod Judæi Christo struxerunt, nimirum pro edulio fel, pro vino acetum, illi apposuerunt. Bis Christo in supplicii clivo poculum est porrectum, quod tamen nihil ad sedandam sitim faciebat. Primus Crater, antequam cruci affixus esset, vinum mirrhatum,seu acetum felle mixtum erat. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.* Matth.27.34. Alter,dum jam palo fixus est, spongia fuit puro mersa aceto: *Currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere:* Ibid. vers.48. A quo tamen utróque potu sitis minimè sedata, sed irritatior facta fuit. In hujus facti expositione positus *Dionysius Carthusianus*, documentum dat, cui nos nedum accommodare aures, sed & obtemperare ipsa æquitas, ac ratio suadet. *Consideremus*( inquit ) *quotidie hanc novissimam Christi mensam; qua propter nos cibatus est felle, & potatus aceto; sicque discamus cibi, & potûs superfluitatem, ac voluptatem vitare, per abstinentiam libenter & rationabiliter carnem castigare, & de victualium tenuitate non murmurare; quod implere ad Religiosos spectat potissimùm.*

14. Porrò, quanquam nos omnes Christus exemplo suo docuerit, ut fellis, & aceti memores gulam frænemus, & paucis deinceps sine murmure acquiescamus: Hoc tamen inprimis observare deberent valetudinarii, & qui lecto affixi hærent. Siquidem hi sæpe numero ob modicam quamdam penuriam, ob levem circa se commissam negligentiam in tantam quandoque impatientiam incidere solent, ut suam indignationem & bilem modò in Superiorem, modò in ministros evomere non erubescant. Ex quo aliquando contingit, infirmitatem nova incrementa sumere, mortísque tum corporis, tum animæ, periculum afferre, prout miser ille Religiosus ( de quo superiùs Serm. 8. num. 12. dictum) suo irremediabili expertus est damno. Ne ergo & tibi tam infausta sors obtingat, sed ut patientiam retineas, ac sine murmurationis noxa ferre valeas, dum dapes non ad gustum apportantur, mentis oculos conjice in heroicam Sancti cujusdam Eremitæ patientiam, de quo in Vitis Veterum Patrum apud *Rosvveidum* lib. 5. libel. 4. num 59. narratur:

cùm hic venerabilis Senecio ægritudine fractus, lecto decumberet, neque escam ullam sumere posset; discipulus ejus voluit pro eo bonum & delicatum præparare obsonium, quô fractum infirmitate corpus tantisper reficere posset, sed errore accidit, ut vasculum, in quo retinebatur oleum ex lini semine expressum, pro vase mellis ex improviso arripuerit, & pro conficiendo pulmento adhibuerit, existimans, se ex putato hoc melle dignum tanto Patre pulmentum confecturum; quod ùt paratum, & sancto Senenecioni apportatum erat, gustare cœpit, pia importunitate fratris sui persuasus; postquam tamen errorem advertit, ulteriùs in summo silentio, sine vultûs mutatione, & absque omni consternatione vix non totum absumpsit, plùs indubiè comedens, quàm si idem pulmentum, optimo melle conditum, reperisset; Discipulus gratulans sibi, quòd tam bonum pro gustu sui Patris ferculum præparâsset, exultabat in gaudio, inquiens: Ecce Abba: quàm bonum est pulmentum, si mihi licet, reliquum consumam; sed vix gustavit, & commissum à se errorem mox advertit, proinde in terram prostratus incuriam suam sequentibus verbis deprecatus est; Væ (inquit) væ mihi Abba, quoniam occidi te; istud peccatum posuisti super me, quoniam mihi locutus non es. Cui ægrotans: fili ait, non contristeris propterea; si enim Deus voluisset, ut meliora sumerem esculenta, haud dubiè tu mel loco olei in pulmentum misisses. Quibus verbis Piissimus hic Eremicola non tantùm suo discipulo, sed etiam cunctis Religiosis secuturorum temporum exemplô fuit; docens nimirum, ut Divinæ providentiæ, ejúsque Sanctissimæ dispositioni adscribatur, dum aliquis defectus, vel incuria in administrandis dapib⁹ occurrit. Præterea etiam cogitandum veniat, hæc, & similia exempla, non solùm pro pura contemplatione, sed etiam ad eadem in opere exercenda esse relata. Proinde si quid nobis, sive sani, sive infirmi simus, rerum necessariarum quovis modo, aut loco, sive in mensa, aut alibi defuerit, patientiâ nobis opus erit, & attendere oportebit, hujusmodi defectus ùt plurimùm esse Divinæ ordinationis effectus, sive deinde hi in superioribus, sive in inferioribus contingant, Divinæ etenim bonitatis est, nobis quædam remedia ad virtutis, & perfectionis excitamentum immittere, & permittere; Quantumvis reprehensibile non semper sit, quemcúnque ministrorum defectum ipsis manifestare, & ab ipsis petere, quæ sibi debentur, dummodo hoc fiat cum mansuetudine adhibitâ Religiosâ modestiâ, sine murmure oris, & cordis. Quod tamen magnum opus & oculis Divinis pergratum sit, dum in silentio, & cordis demissione talem injùriam æquo animo ferimus, DEI providentiæ nos committendo, nullus id inficias ire poterit.

15. His de subditorum murmure sufficienter dictis, jam reliquum est, ut coronidis loco pauca superaddamus de officio, & obligatione Prælati, qualiter nimirum ille se gerere debeat, ut murmura suorum sopiat, exstirpet, & suô Claustrô exturbet. Doctorum Phœbus, Ecclesiæque lumen, & columen Seraphicus Pater *Augustinus*, agens de Prælatorum regimine, præcipuè vult eos habere, & exercere virtutem charitatis erga proximum, scilicet erga fratres, filios, subditos Religiosos; ideo eis in sacra Regula sua præfatam charitatis virtutem toto pectore hauriendam commendat

mendat dicens: *Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem*; & in hoc ùt plurimùm cujuslibet Superioris serviens charitas consistit, ut sit indefessus in removendis salutis animarum impedimentis, quibus cernit subditos implicari. Cùm itaque (ut hìc visum, & multorum deplorabili exitu expertum est) murmuratio plurima causa sit ruinæ spiritualis, ideo charitas postulat, ut Prælatus omnes nervos impendat, omni solicitudine & industriâ curet, quò execrandum murmurationis toxicum è subditorum cordibus extirpetur, ne alioquì miseri hi ob tale virus secundùm animam perimantur & enecentur. Videat proinde & examinet se bene Præpositus, quonam ex capite seu fonte murmura suorum derivent ortum, num ex obstinata eorum, & ad malum prona voluntate, an verò ex eorum infirmitate, quia videlicet tantâ haud pollent virtute, & patientiâ, ut earum rerum, quæ ipsis jure debentur, penuriam, & subtractionem sufferre citra querimoniam queant. Ac proinde, si subditorum querelæ originem trahunt ex Superioris culpa, defectúque charitatis, tenetur ille huic malo mederi per solicitam rerum necessariarum provisionem, & distributionem, ut nempe cuique provideat, & subministret, quæ necessaria sunt, prout iterum admonetur Prælatus à citato glorioso Patre *Augustino*: *Distribuatur unicuique vestrûm à Præposito vestro victus, & tegumentum, prout cuique opus fuerit.*

16. Decet itaque, & summè necessarium est ad impedienda murmura subditorum, ut qui Prælati, & Rectores sunt, pariter etiam se exhibeant amantissimos Patres, & Provisores solicitos, quatenus Religioso gregi de congruis, & oportunis pascuis provideatur; quod ipse Pastorum omnium princeps, & primus in terris Christi Vicarius D. *Petrus* omnibus Superioribus, seu curam animarum habentibus, seriò commendat, pascite (inquit) *pascite, qui in vobis est*, id est, qui in potestate vestra, & sub regimine vestro est, *gregem DEI*, vos arctiùs adstringit, ut sublevetis indigentiam vestrarum ovium triplici alimento, doctrinæ videlicet, exemplorum, & temporalis nutrimenti. Ita suggerit *Hugo Cardinalis* dicens: *Prælatus tenetur subditis triplex dare pabulum; verbi, exempli, & temporalis subsidii.* Id si præstiterit Præpositus, jam potiori ex parte murmura suorum restrinxit & exstinxit, quòd si verò adhuc aliqui ex subditis, qui nimirum in sensum reprobum dati sunt, murmurare, & obtrectare pergant, horum murmura velut pharisaica flocci faciat Superior, exemplo Christi, qui à curandis infirmis in die Sabbati minimè temperare voluit, licèt prævideret, Pharisæos inde fore scandalisandos, & in gravia murmura prorupturos; siquidem hujusmodi eorùm scandalum non ex infirmitate, sed ex grandi malitia, & invidia promanabat, ideóque non erat conveniens, ut propterea ægros in diebus festis sanare negligeret, differrétque in alios dies profestos à languoribus illos liberare. Pari ratione Superior si hujus farinæ Religiosos in claustro repererit subditos, non supersedeat adimplere, quæ sui muneris sunt, sed inquietos corripiat, malè agendi occasiones præscindat, inutiles è claustro exitus deneget, disciplinam, & observantiam claustralem ab omnibus observari faciat; & quamvis ex tali procedendi modo nonnulli malevoli occasiones, & ansam de-

sumant

ſumant murmurandi, horum tamen murmurationes parùm morari debet Prælatus, ſed ſurda pertranſire aure, imò eas ſe ignorare oſtendat, & ſic adimplebitur illud Pſalmi 106. *Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum*, id eſt, refrænabitur eorum maledicentia, ſi non ex integro, ex parte ſaltem, dum vident Superiorem hiſce dicteriis, & murmuribus non moveri, aut turbari, deníque recordetur illius Paulini: *In omnibus exhibeamus nosmetipſos, ſicut DEI Miniſtros in multa patientia, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam*; per ignobilitatem, & infamiam apud malos, diſciplinæque Monaſticæ oſores, & contemptores; per gloriam, & bonam famam apud bonos, & virtutum, perfectioníſque religioſæ Zelotes & Sectatores.

# SERMO XI.

## DE DETRACTIONE CAVENDA.

*Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt; & à detractione parcite linguæ.* Sap. 1. 11.

## PARS PRIMA.

1. CUm detractio, & murmuratio frequenter ſimul eſſe ſoleant; ideò ab utroque hoc vitio conjunctìm cavendo admonemur à Sapiente dicente: *Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt*, niſi ad animarum interitum, ùt ex ſermone præcedente liquet; *& à detractione parcite linguæ*. Cur à murmuribus cavendum, ſufficienter, ùt reor, ex anteſignatis vidimus; cur autem ſimiliter parcendum ſit linguæ à detractione, modò, ut breviter agamus, reliquum eſt. Et inprimis quidem noſſe debemus, quid propriè ſit detractio? Reſpondet *S. Thomas Aquinas*, qui ſic eam depingit. 2. 2. q. 73. a. 1. corp. *Detractio eſt denigratio alienæ famæ, per verba occulta.* Nam verbis dupliciter quis lædi poteſt, apertè nimirùm & occultè: Apertè & in os lædere, contumelia eſt; occultè & abſentem ferire, detractio eſt; detractio directè lædit famam, contumelia autem honorem; unde gravius peccatum eſt contumelia, cæteris paribus, quàm detractio, quia detractio minus bonum aufert, & eſt minùs contra alterius voluntatem, quia fit occultè, & altero neſciente; at contumelia honorem aufert ſcienti, & actu renitenti. Ita communiter Doctores.

2. Detrahitur autem alicui (quemadmodùm ſcitè obſervat *Hieremias Drexelius* in Phaëton. cap. 15. §. 1.) ſeptem potiſſimùm modis. *Primò*, cùm quis orationis vanitatem adhibet, & aut falſum dicit, aut quippiam affingit, & mendaciunculis rem aſpergit, quâ ratione duplicatur delictum, fitque mendacium & detractio. *Secundò*, cùm quis latens, ac tectum peccatum è latebris in lucem profert; omnia quidem quæ dicit, vera ſunt, ſed tamen dicenda non ſunt.

ſunt. Hac ratione alteri quis detrahit, non quia de veritate aliquid decerpit, ſed quia de fama. Unde graviter ſæpe plurimi impingunt: Ergo, ajunt, ipſiſſimam veritatem palàm facere non liceat? Non licet, mi Chriſtiane, ſi id non poſſis niſi cum alterius detrimento. Nam etſi hoc, quod dicis, ſit verum, eſt tamen occultum, & licèt hic peccando conſcientiam coram Deo læſerit, famam tamen coram hominibus non perdidit, quam tu linguâ tuâ vel imminutam vis, vel ablatam: & etſi peccatum, quod pandis, non adeò ſecretum ſit, modò tamen publicum non ſit, tu tamen detractorem agis, cùm id ignoranti ſine ratione patefacis, & ſic alteri notam inuris. *Tertiò*, Cùm crimen ſeu verum ſeu falſum augetur, & exaggeratur, quod pronìſſimum eſt, cùm alterius vitia narrantur. *Quartò*, Cùm narratur quid minimè malum, ſed velut animo non bono factum, adduntúrque ejuſcemodi plerumque clauſulæ: Fecit hoc quidem, ſed non DEI causâ, humanum favorem ambit, & ut hominem noveritis, hypocrita eſt. *Quintò*, Adeò ſubtilis eſt detractio, ut vel nutu quis infamari poſſit: e. g. laudatur quis à probitate, à religione; eſt qui audiat & dicat: Ut video non noviſtis hominem, me ſuper eô interrogate, ego illum intus & in cute novi: Aut frontem ducit ſilendo, aut abnutat capite, aut ſolis oculis tale dat ſignum, unde facile colligatur, eum qui laudabatur, talem non eſſe, qualis laudando extollebatur. *Sextò*, Cùm quis de alterius probitate, morúmque integritate nequiter ſilet tunc maximè, cùm interrogatur, aut alter criminis arguitur. *Septimò*, Cùm quis coram aliis ob admiſſas noxas jure reprehenditur, ille verò ſe reum negat & pernegat; quâ ratione in reprehenſorem mendacii infamiam derivat. Et quamvis occultas ipſe noxas publicè fateri non cogatur, aliâ tamen ratione par eſt reſiſtere, dicendo: proferri tantùm dicta, non item probari; fortè audientem hæc deceptum eſſe; non quidvis obviâ credulitate arripiendum. Hic priore illo modo longè tolerabilior.

3. Quàm frequens autem ſit hoc detractionis malum in populo Chriſtiano, aliquo modo colligere poſſumus ex *Stephano Eduenſi*, qui in illud *Exodi* cap. 8. *Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ, & ſint Ciniphes in univerſa terra Ægypti, erántque ciniphes tam in hominibus, quàm in jumentis*, ita ſcribit: Ciniphes animalcula parva ſunt, ſed inquieta, & acriter pungentia: Ciniphes autem ſunt ſermones detractorii, erúntque in hominibus & jumentis: in omni ordine, ſexu, ætate, ſtatu, inter opulentos & egenos, inter Dominos, ac Servos hoc detractionis malum graſſabitur: Multi non blaſphemi, ſed pauci, imò vix ulli non detractores. Ita *Stephanus Eduenſis*, quem citat Pater *Drexelius* cap. 15. §. 3. in Malis Linguæ. Et reverà ſi rem bene inſpiciamus, facilè videbimus, quòd licèt multa committantur ab hominibus peccata, non ita tamen in omnibus locis, nec in omni tempore, nec ab omnibus perſonis; hoc verò detractionis vitium vix ullum excipit locum, vix tempus, vix perſonam. In colloquiis privatis, in congreſſibus publicis, in conviviis, in locis & perſonis ſacris frequentiſſimum eſt. Audiatur Stridonenſis Dalmata, *D. Hieronymus*, qui in Epiſtola 14. ad Celantiam hæc ſcribit: *Pauci admodùm ſunt, qui huic vitio renunciant, raróque invenies, qui ita vitam ſuam irreprehen-*

*prehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam: tanta mali hujus libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamē, quasi in extremum laqueum incidant.* Hanc sententiam etiam tenet S. *Laurentius Justinianus* de vita Solitaria cap. 4. ubi ait: *Consuevit sanè hoc vitium etiam vigere in bonis, atque sub zeli specie jugiter captivare improvidos.* Imò teste *Salmerone* Tract. 16. disput. 5. adeò frequens est, etiam apud pios & religiosos, ut nomen quinti elementi, sine quo vivere nemo potest, apud quosdam obtinuerit. Porrò detractorum nota vox est, vox *Nisi*, dum dicunt: Bonus esset, nisi hoc vel illud vitium haberet: unde notum Distichon:

Si *nisi* non esset, quàm felix quilibet esset;
Sunt pauci visi, qui caruêre *nisi*.

4. Veruntamen notandum hìc est, magnum scilicet esse discrimen inter detractionem, quæ ex quadam animi levitate, inconsiderata loquacitate, subreptione, inadvertentiâ &c. profluere solet; & inter eam, quæ ex superbia, fastu, ira, invidia, odio, aliáve consimili maligna passione ortum ducit. Nam prior detractio, culpa tantùm censetur venialis, quâ se non infrequenter commaculare solent etiam boni, ut dictum; hæc autem posterior detractio est communiter crimen lethiferum, quæque apud probos & bonos Christianos, ac Religiosos rariùs reperitur; cùm enim hi pro salute sua, & quæ ad Dei cultum ac honorem spectant, sint soliciti, verisimile non est, eos tam facilè in tantam impietatem, divinæque legis contemptum, qualem includit detractio formalis, proruere. Nam detractionem, quæ ex malitia præsertim, & animi perversitate originem trahit, grave, & Deo invisum esse crimen, testatur Apostolus *Paulus*, dum ad Romanos scribens: ait cap. 1. v. 30. *Detractores Deo odibiles.* Ubi notandum, quòd consultò conjungat Paulus *Detractores*, & *Deo odibiles*, ne quis sibi persuasum haberet crimina, quæ ultra verba non progrediuntur, non esse usque adeò gravia, quæ possint Dei amicitiam dirimere. Aversatur ergo detractores Deus, & odiô habet eos, nec sine ratione; quippe qui in se, & in aliis charitatem, quam Deus in hominibus maximè amat, & desiderat, radicitùs evellunt.

5. Denique gravissimum esse crimen detractionem formalem, ex Claravallensium Monachorum Abbate, *D. Bernardo* colligere possumus, dum ille linguam detractoris asserit crudeliorem esse lanceâ, quæ Christi latus perfodit: quia lancea (inquit in sermone de triplici custodia) illa Christi jam emortui latus transfixit; lingua autem illa transfigit membrum vivum Salvatoris, & transfigit animam, pro qua Christus sanguinem fudit, & propriam animam dedit, pluris eam æstimans quàm propriam vitam. Audi *Bernardum* suismet verbis loquentem: *Nunquid non est vipera lingua ista? ferocissima planè, nimirum, quæ tam lethaliter tres inficit flatu uno. Nunquid non lancea est lingua ista? profectò acutissima, ut quæ tres penetrat ictu uno. Lingua eorum gladius acutus, inquit David* Psal. 56. *gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris.* Hoc illud Joabi triplex spiculum est, quod Absalonem à quercu pendulum incursans confodit, ùt habetur 2. *Reg.* 18. Hoc triplici spiculo, & detractor, & detractoris benevolus auditor, & is cui detrahitur, miserè confodiuntur, ùt docet

Magi-

*Magister Angelicus* super illud *Jacobi* cap. 3. dum dicitur de lingua detractoris; *plena veneno mortifero*, quia detractio uno ictu tres interficit. *Primò*, illum, qui detrahit; quia peccato mortali animam ejus transverberat. *Secundò*, eum, qui detractorem audit; quia si audiendo delectatur, aut non contradicit, quodam respectu humano prohibitus, nec corrigit, dum detractorem monere & corrigere deberet, & ipse graviter peccat, ut infra dicetur. *Tertiò*, illum cui detrahitur; quia in vindictam, & iram mortalem facilè exardescit, ubi famam suam læsam agnoscit.

6. *Sapiens Ecclesiasticus* cap. 28. vers. 22. quandam proponit sententiam, quæ ad hoc præsens institutum nostrum mirè facit: dicit enim: *Multi ceciderunt in ore gladii: sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.* Num hic textus sit accipiendus literaliter potiùs, quàm spiritualiter, aliis decidendum relinquo; ego sensum spiritualem & mysticum teneo, in quo absque ulla controversia verum erit dicere, quòd multò plures sint, qui pereunt morte animæ per linguam maledicam, quàm morte corporis per gladium. Ad hoc probandum adduco doctrinam quandam, quam non incelebris quidam Author, *Jacobus Marchantius* in suo horto Pastorum Tract. 4. lect. 17. proposit. 2. tradit, dum linguæ vitium comparat infernalis draconis caudæ, de qua scriptum (*Apocal.* 12. 4.) reperimus: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* In sensu tropologico per stellas signantur Christiani, qui in clarissima Evangelii luce nati & educati, instar stellarum in conspectu Dei, & Angelorum rutilare, & coruscare videntur; qui tamen sæpe, prô dolor! detractionis, & susurrationis vitio implicati obtenebrantur, & in perditionis abyssum ruunt. *Magna itaque pars hominum* (verba sunt citati Authoris) *ob vitium linguæ maledicæ in æternam ruinam delabitur, etiam inter Ecclesiasticos & Religiosos.*

7. Ne quis verò hanc doctrinam, veluti nullo nixam fundamento, abjiciat, eandem roborant funesta quædam exempla. Primum narrat *Thomas Cantipratanus*, Cameracensis Proëpiscopus, qui suis se oculis usurpâsse affirmat non minùs horrendam quàm admirandam hujus vitii vindictam. Novi (ait) Sacerdotem, nomine magis quàm re talem, qui eo linguæ petulantiâ prolapsus erat, ut quò faciliùs alios, etiam Sacerdotes in infamiam traheret, de seipso pessima quæque mentiretur. Hic morti jam vicinus, furiis actus, tantâ in seipsum rabie debacchatus est, ut dentibus linguam maledicam fœdè laniaret & commoleret, idque palàm omnibus ostenderet, inde sui supplicii exordium sumi, unde ille sumpsisset peccati. Hunc ergo animæ nostræ interitum, quem expectandum habent aliorum diffamatores, à nobis avertere cupiens *S. Jacobus* magnâ animi solicitudine nos commonefacit, detractiones quaslibet nos fugere debere; *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei; Qui detrahit fratri, aut judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem.* Jacob. 4. 11.

8. Sacerdoti, quem dixi, non multum absimilis fuit Religiosus quidam in Anglia, de quo *Joannes Major* in Speculo Exemplorum paginâ 165. recenset, quòd veste solùm, non moribus Religiosus fuerit, utpote qui rabido detractionis dente quosvis lacerare solitus est. Hic cùm jam in extremis ageret, monitus & rogatus est, solicitè cogitaret,

quodnam iter inſiſteret, quò tenderet, de tota nunc æternitate agi. At ille: Omittite hæc, inquit, monetis fruſtra. Illi verò divinam clementiam opponere, fiduciam in Deum ſuadere, & omni modo animum ad bene ſperandum erigere conati ſunt. Aſt ſurdo cecinêre fabulam; moribundus namque linguam exerens, & digito eam percutiens: Hæc inquit, lingua peſſima me damnavit. Dixit, & lingua repentè ſic intumuit, ut in fauces retrahi nequiverit. Ita infelix exſpirans grande documentum dedit detractoribus, ut alienis ſaltem detrimentis ſapere diſcant, ne alioquin, ſi aliis detrahere porrò pergant, ſibi paria, aut graviora parent tormenta.

9. His binis exemplis tertium adjungo, quod ſimiliter in *Magno Speculo exemplorum* reperitur. Convivebant duo ſimul Clerici, quorum unus detractor erat peſſimus, ſic quod de nullo poterat bonum dicere. Hic infirmitate gravi aliquando correptus, tandem agonizare cæpit, & mortuus ad æternitatem abiit. Interlapſis nonnullis diebus, ſocio ſpecie horribili apparens faſſus eſt, ſe juſto Dei judicio ad inferos fulminatum eſſe, causámque adjiciens dixit: Cùm eſſem in extremis, ductus fui coram Judice, & cùm obmuteſcerem præ timore, vidi animas multas, Sole lucidiores, ad Judicem contra me manus extendentes, & clamantes: Vindica, Domine, ſanguinem noſtrum de illo mendaci obtrectatore; qui nos apud homines mendaciter infamavit. Ad hanc vocem, cùm me Judex inſpiceret irato vultu, ejus conſpectu territus & confuſus, ac de prolatis contra me malis mihi conſcius, nihil contra hiſcere potui, ſicque deſperans damnationis perpetuæ accepi ſententiam; Quo dicto evanuit, & ad orcum abiit. Quid ad hæc dicitis, alienæ famæ obtrectatores? an non timor & tremor veſtros invadens animos, attonitos vos quodammodo reddat, præſertim cùm coràm quaſi ſpectetis, Religioſos, Clericos, Sacerdotes, Dei Miniſtros mitti in gehennam ignis, non ob alia crimina, quàm propter linguæ maledicentiam? Qui ergo Laici auditis, diſcite ab his, omnium mortalium infeliciſſimis, Clericis ac Religioſis exempla non ſectanda, ſed omni contentione fugienda; & creditote, quòd ſi ſocii & imitatores fueritis culpæ, eritis ſanè & aliquando ſocii pœnæ & vindictæ.

# PARS SECUNDA.

10. Dictum eſt hactenus, qualiter, qui ſuam animæ ſalutem ſartam tectam eſſe volunt, detractiones, quæ peccatum mortale involvunt, abhorrere & fugere debeant; modò videndum ſupereſt, quid illis, qui nedum ſalutis æternæ, ſed & perfectionis Chriſtianæ ſunt cupidi, agendum, & quomodo in re etiam minima obtrectationis vitium (quod apud bonos etiam interdum hoſpitium quærit, ùt ex ſupra dictis liquet) ſit propulſandum, & abigendum. Proin ante omnia notandum, in quonam gravitas detractionis conſiſtat; nimirum in eo, quòd proximi famam, bonam opinionem, & quâ apud alios pollebat, æſtimationem obſcuret, & abripiat; cùm tamen nomen bonum majoris ſit pretii & valoris, quàm opes & divitiæ temporales, teſte *Sapiente* dicente: *Melius eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Prov. 22. Nam bonum nomen eſt altioris ordinis

dinis

dinis bonum, quàm sint opes. Nam sicut omne argentum non potest æquari auro minimo in dignitate, etsi in pretio & æstimatione hominum æquetur; sic omnes opes non possunt æquari famæ minimæ in dignitate & præstantia, licèt satisfactio famæ læsæ apud viles personas subinde fiat per aurum & argentum. Ex quo apparet, quàm magna illi injuria & damnum inferatur, cui fama iniquâ detractione surripitur.

11. Quando autem detractio censeri debeat mortifera, & quando solùm venialis, ut dignoscatur, dicendum de ea, quod de vitiis iis, quæ à natura mortalia sunt, dici vulgò solet. Quare sicut furtum ex se peccatum lethiferum est, exilitate tamen materiæ esse potest solùm veniale; sic & detractio in se quidem lethale crimen est, at tam levis esse potest res, quæ de alio dicitur, ut duntaxat sit veniale. v.g. Si quis levem defectum, aut veniale peccatum alterius de industria manifestet, aut grave delictum narrat, sed ex inadvertentia; nunquam enim actus humanus est peccatum mortale absque plena deliberatione & advertentia, aut gravitate materiæ. Ita *S. Thomas* 2.2. q.73. a.2. *Lessius* lib.2. cap. 11. dub.3. *Reginaldus* lib.24. num.71. Advertendum ulteriùs: quamvis materia sufficiens ad peccatum mortale detractionis sit manifestatio mortalis peccati, quoties fama proximi graviter læditur; si tamen ex hujusmodi narratione fama alterius notabiliter non lædatur, non erit materia sufficiens ad peccatum mortale; quia parvitas damni excusat à peccato mortali; ut si quis dicat militem commisisse duellum, habere concubinam, decepisse puellam: vel adolescentem esse prodigum, deditum amoribus; fœminam rixari: aut qui refert ea delicta, de quibus scit aliquem se jactare solere; vel etiam si generalibus nominibus peccatorum mortalium aliquis infametur, ut si dicatur, illum esse superbum, avarum, iracundum, hæc dicere non est ordinariè peccatum mortale, nisi ratione dignitatis personæ, de qua dicuntur, accipienda sint pro gravibus vitiis. Ordinariè accipiuntur autem pro inclinatione naturali, vel veniales defectus denotant. Consule, si lubet, *Lessium* citatum num.16. & 17. *Reginaldum* lib. 24. num. 76. *Dianam* part.5. tract.5. resol.69.

12. At verò, ùt modò citati Authores scitè observant, sicut revelare alterius peccatum etiam mortale, per quod tamen fama, vel non vel tenuiter tantùm læditur, culpa mortifera sæpe non est; ita è contrario fieri poterit, ut ille, qui defectus duntaxat veniales narrat, se reum peccati lethiferi faciat, si nimirum, attentâ conditione personæ, hæc levia & tenuia censeantur magni momenti, ut si quis v.g. diceret de viro gravi, magnâque virtute prædito, esse mendacem, hoc est, sæpe mentiri, esset peccatum mortale, præsertim si hoc in faciem per contumeliam objiceretur, convitiandi causâ. Rationem assignat eximius spiritualis vitæ Doctor, *Alphonsus Rodriquez* part 2. tract.2. cap.9. quia nimirum majus inde dedecus & infamia in talem probatæ, & exemplaris vitæ hominem derivari potest, quàm è mortali crimine in alium licentioris vitæ virum. Quare, ut quis mortaliter in hac detractionis de alio materia peccare dicatur, notare oportet, non id metiendum esse ex eo, quod de alio dicatur lethale crimen, sed ex æstimationis, & famæ præstantia, quæ dicendo eripitur. Semper ergo huic fundamento est innitendum; quoniam non rarò aliquis Religiosus probus plùs boni nominis & æsti-

æstimationis deperdit, dum de illo quis dixerit, quòd sit levis parvique judicii; quàm si de gravi crimine sæcularis quispiam traduceretur, unde apparet plùs hic periculi subesse, quàm fortè videatur. Exempli gratiâ: Habeo, & suspicio ego quempiam ùt bonum Religiosum, ùt sedatum, & prudentem virum; tu verò manum tuam hanc illámque in partem vertendo dicis; Iste talis est, quasi innuere velis, eum levem, & parùm sibi constantem esse; Jam ille de bona opinione, quam priùs de illo habebam, tuo facto deperdidit. Hæc sanè levia non sunt, sed quæ graves etiam scrupulos causare meritò possunt, proinde solerter cavenda.

13. Pergit laudatus Asceta, nósque à peccandi periculis eruere volens, hæc ad nostram eruditionem subjungit: Quamvis autem certò statuere sæpe non possimus, num frater in eo, quod de eo dixi, æstimationis suæ, quam alius de eo habebat, & famæ notabilem jacturam fecerit, vel an id ad mortale peccatum ascenderit nec ne; tamen magna videtur esse temeritas, in tale se se ultrò conjicere periculum. Certò pro quidquid in mundo est, huic se quis periculo exponere non deberet. Necesse proinde est, etiam in rebus parvis nos circumspectos & scrupulosos inprimis esse. Quod nisi fiat, brevi nos innumeris scrupulis, & conscientiæ remorsibus, & de graviore peccato anxietatibus repletos inveniemus. Atque in hoc detractionis vitio magis hæc cautela, & solicitudo necessaria est, cùm magna sit naturæ nostræ huc propensio & inclinatio, & facilitas, volubilitásque humanæ linguæ permagna. Hactenus *Rodriquez*, qui loco citato hanc de absentibus loquendi regulam ex Sancto *Bonaventura* præscribit: *Erubescant dicere de absente, quod cum charitate non possent dicere coram ipso*. De absente ergo taliter loquendum est, ut, si præsens adesset, illo sermone rationabiliter non offenderetur; fieri enim potest, ut quis de absente ea proferat licitè & cum charitate, quæ tamen ipso præsente, & audiente loqui non deberet; non quia hæc dicens loquitur malè, sed quia audiens malè susciperet justè prolata, irámque, & indignationem irrationabiliter adversus alterum foveret. Et hoc maximè intelligendum de culpis aliorum apertis, de quibus sicut licitum est judicare, ùt dictum serm. 9. num. 1. ita similiter illicitum non est de illis habere sermonem, dummodò [alius quispiam vitiosus animi affectus non intercurrat.

14. Notandum nihilominus, quòd, qui ad perfectiora & tutiora anhelent, puriúsque Deo obsequium præstare desiderent, non facilè debeant de aliorum excessibus, licèt apertis ac publicis, sermonem habere, exemplo *S. Ignatii Loyolæ*, qui (ùt scribit sæpe citatus *Rodriquez*) aliena vitia in sermone quotidiano nunquam commemorare volebat, quanquam vulgata & passim nota ea essent; quia censebat, id esse reprehensione dignum. Quemadmodum enim jure taxaretur, qui, aliis prætereuntibus, stercora in via reperta commoveret; sic similiter, qui, ubi & quando non oportet, de aliorum delictis sermonem ingerit, reprehensibilis, & culpabilis certò videtur; *Non enim* (ùt loquitur *D. Chrysostomus*. homil. 3. ad populum) *commotum stercus sic fœtore cartilaginem percellit; sicut aliorum detecta peccata pios animos perturbare, & contristare solent*. Serviat proinde hic quod scripsit *Paulus* in Epistola prima ad *Corinthios* cap. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Quæ verba

verba ponderans Doctorum Phœbus, *Augustinus*, ita nervosè scribit lib. 1. cap. 14 de adult. conjug. *Omnia mihi licent; Omnia, quæ nullo præcepto Domini prohibentur, licent; sed non omnia expediunt, non conducunt ad vestram, vel proximi spiritualem ædificationem. Ideo non nisi illicita prohibentur à Domino, ut ea, quæ licita sunt, & non expediunt, non legis vinculo, sed liberâ dilectionis beneficentiâ caveantur.* Qui verò non cavet ab iis quæ licent, & non expediunt, sæpe ad illicita dilabitur. *Solus enim in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis restringit*, ait *Gregorius Magnus* lib. 5. moral. cap. 8. Quanquam ergo de aliorum peccatis passim vulgatis loqui nulla lex prohibeat, quia tamen id rariùs expedit, ideo ab his abstinere nobis persuasum sit, memores verborum illorum *Siracidis* cap. 19. v. 10 *Audisti verbum adversùs proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet*; sepeli id intra te, ibi extinguatur; nec ultrà exeat; neque enim tantilla res tacita ventrem tuum disrumpet.

15. Hanc doctrinam suô nobis exemplô tradit omnis sanctitatis & perfectionis Magister *Christus JESUS*: dum enim Pontifici præsentatus, interrogatus ab eodem fuisset de suis discipulis, & de doctrina ejus, nil aliud respondere voluit, quàm: *Ego palàm locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil, quid me interrogas? interroga eos, qui me audiêrunt.* Joan. 18. 20. Ubi advertendum, Pontificem interrogâsse de duobus, nimirum de Discipulis, quid de eis factum esset, & de doctrina; ad doctrinam solùm respondit Dominus; de discipulis verò altum tenuit silentium. Si causam nôsse desideres, ecce eam dat *Doctor Angelicus*; nimirum, quia pro tunc parùm boni de illis dicere potuit; unus enim eorum eum tradidit, alter ad eundem negandum in procinctu stabat, cæteri eo relicto, fugerunt; & ideo de Discipulis nihil respondit, ut eorum honori consuleret, & timiditatem in fugiendo occultaret. Quo facto & nos erudit Dominus, qualiter nempe proximorum nostrorum errata, manifesta licèt, non retegere, sed obtegere conveniat. Huic proposito congruere videtur quod legitur de Patriarcha *Noë*: Hic post diluvium vineam plantans, & vinum plus æquo bibens fuit inebriatus, in qua ebrietate inverecundè nudatus jacuit. Hanc sui patris nuditatem cernens Cham, duobus fratribus suis Sem & Japheth indicavit, qui pallio suis humeris imposito incesserunt retrorsum, *& operuerunt verenda Patris sui, faciésque eorum aversæ erant, & patris turpitudinem non viderunt.* Gen. 9. Evigilans autem *Noë*, simul cùm intellexisset quæ fecerat ei filius suus Cham, sine mora eundem maledixit; Sem verò & Japheth summè dilaudans ait: *Benedictus Dominus Deus Sem, fit Cham servus ejus. Dilatet Deus Japheth &c.* Omnia in figura. Præfigurat nimirum *Noë* Majores, Pastores, & Prælatos Ecclesiæ; Quòd si ergo in illis appareat turpitudo peccati, ab ea facies nostras avertamus, illámque non nunciare aliis, sed operire satagamus: *Turpitudinem patris tui non discooperies.* Levit. 18. 7. Id est in sensu morali, eorum, qui Patres vestri, seu Superiores sunt, pudenda acta & facta in lucem per sermones vestros non proferetis; sic enim cum Sem & Japheth copiosam à Deo accepturi estis benedictionem, & favorem singularem. Memoriam æternam meretur dictum & factum Imperatoris Constantini Magni, qui, (ùt scribit *Baronius* tom. 3. anno 325. num. 43.) dicere solebat: Si suis etiam oculis Præsulem Christianum rem nefariam committentem

tem cerneret, facinus illud non tantùm non evulgaturum, sed etiam paludamento suo facti infamiam operturum, ne facinoris aspectus eos, qui idipsum viderent, ulla ex parte læderet. Hìc nos, qui Clerici, Religiosi, Dei servi, Sacerdotes & Ministri Christi audimus, & qui plurimis ad sectandam vitæ perfectionem titulis sumus obstricti, ab hoc piissimo & religiosissimo Imperatore discamus, quantâ industriâ & solicitudine, quò aliorum, præsertim Superiorum famæ, & existimationi consulamus, nos allaborare conveniat. Cavendum proinde solicitè, ne facilè ingeratur mentio in discursu communi de aliorum defectibus & excessibus, quantumvis apertis & passim notis; quando enim à licitis nos ipsos restringemus, tunc & ab illicitis securi erimus. Dictis coronidem imponit Sapientissimus *Salomon* Proverb. 21. v. 23. sic protestans: *Qui custodit os suum, & linguam suam* ab omni malo verbo, *custodit ab angustiis animam suam.* Hæc pro nostra instructione de detractoribus dixisse satis, modò, quàm graviter delinquant detractorum auditores, videamus.

# PARS TERTIA.

16. MAgnes tam arcanæ quàm admirandæ prorsus virtutis est, si vel experientiam de eo loquentem audiamus. Ut cætera taceam: pugio, seu ensis si magneti adfricetur, ita vulnerat, ut is qui pungitur, non sentiat se vulnerari. Rem ex fide narrat *Hieronymus Cardanus* (quem citat *Drexelius* in Phaëton cap. 18.) qui affirmat se vidisse magnetem, quo si acus aut ferreus stylus fuisset illitus, quavis corporis parte infigi sine ullo doloris sensu, ac sine sanguinis effluvio potuisset, prout ipse Author in suo proprio brachio experimentum se cepisse testatur. Detractio sanè talis videtur esse pugio seu gladius: infigitur, lædit, vulnerat, & quidem tres uno ictu, ùt suprà num. 5. dictum. Sauciatur enim detractor, detractoris auditor, & is cui detrahitur. De detractore qualiter ipse sine doloris sensu graviter vulneretur, jam diximus; de tertio, cui nimirum detrahitur, differemus parte sequenti, nunc de auditore detractoris acturi. Proinde exponemus in præsenti, quàm grave sit delictum, non tantùm aliis detrahere, sed & benevolè audire detrahentes; sic unà & detractorem, & ejus auditorem instruemus. Hoc ut ritè fiat, commemorare lubet hìc vulgarem & famosam de Sirenibus historiam, de quibus nulli non notum est, quòd, cùm venustissimum & fœminilem præ se vultum ferant, viatores cantibus & harmoniis suis adeò rapiant, & incantent, ut veluti immobiles maneant, nec navim suam ulteriùs progredi sinant; at verò iis, qui in navigio sunt, suavi sopore præ nimia harmoniæ dulcedine sopitis, ipsis in prædam cedunt, & ab illis devorantur. Et ideo providissimus Ulysses, ne unà cum suis præsentissimum hoc incurreret periculum, sociorum aures obturavit cerâ, seipsum malo alligari jussit, dum has aurium insidias præterveherentur. Ex qua historia, seu (ùt verisimilius est) Poëtarum fabulâ nos legamus pro nostra eruditione moralitatem quampiam, nimirum non solùm oculis, sed & auribus sua esse pericula; ideo cum cautissimo Ulysse ad arcenda hæc aurium mala opus est sepimentis,

mentis, prout Sapiens *Ecclesiasticus* cap. 28. v. 28. consulit, ut non quidem cerâ, ùt fecit Ulysses, sed spinis & carduis aures nostras occludamus: *Sepi* ait, *aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire; & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Non vult sepem è floribus seu rosis contextam; sed vepribus asperam, paliuris horrida vult esse aurium sepimenta: quia hoc modo arcendus erit detractor. Sicut enim sepes circa agros serviunt contra sylvestres feras, circa hortos verò contra fures, spinæ autem circa aures contra detractores. Tunc autem sepis aures tuas spinis, quando eas claudis, & avertis, quando ostendis faciem gravem & tetricam, quæ indicet, te invitum ægrèque audire, ac detractorem tibi esse tædio, & molestiam creare.

17. Porrò, variæ sunt spinæ, praxes, & modi, quibus aures sepiantur detractioni, illáque succidatur. Primus, *si apertè ei resistatur, & detractor increpetur*; qui modus maximè servandus à Majoribus & Superioribus respectu suorum subditorum. Hæc lex olim Judæis tradita fuit, *Deuter.* 22. 4. *Si videris asinum fratris tui cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo.* Ubi considerandum: Si obligatio est, alterius asinum in foveam collapsum eripere, quantò magis famam periclitantem debemus adjuvare? Hæc autem obligatio, licèt respectivè omnes aliquo modo tangat; specialiter tamen Superiores, & qui authoritate pollent, concernit. Unde Superior audiens aliquem detrahentem Religiosis subditis suis, & non resistens, dicit S. *Thomas* 2. 2. q. 73. a. 4. Corp. eum peccare mortaliter; quia tenetur ex officio suo præ omnibus aliis bona spiritualia suorum Religiosorum curare, & servare; ergo tenetur famam, quæ est maximum bonum, suo subdito conservare, & à detractoribus eam redimere. Secundus modus impediendi detractionem est; *Sermonem malè cœptum aliò derivare.* Cùm enim ferociens taurus hominem insequitur, pallium ei in caput objicitur, ut, dum luctatur cum pallio, furibundis oculis subducat se homo. Ita cùm quis alium detrahendo insectatur, consultissimum est, pallium ei hoc est diversum sermonem objicere, ut cesset detrahere. Neque semper adeò solicitè curandum, quomodo id dextrè fiat, & cum decore. Ex abrupto subinde aliunde loquendi argumentum est injiciendum. Id quod egregiè præstitit *Thomas Morus*, illud Angliæ Sidus, vir proinde sanctus ac eruditus, melioris exempli ubique observantissimus; Cùm enim, apud quoscunque demum fuisset, detractioni quispiam laxare linguam inciperet, ipse mox arreptâ aliunde occasione virulentum illum sermonem aliò divertebat: Quivis (ajebat) quod volet dixerit, ego verò ajo hanc domum optimè structam esse, reverà magistrum se probavit, qui hoc ædificium eduxit. Ita maledicentiam aut correxit aut certè turbavit.

18. Tertium documentum impedientiæ detractionis est, *subducere se tam noxiis fabulis, & ipso discessu detractoris linguam*: sciat loculeius ille se gratum non fuisse. Hoc consilium suggerit *S. Hieronymus* in Regula Monachorum cap. 22. sic scribens: *Si quem alicui detrahentem audieritis, procul fugientes dimittite velut serpentem, ut verecundiâ victus discat de aliorum factis silere.* Hoc divinus *Paulus* confirmans: *Nunc autem scripsi vobis* (inquit 1. Cor. 5. 11.) *non commisceri, si is qui frater nominatur, est fornicator, aut*

*avarus, maledicus.* De Francisco Suarez è Societate Jesu, religiosissimo ac doctissimo viro refert *Joannes Rho* lib. variar. histor. cap. 3. §. 2. Cùm ab Archiepiscopo Lisborensi ad prandium vice quadam invitatus fuisset, & quendam ex convivis murmurantem, maléque de aliis loquentem audisset, mox severum, austerúmque vultum monstravit, quo non obstante, dum persisteret in incepto detractor, surrexit, elatáque voce sic fuit allocutus præsentes: Aut ipse præcidendus est sermo, aut bona cum venia hinc ego abeo. Hac Religiosa sapientissimi Senis libertate captus Archiepiscopus, Patrémque complexus: *macte* (inquit) *Francisce, non alium ego amicum pervelim, qui absentis amici famam adeò liberè tuearis.* His accedit quartum documentum, seu alexipharmacum adversùs detractionis virus; videlicet, *Somnum inire, aut simulare.* Ita S. *Machetes Abbas*, si quis verbum detractionis protulisset, illicò in somnum incidebat; ait *Cassianus* lib. 5. Instit. cap. 29. Qui *Machetem* æmulari nequit, qui dormire non vult, aut abire non potest, monstret saltem se Christianum esse, signum edat, hæc talia sibi non placere, ídque statim sub initium pravi sermonis faciat, dum ignem etiamnum unâ situlâ licet extinguere: hic enim, ubi invaluerit, penè indomabilis est. *Ventus Aquilo dissipat pluvias & facies tristis linguam detrahentem:* Inquit *Salomon* Proverb. 25. 13. Quo sensu dixit S. *Hieronymus*: *Si vultu hilari audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi; ille ignem excutit, tu substernis igniarium: quòd si facie subtristi, & adversa detractorem audias, discet ille non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri. Sin aliter agis, ostendis te illius, cui detrahitur, aut falsum fratrem, aut timidum amicum esse.*

19. Summam hìc meretur memoriam heroicum illud Patriarchæ nostri *Augustini* factum: Hic enim Præsulum gemma, ut longè à consortio suo, à mensa, à conversatione omni detractores proscriberet, & ne unquam vel invitus aures iisdem præberet, aut illi alicui coram se detrahere præsumerent, ad proximum mensæ parietem appendit tabellam, quæ omnes illic accubituros moneret his versiculis:

Quisquis amat dictis absentum rodere famam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

En mensæ leges præclarissimas: Aliis non detrahere: qui secùs assueverit, abesto: hos convivas hæc mensa non admittit. Insigniter hic *Augustinus* improbam illam consuetudinem notavit, quæ in conventibus, circulis, conviviis, primam omnium quæstionem movet de moribus & defectibus absentium. Ideo *Augustinus* ut hasce confabulationes domo suâ excluderet, ad mensam lectorem adhibuit, qui animum pasceret, dum ille corpus reficeret. Contingit autem, (quod S. *Possidius*, qui etiam interfuit, in ejus vita narrat) ut ad *Augustini* mensam Antistites complures accumberent, sed legis ab *Augustino* scriptæ obliti, liberiùs de aliis loquerentur, quibus ingenuè *Augustinus*: Domini fratres, ajebat, aut illa tabella refigenda est, aut vos sermones istos desinetis, aut ego ad cubiculum facesso.

20. Ejusdem ferè animi fuit S. *Joannes Eleemosynarius* Patriarcha Alexandrinus; hic, si quem aliis obtrectantem audiisset, aut ingeniosè in alios sermones deduxit: si pergeret alter, tacebat quidem *Joannes*, sed nomen hujus notabat, & colloquio finito, ei, qui sibi à cubiculis serviebat, præ-

præcipiebat, hunc talem hominem ne ampliùs intromitteret. Certissimum est, quod dixit *S. Hieronymus*: *Ubi desunt audientes, non inveniuntur detrahentes.* Desit auditor, deerit detractor. Nisi ergo & nos sic agamus, & aliorum famam tam cautè custodiamus, quàm nostram, illas Domini leges rumpimus, quæ alios eô quo nos ipsos amore foveri volunt, de quibus serm. 6. num. 3. plura diximus. Neque verò is solùm nequiter facit, qui vicini sui incendit domum, sed & ille, qui aquam ad sopiendum ignem non adferat, cùm possit. Similiter non tantùm nocent, qui aliis detrahunt, sed & illi, qui detractiones non impediunt, qui applausu & gratulatione commendant. Ille demum sincerus est amicus, qui non tantùm non alteri detrahit, sed & detractores, ùt potest, compescit: ille fidus frater est, qui, quantùm licet, erubescendam aliorum sorditudinem tegit, nisi eam aperiat iis, quorum est juvare, non infamare. Aliorum vitia tegenda sunt, non oculis, auribúsve ingerenda.

21. Hoc modo ut agamus, nos commonet divinus Spiritus per *Salomonem* sic loquens: *Prov.* cap. 24. v. 21. *Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum.* Detractio enim est contagio venenosa, quæ æternam infert mortem: Sicut igitur contra pestiferam luem remedium efficacissimum est fuga, ita & obtrectationis. Proinde sciendum, quòd omnium Doctorum calculô definitum sit, non tantùm detractorem, sed etiam ejusdem benevolum auditorem peccare graviter aut leviter juxta obtrectationis mensuram. Hoc ut explicetur, advertendum est, quòd tripliciter se possit habere, qui detractorem audit, scilicet vel *ùt inducens*; vel *ùt complacens*; vel *ùt tacens*, & non resistens. Primò, qui ita auditi ut inducere, vel excitare censeatur ad detrahendum, vel ad detractionis continuationem, non minùs peccat quàm detractor; imò graviùs, quia est alteriùs causa mali, sícque & sui & alterius peccati auctor censetur; Sic frequenter contingit, quòd aliquis obscurè indicet, se aliquid vidisse, vel audivisse, nolit tamen prodere, interim alii multis circumlocutionibus instant, ut propalet occultum alterius peccatum, eliciunt tandem, & inducunt in detractionis crimen. Et tunc maximè verum est illud *S. Bernardi* assertum: *Detrahere, vel audire detrahentem, quid horum damnabilius non facilè dixerim.* Tunc diabolus censetur quasi ludere, & choreas ducere in lingua detrahentis, & in auribus audientis.

22. *Secundò*, qui ita audit, ut tamen non inducat, nec animet ad detrahendum, sed tamen lætatur alterius detractione, peccato se obstringit lethifero, quia ipse alienô malô oblectatur contra charitatem. De his verum est illud *Apostoli* (Rom. 1. 32.) *Qui talia agunt*, scilicet nequiter detrahunt, *digni sunt morte* æternâ. *Et non solùm qui ea faciunt*, qui sunt principales sceleris hujus perpetratores; *sed etiam qui consentiunt facientibus*, juvando eos nempe quocunque modo, ùt exhortando, laudando, approbando. Quod quidem sub umbra quadam inhibuit Dominus dicens: (*Exodi* 23. 19.) *Non coques hœdum in lacte matris suæ*: iis enim verbis (ait *S. Thomas* 1. 2. q. 102. a. 6. ad 4.) figuraliter significatur, quòd hœdus, id est, peccator, qualis censetur etiam impius detractor, non est coquendus in lacte matris, id est, non in blanditiis deliniendus. Et ideo his, qui sunt proni ad peccandum,

ad detrahendum, non debemus hilarem vultum ostendere ad eos oblectandum, ne videamur eorum peccato consentire, & quodammodo peccati audaciam ministrare. Ita *Magister Angelicus.*

23. *Tertiò*, qui nec inducit, nec lætatur, tamen audit, & tacet, dum alius detrahit, quandóque peccare potest graviter: Quia si est atrox injuria, & grave incommodum secuturum in alterius famam existimat, debet excussâ verecundiâ contradicere, & innocuum defendere. Sicut enim in arcta necessitate tenemur proximo in rebus temporalibus subvenire; sic etiam in necessitate famam ejus servare. Veruntamen, ùt monet citatus *Angelicus Doctor* 2. 2. q. 73. a. 4. ad 2. non semper aliquis debet resistere detractori, arguendo eum de falsitate, & maximè si sciat, verum esse, quod dicitur: sed debet eum verbis redarguere de hoc, quòd peccet fratri detrahendo: vel saltem ostendere, quòd ei detractio displiceat per tristitiam faciei; quia ut dicitur *in Proverbiis* cap. 25. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem*: quia ad literam detrahens cessat, cùm audiens contristatur. Quod tamen ùt plurimùm, sicut par esset, mundana praxis non servat. Quin imò, si quis audit malum de aliquo, despicit, & movet caput; nec loquitur ore, sed nutu; & facit pejus, quàm si decies loqueretur, ingerendo aliis suspicionem. Vel plerúmque apertè complaudit, dictum exaggerat, aut quidpiam adjicit. Quod si non fecerit, humano indignus convictu reputatur. Et hoc vel maximè deplorandum, quòd totus Mundus detractorum plenus sit. Unde super illud *Proverb.* 24. *Cum detractoribus non commiscearis*, ait *Glossa*: *Hoc specialiter vitio periclitatur penè totum genus humanum.*

24. Profectò res ardua & rara, interesse sermonibus detractoriis, & non aliquâ exinde coinquinari peccati maculâ, cùm vel ipsâ etiam taciturnitate in hac parte non raro quis peccet, quando nempe monere deberet detrahentem, non tamen monet respectu quodam humano prohibitus. Ubi nihilominus advertendum: Si quis prudenter putet nullo modo profuturam suam monitionem, vel metuat aliquando grave damnum, putà, contumelias, verbera, gravem rixam: Vel si fuerit inferior, & nullius auctoritatis, aut putet auditores non credere, aut aliâ ratione speret, damnum hoc infamiæ ab alio propulsandum, non tenetur monere, aùt contradicere, sed potest tacere: ad hoc enim tantùm obligatur, cùm putat efficaciter damnum impedire se posse. Recolligantur dicta Serm. 6. num. 22. Verùm, cùm ars artium sit in præsenti puncto semper posse tangere medium, & non aliquando tacere ad ea, quæ essent contradicenda, & vice versa; proinde facilè liquet, quàm res sit aleis plena, se detrahentium immiscere circulis, ac commerciis. Siquidem, vel eos corripere obligaris, vel non? Si obligaris, & non facis, præ foribus stat peccatum; Sin eos corrigis, eorum aversionem, iram, odium vix effugies. Tutissimum ergo, & rationi valde consentaneum est, aures accommodare divinis consiliis, & opere implere quod suggeritur à Sacro *Parœmiaste*, sic monente ac dicente: *Amove à te os pravum, & labia detrahentium sint procul à te.* Proverb. 4. 24.

# SERMO XII.

## DE DETRACTIONE PATIENTER FERENDA.

*Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam.* Psal. 108. 4.

## PARS PRIMA.

1. SAnctissimi Hipponensium Præsulis *Augustini* assertum est: *Quem diabolus* (inquit tom. 2. epist. 137. circa med.) *non potest devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut, si fieri potest, opprobriis hominum, & malarum linguarum detractione deficiat, & sic in ejus fauces ruat.* Neque addubitandum, quin plures cæteroquin pii & religiosi, patienter tamen non ferentes malè sparsos de ipsis sermones, nec veniam suis obtrectatoribus impertiri volentes, sed iras, & inimicitias foventes in prædam tandem diabolo cessêre. Eapropter in præsenti eliminare conabimur omnem impatientiam, iram, & bilem, quæ in cordibus bonorum hominum consurgere nonnunquam solet, quandò injustè & ignominiosè ab aliis diffamantur, boníque sui nominis existimationem amittunt. Proinde nosse debemus, nihil magis in votis esse stygio tenebrioni, quàm si possit eos, quos piè & religiosè vivere cernit, diffamare, remorásque injicere, quibus in via Dei præpedirentur, & à perfectionis, salutísque cursu retraherentur. Nam (ùt scitè observat *Gregor. Magn.* lib 2. indict. 10. epist. 23.) *habet hoc proprium invidia antiqui hostis, ut, quos in perpetratione pravorum actuum decipere non valet, famam eorum dilaceret, falsa ad tempus fingendo.* Quanquam autem huic infernali Draconi nunquam desit voluntas per semetipsum devotos Dei servos infamare, eísque apud alios boni nominis existimationem eripere, quemadmodum nonnullos Sanctos speciem alienam mentitus infamavit, quos inter erant S. Silvanus Archiepiscopus, S. Cunegundis Imperatrix & Virgo, & S. Maria Magdalena de Pazzis; rarissimè tamen id ei Deus permittit; frequenter autem id efficere adlaborat per homines impios & vitiosos, qui semper virtutum studiosos traducere, eorúmque bonam famam, si non prorsus tollere, obfuscare saltem nituntur.

2. Eapropter quisquis boni sui nominis æstimationem à maledica lingua imminui intelligit, magnoperè caveat oportet, ne illius Præcepti, ab electo Christi Apostolo nobis omnibus traditi transgressor existat, quâ præcipitur: *Rom.* 12. 14. *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere eis*, qui vos quovis modo denigrant. Et licèt dicat *Siracides* cap. 41. 15. *Curam habe de bo-*

*no nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Et Cato: *Omnia si perdas, famam servare memento.* Id enim non debet intelligi, ut per fas & nefas teipsum defendas, & te injuriantem reciprocâ injuriâ afficias, & maledicenti maledicas; sed ut sic vitam tuam instituas, ac taliter vivas, ne apud Sapientes, & probatæ conversationis homines malæ famæ notam incurras. *Noli ergo vinci à malo, sed vince in bono malum,* hortamentum est citati Apostoli *Pauli.* Rom. 12. 21. Et quia

Verba movere solent mollis penetralia cordis;
Ast exempla trahunt, abripiúntque magis.

Ideò exemplo sit inprimìs ipse, qui est summa & essentialis sanctitas, innocentia, justitia &c. nimirum pientissimus Salvator noster JESUS Christus. Ah! qualem non infamiam mansuetissimus hic Agnus patiebatur? Quas non contumelias, infamationes & contradictiones sustinuit? Unus eum voracem, alter Publicanorum amicum, hic blasphemum, ille dæmoniacum, (verbo) omnes unâ voce seductorem, impostorem, Sabbati violatorem nuncuparunt. De verbis ad facta porrò progressi, in uno loco eum voluerunt apprehendere, in alio lapidare, in alio de monte præcipitem dare, hìc ut lunaticum ligare, illic è Synagoga & publico concilio ejicere. Denique breviter, si totam sanctissimam ejus Passionem percurrimus, eum ad summam ignominiam devenisse reperiemus; Nam cum Barabba, id est cum homine omnium hominum scelaratorum sceleratissimo non solùm fuit comparatus, verùm etiam eidem postbabitus, communique totius populi horrendâ vociferatione ad mortem postulatus, quasi dignus non esset unius diei vitâ. Igitur si & tu, mi optime frater, injustè, si malitiosè, si contumeliosè tuis à consodalibus, seu potiùs à diaboli ministris falsò accusaris, diffamaris, subsannaris &c. aperi aures tuas, & audi illud, quod olim ad Moysen dixit æternus Pater: *Exodi* 25. 40. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte* Calvariæ *monstratum est.* Nimirum leva oculos tuos, *& respice in faciem Christi tui. Psal.* 83. 10. qui pro salute tua in monte Calvariæ in crucem actus est, & videbis eam lividam, luridam, deformem, & dices cum Propheta (*Isai.* 43. 2.) *Non est species ei, neque decor, & quasi absconditus vultus ejus.* Aspice corpus, & videbis, quia *à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Isai.* 1. 6. Denique si ulterius Salvatorem tuum, in ligno suspensum, contemplatus fueris, videbis eum *despectum, & novissimum virorum; Isai.* 53. 3. dicénsque: *Vermis est, & non homo. Psal.* 21. Erubescat ergo Christianus, inprimìs Religiosus, & confundatur, cùm videat Dominum suum tam iniquè, & ignominiosè habitum à populo suo, cui innumera contulit beneficia, & ipse honoribus mactari, ac in numero & pretio haberi cupiet?

3. Opportunissimè ad rem facit, quod in Chronico Scriptorum Ordinis Minoritarum refert *Henricus VVillot* de Religioso quodam ejusdem Instituti, qui dum Bononiæ in Capitulo Generali falsò accusatus, ante Crucifixi imaginem in genua procumbens obnixè Crucifixum rogâsset, ne eum pateretur falsi criminis accusari, precibus vix finitis, eum sacra Crucifixi imago affata est his verbis, quæ etiam hodie leguntur ante eam imaginem:

Et

Et ego quid demerui pendens inter latrones?
Oravi, nec obtinui carnis petitionem.
Calicem mortis sorbui, Patri placere studui per carnis passiones.
Ergo non murmur exeat, si non sit quod orâsti:
Nec orâsse pœniteat, quamvis non impetrâsti.
Dum fraudat desiderium, ad majus beneficium datorem obligâsti.
Ad me si levas oculum, vides argentô vendi, tradi quoque per osculum, & durè comprehendi.
Ac ligari funibus, confici verberibus,
Velut desperatus, præsentor Pontificibus, quasi latro ligatus.
Sic quos amavi fortiùs, ab illis inquam citiùs, sum spretus & illusus.
Ibi clamor, derisio, severitas minarum; omnes impunè faciunt,
Et quidquid mihi faciunt, videtur esse parum.
Saturatus opprobriis ducor ad Pilatum, renovatis injuriis ruunt in accusatum;
Hinc homicidam liberant ad mortem adjudicatum.
Nec Præses dat præsidia, nec curam gerit curia, de justo liberando;
Quasi vile mancipium dant in Herodis manus:
Mox producor in medium, deludor ùt insanus.
Tandem remissus Pontio, diræ mortis supplicio condemnor ùt profanus.
Extra muros ejicior, & ipse crucem fero.
Matre vidente spolior vestimentis quæ gero.
Tandem clavis confodior, & in cruce morior, de vita non despero.
Tu ergo vermis non turberis, si non statim consequeris quidquid à Patre quæris.

His ille auditis obstupuit, & spirituali recreatus, ac roboratus dulcedine, ad omnem inposterùm tolerandam infamiam, ex falsis delationibus & obtrectationibus promanantem, sese ultrò Deo obtulit.

4. Hoc ipsum, quod huic viro Religioso à Crucifixi imagine dictum fuit, tibi dici, & inculcari cogita, ne ob aliorum detractiones, & infamationes in impatientiam, iram & odium, ac exinde in salutis periculum prolabaris, memor semper illius à cælesti Magistro traditæ doctrinæ *Matth.* 10. 25. *Sufficit discipulo, si sit sicut Magister ejus; & servo sicut Dominus ejus. Si Patrem-familias Beelzebub vocârunt: quantò magis domesticos ejus?* Quasi diceret: Si me, qui sum Christus, Magister, & Dominus, imò Pater-familias vester, Judæi irriserunt, calumniati sunt, & vocaverunt Beelzebub; si, inquam, in me, qui eis per tot miracula me Messiam & Filium Dei esse probavi, hoc ausi sunt; quantò magis eadem audebunt in vos domesticos meos, discipulos, & famulos? Et si ego talia ab eis modestè & fortiter toleravi, quantò magis eadem simili modo tolerare debetis, imò in iis gaudere, quòd pro me ista toleretis, quódque in hac tolerantia mihi assimilemini, meísque quasi vestibus & insignibus ornemini? Item considerandum, quòd nulla virtus tantæ sit authoritatis, quæ non à malevolis in sensum reprobum trahatur; experti id sunt, quot Deo placere studuerunt. Si ergo & tu idipsum nunc experiris, nil novi hoc est, nec primus es, nec ultimus eris: Quippe dudum

dudum id expertus de præterito Apostolus *Paulus*, & dudum de futuro idipsum prædixit: (2. Tim. 3. 12.) *Omnes qui piè vivere volunt in Christo, persecutionem*, & detractionem *patientur.* Hinc Poëta religioso præcinente:

Ipse nec adnixus fieri omnibus omnia Paulus
Obtrectatorum liber ab ore fuit.

5. Nihil ergo novi est, quòd de bonis Christianis, de Christi servis, de religiosis viris perversæ formentur censuræ ab iniquis; id enim jam à mundi principio factum est ita. Et ideo *S. Joannes* in sua prima Epistola cap. 3. omnes Christi fideles erudire volens, ait: *Nolite mirari fratres*, tanquam ad rem novam aut insolitam, *si odit vos mundus*, si mundi dilectores, vos ab amore mundi separatos, & cælestibus desideriis intentos oderint, suísque sinistris & iniquis judiciis, ac sermonibus detractoriis vos flagellent, & infament. Nam hoc nil prorsus est novi, ut malus contrarietur bono, iniquus justo; dudum id etiam vidit, & prævidit *Salomon* dicens: *Ambulans recto itinere, & timens Deum despicitur ab eo, qui infami graditur via. Prov.* 14. vers. 2. Tanta enim est impiorum perversitas, ut, nisi omnes tales efficiant quales ipsi sunt, non acquiescant: quia vident suam vitam & vitia contrariis piorum virtutibus, moribúsque reipsa culpari, & redargui: quare perpetuos hos suæ vitæ censores, velut sudes in oculis non ferentes, rident, vexant, eísque ubi poterunt obtrectare non cessant. Hanc causam dant impii apud *Sapientem* dicentes: *Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Sap. 2. 15. Unde sicut in eodem homine contra spiritum caro, & contra carnem spiritus concupiscit: ita in eadem republica, aut communitate quapiam mali cum bonis pacem habere non possunt. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* quærit *Apostolus* 2. Cor. 6. 14. Appositè *Comicus*: *Semper bonos odit malorum factio.*

6. Hæc omnia suo calculo rursùs corroborat Sacer *Parœmiastes* cap. 29. v. 27. ita contestans: *Abominantur impii eos, qui in recta sunt via*; id est, qui rectè vivendi viam & consuetudinem ineunt, ac tenent. In quo sensu etiam dixit *Tarsensis Præco*: (*Gal.* 4. 29.) *Et quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum: ita & nunc.* Quasi diceret: Sicut olim senior frater Ismaël, *qui secundùm carnem natus fuerat*, hoc est carnali virtute & generatione prognatus ex Agar, *persequebatur eum, qui secundùm spiritum*, id est Isaac, qui natus est ex Spiritûs Sancti promissione & virtute supra naturam ex Sara, quasi typus fidelium, & spiritualium filiorum legis novæ; *ita & nunc* Christiani, & Religiosi carnales persequuntur, & rident spirituales, ait hic *S. Hieronymus.* Est enim connaturale, imò fatale, quòd mali bonorum vitam cavillis & sannis insectentur, eísque detrahant, & invideant; nam sicut similitudo morum est causa amorum; sic dissimilitudo morum est causa & origo odiorum. Unde *Horatius* lib. 1. epist. 19.

Oderunt hilarem tristes, tristémque jocosi;
Sedatum celeres, agilem gnavúmque remissi.

7. Opportunè *S. Leo Papa* Serm. 9. de Quadrag. ad præsentem scopum ita graphicè

phicè scribit: *In bono proposito constitutis inimicitiæ dissimilium, diabolo instigante, non desunt, & facilè in odia prorumpunt, quorum improbi mores delectabiliores sunt comparatione rectorum. Iniquitas cum justitia non habet pacem; temperantiam odit ebrietas; falsitati nulla est cum veritate concordia; non amat superbia mansuetudinem, petulantia verecundiam, avaritia largitatem.* Ita S. *Leo.* Nemo ergo demiretur, multos etiam inter homines claustrales reperiri, qui adeò sunt malignæ naturæ, ut etiam de bonis bene loqui non possint, & quomodo quis evomet dulcia, qui habet cor & os plenum felle & amaritudine? Reperiuntur nimirum linguæ pestilentes & perniciosæ, quæ (ùt proverbialiter dici solet) instar falcis ex omni herba fænum efficiunt. Et vel ideo nullus unquam tantâ morum integritate fulsit, qui absque aliorum querela fuit. *Fieri non potest* (ait *S. Hieronymus* in quadam Epistola) *ut absque morsu hominum vitæ hujus curricula quis pertranseat.* Nam quemadmodum lilii odor, etsi sit suavissimus, non tamen gratus omnibus est, quoniam debilibus capitibus vehementem affert dolorem; Ita pariter qui excellere nituntur in virtutibus, quamvis coram Deo, beatísque cæli civibus deliciosissimè fragrent; hac tamen fragrantiâ multi offenduntur, illi nimirum, qui perfectionis callem abominantur, & fugiunt. Et hi sunt homines levissimi ac triobolares, qui famam depeculantur bonorum. Ita non infrequenter fit verum illud *Poëtæ*:

*Candida de nigris, & de candentibus atra.*

8. Et hoc à parte rei ita esse, innumeri experti sunt viri etiam probatissimi & sanctissimi, tam qui in novo, quàm qui in Veteri Testamento vixerunt. Nam quisnam olim Moyse & Aarone exequendis cælestibus monitis obsequentior? educendis ex Ægypto Hebræis charitatis fervore potentior ac promptior? Et tamen vel ipsa charitas ipsorum minimè sine hominum reprehensione immunis evasit. *Vociferans enim omnis turbâ murmurati sunt contra Moysen & Aaron*, inquit Scriptura, *Numer.* 14. 11. Videantur, quæ diximus serm. 10. num. 2. Quonam ergo modo potest quis, licèt sanctitatis splendore fulgeat, sine querelarum vivere injuriis? Si vel ipsa benefica *Moysis* & *Aaronis* eductio populi ex captivitate, querelæ materiem multitudini ministravit? Quis ergo ita vitam ducet, ut nec activè, nec passivè ansam præbeat querelis mortalium? Rectè quidam dixit: *Interdum etiam optimi decolorantur.* Sic *S. Chrysostomus* infamabatur, quòd solus cum mulieribus ageret, & vitam turpem & voluptuosam cum illis duceret; ideo in exilium sæpiùs pulsus, & in eodem denique etiam mortuus est, quemadmodum fusiùs in ejus vita recenset *Laurentius Surius*, & ex eo *Petrus Ribadeneira.*

9. Pariter *S. Hieronymus*, clarissimum pœnitentiæ speculum, infamiam passus est maximam; at quam ob causam? Nimirum, quia Romam circuibant, & magnâ contentione indagabant *Hieronymum* S. Marcella, S. Albina mater ejus, S. Melania, & S. Paula, ut à viro Sancto Sacris litteris instruerentur, ac in via Dei proficerent; ad harum autem nobilissimarum mulierum exempla, aliæ complures omnis ordinis mulieres, Viduæ & Virgines tantâ copiâ ad illius confluebant ædes, ut in templum commutatæ esse viderentur. Quæ omnes *S. Hieronymi* institutione & doctrinâ ad illum perfectionis gradum pertigerunt, ut sæculo, ejúsque pompis & vani-

vanitatibus ultimum vale dixerint. En causam, ob quam sanctissimus hic Ecclesiæ Doctor velut impiissimus impostor fuerit habitus, Urbéque pulsus. Porrò Romam deserens *Hieronymus*, Jerosolymámque pergens, hunc in modum inter alia Asellæ conscribit: Quid mali feci, quid unquam aliter in me viderunt, quàm Christianum decebat? Nihil mihi aliud objicitur, nisi quòd matronæ aliquæ meâ institutione, contemptis sæculi vanitatibus, Crucem Domini fuerint amplexatæ, eúmque celeri passu secutæ. Si Gentiles, & Judæi hanc vitam carperent, solatium haberem non placendi eis, quibus Christus displicet. Nunc verò (proh nefas) Christiani, proprii oculi trabe neglectâ, in alieno oculo festucam quærunt? Illine sanctæ vitæ propositum & bona opera lacerant? ô propudium! Sed quid? gratias ago Deo meo, quod dignus sim quem mundus oderit. Maleficum me quidem garriunt, titulum fidei servus agnoscit. Magum vocant & Judæi Dominum meum; seductor & Apostolus dictus est. Infamiam falsi criminis imputârunt; sed scio per bonam & malam famam perveniri ad regnum Dei. Hactenus *Hieronymus.*

10. Porrò, ut alios sexcentos, sanctitatis opinione clarissimos, qui suæ famæ injustissimè patiebantur dispendium, prætereamus, *S. Bernardi* Abbatis Claravallensis meminisse lubet. Certè vir Sanctissimus erat Bernardus, ornatus omnibus naturæ, & virtutum dotibus, simulacrum prudentiæ ac bonitatis, nihilominus tamen tantùm potuerunt linguæ maledicæ, ut tandem apud Eugenium Papam (qui illum veluti Patrem venerabatur, quia olim erat Monachus, & in Claravalle S. Bernardi Discipulus) gratiam perdiderit. Cujus rei fidem facit ipse in Epistola quadam (*epist.* 306.) scribens ad Cardinalem Ostiensem: *Benedictus Deus, qui & hoc quod dederat, & de quo mihi forte immoderatiùs blandiebar, solatium ante exitum tulit, vestrum scilicet, & Domini mei* (Eugenii) *gratiam; ut vel proprio experimento discam, non ponere spem meam in homine.* Non solùm apud Eugenium, sed etiam Innocentium secundum, quem tamen vir Sanctus tam impensè dilexerat, in dignitate Papali protexerat adversùs schismaticos, de ponte dejectus fuit, quemadmodum patet ex illius epistola 218. in qua duas refert rationes: quarum prima fuit falsa quædam relatio facta Summo Pontifici, ad quem, enarratâ veritate facti, scribit: *Cedat jam, si placet, manifesta indignatio veritati, nec mihi deinceps frons rugetur, aut supercilium deponatur.* Plura exempla, qui detractiones & diffamationes heroico sustinuerunt animo, reperiet studiosus Lector infrà *Sermone de Patientia.* Hìc autem consideremus, mi optime frater, hæc, & istiusmodi Sanctorum virorum exempla, nobis non esse scriptis tradita ad speculandum, sed imitandum; ne alioquì de nobis etiam illud Incarnatæ Sapientiæ verificetur testimonium dicentis: *Luc.* 8 13. *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*: hoc est, qui, dum nullas experiuntur detrahentium linguas, dum apud omnes bene audiunt, æstimantur, ac in honore habentur, tunc Deo credunt, & ipsum benedicunt: at verò quamprimum ob maledicam quorundam linguam despiciuntur, negliguntur, & vilipenduntur, continuò fiunt impatientes, viámque justitiæ deserunt. Proinde animadvertendum, patien-

tientiam in infamia inprimis esse veluti lapidem quendam lydium, ad quem, quis verè virtuosus, & quis fictè tantùm sit, probatur. Nam, ut dicitur *Psal.* 103. v. 32. *Tange montes*, id est, qui in corde suo sunt superbi & impatientes, (licèt exteriùs in oculis hominum appareant humiles & patientes) *& fumigabunt*; exhalabunt enim fumum iræ, jurgiorum, maledicentiæ, & vindictæ. Ne proinde & nos in conspectu Altissimi tales inveniamur, quæ sequuntur observemus, & practicemus oportet.

# PARS SECUNDA.

11. SApientis *Ecclesiastici* (cap. 2. v. 1.) admonitio est: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Quasi dicat: Tu qui spirituali militiæ nomen dedisti, & in Christi Castris militare, id est, secundùm Evangelicæ legis præscriptum vivere, bonúmque Christianum, aut Religiosum esse, vel fieri proposuisti, scias, te non esse vocatum, ut mundus te suspiciat, honoribúsque mactet; sed potiùs ad infamiæ, & variarum obtrectationum ignominiam patienter tolerandam. Verissimè Doctorum celeberrimus *Augustinus* super *Psal.* 55. edixit: *Cùm cœperit homo Christianus*, (homo Religiosus) *cogitare & disponere, ut perfectè proficiat in virtutibus, & sui ipsius mortificatione, statim incipit pati linguas adversantium. Quicunque illas nondum passus est, nondum profecit. Quicunque illas non patitur, nondum conatur proficere.* Hæc autem maledicarum linguarum licentia tantò magis se in aliquem armat, quò magis ipsius virtus sese propagat. Hujus rei symbolum habemus in nuce: hæc enim arbor tantò percutitur graviùs, quò fructibus fuerit onusta copiosiùs. Unde si sensu polleret, loquíque posset, hæc illius forent suspiria: *Icor, dum ditor.* Ad rem *Ovidius* Elegia de nuce:

Nux ego juncta viæ cùm sim sine crimine vitæ;
A Populo saxis prætereunte petor.
Nil ego peccavi, nisi, si peccare videtur,
Annua cultori poma referre suo.

Veridicè *Justus Lipsius*: *Non rarò* (inquit opere Critico Præfat. lib. 1. var. lect.) *quorum meritis in Rempublicam, & populum ipsum singularibus, nulla gratia, nulla merces digna ne cogitari quidem potest, populo disceptatore, pro mercede pœnam, pro laude ignominiam, pro gratia indignationem acceperunt.* Hoc inter alios plurimos expertus est *S. Gregorius Nazianzenus*, qui Constantinopolim ad eam regendam Ecclesiam accersitus, cùm civitatem hæresum purgatam erroribus ad Catholicam fidem reduxisset, quod ei summum omnium amorem conciliare debebat, multorum paravit invidiam. Et cùm inter Episcopos magna propterea esset facta seditio, sponte cedens Episcopatu, & Nazianzum reversus, totum se ad divinarum rerum contemplationem & scriptionem contulit. Ita habet *Romanum Breviarium* 9. Maji.

12. Sanè si etiam modernum rerum statum, hominúmque conditionem ac indolem curiosiùs quispiam rimatus fuerit, comperiet utique, bonos Christianos & Religiosos etiamnum cum *Davide* queri posse, ac dicere: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi.* Psal. 108. 4. Et iterum Psal. 37. 20. *Inimici autem mei vivunt, & multiplicati sunt: qui retribuunt mala pro bonis, hi detrahebant mihi.* Nam re-

reverà qui Sacris Christi, Sanctorúmque insistere vestigiis, piéque juxta Evangelii doctrinam, juxta Regulæ & religiosorum suorum statutorum præscriptum vivere velit, multas calumnias, & obtrectationes ferat oportet. Fient quippe ei *inimici*, non tam extranei, quàm *domestici ejus*, uti Christus prædicebat *Matth.* 10.36. Nimirum ipsi amici, consanguinei, sive confratres ejus, eundem professi Christianismum, eandem Regulam, iisdem votis & juramento obstricti, erunt futuri adversarii, illi videlicet, qui piè vivere detrectant. *At consolamini, consolamini popule meus*, inquit Deus per *Isaiam*, cap. 40. Consolamini omnes, qui diligitis Dominum, quíque propter Nomen ejus à Satanæ ministris, pessimis tractamini modis, quoniam ineffabilis vos manet gloriæ corona; imò eadem, quæ sanctis debetur Martyribus, vobis est reposita; Quippe *S. Gregorio* teste: *Mori à persequente martyrium est in aperto opere: ferre verò* fortiter *contumelias, odientes &* maledicos *diligere* (quod perfecti Christiani ac Religiosi faciunt) *martyrium est in occulta cogitatione.* Et ne quis hac de re aliquod concipere possit animi dubium, ipsum INCARNATUM æterni Patris VERBUM eos canonizat, qui maledicarum linguarum procellas æquo sufferunt animo: *Beati estis* (inquit apud *S. Matthæum* cap. 10. v. 11.) *cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis: sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.*

13. In vita *Beati Henrici Susonis* cap. 25. memoratur, eum vice quadam ad Generale Capitulum profectum, in quo à duobus magnæ authoritatis viris Religionis ejusdem, qui eodem loci convolârunt, de pluribus fuit accusatus, inter alia sparserunt, eum libros scripsisse hæreticos, provinciámque his fœdè commaculâsse; quapropter à Capituli Superioribus, nimiùm, & plùs æquo credulis, acerbè ac injuriosè reprehensus fuit Vir Sanctus. Tandem ad suum proprium reversus Monasterium, audivit à quodam speciali Dei amico, qui *Henricum* his verbis est allocutus: Quanquam in tuo itinere plùs à me quàm centum distares milliariis, omnes tamen tuas intellexi, & perspexi persecutiones, & injurias, tibi factas. Nam die quadam positus in ecstasi vidi Judicem supremum pro Tribunali sedere, cujus permissu binis diabolis fuit concessum, suam ut in te rabiem explerent, id quod per duos Superiores tuos fuit actum; qui & authores, & actores tuæ persecutionis & diffamationis exstitêre. Cùm verò ad Dominum clamarem, ac peterem causam, cur tam infamibus suum amicum intimum subjacere sineret calumniis? Responsum tuli: Quoniam ego ipsum mihi singulariter elegi, ut per hujusmodi injurias & afflictiones mihi in passione mea fiat conformis. Attamen mea justitia postulat, ut hoc crimen circa ipsum patratum ulciscar per eorum mortem, id quod etiam paulò pòst factum, & multis notificatum. Discamus hinc, quòd illi, qui alios suis maledicis linguis persequi gestiunt, sicut sibi ipsis damna maxima inferunt, ita è contrario eos, quos improbè & injustè vexant, præter opinionem spiritualibus cumulent bonis, cùm eorum virtutem reddant perspicaciorem, illósque ad sublimiorem perfectionis gradum promoveant, & evehant.

14. Et hæc est ratio, cur Deus ubique locorum quandoque plures etiam im-

impios inter paucos probos morari sinat; videlicet, ut ad Christianæ, ac religiosæ perfectionis culmen promoveri possint, eorúmque virtus eminentior appareat, illúdque *Cant.* 2. illis attribui queat: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sicut enim lilii candor inter spinarum horrores gratior apparet, & efflorescit: sic viri Religiosi inter iniquos & maledicos consodales suos in virtutibus plùs proficiunt, magisque (maximè dum patienter ferunt malignas eorum obtrectationes) resplendent, & efflorescunt gratiâ & gloriâ: Appositè *Poeta.*

Quamlibet è mediis consurgunt lilia spinis;
Sic virtus ipsis crescit, ovátque malis.

Huc suæ perspicacitatem mentis collimabat Ecclesiasticorum Magistrorum lumen, Magnus *Augustinus*, dum de impiis differens hanc brevem quidem, sed magni ponderis protulit sententiam: *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur: aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.* Quid est *exerceatur*? nisi, probetur, examinetur, sicut examinari solet aurum in igne, ut purius & splendidius fiat. Ideo idem Sanctissimus Doctor (lib. 2. cap. 6. Gen. ad lit.) quærit, ac dicit: *Cur non Deus crearet eos, quos præsciebat bonis profuturos?* Et hoc est, quod Cælitum Regina, Domina nostra edocere voluit beatam Birgittam, dum hanc ei tradidit eruditionem dicens: (lib. 1. *Revel.* cap 22) *Considera, quòd mali* (quales inprimis censentur alienæ famæ direptores) *vivere permittuntur ad bonorum probationem, ut ex eorum moribus exasperati patientiæ fructu remunerentur.*

15. Unde *quemadmodum vinum* (est similitudo ab eadem Sanctissima Christi Matre D. Birgittæ data) *nunquam servatur in bonitate sua nisi in fæce; sic nec boni & justi in virtutibus stare, & proficere possunt, nisi probentur tribulationibus, & iniquorum cavillis & maledicentiis.* Et hæc videtur fuisse causa, quare Paterfamilias Evangelicus non prohibuerit, seu ejecerit ab agro suo inimicum superseminantem zizania, ut electa grana à tam iniqua permistione illæsa serventur; aut cur suis servis, zizania hæc è medio tritici eruncare volentibus, facultatem id faciendi negaverit, sed dixerit: *Sinite utraque crescere usque ad messem. Matth.* 13. 30. Quia licèt Paterfamilias probè sciret, quantùm nocumenti ex zizaniis triticum caperet; ex alia tamen parte etiam considerabat majus emolumentum, quod tritico ex conjunctione zizaniorum sit superventurum. Unde *D. Thomas* in *aurea sua catena* citat S. P. Augustinum, qui præsenti proposito valde opportunam profert sententiam, dicens: *Sinite utraque crescere usque ad messem: Hoc dicitur, quia boni dum adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum commistione, sive ut per eos exerceantur; sive ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, & invitentur ad melius.* Et fundamentalis quidem ratio, cur homines probi sæpe plùs proficiant inter maledicos, quàm inter bene moratos, hæc censeri debet, quòd nimirum boni ac virtuosi in iniquorum mala vita, ceu in quopiam speculo, suam pariter videant infirmitatem, nec minoribus se circumdatos esse animæ periculis, ac in graviora se labi posse, nisi à Deo misericorditer respecti præservarentur; Ex qua cognitione in illis profundissima enascitur cordis humilitas. Et dum secum meditantur, quam gratuitô

tuitô Dei beneficiô à reproborum ſegregati ſint numero, ac inter electos (ut piè confidunt) computati, maximas quas poſſunt, Deo rependere ſtudent gratias pro tanto favore, cujus etiam jugi recordatione, tanquam ſtimulô & calcari adacti, ſemper plùs, & plùs nituntur ad bonum; hujuſmodi autem virtutum actus facilè langueſcerent, ſi perverſos iniquorum mores non cernerent, aut eorum mala acta ac injuſtiſſimas obtrectationes & perſecutiones non perſentiſcerent.

16. Hactenus dicta licèt ſufficere poſſent ad perſuadendum, ne quis indignetur, aut ab ira ac odio ſe abripi ſinat, dum à malevolis quibusdam gerronibus traducitur, indéque bonæ ſuæ famæ diſpendium patitur; nihilominus, quò firmiores hac in parte agamus radices, alia, quæ efficaciter ad patientiam in infamia habendam incitant, proponere conſultum eſt. Aſſertum eſt D. Hieronymi: *Apud Chriſtianos non qui patitur, ſed qui facit injuriam, miſer eſt.* Similiter S. *Gregorius* mœſtitiam ejus, qui temerè & iniquè judicatur, propteréaque infamiæ cujuſdam notam incurrit, mitigaturus, hæc auribus ejus inſuſurrat: Miror, dilectionem tuam verbis hominum contriſtatam; Inter verba enim laudantium, aut vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt; & ſi in iis non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magna triſtitia generari debet: Et rursùm, ſi in iis non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam proſilire. Quid enim ſi homines laudant, & conſcientia accuſat? Aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? Habemus *Paulum* dicentem: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* 2. *Cor.* 1. 12. *Job* quoque dixit: (*Job.* 16. 20.) *Ecce in cælo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.* Si ergo nobis eſt teſtis in cælo, teſtis in corde; dimitte ſtultos foris loqui quod volunt. Ita *Gregor.* lib. 8. epiſt. 45. Non ergo in tali calumniarum, & ſycophantiarum grandine, ac tempeſtate animus deſpondendus, aut aliquo modo mœrendum, quin potiùs magnoperè lætandum, & exultandum in Deo, eíque quàm maximas referendum grates, ſcientes illud, quod proximè laudatus, & omni laude ſuperior, S. *Gregorius* alicubi ſcriptum reliquit his verbis: *Dominus donis ſuis flagella permiſcere ſolet, ut nobis omne, quod in mundo eſt, amareſcat, & ad cæleſtium deſiderium excitet, atque (ut ita dicam) mordax ſuaviter cruciet, hilariter contriſtet.* Ex quo ſancti ac perfecti homines non ſolùm magis avent vituperari, & obtrectationis injuriam pati, quàm neſcio quibus laudum præconiis extolli; ſed inſuper etiam aſſentationem (quæ blandæ perſecutionis genus eſt) magis timent, quàm vituperia, aut alias malæ linguæ injurias. *Oportet nos, ſi ſapiamus,* (verba ſunt S. *Iſidori* Peluſiotæ lib. 5. epiſt. 62.) *aſſentatores magis averſari, quàm eos qui nos lædunt, injuriáque afficiunt. Majus enim detrimentum non attendentibus ex humana laude, quàm ex vituperatione oriri ſolet: & faciliùs eſt hanc quam illam paſſionem ſuperare.* Ab his enim humanæ laudis, ſeu adulationis favoniis non inflari ad ſuperbiam, tam difficile quàm rarum eſt. Optimè *Chryſoſtomus* in cap. 27. Matth. homil. 89. *Quare* (inquit) *ſi averſari nonnullos decet, adulatores magis, quàm contumeliantes odiſſe oportet.* Unde Chriſtus calumniantibus, & exprobrantibus ſuaviter

ſemper

ſemper reſpondit, ùt patet *Lucæ* cap. 11. v. 16. Et *Joan.* cap. 8. v. 13. At verò accedentibus adulatoribus, & dicentibus: (*Matth.* 22. 16.) *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*; confeſtim regeſſit: *Quid me tentatis hypocritæ?* Pſalmographum videlicet imitatus dicentem: *Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.* *Pſal.* 69. 4. Et quia injuriis, probris, maledictis, jubente Evangelio, benedictiones reponere tenemur, ideò non ſolùm nobis maledicentibus maledicere non debemus, ſed etiam Deus exorandus eſt, ut illis parcat, criménque dimittat: Non ſolùm non optemus impleri ignominiâ facies illorum, qui nos inceſſunt; ſed potiùs, ut convertantur, ac ſalutem æternam conſequantur. Sic enim veraciter cùm Divino *Paulo*, aliiſque Apoſtolis dicere & nos poterimus: *Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus.* 1. *Cor.* 4. 13.

17. Quantùm porrò ex iſtiuſmodi patienti infamiæ tolerantiâ divinam ad nos attracturi ſimus clementiam, id diſcemus ab ipſomet Virginis Mariæ ore piiſſimo, dum S. Birgittæ colloquens, ait: *Anima hominis, quæ audit detractionem contra ſe factam, non tamen malum cupit detrahenti, ornatur quaſi pulcherrimis veſtibus in tantum, quod Sponſus, qui eſt unus Deus in tribus Perſonis, concupiſcit illam animam in Deitatis ſuæ æternam dilectionem.* Ita habetur lib. 6. Revelat. S. Birgittæ. cap. 47. Ecce qualiter Chriſtus Dominus, animarum noſtrarum Sponſus adamare dicatur illum, qui conſtanti ac forti animo ſuffert obtrectationes, & diffamationes quaslibet. Notandum autem hìc occurrit, duplici modo poſſe aliquem boni ſui nominis jacturam ſubire, *primò*, dum de ipſo, ùt perſona particulari infamis ſpargitur ſermo; *Secundò*, dum quiſpiam in Communitate cum aliis degens deſpicitur, & abjicitur propter aliorum conſodalium ſuorum ſcandala, qui ſodalitium illud, ſive monaſterium reprobis moribus fœdè commaculare nonnunquam ſolent; unde & aliis innocentibus ignominiæ & infamiæ notam inurunt. Infamia ergo, nedum priori modo ſpectata, patienter eſt ferenda, ùt hucuſque dictum, ſed etiam modo poſteriori conſiderata, æquanimiter toleranda. Exempli gratia; Si qui Religioſi in Religione ſua optimè & religioſiſſimè viventes ob aliorum irreligioſam ac ſcandaloſam vitam famæ ſuæ jacturam apud exteros incurrunt; id quod valde magnam innocentibus Religioſis creare ſolet afflictionem & crucem, cùm malè audiant, qui omni laude digni reperiuntur. Veruntamen hi conſolari ſe ipſos debent, cogitantes, & minimè addubitantes, quin ſimiles Religioſi, qui pacificè iſtiuſmodi infamiæ notam ſufferunt, divinæque ſe voluntati perfectè ſubdunt, modo quodam ſpeciali Deo ſint placituri, utpote cùm propterea in Chriſti ponantur veſtigiis, eique ſimillimi efficiantur, qui pariter non aliam ob cauſam, quàm propter aliena delicta in infamem crucis truncum eſt actus. Infamari igitur apud mundum ob aliorum, quibuſcum vivere ac morari neceſſum eſt, ſcandaloſa acta & facta, licèt gravis videri poſſit animi afflictio; quia tamen in oculis Altiſſimi iſtiuſmodi infamiæ patientia eſt quoddam bonum ſublime, ideo hæc non multùm eſt metuenda, ſed potiùs (in quantum ſine aliorum detrimento fieri poſſit) omnibus exoptanda votis, utpote quæ nos ſimiliores reddit Redemptori noſtro, ùt dictum.

18. Enimverò, quanquam hæc dicta omnes, qui boni ſui Nominis diſpendium immeriti patiuntur, ad patientiam fovendam inflamment, ſpecialiter tamen hæc dicta ſint pro confortatione illorum, qui in clauſtris, & Sodalitatibus piè viventes, propter alios malè feriatos, tanquam & ipſi tales flocci homines forent, à mundanis ( quorum mos eſt propter quoſdam improbæ vitæ Religioſos, totam denigrare Communitatem ) traducuntur, & deſpiciuntur. Proinde quilibet bonus Religioſus cogitare debet, ſe non veniſſe ad Religionem, ut apud Principes, aut alias perſonas nobiles gratiam ac favorem obtineat; ſed ut ſoli Deo adhæreat, paratúſque ſit cum Paulo Apoſtolo eidem ſervire & *per infamiam* ( 2. *Cor.* 6. 8.) ob conſodalium ſuorum publica ſcandala in ſe transfuſam, *& per bonam famam* propriæ vitæ ſuæ religioſæ. Præterea cogitandum, longè meliùs eſſe, modicam apud Deum, quàm ſummam apud homines, gloriæ famam habere. Denique ſcire etiam oportet, nihil nobis decedere per hominum ſiniſtras opiniones, & detractiones, neque nos inde ullo modo fieri deteriores, ſed tales nos eſſe, ac permanere, etiam poſt infamationes, quales reipſa ſumus in oculis Dei. Nervoſè *Thomas à Kempis*: *Non es ſanctior*, ( ait lib. 2. de *imitatione Chriſti* cap. 6.) *ſi laudaris: nec vilior, ſi vituperaris. Quod es, hoc es; nec major dici vales, quàm Deo teſte ſis.* Dicere ergo meritò quiſque ſibi cum Apoſtolo poteſt: *Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer*, vilipendar, infamer; *qui enim judicat me, Dominus eſt.* 1. *Cor.* 4. 3. Sol ſplendorem ſuum non amittit, eſto cæcutiens millies aſſerat, jurétque, eum eſſe obſcurum. Dicant alii te eſſe bovem, aſinum &c. homo tamen es. Unde rectè iterum laudatus *Thomas à Kempis* loco citato dicit: *Bonorum gloria in conſcientiis eorum, & non in ore hominum eſt. Qui veram & æternam gloriam deſiderat, temporalem non curat; Et qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo contemnit, minùs amare convincitur cæleſtem. Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia*; qui proin cum Gentium Doctore dicere poteſt: *Per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam*; ſive honorer, & lauder; ſive inhonorer, & vituperer; ſive infamer, ſive famâ ſim celebris. Nam ut rectè obſervat *D. Ambroſius*: *Bene ſibi conſcius, falſis non debet moveri; nec æſtimare, plùs ponderis in alieno eſſe convitio, quam in ſuo* ( quod intus habet ) *Dei teſtimonio.* Et *Salvianus* lib. de Providentia ait: *Nemo aliorum ſenſu, & judicio fit miſer, aut reipſa miſer eſt, ſed ſuo.*

19. Pro Coronide notandum, quòd licèt Dei ſervi hominum judicia, & falſas obtrectationes nihili facere debeant, quemadmodum hactenus dictum; nihilominus illis diligenter cavendum eſt, ne per actiones quaſdam, in ſpeciem malas occaſionem præbeant aliis temerè de ſe judicandi, aut malè loquendi; eſt enim Apoſtoli parænesis: ( 1. *Theſſ.* 5. 22.) *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Sive, ut legit *S. Clemens* Romanus: *Fuge malum, & quidquid ſpeciem, & ſimilitudinem mali habet.* Non ſufficit enim, vitiis carere & malis rebus, niſi & malæ pariter ſpecies devitentur. Non conſulendum tantùm eſt conſcientiæ, ſed & famæ; prout omnibus & ſingulis acclamat Sapiens *Eccleſiaſticus* cap. 41. v. 15. *Curam habe de bono nomine.* Quaſi diceret: Relinque levitates, ſcurrilitates & ineptias tuas; & inſiſte bonis & heroicis vir-

virtutum actibus; ut per eos acquiras bonum nomen, non solùm apud Deum & Angelos, verùm etiam apud homines mortales. Id quod iteratò *Tarsensis Præco* commendat Romanis, his verbis ad eosdem perscribens: *Providentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Rom. 12. 17. Vult dicere *Paulus*: Ita honestè, justè, & sanctè vivite, ut vita vestra & conversatio, bona & amicabilis non solùm Deo, sed & hominibus probetur, nec à quoquam jure culpari possit; sed cæteris in exemplum virtutis luceat, & præfulgeat. Opportunè *D. Bernardus*: *Deo debemus* (inquit serm. de tripl. judic.) *conscientiam; proximo famam.* Seu (ùt Magnus loquitur *Augustinus* lib. de bono Viduitat. cap. 22.) *nobis necessaria est vita nostra bona ad propriam salutem, aliis autem fama nostra.* Errant ergo nonnulli, illi nimirum, qui non curant, quidquid dicatur de eis, dummodo ipsi intentionem bonam habeant, & hi animadvertere debent, quòd ille, qui salutem proximi negligit, boni & justi Christiani officium prætermittit. Proinde duo in præsenti proposito præcavenda manent: Primum, ne per actiones quasdam in speciem malas aliis judicandi & detrahendi materiam, seu occasionem subministremus: Alterum, ne ob temeraria malevolorum judicia, ac maledicentias, ea quæ bona, quæ justa, quæ sancta sunt, prætermittamus.

# SERMO XIII.

## Quantorum malorum Mater sit LINGUA CONTENTIOSA.

*Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* 2. Timoth. 2. 14.

## PARS PRIMA.

1. Contentio sic communiter à Doctoribus definitur: *Contentio est, ubi non ratione aliquid, sed animi pertinaciâ defenditur, & ubi non veritas quæritur, sed animositas fatigatur.* Differt autem contentio à discordia in eo, quòd discordia importet quandam contrarietatem in voluntate; contentio verò importat quandam contrarietatem in locutione. Hinc Sanctus *Augustinus* dicit: *Verbis contendere, est non curare, quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius.* Ita *D. Thomas* 2.2. q. 38. a. 1. Corp. Contentiosus ergo ille est, qui in disputando non quærit veritatem, sed velle ostentare suam scientiam, & velle videri, quòd sit aliis doctior, quod juvenum est & superborum. Porrò contentionis indoles multiplex est & varia, quemadmodum perbellè observat *Hieremias* in Phaëton. cap. 10. §. 1. *Prima* quidem, cùm veri-

veritas cognita in re gravi, non leviter oppugnatur. Hæc noxa grande eſt nefas, ſuppliciόque digna. *Altera* contentionis indoles eſt, cùm non magni momenti veritas impugnatur; qui ſcopulus velis & remis vitandus eſt; qui enim levia quæque contentionibus pervellit, talis nec in gravioribus erit quietus. *Tertia*, cùm rei non bene cognitæ audacter contradicitur: Hoc plerumque fit ardenti litigandi ſtudio, quo rapitur in contentionem animus, & propemodum excæcatur. *Quarta*, cùm veritati quidem tuendæ res in litem trahitur, ſed ſine modo, & nec ſuo loco, nec tempore ſuo: hoc non diſputare eſt, ſed furere. Magnæ virtutis eſt (ajebat *Cicero*) paratum eſſe, & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia. *Quinta*, cùm quis nititur tueri veritatem tam exigui momenti, ut plùs nocitura ſit altercatio, quàm controverſæ veritatis defenſio. Jus quidem ſuum modeſtè proſequi, cuique permiſſum eſt; verùm ob quamvis injuriolam in aciem & dimicationem venire, ac de lana caprina, aut de hirundinis nidulo, aut de Parni ſcaphula diſceptare, admodum culpabile eſt, præſertim ſi tuâ non tanti interſit. Hebræi Sapientis (*Eccli.* 11. 9.) præceptum eſt: *De ea re, quæ te non moleſtat, ne certes.*

2. Oportet proinde à lite abſtinere, ab ea præſertim, quæ nullius momenti negotium includit; Quemadmodum enim parva ſæpe ſcintilla magnum excitavit incendium; ita ab exigua contentione ſæpe graves inimicitiæ, & odia plùs quàm diabolica, etiam inter Religioſos, & Sacerdotes prodiére. Cujus rei teſtes ſunt Religioſi illi, de quibus ſuperiùs *Serm.* 8. num. 9. Item *Sapricius Sacerdos*, cujus Sermone citato num. 7. meminimus. Credibile enim eſt, hujus diſcordiæ, quæ inter Sapricium & Nicephorum interceſſit, cauſam haud magnam fuiſſe; erat enim uterque vir probus, & ad necem pro Chriſtiana religione oppetendam paratus; ſed, utì fieri ſolet, ex una fortaſſis offenſiuncula nata eſt contentio, ex contentione jurgium, ex jurgio fortè faſtuoſior aſpernatio adverſarii, ad hanc convitium, vel contumelia ſequebatur, exinde indignatio illa indelebilis, rancor inextinguibilis, & demum interitus interminabilis. Refert R. P. *Paulus de Barry* ex Societate Jeſu vir religioſiſſimus in Solitudine Hagiophilæ, diſſertatione de damnis propriæ voluntatis, ſe aliquando cum viro gravi de quodam Religioſo (qui à vocatione ſua reſilierat, licèt excellere virtutibus videretur) collocutum fuiſſe, dixiſſéque, mirari ſe vehementer hujus Religioſi ruinam. Ad quod alter reſpondit: Quid tantopere mirandum eſt? unica indignatio, unica contentio ſufficit, ut animum totum etiam boni hominis, etiam Religioſi immutet, atque be bono in malum, de malo in pejus, atque ad ipſum interitum aut præcipitium deducat. Hinc rectè *Iſaias Abbas* dicere ſolebat: *Noli eſſe contentioſus, ne omnis in te inhabitet improbitas.* Hæc mala ex contentionibus originem ducentia probè etiam perſpiciens Orbis Magiſter, ideo dilecto ſuo Diſcipulo Timotheo magnâ ſolicitudine hoc tradidit dogma, ut à litibus & jurgiis ſibi ſingulariter caveret: *Noli contendere verbis*, inquit: *ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.*

3. *Sanctus Laurentius Juſtinianus*, primus Venetorum Patriarcha contemplans, quæ ex litigiis oriuntur animorum damna, ea ſuo calamo his depingit coloribus: *Eſt contentio ignita diaboli*

*ſagitta*

*sagitta ad perdendas animas. O quanta jurgia, quanta odia ex contentiosis sermonibus oriuntur! Pessimum malum est contentioni vacare, per quam amicitiarum compago dissolvitur, & animorum dulce vinculum dissipatur. Qui contentiosus existit, antiqui hostis immissiones in se admittit, diaboli ministrum operatur.* Ita *Laurent. Justin.* de Discipl. & perfect. monasticæ Conversat. cap. 13. Et hæc à parte rei sic se habere, ipsa docet experientia. Nam quoties non verbis solùm stat pugna, sed ab ore ad manus descenditur; nec jam argumentis, sed pugnis, sed pugionibus aut gladiis res agitur? Nota est historia de duobus fratribus, qui à verbis contentiosis ad enses venientes alter alterum transfodit. Totius facti seriem, in gratiam eorum, qui illius nullam habent notitiam, hîc commemorare lubet, & quidem ipsis verbis, quibus *Josephus Mansi* tract. 39. discursu tertio casum hunc cruentum recenset, dicens: In quadam historia Patavina legitur de duobus antiquæ & nobilis familiæ fratribus: Dum enim sub tempesta nocte vice quadam foris extra domum existentes cælum suspicerent stellatum, unus eorum dixit: Utinam tot boves haberem, quot in cælo sunt stellæ! alter verò ex joco subjunxit: Utinam cælum pratum quoddam esset, & in mea potestate, ac dominio positum, in quo tu votivos hosce boves tuos pascere cogereris! subjunxit alter: In tuo prato ego boves meos pascam. Respondit ille: Quòd si ego nollem? subdebat alter: Vis, nolis, in pascua tua eos ducam. Itane (inquit alter) in meum despectum hoc faceres? Tandem joco in furorem mutato, à verbis contentiosis ad verbera, à verberibus ad enses deventum fuit, quibus unus alterius viscera transegit. En igitur, quàm appositè dixerit citatus *Sanctus Laurent. Justin.* Quòd *contentio sit ignita diaboli sagitta ad perdendas animas.*

4. Perspectum est, piscatores, quando volunt capere anguillas, ante omnia aquas, in quibus illæ morantur, turbare solere, quibus turbatis haud difficili negotio eas capiunt. Unde anguilla emblematis loco hanc tenet inscriptionem: *Turbato flumine capta.* Hos piscatores imitatur diabolus, qui probè gnarus, quanti sit pretii vel una anima, supra piscaturam margaritarum æstimanda; ideo omnes adhibet vires, ut eam piscetur. Ante omnia autem alia aquam turbare amat, id est, connititur totâ arte suâ excitare contentiones, lites, discordias, experimento jam edoctus, homines, etiam Religiosos, nunquam certiùs in sua incurrere retia, quàm turbatâ pacis ac charitatis fraternæ aquâ. Id quod insinuare voluit Sapientum Sapientissimus *Salomon* hâc gnomâ: *Ut pisces capiuntur hamo; sic capiuntur homines in tempore malo.* Quamvis autem omne illud censeri possit tempus malum, in quo homo suis cupiditatibus abreptus in peccatum prolabitur; specialiter tamen intelligi potest tempus discordiarum, & contentionum, in quo copiosam piscator infernalis facit animarum piscaturam. Et ideo cacodæmon plurimùm gaudet, dum homines Christiani, aut Religiosi, abruptis dilectionis fraternæ vinculis, jurgiis, rixis, & contentiosis clamoribus inter se altercantur; novit enim per experimentum, verissimam esse illam *D. Jacobi* assertionem: *Ubi zelus & contentio, ibi inconstantia* in virtutum operibus, *& omne opus pravum. Jac. 3. 16.* Hinc enim oriuntur jurgia, rixæ, alter-

catio, tumor mentis, seu fastuosa aspernatio adversarii, convitia, contumeliæ, clamor & vociferatio, indignationes, rancores, & alia hujusmodi, quæ homines ducunt ad interitum. Rectè *Basilius Magnus*: *Contentiones* (inquit orat. 9. ex Collectan.) *à principio quidem exiles esse solent, & facilè curantur: at procedente tempore auctæ, insanabiles omnino evadunt.* Nam sicut fragum unum ferit aliud, & aliud; ita lis una petit aliam. Et quemadmodum, qui aperit vel modicè viam (perforato aggere) magnæ inundationis causam præstat; sic contentioni, & jurgio facilè est dare principium; litem verò componere, motos fluctus compescere, difficillimum.

5. Porrò, quanquam Christiani omnes fugere & abhorrere debeant jurgia, & discordias, si diabolum fugare & triumphare cupiunt, id tamen vel inprimìs incumbit Sacerdotibus, Religiosis, Dei ministris, qui cultui divino sunt consecrati. Proin si eorum quispiam author, & fautor discordiarum, & jurgiorum existat, non se Dei ministrum, sed servum dæmonis esse probat, & palàm omnibus demonstrat. Monet proinde omnes Apostolus *ad Ephes.* 4. *Nolite locum dare diabolo*; quasi dicat: nolite, vos inprimìs, qui sacris estis Ordinibus initiati, locum & accessum per mutuas contentiones, & discordias dare diabolo, cordisque ostium aperire huic animarum prædoni; excluditur enim faciliùs, quàm expellitur; per rimam haud magnam penetrat hic discordiæ seminator. *Ne demus affectibus tempus* (ait *S.Gregorius Nazianzenus*) *ne altercationibus fores reseremus. Præcedit levis dissensio, accedit gravior commotio, sequitur verborum pugna, ostendunt se signa aversi animi, negantur consueta humanitatis officia, vindictæ cupido stimulat, gliscunt odia, patent fores diabolo.* Et quales fores? indicat ipse Alastor *Luc.* 12. *Revertar in domum meam, unde exivi.* Exivit ex homine, dum relictis mundi, ac carnis deliciis, ad Religiosum est conversus statum; revertitur verò, cùm per charitatis scissuram aditus ei in ipsa cœnobia aperitur, & inhabitandi locus conceditur. Cujus rei testis est formidolosa, quam de duobus Vatinianô odiô diffidentibus Cœnobitis recensui *Serm.* 8. *num.* 9. historia. Huic confirmandæ adjungo aliam, quam refert *Joannes Bisselius* de pestiferis peccatorum mortalium fructibus, exemplo 4. *ex Alexandro* Jurisconsulto Neapolitano, Genialium dierum lib. 4. cap. 19. qui habet hæc ex ore ipsius, cui hæc acciderunt, circa tempora Pontificatûs Alexandri VI.

6. Totiùs verò rei gestæ seriem describit *Michaël Pexenfelder* historiâ 62. prout sequitur: In regione Italiæ illa, quæ *Lucania* priscis dicta, hodie *Basilicata* vocatur, montanum est in Alpibus Monasterium, unà cum templo. Eô in cœnobiô die quodam Religiosi illius incolæ (incertùm qua de causa, vel occasione) graviter inter se verbis contendere cœperant, & rixari. Cœnobitarum verò præcipuè unus quidem (fratri Thomæ nomen erat) homo minimè malus alioquin, & cujus fidem ipse, probitatémque pluribus in rebus expertum se testatur author, solus cum pluribus per ordinem jurgatus fuerat; sic, ut inter se convitia quoque, verborúmque contumelias, religiosis viris comprimìs indignas, & indecores, ultrò citróque jacularentur. In rixa illa, tumentique jurgio Fratrum inter se, diabolus confestim suum ordiri dominatum cœpit in conci-

concitatorem Thomam. Hic post rixam, animô perturbatô (ut fieri solet) inde se proripuit, & in proximam sylvam concessit. Ibi incedenti, & secum reliquias iræ percoquenti, species occurrit hominis, vultu tetro, barbâ nigrâ, tunicâ promissâ, qualis esse solet equisonum illis in regionibus: oris autem & oculorum aspectu sævo, deformique, cum enormi quadam corporis proceritate. Rogat eum frater Thomas, quidnam esset causæ, quamobrem id locorum per devia solus obvagaretur? Ille, qui hoc idem, & justiùs quærere ex Religioso potuisset, equum, ait, quo vehebar, tantisper dum descendo, malè felix amisi (nimirum diabolus Thomam, tam immodicè excandescentem equitaverat) quem equidem in proximos huic loco campos avolâsse, suspicione tangor. Frater Thomas immissurus se, præ tædio rerum agendarum negotio: age, inquit, eamus unà, & quæramus. Eunt per avia & devia, sursum deorsum, hac illac, vario viæ flexu, donec ad profluentem denique est ventum, cujus alvei gurgites, ac voragines erant profundæ multùm, & formidabiles. Incipit velle calceamenta, tibiarúmque tegmina sibi Religiosus detrahere, in expeditiorem, indemnémque torrentis trajectum. Negat vir, qui comitabatur eum, opus esse nudatione pedum, invitat, suadet, urget, compellítque tandem, ut se succollaturum conscendat. Paret ei Thomas, & illius Polyphemi scapulas inscendit. Iste vadum se simulat amnis (quà clementior esse, superatúque facilior relucebat) circumspicere ac vestigare, jam jamque torrentis in ingressum accinctus. Sed eodem momento, aperiente oculos hominis benignissimô Deô, conspicit Thomas bajuli sui pedes (jam, & ipsos ad transitum renudatos) eósque probè contemplatur, deprehendítque non humanos esse, sed tetrâ, deformíque specie ungulis similes, quales Orco personato gestare mos est. Timore igitur consternatus: Bone Jesu! exclamat, quid hoc est monstri? Deus omnipotens opem affer mihi! cum dicto Tartareus agaso, excusso scapulis Monacho, stridorem emittit immanem, & evanescit. Quantam autem diabolus ad Thomam hunc iram apportaverit, ex ira conjici potest, quam ab eo secum asportavit. Quercum enim ingentem, ripæ torrentis illius imminentem, sub illud ipsum fugæ suæ momentum, vi & impetu maximo collisit, intérque ramorum collisionem, eandem simul è fundamento radicitùs evertit, ramos diffregit, diffractósque dissipavit: indicans hâc tantâ rabie se ad eundem planè modum discerpere Thomam quoque concupîsse, quo quercum discerpserat, si id ei per potestatem altiorem licuisset. Certè jacuit Thomas ad profluentis illius ripam, magnâ residui diei illius parte, impos suî, & exanimi simillimus. Vixque serò tandem ad se per pœnitentiam rediit: neque dubitavit, quin, si suus diabolo conatus successisset, in vorticibus, gurgitúmque profunditate torrentis illius (quódque consentaneum erat) in peccati sui statu misero periisset.

7. In similes gurgites post discordiarum, ac contentionum flammas itur; hunc equisonem exspectent, qui velut equus indomitus, excussis patientiæ habenis, per abrupta animi irati feruntur. *Væ homini illi* (exclamat *S. Bernardus* serm. 29. super Cantica) *per quem unitatis vinculum jucundum turbatur, judicium*

*cium profectò portabit, quicunque ille est.* At quale, putas, judicium sit talis habiturus? non aliud certè, quàm judicium, seu sententiam æternæ condemnationis. Si de hoc dubites, audi Apostolum *Paulum*, qui ad *Galatas* perscribens testatur, excludendos fore à regno cælorum non solùm qui carnalibus peccatis se fœdè commaculant, sed etiam, qui contentionibus & rixis operam navant: *Manifesta sunt* (inquit *Gal.* 5. 19.) *opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c.* Quibus vitiis mox etiam adjungit linguam contentiosam, dum ait: *Contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones &c. Quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Ergo gehennæ ignis rei sunt nedum immundi, sed & contentiosi; *Nam ubi zelus & contentio, ibi omne opus pravum*, ut suprà ex Apostolo *Jacobo* diximus. Omnium certè malorum fomes est contentio, periculum animarum, & subversio auditorum; audiatur religiosissimus ille Scriptor, *Smaragdus* in cap. 4. Regulæ *S. Benedicti*, Instrum. 66. ubi ita scribit: *Per contentiones inutiles suscitantur iræ, generantur inter fratres discordiæ, nutriuntur audaciæ, procedunt lites, efficiuntur dissensiones, emergunt æmulationes, suscitantur scandala, & , ut breviter dicam, nascuntur inter fratres innumera mala.* Hæc suo calculo confirmat *S. Bernardus*, dum de modo bene vivendi serm. 17. ita loquitur: *Lingua rixosa venenô est plena: quæ si non fuerit castigata, omnes socios suos perducet ad scandala.* Similiter hæc mala, ac salutis pericula, quæ nobis ex contentionibus & rixis provenire solent, sagaci mentis oculo contemplabatur Doctorum Aquila, Magnus *Augustinus*; proinde plurimùm pro salute, & incolumitate spirituali suorum in Christo filiorum solicitus, iisdem in aurea Regula sua sic præcipit: *Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabs fiat de festuca.* *Leontius* in vita S. Joannis Eleëmosynarii cap. 14. ait: *Solebant olim Sancti eremi Patres asserere: Angelorum solùm est, non contendere, sed imperturbatâ pace perfrui: hominum verò est, altercari quidem, sed statim reconciliari: dæmonum autem est litigare, & totum diem sine reconciliatione perdurare.* Quapropter, quisquis felicem Angelorum statum assequi in hac vita mortali non possit, ut ab omni altercatione liber existat, operam saltem adhibeat, ne hominis officium respuat, sed de excitatis per contentiones rixis, & litigiis doleat, Deóque, ac proximo, ùt par est, satisfaciat; ne alioquì, si hæc prætermittat, diabolus audire contingat.

8. Verùm enim verò, percipiamus, quid de contentionibus (quæ in Religiosorum hominum Claustris, dæmone allaborante, non rarò excitari solent) sentiat Seraphica Mater *S. Theresia*, id quod intelligemus ex propriis ejus verbis, quæ sic sonant: Sanguis mihi videtur congelascere, dum hæc scribo, cogitans, hoc ipsum fortassis tempore aliquo contingere posse, ut inter vos (qui militiæ spirituali nomen dedistis) contentiones & discordiæ orirentur; video namque id maximum & præcipuum malum, ac pestem monasteriorum esse. Si quando autem id futurum est, actum esse de vobis reputate; ac cogitate, & credite, vos sponsum vestrum domo suâ velut expulisse, & eum quodammodo compellere, aliud ut sibi domicilium quærat, cùm eum propriâ domo ejiciatis. Majestatem ergo ejus invo-

invocate, remedium, & opem quærite &c. Superior, quæso, ex amore Dei videat, ne quid, quod pacem turbat, permittat. Denique hanc pestem à vobis ablegate, hosce discordiarum ramos, prout potestis, recidite; Si autem hoc fieri nequeat, procurate, ut, quæ hujusmodi res (nimirum discordias) molitur, ad perpetuum carcerem damnetur; ne tam contagiosâ lue cæteras omnes inficiat. Ingens sanè id malum est: unde à monasterio, quod hac peste infectum est, nos Deus liberare dignetur: Et equidem mallem, ut hoc nostrum (casu quo in eo vigerent rixæ, & discordiæ) ignis corriperet, à quo omnes consumeremur. Hæc S. *Theresia* de via Perfect. cap. 7. Unde faciliter colligere quilibet poterit, quàm virulentæ sint contentiones, & discordiæ inter homines claustrales præsertim.

# PARS SECUNDA.

9. Reliquas inter Poëtarum fabulas, etiam sequens, quæ pro nostri discursûs prosecutione servit, commemoratur: Finxêre ergo, Junonem, Deam divitiarum; Palladem, Deam sapientiæ; Venerem, Deam amoris, unione concordi ad nuptias Mercurii invitatas venisse. At verò Dea discordiæ, cùm invitata non fuisset, adinvenit modum, quo se ingereret, & unionem, ac societatem amicam inter eas dirimeret. Nam pomum aureum accepit, in quo scriptum erat: *Pulchriori detur*, illúdque in medium illarum jecit. Cùm ergo quælibet sibi adblandiens, superbiæ instinctu de pulchritudinis laude contenderent, divisæ fuerunt, atque discordes. Haud aliter cacodæmon, non nesciens, quòd per concordiæ nexum congregentur in unum qui Monasteria incolunt, hinc summè allaborat in omni sodalitio, & congregatione, etiam sanctâ, diffidia generare, & pravâ suâ suggestione pacificos ad dissensiones, & rixas concitare; æmulationes inter eos spargit, venenúmque superbiæ, ut neuter alteri ob elationem cordis dignetur cedere. Nimirum sic, ipsis divisis, dominium suum propagat, sic imperii sui pomaria dilatat; quippe *ipse est rex super omnes filios superbiæ*, ùt dicitur *Job.* cap. 41. 25. Scit quippe hic stygius tenebrio, Sodalitatem quampiam religiosam, haud absimilem esse navigio, in medio pelagi constituto; hoc enim quamdiu integrum perseverat, felices in Oceano facit progressus, at iniquâ sorte fatiscens in profundum demergitur; Sic etiam contingere solet cuipiam communitati, quæ sicuti unione conservatur; ita discordiâ in extremam devolvitur perniciem. Nam ùt Christus ait: *Luc.* 11. 17. *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Domus enim, aut civitas, si fuerit divisa, facilè dissipatur temporaliter; ita etiam spiritualiter ea domus, in qua discordia habitat, cadit, & horrenda scelerum monstra ibi generantur.

10. Jam, quod dicitur in communi de pluribus unà commorantibus; nimirum inter eos (si concordes sint) esse Deum, juxta illam Incarnati Verbi astipulationem: *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth.* 18. 20. Sin autem discordes, jam nemo dubitet, quin eos inter

sit

sit malignus spiritus; Ita in particulari de quolibet Christiano, & Religioso sentiendum, quòd scilicet, qui contentionum, & jurgiorum occasionem aliis præbet, diabolus apud talem sit. Audiatur Doctor mellitus, *D. Bernardus*, qui serm. 3. de Dedicat. Eccles. breviter quidem, sed ad nostrum propositum admodùm nervosè ita scribit: *Sicut in pace factus est locus Domini*, ùt dicitur *Psal. 75. Sic in discordia locum diabolo fieri, manifestum est.* Ne ergo, mi optime frater, suum cacodæmon apud te quærere possit hospitium, quid tibi facto opus sit, indubiè jam odoraris, videlicet omni conatu, ac studio declinare contentiones, earúmque occasiones, cùm earum (ùt ex hucúsque dictis non obscurè innotescit) author, & fautor sit infernalis impostor, qui ad eas Dei servos impellere connititur semper, prout expertissimus rerum spiritualium Magister *S. Joannes Climacus* testatur, dicens: *Qui suam pertinaciter opinionem, ac sententiam, quantumlibet veram propugnat, certus sit, à diabolo ad hoc se impelli.* Servit hìc, quod *Heribertus Rosvveidus* in vitis Patrum lib. 4. cap. 53. ex Joanne Cassiano, de Abbate Moyse, sanctissimæ vitæ viro, commemorat; Hic enim, ob reprehensionem unius sermonis, quem contra Abbatem Macarium disputans, paulò duriùs protulit (quadam scilicet opinione præventus) diro confestim traditus est dæmoni, à quo in tantum fuit exagitatus, ut etiam propria voraret excrementa. A qua tamen pœna postmodum, dum S. Macarius pro eo preces ad Deum funderet, liberatus fuit.

11. Hinc ergo colligámus, quàm res Deo invisa sit, dum viri Religiosi, à suis animi passionibus abrepti, mordacibus sese invicem lacessere gestiunt verbis. At verò hìc notandum occurrit ex *Alphonso Rodriquez* part. 1. tract. 4. cap. 11. duplicem errorem, & defectum hìc posse intervenire. Primus est ejus, qui primò alteri contradictionem movet, quia ipse contentionis, & litigii fons est, initium & scabellum, ac proinde gravior hujus est culpa. Alter error est, ut, si quando alium tibi contradicere contigerit, tu te ei obstinatiùs non opponas, nec sententiam, opinionémque tuam mordicùs tueâre, neu sis nimis juris tui tenax; sed postquam semel aut bis, quod verum censes, proposueris, nec tamen alii tuo sensui acquiescunt, illis tu permittas sentire quod voluerint. Porrò, quamvis omnis contentio fugienda, nec cum ullo mortalium miscenda sit lis, hi tamen inter homines præcipuè declinandi sunt: *Primò*, Adversarius potens: ita monet Siracides; (*Eccli.* 8. 1.) *Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius.* Per hominem potentem etiam Magistratum designat: Cum Magistratu contendere, non stultitia, sed insania est. Qui sumptuosè perire vult, controversias alat contra Magistratum. Rarissima hìc victoria, si quæ tamen est, sine graviore damno non est; & minùs perdit, qui se vinci sponte suâ permittit. Optimè Romanus Sapiens, *Seneca*: *Cum pare* (inquit lib. 2. de ira cap. 34.) *contendere, anceps est, cum inferiore sordidum, cum Superiore furiosum.* In tali pugna nemo aliud cogitet, quàm vinci. Ergo Magistratum, aut Superiores tuos ne tange. *Secundò*, Nec cum divitibus unquam litigandum. Idem *Siracides* loco citato id docet: *Non contendas cum viro locuplete, ne fortè contra te constituat litem tibi. Tertiò*, nec cum garrulo rixandum, ùt idem Sapientissimus præceptor

ceptor monet: *Non litiges cum homine linguato: & non strues in ignem illius ligna*, quia contendendo non superabis, nec extingues illius linguæ flammas, sed magis eam excitabis. Eapropter *Cato*, magnus ille morum Magister apud gentilem antiquitatem, monet:

*Contra verbosos noli contendere verbis.*

*Quartò*, hominem iracundum, etiam provocantem & lacescentem cautissimè declina. Monitorem hìc habes eundem Siracidem: (*Eccli.* 8.19.) *Cum iracundo non facias rixam*, ne scilicet oleum affundas flammæ. Nam (ùt dicitur *Proverb.* 15.18.) *vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas. Quintò*, non minùs cave hominem fatuum, & ne illum tanti æstima, cum quo descendere in certamen expediat. De his quinque hominum generibus vel maximè intelligendum illud *S. Ignatii Loyolæ* traditum documentum:

Nulli vel minimo quavis ratione repugnes;
Cedere te potiùs, quàm superare juvet.

12. Has monitiones, quò faciliùs in ipsam redigamus praxim, nosse oportet, quòd ille, qui juri suo, ùt par est, cedit, & in talibus contentionibus vinci se sinit, séque ab aliis (dum commodè fieri poterit) separat, generosi & nobilis animi sui argumentum præbeat, quemadmodum Sacer Paræmiastes *Salomon* (*Prov.* 20.3.) testatur dicens: *Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* Nec immeritò, quia talis (ut scitè observat *Rodriquez* loc. sup. cit.) insignem hoc pacto erga proximum charitatem exercet, dum omnium amaritudinum, & indignationum (quæ ex dissidiis, & concertationibus oriri solent) occasionem præscindit, viásque obstruit. Deinde erga se humilitatis actum ostendit; dum prævalendi, & cum honore suo emergendi appetitum superat. Elicit demum amoris Dei actum, dum impedit peccata, quæ ex contentione sequi poterant, juxta illud *Sapientis*: (*Eccli.* 28.10.) *abstine te à lite, & minues peccata.* Vice versa, qui obstinaciùs altercatur, præterquam quòd malo exemplo suo proximum offendat, causa est, ut pax, & charitas amittatur, vel saltem diminuatur, multæque inde inconvenientiæ, & amaritudines sequantur; ex quo non honorem, & æstimationem, quam sperabat, sibi comparat, sed potiùs ejus jacturam facit: A prudentibus enim habetur pro capitoso, cerebroso, & juri suo cedere nesciente.

13. Sequamur proinde exemplum Doctoris Angelici, *D. Thomæ Aquinatis*, de quo in historiis PP. Prædicatorum refertur, quòd in disputationibus scholasticis nulli unquam obstinatè contradixisse dicatur, sed incredibili mansuetudine, neminem despiciendo, sententiam suam proponere solebat: non enim disputando spectabat, ut victor evaderet, sed tantùm, ut veritas disceptando erueretur. Hinc cùm fortè Religiosus quidam arrogans theses publicis disputationibus ventilandas proposuisset, eísque vir Sanctus præsedisset, Religiosus ille diversas à Sancto Doctore suo sententias defendendas suscepit, adeóque non sinè contemptu, Magistro suo dissensit. Altum S. Doctor tenuit silentium, nec ullo se se defendit verbulo, adeóque magìs admirati sunt auditores ejus modestiam, quàm suspexerant antè doctrinam. Verùm enim verò, ne fortè privata Religiosi illius, neque satis proba, sententia scholasticæ auræ plausibus protinus exciperetur, posterâ luce in publi-

publicum progressus, validis eam rationibus, argumentísque comiter omnino, modestéque confutavit, ut ipse quoque Religiosus ille sententiam illam, quam pridie mordicùs tenuerat, spontè dimitteret, suámque ingenuè ignorantiam profiteretur. Tantùm valet boni vis exempli. Si ergo & tu, amice lector, vis esse *dilectus Deo, & hominibus.* (*Eccli.* 45. 1.) auream serva legem, quam *D. Chrysostomus* præscribit, iis præsertim qui cupiunt non succumbere: *Si vindicare vis* (inquit) *sile, & funestam adversario tuo dedisti plagam.* Verè bene Poëta Gentilis, *Cato*:

*Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.*

14. Evangelista *Lucas* testatur: Christum Dominum, omnis perfectionis, & Sanctitatis Magistrum, suis aliquando hoc inculcâsse monitum: *Ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam, noli prohibere.* *Luc.* 6. 29. Quibus verbis omnes sanè proscripsit contentiones, & lites; sic enim homo Christianus potiùs pati debet, ut vestis sibi, etiam tunica, corpori calefaciendo summè necessaria, auferatur, quàm ut scandalum per contentiones mutuas det aut charitatis leges violet, & infringat; quantô igitur potiori jure nostris cedendum est æmulis, ac adversariis in iis, quibus nullum prorsus sperandum est emolumentum, aut commodum temporale, multò minùs spirituale? Quare iterum Sapientia Incarnata suum assertum repetens, apud *S. Matthæum* cap. 5. v. 40. ait: *Qui vult in judicio tecum contendere, & tunicam tollere, dimitte ei & pallium.* Quæ verba non sic sunt intelligenda, quasi non liceret, pro suis rebus in judicio contendere; sed tantùm consilium nobis dat, ut sciamus, perfectiùs semper esse, litem devitare, & sua relinquere, ne videlicet internam cordis pacem, & charitatem amittere contingat; Quia, ùt eminentissimus Cardinalis *Bellarminus* dicebat: *Uncia charitatis, & internæ pacis melior est librá victoriæ.* Fecit hoc ad literam *S. Franciscus Seraphicus*, qui ob profusas eleëmosynas à proprio parente suo ad Episcopum Assisinatem protractus, ut cederet bonis; iis non solùm cessit, sed & vestes omnes exuens, eas patri suo consignavit cum dicto: Deinceps fidentùs dicam: *Pater noster, qui es in cælis.*

15. Si hujus Seraphici Patris exemplum præ oculis haberent Christiani, profectò non sic forensibus litigiis affluerent Judicum tribunalia, in quibus ùt plurimùm non solùm nihil lucrantur, sed & sua propria, protensâ lite, deperdunt, & aliquando etiam ad incitas rediguntur, & occasione harum forensium contentionum animas suas multis insuper peccatorum jaculis sauciant, ac perimunt. O si à talibus litibus caverent sibi aliqui, & illud, quod in advocatos, & causidicos expendunt, pauperibus darent, quàm ingentes sanè sibi colligerent thesauros in cælis, vitámque ducerent pacatissimam, utpote cælesti benedictione & divinâ pace refertam. Unde quemadmodum, velut infelices lugendi sunt, qui lites fovent, & sequuntur; ita ter quatérque beati, qui easdem refugiunt, cedentes juri suo ex Dei, sui, & proximi amore. De his fas est dicere cum *Divino Paulo*: (*Galat.* 6. 16.) *Quicunque hanc regulam*, à cælesti Magistro de litigiis declinandis traditam, *secuti fuerint, pax super illos, & misericordia*; id est, ii pacem habent, videlicet tranquillitatem conscientiæ; item misericordiam Dei; quia Deus in eos misericors est & beneficus, suámque gratiam, & consolationem misericorditer in illos effundere solet.

PARS

# PARS TERTIA.

16. PORrò, ne hucusque dicta ab uno alteróve minùs rectè intelligantur, pro eorum clariori notitia duo notare oportet ex *D. Thoma* (2. 2. q. 29. a. 3. ad 2.) Primum est, quòd non quælibet dissensio, ac discordia pacem tollat, nisi ea, quæ versatur circa bonos mores, non verò illa quæ est in opinionibus. Quia sicut Philosophus dicit in 9. *Ethic.* Ad amicitiam non pertinet concordia in opinionibus, sed concordia in bonis conferentibus ad vitam præcipuè in magnis; dissentire enim in aliquibus parvis, quasi non videtur esse dissensus. Et propter hoc nihil prohibet, aliquos charitatem habentes in opinionibus dissentire. Nec hoc paci repugnat: quia opiniones pertinent ad intellectum, qui præcedit appetitum, qui per pacem unitur. Similiter etiam, existente concordiâ in principalibus bonis, dissensio in aliquibus parvis non est contra charitatem: procedit enim talis dissensio ex diversitate opinionum, dum unus existimat hoc, de quo est dissensio, pertinere ad illud bonum, in quo conveniunt; & alius æstimat, non pertinere. Et secundùm hoc talis dissensio de minimis, & opinionibus repugnat quidem paci perfectæ, in qua planè veritas cognoscitur, & omnis appetitus implebitur: non tamen repugnat paci imperfectæ, qualis habetur in via. Et hoc sensu dicitur *Actor.* 15. *Facta dissensio inter Paulum, & Barnabam; ita ut discederent abinvicem.* Talis quippe discordia seu dissensio fuit per accidens (ait ibidem *S. Thomas* responsione ad 3.) & non per se: utérque enim intendebat bonum; sed uni videbatur hoc bonum, alteri aliud: quod ad defectum humanum pertinebat. Non enim erat talis controversia in his, quæ sunt de necessitate salutis: quamvis hoc ipsum fuerit ex divina providentia ordinatum propter utilitatem inde consequentem. Ita *S. Thomas.* Porrò hæc dissensio inter Paulum & Barnabam erat circa Joannem cognomento Marcum, ùt ibidem habetur: Barnabas enim eum volebat assumere in itineris socium, Paulus autem non, eò quòd priùs vel metu persecutionis, vel fugâ laboris, vel amore matris degentis in Jerusalem, discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus Evangelii. Hinc facta est inter eos dissensio: *Pagnin.* & *Vatablus* legunt, *exacerbatio*, Tigurina, *acris disceptatio.* Alii, *iræ*, vel *animi incitatio*, sive primus iræ motus, primáque bilis commotio. Hæc autem ira utrimque bona esse potest, cùm utráque pars legitimâ ratione movetur, & pro suo jure & desiderio ardenter contendit, & disceptat. Uti hìc fiebat. Factum est igitur id nutu DEI, ut Barnabas à Paulo divideretur, itáque separati diversis, & pluribus evangelizarent, ait *S. Chrysost.* Præclarè *S. Hieron.* Apol. contra Ruffinum: *Nonne* (inquit) *Apostoli, salvis inter se amicitiis, dissenserunt, cùm Paulus & Barnabas propter Joannem, cognomento Marcum stomachati sunt, & separavit eos navigatio, quos Evangelium copulabat?*

17. Denique etiam talis dissensio fuit inter S. Petrum, & Paulum, *Gal.* 2. 11. inter S. Hieronymum, & Augustinum, inter S. Chrysostomum, & Epiphanium, inter S. Cornelium, & Cyprianum circa baptismum Hæreticorum non iterandum &c. Nec id mirum est, cùm & talem dissensionem vel inter ipsos Angelos

bonos reperiamus: ſiquidem apud *Danielem* dicitur: *Dan.* 10. 13. *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & uno diebus: & ecce Michael unus de Principibus venit in adjutorium meum.* Porrò pugna hæc fuit inter Angelum Gabrielem, & Angelum, quem DEUS præfecit Regno Perſarum; Gabriel enim orabat pro Judæis DEUM, ut omnes è Babylone in Patriam reduceret, ne Babyloniorum idololatriâ, & vitiis inficerentur, uti aliquos infici videbat. E contrario Angelus Perſarum orabat, ut DEUS aliquos Judæos in Babylone relinqueret, ad Babyloniorum & Perſarum converſionem, utque illi à Judæis unum verum DEUM, ejúsque cultum diſcerent; illúdque Judæis eſſe utile, utpote, qui adverſis meliores fierent. Licèt enim Angeli ſummâ charitate ſe invicem ament, ſintque ſummè concordes, tamen in quibusdam rebus in quibus DEUS necdum patefecit ſuam voluntatem, ſibi invicem contraria velle poſſunt, non abſolutè & efficaciter, ſed conditionatè, ſi videlicet DEO placuerit id, quod ipſi optant & deſiderant. Itáque hæc eorum pugna conditionata eſt, non abſoluta; abſolutè enim utráque pars, licèt invicem adverſa, reſignat ſe in voluntatem & ſententiam DEI. Ita *Gregorius de Valentia* apud *Cornelium à Lapide* in citatum textum. *Sic etiam ſæpe contingit* ( ait S. Franciſcus Saleſius ) *ut duo viri boni, bonâ utérque intentione in diverſa ſua opinione, & ſententia nitentes, alter alterum maximè perſequantur, & ſibi invicem contradicant.* Verùm hujusmodi contradictio ac disſenſio ſæpè non eſt vitioſa, aut mala; non enim extinguit & tollit charitatem, & dilectionem DEI & proximi: & hoc ſcire plurimùm intereſt, ne alioqui præcipites ſimus in judiciis temerariis formandis, dum quosdam ab invicem disſidere & diſcordias habere conſpicimus.

18. Alterum, quod pariter in præſenti notandum occurrit, ſumitur ex *D. Paulo* ad *Epheſios* cap. 4. dicente: *Soliciti ſervate unitatem ſpiritûs in vinculo pacis.* Quod explanans *D. Thomas* ait: *Duplex eſt unitas: Una eſt unitas ſpiritûs, quæ bona eſt ad faciendum bonum, de qua* ( ùt prænotatum eſt ) *Chriſtus ſuum cæleſtem Patrem orabat: ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Alia unio eſt ad malefaciendum, quæ eſt mala, & poteſt dici unitas carnis.* Jam quemadmodum cauſare diſcordiam, & lites ac diſſenſiones excitare inter concordes in bono, graviſſimum eſt peccatum; ita laudabile & commendabile eſt falſam impiorum pacem perſequi, deſtruere, & diſcordiam immittere inter concordes in malo, ſecundùm illud *Iſaiæ*: *Diſſolve colligationes impietatis*; & ſecundùm illud *Pſalmiſtæ*: *inquire pacem, & perſequere eam.* pſ. 33. 15. Nimirum hanc pacem carnalem jubemur irritare, atque deſtruere. Docet enim Præceptor Angelicus, *S. Thom.* 2. 2. q. 37. a. 1. ad 2. *Quòd ſicut voluntas hominis adhærens DEO eſt quædam regula recta, à qua peccatum eſt diſcordare: ita etiam voluntas hominis DEO contraria, eſt quædam perverſa regula, à qua bonum eſt diſcordare: facere ergo diſcordiam, per quam tollitur bona concordia, quam charitas facit, eſt grave peccatum. Sed cauſare diſcordiam, per quam tollitur mala concordia, ſcilicet in mala voluntate, eſt laudabile. Et hoc modo laudabile fuit, quòd Paulus poſuit diſſenſionem inter Sadducæos &c.* Nam & Dominus de ſe dicit: *Non veni pacem mittere, ſed gladium. Matt.* 10. 34. Non pacem ſcilicet carnalium affectionum, *ſed gladium*, de cujus ratione eſt dividere, ad tollendam ſcilicet à corde hominum pa-

pacem hanc carnalem, & ad separandos in carnalibus concordes, discordes verò à DEO: à quo vera pax nostra hic per gratiam, & in futuro per gloriam.

19. Ulteriùs in præsenti materia bene notare, & observare debemus, quod *Apostolus* ad Romanos scribit c. 12. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Prudenter enim intuendum est, quibus cum hominibus pax servanda sit, siquidem sanctè interrumpenda est quandoque pax cum perversis, qui inimicitias adversùs DEUM profitentur, ùt dictum ex *S. Thoma.* Quam doctrinam similiter *D. Gregorius* diviné pertractat, & variis Scripturæ exemplis eam illustrat. Admonendi sunt (inquit 3. *part. cap.* 23.) pacati: ne, dum nimis humanam pacem desiderant, pravos hominum mores nequaquam redarguant: & consentiendo perversis, ab Authoris sui se pace disjungant: ne, dum humana foris jurgia metuunt, interni fœderis discissione feriantur. Quid est enim pax transitoria, nisi quoddam vestigium pacis æternæ? quid esse ergo dementiùs potest, quàm vestigia in pulvere impressa diligere: sed ipsum à quo impressa sunt, non amare? Hinc *David,* dum totum se ad fædera pacis internæ constringeret, testatur, quòd cum malis concordiam non teneret, dicens *Ps.* 138. 21. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam; & super inimicos tuos tabescebam? Perfectò odiô oderam illos: & inimici facti sunt mihi.* Inimicos etenim DEI perfectô odiô odisse est, & quod facti sunt diligere; & quod faciunt increpare mores pravorum, & vitæ prodesse. Pensandum est ergo, quando ab increpatione quiescitur, quanta culpa, si pax cum pessimis tenetur; si Propheta tantus hoc velut in hostiam DEO obtulit, quòd contra se pro Domino pravorum inimicitias excitavit. Hinc est, quod Tribus Levi (*Exod.* 32. 29.) assumptis gladiis per castrorum media transiens quia feriendis noluit peccatoribus parcere: DEO manus dicta est consecrâsse. Hinc Phinees peccantium civium gratiam spernens coëuntes cum Madianitis perculit, & iram Domini iratus placavit. *Num.* 25. 11. Hinc per semetipsam Veritas dicit: *Matt.* 10. *Quid putatis? quia pacem venerim mittere in terram? Non utique; sed gladium.* Malorum namque cùm amicitiis jungimur, culpis ligamur. Unde Josaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, se Achab Regiis amicitiis penè periturus increpatur. Cui à Domino per Prophetam dicitur: 2. *Paralip.* 19. *Impio præbes auxilium: & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris? & idcircò iram quidem Domini merebaris: sed bona opera inventa sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra Juda.* Ab illo enim, qui summè rectus est, eo ipso jam discrepat, quò perversorum amicitiis vita ejus concordat.

20. Prosequitur Sanctissimus Doctor: Admonendi sunt pacati: ne, si ad increpationis verba prosiliant, temporalem pacem sibi perturbari formident. Rursumq; admonendi sunt, ut eandem pacem dilectione integrâ intrinsecùs teneant: quam per invectionem vocis sibi extrinsecùs turbant. Quod utrúmque providè se David servâsse perhibet, cùm dicit: *Ps.* 119. 10. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus; cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.* Ecce loquens impugnabatur, sed tamen impugnatus, erat pacificus: quia nec insanientes cessabat reprehendere; nec reprehensos negligebat amare. Hinc etiam *Paulus* ait: *Si fieri potest, quod ex vobis est: cum omnibus*

*hominibus pacem habentes.* Hortaturus enim Diſcipulos, ut pacem cum omnibus haberent, præmiſit dicens: *Si fieri poteſt*: atque ſubjunxit: *quod ex vobis eſt.* Difficile quippe erat, ut, ſi malè acta corriperent, habere pacem cum omnibus poſſent. Sed cùm temporalis pax in pravorum cordibus ex noſtra increpatione confunditur; igitur neceſſe eſt, ut inviolata in noſtro corde ſervetur. Rectè itaque ait: *quod ex vobis eſt*, ac ſi nimirum dicat: Quia pax ex duarum partium conſenſu ſubſiſtit, ſi ab eis, qui corripiuntur, expellitur: integra tamen in veſtra, qui corripitis, mente teneatur. Unde rursùm idem Diſcipulos monet, dicens: 2.*Theſſ.*33.14. *Si quis non non obedit verbo veſtro, per Epiſtolam hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Atque illicò ſubjunxit: *Et nolite ut inimicum exiſtimare illum, ſed corripite ut fratrem.* Ac ſi diceret: Pacem cum eo exteriorem ſolvite, interiorem circa illum medullitùs cuſtodite, ut peccantis mentem ſic veſtra diſcordia feriat, quatenus pax à cordibus veſtris, nec abnegata diſcedat. Hæc *D. Gregorius.*

# SERMO XIV.

## DE OBEDIENTIA RELIGIOSA.

*Melior eſt Obedientia quàm victima.*

1. Reg. cap. 15. v. 22.

## PARS PRIMA.

1. CUm quondam duo in ſua arte bene periti pictores pro magno decertarent præmio, quisnam eorum firmamentum ſuo penicillo vivaciùs exprimere poſſet. Itáque horum unus ſuum æmulum ſuperare credens, pinxit firmamentum, in eóque omnes miro artificio ſtellarum diſtinctiones, planetarúmque varietates, & id genus alia ab Aſtrologis notari ſolita. At alter Solem tantummodo in firmamento penicillo ſuo adumbravit. Sícque ambo Judicem adeuntes, eum, quisnam eorum jus lucratus eſſet, ſciſcitati ſunt. Judex contemplatâ utriusque picturâ, haud dubiè, reſpondit, ille lucrifecit præmium, qui firmamentum cum ſtellis, ac planetis delineavit. Quod judicium, ut alter audit, ait: quid? O Judex nequaquam æquum eſt effatum tuum. Ergone ego luſum perdidi? ergone alter cælum artificioſiùs quàm ego ſuis coloribus expreſſit? minimè. Nam licèt ego Solem duntaxat in firmamento collocârim, per hoc tamen minimè effingere omiſi reliqua cæli lumina, quòd verò non appareant, nihil refert, quoniam Sol ſuis nimium coruſcantibus radiis ea ſic velat, ut intueri nequeant. Et quis, quæſo, ſplendente Sole ſtellas conſpicit? & nihilominus ſemper in firmamento radiant. Hæc, ut Judex intellexit, eum in hoc certamine victorem

rem esse pronuntiavit, qui ingenioso labore Solem tantùm in sua pictura exhibuit. Enim verò omnes sic, ùt loquitur *Apostolus*, currentes decertamus, *ast unus accipit bravium.* Quis est ille unus, & non obediens? Currit quidem castus, currit & humilis, currit & Christi pauper, currunt & alii variis insigniti virtutibus, sed omnibus facilè præcurrit Obediens; sic ut præ cæteris vitam comprehendat æternam. Nam tametsi Obediens alias virtutes possidere haud videretur, quia tamen Obedientiâ præstat, quæ velut Sol in anima splendet, omnes procul dubio reliquas virtutes implicitè habere necesse est. Cùm enim Obedientia sit Virtus, quâ exequimur jussa, & præcepta tum divina, tum humana, quia præcepta sunt; ideo verus Obediens obtemperans cunctis Majorum ordinationibus, & statutis perfacilè quaslibet obtinebit virtutes.

2. Obedientia igitur Deo longè gratior est, quàm Sacrificia & Victimæ, in ea enim paupertas, castitas, & reliquæ virtutes includuntur: quia si quis verè sit obediens, erit & pauper, castus, humilis, silentii amicus, patiens, mortificatus, atque adeò omnes omnino virtutes assequetur. Virtutes namque per frequentem suî ipsarum actuum exercitationem comparantur, hanc autem exercitationem nobis dat Obedientia. Omnes enim Regulæ, quas habemus, & universa Superioris jussa, quid sunt aliud, quàm quoddam virtutum exercitium? Hinc communis SS. Patrum doctrina est, quod in tantum aliquis in omnibus virtutibus profectum faciet, in quantum in obedientia proficiet; unde eam Virtutum omnium Matrem, & originem vocant. *Obedientia,* inquit *S. P. Aug.* lib. 1. cont. adver. leg. cap. 14. *maxima est virtus, &, ut sic dixerim, omnium origo matérque virtutum.* Et *Cassianus* lib. 4. Insti. c. 30. ait: *Obedientia inter cæteras Virtutes primatum tenet*: quia juxta *S. Greg.* lib. 35. moral. cap. 10. *Obedientia sola virtus est, quæ ceteras virtutes menti inserit, insertásque custodit.* Valde benè Episcopus ille ad S. Abrahamum Solitarium: Ecce, inquit, totum mundum reliquisti, & quæ in eo sunt, & vitam crucifixam amplexus es, attamen cùm hæc universa compleveris, agnosce te obedientiam, quæ cunctis Virtutibus eminet, non habere. Senioris cujusdam aureæ sententiæ sunt, quæ habentur in Vitis PP. lib. 3. libell. 14. n. 19. *Obedientia,* inquit, *salus est omnium fidelium: Obedientia Regni cælorum inventrix est: Obedientia cælos aperiens, & homines de terra elevans est: Obedientia cohabitatrix Angelorum est: Obedientia Sanctorum omnium cibus est, ex hac enim ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.*

3. S. Dorotheus refert (apud *Rodericium* p. 3. tract. 5. c. 1.) de Discipulo suo *Dositheo*, quòd cùm Juvenis esset nobilis & delicatus, quidam metus de reddenda strictissimo Judici ratione ei incidit, quare ut bonam rationem Deo reddere posset, Religionem intravit, quòd autem naturâ debilis & teneræ complexionis esset, consuetas Religionis austeritates sequi non poterat, non summo manè surgere, non eis vesci cibis quibus alii. Quamobrem in horum compensationem decrevit se totum quàm exactissimè obedientiæ dare, hinc magnâ promptitudine & accuratione in Nosocomio sicut & in reliquis humilitatis officiis famulatum quinquennio præstitit, quo elapso ad Cælites subvolavit. Abbati autem Monasterii divinitùs fuit revelatum, Adolescentem Dositheum eâdem in cælo gloriæ

gloriæ coronâ donatum esse, quâ Paulus & Antonius. Quo audito, Monachi reliqui ad Deum conversi dixerunt: Ubinam ergo justitia tua Domine? ut hominem, qui nunquam jejunavit, quique in deliciis educatus est, parare & æquiparare velis nobis, qui totum Religionis onus, diei & æstûs pondus ferimus? Respondit autem Dominus, quòd ipsi Obedientiæ meritum & valorem nesciant; per hanc enim juvenem illum parvo tempore plùs, quàm alios multis asperitatibus, & pœnitentiis meruisse. Quàm rectè ergo *D. Hieronymus* in Reg. Monach. c.6. exclamat: *O felix & abundans gratia! in obedientia summa virtutum clausa est: nam simplici gressu hominem ducit ad Christum.* Optimè igitur *S. Antonius* (ùt refert *Ruffin.* l. 1. Vit. PP. c. 31.) Si quis cupit ad perfectionem velociter pervenire, non sibi ipsi fiat Magister, nec propriis voluntatibus obediat, etiamsi rectum esse videatur, quod velit, sed secundùm mandatum Salvatoris, ante omnia abneget semetipsum, & renuntiet propriis voluntatibus, quia & Salvator ipse dixit: Ego veni, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.

4. *S. Joannes Climacus* grad. 4. docet per Obedientiam non modò velociter, sed & faciliter ad perfectionem veniri: ait enim, *Obedientia est confectum dormiendo iter.* Quod *S. Bernardinus Senensis* hâc probat similitudine. Sicut qui est in navi, comedendo, bibendo & dormiendo progreditur, quia movetur alieno motu; sic verus Obediens in religione comedendo, bibendo & quiescendo, & alia opera bona operando meretur. Non desunt etiam exempla ad hanc veritatem stabiliendam. Quidam Senex (ùt refert *S. Dorotheus* Doct. 11.) cùm fratres noctu psallerent, Angelum prodeuntem, & calicem cum hostia portantem vidit, in quem intingens signabat frontem præsentium, imò & aliquorum absentium sedes, quia ex obedientia aberant, & licèt somno vacarent, commune tamen cum aliis meritum reportabant. Alter Obedientiæ fructus est, quòd hominem Deo charissimum efficiat: cùm teste *S. Thoma* 2. 2. q. 186. art. 5. ad 5. nihil Deo sit gratius, quàm si propriam voluntatem quis propter ipsum relinquat. Et meritò si enim Abraham tantoperè placuit Deo, qui voluit tantùm sacrificare filium suum, & per hoc Deo obedire, quantò magis eidem placebit, qui actu non alium, sed seipsum immolaverit per obedientiam? Non immeritò ergo *S. Dorotheus* (ut ipsemet Doct. 5. refert) totum se in juventute obedientiæ tradidit; qui hoc inde emolumentum est consecutus, quòd nullas sentiret afflictiones, & cùm propterea non parùm anxius esset, arbitrans hoc non esse signum bonum; à Joanne Abbate audivit: Illos esse pacatissimos, jucundissimos, & quietissimos, qui se Patrum obedientiæ tradidissent.

5. Tertius Obedientiæ fructus est, quòd unum sit ex certioribus signis prædestinationis; quia hæc sola via, sicut à voluntate propria est remotissima, ita nullis ambagibus, aut erroribus est obnoxia. Hinc Christus *Matth.* 9. intrepidè dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Meritò ergo dixit *Climacus* grad. 4. Si quis conscientiam suam mundissimam in Patris Spiritualis subjectione servavit, hic jam mortem ùt somnum, imò verò ùt vitam quotidie intrepidus exspectat; certissimè sciens obitûs tempore sui ipsius non à se, sed à Patre rationem esse requirendam. Id quod ipse Pater æternus quondam *S. Catharinæ*

*tharinæ Senensi*, (Dial. cap. 163.) revelavit, dicens: *Verus obediens non obligatur mihi reddere rationem de se, sed solummodo Prælatus, cui subditus extitit.* Obedientia est clavis, quâ Christus cælum aperuit, quam in manu Vicarii sui reliquit. Hinc *D. Bernardus* serm. 28. in Cant. dicere ausus est: Dignus ero, qui Deum videam, si prius quàm videam, obedisse inveniar: securus videbo, ad quem meæ obedientiæ munus præcesserit. Sed & Frater ejus *Gerardus* (in lib. de Doct. Bernardi) morti vicinus, cùm in spiritu raptus esset. post triduum ad se reversus dixit: *Bona est Obedientia. Ad tribunal Christi fui, animas Sanctorum vidi, ipsúmque mihi dicentem: Ecce locus tuus inter fratres tuos; nullus tui Ordinis peribit, si Ordinem amaverit: aut in morte purgabitur, aut in brevi post mortem.* Nec minùs memorabile est, quod alteri cuipiam Religioso ex Ordine *S. Hyeronimi* (referente *Petro de Vega* in hist. sui Ord.) evenisse scribitur; quòd videlicet post visitationem à Sanctis, quos singulariter colebat, factam, dixerit: Doleo me tam parùm in religione laborâsse, sed propter passionem & crucem Christi, & Religionis Obedientiam, quam observavi, vado ad regna cælorum: & hoc mihi Dominus manifestavit ad consolationem & ædificationem Religiosorum, & ut tepidi ac negligentes vitam mutent. Quibus dictis, paulò pòst ingenti repletus gaudio animam Deo reddidit. Porrò ulteriùs quàm tuta per Obedientiam via sit ad cælum, colligere est ex visione quadam *S. Gertrudi* factâ (lib. 5. in fin. cap. 24.) Huic enim S. Virgini ostendebatur via animarum ad cælum in similitudine asseris valde proclivis, qui difficulter poterat ascendi, unde ascendentes se juvabant ambabus manibus, & ex utraque parte erant dæmones impedientes. Religiosorum obedientium tamen asser habebat ex utraque parte perticas, & prætere a etiam Angeli in ascensu juvabant. Meritò ergo ait Salomon, *Prov.* cap. 21. v. 28. *Vir obediens loquetur victorias*, id est triumphabit, ac prosternet suos hostes, regium hoc ad cælum iter volentes impedire.

6. Quartus Obedientiæ fructus est, quòd sit efficacior ad consequendum aliquem effectum, quàm sacrificia veteris testamenti secundùm illud lib. 1. *Reg.* cap. 15. *Melior Obedientia quàm victimæ.* Melior, inquam, quia est pinguissimum holocaustum, cùm per illam totus homo in Sacrificium cedat. Est Sacrificium laudis & gratiarum actionis juxta illud *S. P. Aug.* in Psal. 148. *Vis semper laudare Deum? bene fac omnia* (quod fit per perfectam Obedientiam) *& laudasti Deum.* Est Sacrificium pacificum, quia miram habet virtutem ad varia dona à Deo impetranda. Est Sacrificium propitiatorium, seu pro peccatis; quia est efficacissimum medium ad peccatorum remissionem impetrandam. Est demùm Sacrificium Eucharisticum, qui revocat in memoriam cruentum Sacrificium, quo Christus seipsum Patri æterno obtulit; dum obediens usque ad mortem Crucis factus est; ut adeò meritò Christus per Davidem *Ps.* 39. v. 7. dixerit: *Sacrificium & oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulâsti: tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem Deus voluntatem tuam.*

7. Demum, ut alios eximios obedientiæ fructus omittamus, non minimus etiam est, quòd scilicet obedientia sit efficax medium ad dona supernaturalia augen-

augenda; nunc quidem gratiam, olim verò in cælo gloriam uberiorem conferendam. Hinc quidam Eremicola, referente *Ruffino* in Vitis Patrum lib. 2. n. 141. in ecstasi positus vidit quatuor Ordines Justorum ante Deum. *Primus* erat eorum, qui miram suis in morbis patientiam habuerant, Deóque ob eosdem gratias egerant. *Secundus* priori eminentior, eorum qui pauperes, & peregrinos collegerant, tectóque exceperant, ægris ministrârant, denique opera misericordiæ exercuerant. *Tertius* illorum, qui relictis omnibus, magna in paupertate, & abstinentia in eremo vixerant, orationique impensiùs vacârant. *Quartus* denique omnium excellentissimus, illorum, qui ex amore Christi Jesu sub obedientia vixerant, alienæ se voluntati in omnibus supponentes. Hos videbat in collo habere torques & collaria aurea, majorique gloriâ donatos, quàm reliquos. Quo spectaculo obstupescens, cùm rogaret, quare postremi hi majore bearentur gloriâ, quàm Monachi Solitarii, & reliqui omnes? Ideo id fieri audivit, quòd Solitarii, & qui operibus misericordiæ se totos impendebant, in eo quod agerent, propriam voluntatem adimplerent; Obediens verò minimè, quia voluntatem suam Deo immolârat. Torques denique aurei illis in compensationem dantur, quòd suas cervices sub obedientiæ jugo inflexerint.

8. Quamobrem rectè docet *Joannes Rusbrochius* lib. de Virt. cap. 13. quòd obedientia tam eximia sit virtus, ut vel minimum opus ejus imperio factum, multò meliùs Deóque acceptius sit, alio quolibet magno opere sine ipsa perpetrato. Unde Dositheus (de quo paulò antè dictum) coronam S. Antonio parem per quinque annorum exactam obedientiam promeruit. Sed & ipse Deus quondam voce de cælo lapsâ testatus est, Monialem, quæ omissâ propter obedientiam Communione in culina ministraverat, plus meriti acquisivisse, quàm quæ communicasset. *B. Rogerius*, Monachus quoque jam jam moriturus Arsenium Abbatem sic allocutus est: *Quæso te Pater, ex obedientia me mori jube, ut etiam moriendo merear, siquidem sexaginta jam anni sunt, quibus hanc gratiam à Deo petii, ne Patris mei injussu morerer*: Ergo, ait Arsenius: *Morere mi frater*, quo dicto statim mortuus est, & eâdem nocte se spectandum Arsenio præbuit, dixítque mortem sic obitam pluris à Christo æstimatam esse, quàm ullam totius vitæ actionem. Hunc Ascetam quia secutus est Religiosissimus Fr. noster *Josephus à S. P. Aug.* Clericus in obedientia, meruit etiam cum illo ex obedientia mori: cùm enim suæ mortis diem præsciret, à Ven. P. Marco Priore suo moriendi veniam, benedictionémque humiliter expetiit, quâ acceptâ devotissimè exspiravit. Hinc pluries à morte gloriosus apparuit, & inter psallentium choros auditus est. An non talis mors, & subsequens gaudium etiam cuilibet nostrûm arrideret? Non pigeat ergo nos similes in obedientia sequi, si cupimus cum illis in gloria beari.

# PARS SECUNDA.

9. EX his, quæ hactenus disseruimus, facilè cognosci potest, quàm præcellens sit obedientiæ virtus, sic ut meritò quilibet Religiosus omnem navare debe-

deberet operam, quo hanc assequeretur. Ne verò in hoc pio negotio à recto quis virtutis tramite aberret, scire debet, quidnam apprime ad perfectam obedientiam pertineat. Requiruntur autem, uti Ascetæ passim docent, hæc tria, videlicet, ut Obedientia sit *cæca*, *prompta*, & *fortis*. Cæca debet esse, non quòd homo non videat, quid exequatur, quomodo enim alioqui ageret? aut quòd temerariè & cæco modo irruat in executionem, sive honesta sive illicita sit (id enim longissimè abest ab eo, qui ex virtute, & secundùm rectæ rationis regulam operatur) sed quòd rationes præcepti, seu motiva, quæ Superiorem induxerunt ad præcipiendum, non perscrutetur, satísque ei sit, quidquid præcipiatur, dum illicitum esse non constat. Unde Romanus Pontifex *D. Gregorius* in lib. 1 Reg. lib. 2. cap. 4. sic ait: *Vera Obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ Judicium Majori subdidit, in hoc solo gaudet, si, quod sibi præcipitur, operatur; nescit enim judicare, quisquis perfectè didicit obedire.*

10. Præstanter omninò se in hoc Obedientiæ exercitio gessit *S. Paulus Simplex*, qui jam sexagenarius Senex ad S. Antonium venit, ut Monachus fieret; porrò per triduum impransus & incænatus expectavit sententiam, & responsum. Tandem Antonius hoc ferreo proposito expugnatus, poteris, inquit, esse salvus, si habeas obedientiam, & quod à me audieris, facias. Faciam, ait Senecio, quæcunque jusseris. Quare S. Antonius talem vitæ asperæ agendæ rationem suscepit illis diebus, qualem quando erat in principio juventutis, cujus tamen imitatorem in cunctis habuit suum simplicem Tyronem. Itáque ubi Vir Sanctus vidit, mentem Pauli nil moveri adversis, cæpit eum tentare circa obedientiam, præcepítque ei, quæ ratio, & causa non posceret. Haurire námque eum aquam jussit ex puteo, & in terram toto die effundere. Contextas sportellas resolvere, & rursus retexere: vestimentum dissuere & resuere, iterúmque dissolvere. Urnam mellis frangere, & mel effundere, effusúmque conchâ colligere, ne sordes simul colligerentur, quod erat difficillimum. Quid multa? In pluribus hujusmodi Senex Senem probavit, ut in nullo prorsùs eorum, quæ etiam contra rationem videbantur, disceret contradicere. Sed quo fructu? Deus ob simplicem Obedientiam Paulo imperium tantum concessit in dæmones, quantum non dederat Antonio. Porrò si tale præmium à Bonitate divina jam datur homini in exilio ob cæcam obedientiam, qualem non ergo sperabit mercedem in Patria, ubi proprius remunerationis locus est?

11. Rursus Obedientia cæca juxta Magni *Basilii* Instit. mon. ser. 2. mentem in hoc etiam apparet, si ad Superioris nutum non modò fugiamus inhonesta, sed etiam laudabilia omittamus: tametsi enim temperantia, & corporis mortificatio sint utilia; si tamen ex proprio arbitrio exerceantur, tanti non erunt, quanti merces est obedientiæ, quod colligitur ex revelatione *S. Birgittæ* factâ, quam piissimus *Blosius* appen. 4. instit. spir. n. 6. hisce recenset verbis. *Audivit Birgitta Dominum JESUM etiam istud dicentem: qui magis cuperet jejunare quàm comedere, & tamen propter obedientiam comedit, habebit mercedem, quam consequitur is, qui rectè jejunat: Similem quoque mercedem accipiet is, qui infirmus est, & manducat, & mallet tamen ad honorem meum jejunare.* Hinc idem Author, directis ad Novitium verbis, in brevi reg. tyro. spir.

§. 2. n. 3. ita fatur: *Meliùs est sobriè & continenter ad gloriam Dei ex obedientia manducare, quàm rigidam antiquorum Patrum abstinentiam ex propria voluntate sectari: quidquid purè per obedientiam fit, quantumvis vile & abjectum esse videatur, Deus magni facit, & eximiâ mercede remunerat.* Quamobrem nedum in operibus externis & corporalibus, verùm etiam, imò multò magis, in internis & spiritualibus exercitiis, ductum & Judicium Superioris sequamur, oportet. Quò enim res spirituales eminentiores sunt, tantò erit in iis majus periculum & ruina damnosior, nisi ductorem aliquem certum sequamur. Hinc teste *Cassiano* collat. 2. cacodæmon nullo vitio sæpiùs ac magis Monachum in perditionis præcipitium deturbat, quàm dum illi persuadet, ut despectis Majorum Seniorum consiliis proprio judicio, resolutione ac scientiâ nitatur.

12. Non desunt ad hancce veritatem demonstrandam plurima exempla Monachorum, qui, cùm in militia spirituali admodùm provecti essent, orationique deditissimi, & jam annos plurimos haberent, quòd proprio judicio nimiùm fiderent, & juxta illud seipsos dirigere vellent, à diabolo turpiter decepti, & illusi sunt. Unum (ùt refert *Climacus* grad. 4.) induxit, ut se de rupe præcipitem daret, persuadens, illum hoc pacto Martyrem fore, itáque mox rectà cælos ingressurum. Alius Monachus nomine *Heron*, ùt scribit *Cassianus*, tantus solitudinis, & jejunii cultor erat, ut etiam in solemnitate paschali, dum cæteri Monachi in Ecclesiam convenientes aliquam recreationem capiebant, & paulò plùs solito comedebant; ille suâ cellâ egredi, ac solemne jejunium, herbis sáltem quibusdam in obsonium additis, violare nollet; nam ordinaria ejus refectio solus panis erat, & frigida, & quidem quàm parcissimè sumpta. Unde quædam paulatim suppullulare cæpit in eo superbia, ac tanta de proprio Judicio præfidentia, ut jam ei persuaderet Satanas, ad tantam eum sanctimoniam pervenisse, ut in hac vita ei nullum periculum magnoperè esset metuendum, ac licèt in puteum quempiam se deturbaret, nullum inde damnum acciperet, sed Angeli, manibus suppositis, à ruina, & malo eum tuerentur. Unde nocte intempestâ se in profundissimum puteum, virtutis suæ, & ingentium meritorum periculum facturus, præcipitem dedit: sed ita graviter se hîc læsit, ut triduò pòst animam exhalârit. Accurrentes autem illicò, clamore exciti, Monachi semianimem è puteo Heronem magno cum labore eduxerunt. Qui licèt ad oculum videret, quòd esset à lapsu damnum passus, omnésque ei, ut resipisceret, persuadere satagerent, nunquam tamen induci potuit, ut crederet diabolicam hanc illusionem, & fraudem fuisse: itáque infelix pervicacem animam efflavit.

13. O Deus! quotquot non etiam alii fuerunt, qui sibi magna operari videbantur, qui tamen minimè Deo placuerunt. Talis erat Rex *Saul*, cui Deus, (ut habetur in lib. 1. *Reg.* cap. 15.) præcepit, ut Amalec usque ad internecionem exscinderet, nullique rei viventi parceret, nihilominus ille arbitrans se majus obsequium Deo præstare, meliora prædæ in Sacrificium reservavit. Sed quid audire debuit? Propheta *Samuel* Dei nomine dixit illi: *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini?* Minimè, quia *melior est Obedientia, quam victimæ, & auscultare magis*, & obedire Deo, *quàm offerre adipem arietum.* Optandum sanè foret, ne moderno

no tempore multi è Religiosorum cœtu reperirentur, qui cum Rege Saul pinguissima holocausta, id est varia ac rigida mortificationum exercitia Deo offerre arbitrantur, quia tamen hæc præstant ex judicio proprio magis, quàm ex Superiorum præscripto, ideo offensionem Dei potiùs, quàm ejus gratiam merentur. Meritò proinde exclamat *Henricus Harphius*, Vir illuminatissimus lib. 2. Theol. Mysticæ par. 1. cap. 3. *O si agnosceremus*, inquit, *quam multi frustra absque ulla vel modica utilitate operentur magna, profectò multùm miraremur: quia sæpe, quod coram hominibus magnum apparet, coram Deo fætet.* Videamus ergo, ne dicatur nobis illud *Isaiæ* cap. 13. *Ne offeratis illud Sacrificium frustra.*

14. Quare benè *S. Gregor.* lib. 35. mor. c. 13. docet, quòd etsi in mandato peccaminoso subditus non debeat obedire; si tamen Superior aliqua libera opera bona fieri prohibet, illa minimè facienda sunt. Arbor paradisi, ex qua primos nostros parentes Deus inhibuit, mala non erat, sed bona; ut tamen per obedientiam hanc plùs promereri, obsequiúmque, quod Deo debebant, testari possent, voluit eam Deus interdicere, ne de fructu illius gustarent, quem licitè sanctéque alioquin comedere potuissent, si non divinum mandatum id vetuisset. Eodem modo interdum Superiores prohibent ea, quæ ex se sunt bona, vel quod ita fieri subdito tunc expediat, vel ad ejus virtutem & obedientiam explorandam. Addit his *S. Basilius* Ser. de institut. Monach. *quòd vera & perfecta subditi obedientia non tam colligatur ex eo, quòd à malo caveat, quàm in omittendo eo, quod ex se bonum ac sanctum est, dum Superior id omittere jubet.* Cujus rei ratio est, quòd malum, etiamsi à Superiore non inhibitum esset, omittendum nihilominus erat, eò quòd malum sit: at quod ex se bonum ac sanctum est, idéo solùm omittendum, quòd ita Superior mandet. Itáque obedientiæ virtus magìs elucescit: hæc enim nisi impediret, nulla ejus omittendi ratio futura videtur. Concinit huic veritati *Blosius*, sapienter proinde quemlibet Religiosum, Deo placere desiderantem, his adhortatur verbis (*in Sacel. ani.* §. 1. n. 7.) *Propriâ voluntate relictâ, humiliter promptéque obedi propter Deum; meliùs est ex simplici obedientia urticas & zizania exstirpare, quàm ex propria voluntate sublimi rerum cælestium contemplationi operam dare; sacrificium enim Deo gratissimum est propria voluntatis abnegatio.*

15. Optimè ad propositum nostrum quadrat, quod refert Baron. Anno 432. de *S. Simeone Stilita*, qui austerissimam, in quadragenûm cubitorum columna perpetuò stando, vitam agebat; nam in hyeme intensissimum patiebatur frigus, in æstate ardentissimis torrebatur æstibus; itáque corpus suum abstinentiâ, & severitate edomabat, ut dubitarent nonnulli, verène homo esset; quòd homo mortalis facere, & pati non posse videbatur id, quod Simeonem in columna & facere, & pati videbant, præsertim, quòd quotannis quadragesimalis jejunii tempore nihil prorsùs comedere, vel bibere videbatur. Cùm ergo Sancti illi eremi cultores insolens hoc, & novum vitæ genus in Simeone summoperè mirarentur, inter se congregatione factâ deliberârunt, quid hîc fieri oporteret. Decreverunt igitur probare S. Simeonis spiritum, an esset ex Deo. Quare duos ad eum de suo cætu destinârunt; qui Simeonem in hæc verba alloquerentur: Ec quod hoc novum & inusitatum vitæ tuæ genus? quid sibi vult, quod ipse communi & & tritâ Sanctorum Patrum viâ relictâ,

tam peregrinam & insolitam ineas? Patres in congregatione collecti tibi unanimes præcipiunt, ut illicò de columna descendas, & communem, ac tritam, quam cæteri Monachi sequuntur, viam sequare, ipsásque novitates relinquas. Hæc erat Legationis hujusce summa; Moniti tamen erant à Patribus legati, ut siquidem Simeon obsecuturus imperatis videretur, ei potestas fieret in columna sua persistendi; (ex obedientia námque existimârunt satis constare posse, eum à Deo regi, bonóque agi spiritu) sin obluctaretur, aut resisteret, ac non statim imperantibus obtemperaret, protinus inde vi illum descendere, & abscedere compellerent. Abiêrunt ergo ad Simeonem legati his monitis instructi; qui vix dum Patrum jussum, ut descenderet, declarârant, mox ille pedem sustulit, & scalam, per quam columnâ descenderet, admoveri rogavit. Quare Nuntii Monachi alterum legationis suæ caput aperientes ajebant: Bono animo esto, frater, & strenuè rem gere: in hoc tuo vitæ genere, Deo adjuvante, persevera: Statio tua à Deo est instituta; uti etiam Patribus illis visum fuit. Notanda autem hîc inprimis ex una parte est, magna & mira Sancti hujus viri in re tam bona (quam ipsemet à Deo esse noverat) obedientia, ac Judicii resignatio: ex alia verò parte, quanti hanc omnes illi Patres obedientiam, & resignationem fecerint, cùm ex ea sola sufficienter colligi posse censuerint, hunc Simeonis spiritum à Deo esse.

16. Igitur si quis v. g. vellet rigidâ severitate in sua membra sævire, iterata suscipere jejunia, flagris sæpè carnem atterere, cilicia crebrò gestare, humi cubare, longas inire vigilias. Si (inquam) in his non vellet errare, consultum erit, Superiori, sive confessario, omnium quæ quis facit, & facere cupit, rationem dare, & quod ille faciendum omittendúmve decrevit, ipsum ex animo sequi. Hâc enim ratione magìs Deo placebit, & plùs promerebitur. Et hæc Theologia, utpote optima, & certissima, est maximè notanda. Habet v. g. quis efficax desiderium aliquas pœnitentias, vel mortificationes suscipiendi, & Superiori suo hujus rationem reddit: cui decernenti, ut talia opera omittantur, si obediet; non modò illorum valorem, & meritum non deperdet, sed adaugebit, & multiplicabit. Ex una enim parte meretur ob efficacem voluntatem illas mortificationes peragendi, ex altera verò lucratur meritum obedientiæ debitum, propter quam similia opera omittit. Hanc veritatem cælitùs edocta fuit *S. Birgitta* (ut habetur lib. 4. Rev. *S. Birg.* cap. 26.) Cùm enim hæc pia mulier erga austeritates, vitæque asperitatem mirè afficeretur, Pater spiritualis, cui illa suam animam regendam commiserat, quodam tempore hæc ei interdixit, quòd interesset valetudinis ejus. Ipsa, quamvis Confessario obtemperaret, aliquantulum tamen obluctata est, quòd timebat, ne propterea in virtutis exercitio detrimentum caperet. Sed Sacratissima cæli Regina apparens ei dixit: *Ecce filia, si duo ex privata devotione jejunare instituant, & horum unus, qui sui juris est, etiam de facto jejunet, tantùm unam is ideo mercedem recipit. Alius autem, qui sub alterius potestate est, Superiore jubente non jejunat, duplici donabitur præmio: uno quidem pro bona jejunandi voluntate, altero verò, quòd voluntatem abnegaverit, & Superiori obedierit.*

17. Porrò, ulteriùs ad hanc confirmandam veritatem, inservire nobis poterit,

terit, quod legere est in vita *Ven. P. Joannis à S. Guilelmo*; Hic etsi tam austeram duxisset vitam, ut vel S. Guilelmum, & S. Nicolaum Tolentinatem in rigore superârit; nihilominus tamen, postquam ad nostros Patres transiit, ad Superiorum nutus cunctas suas mortificationes, ùt cilicia, loricas, disciplinas, ac cæteras suas insolitas asperitates protinùs reliquit, & consuetis Discalceatorum austeritatibus contentus, communi vitæ se accommodavit. Quod verò hæcce obedientia Deo gratissima exstiterit, ex eo liquet. Nam cùm fortè ad solitas suas austeritates sine Superiorum licentia redire tentaretur, apparuit illi gloriosissima Angelorum Regina, Puerum JESUM inter brachia tenens, quæ dixit ei: *O Joannes, non parum facies, si hoc tantùm feceris, quæ communitas agit, & quæ tibi Superior præcipiet.* Quem deinde in terra prostratum, ac humiliatum benedixit. Quare deinceps nihil unquam absque Superioris licentia aggressus est.

18. Legitur in vita *B. Joannis de monte mirabili* lib. 4. Vit. P.P. Occid. quòd *S. Bernardus* (cùm audiisset B. Joannem solis fabis, herbis, ac pane nigerrimo famem placare) experiri voluerit, utrum hæc tanta abstinentia ex Deo, an à proprio placito esset. Ergo ei coctum piscem misit, mandans in virtute Obedientiæ, ut comederet. At Beatus ille ut erat ad obediendum promptissimus, non solùm piscem, sed & ossa cum spinis ex toto comedit. Et cùm omnes ex hoc ejus vitæ timerent, ille nec dolorem sensit; adeò gratia Dei obsequentem servavit. Ex cujus sepulchro liquor instar lactis ad multorum medelam manavit. Secutus est hunc B. Joannem *Ven. P. N. Joannes à S. Guilelmo* in obedientia, etsi semper jejunium rigidissimum observaret, & in quadragesima, aut aliis temporibus manducare nollet, si quis tamen ei per obedientiam (ùt sæpè accidit) præcipiebat, ut hoc cibo vesceretur, tanquam Superiori suo obediebat. Quod porrò talis comestio gratior sit Deo, quàm voluntaria abstinentia, docemur à Christo, qui ad *S. Birgittam* (lib. 6. Rev. cap. 111.) vice quadam dixit: *Quid times? etiamsi decies comederes in die propter obedientiam, non tibi imputabitur in peccatum. Nam Virginitas meretur coronam, Viduitas appropinquat Deo, sed Obedientia omnes introducit in cælum.* Hinc ergo colligere licet, magis placitum fore Deo, etiam austera pœnitentiæ exercitia ex obedientia cæca relinquere, quàm sinè hac ea ex proprio judicio frequentare. Certò memoratu dignum est, quod refert *Boverius* Annal. Capuc. Anno 1547. Quod Frater *Andreas Assisinas*, vir inter Capucinos admirabilis Sanctitatis & austeritatis, post septimum ab obitu diem Nosocomii Præfecto apparens dixerit, eousque se in Purgatorio fuisse. Sciscitanti causam subjecit, quòd in rigore corporis suo potiùs sensui, quàm Superiorum paruisset. Alius etiam unus è Societate JESU cùm Patri *Jacobo Rhem* in sordida veste & forma apparuisset, & de causa, cur adeò torqueretur, interrogatus esset; respondit: se propter flagellationes sinè facultate peractas iis pœnis adjudicatum. Ex his ergo conclusum manet, longè satiùs fore, pietatis opera, jubente Superiore, propter Deum prætermittere, quàm sinè facultate ex motu proprio ea peragere.

19. Hoc præterea mirum alicui videbitur, quòd, cum aliàs antè & retrò pleni oculis esse debeamus, in sola obedientia cæcos nos esse oporteat. Sunt

multi

multi pſeudofratres, quibus cùm à Superioribus aliquid præcipitur, intendunt oculos non in rem præceptam, ſed in perſonam præcipientem, hominem forſan vitioſum atque imperfectum, ac dicunt: *Hic autem quid?* Joan. 21. ſed audiant, quod ſequitur: *Quid ad te? tu me ſequere.* Alii de Superioribus ſubmurmurant, quaſi nimium gravia onera aliis imponant, quæ ipſi nec digito velint attingere. Quibus rurſus Chriſtus apud *Matth.* cap. 23. reſpondens, ait: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite, ſecundùm opera vero illorum nolite facere.* Quid aliud per hanc doctrinam Salvator noſter nobis intimare voluit, quàm obedientiam etiam malis Superioribus præſtandam? Qui hoc negligit, nullâ ratione Deo placere poterit, quia non tantùm Superioris præceptum, ſed magis DEI mandatum contemnere convincitur. Idcirco quò Prælatus eſt dementior ac imperitior, eò verus Religioſus deberet eſſe patientior & obedientior. Quò enim barbitonſor eſt hebetior, eò qui tondetur, debet ſedere immobiliùs & quietiùs, eique magìs eſſe ſubjectus & obediens; niſi velit novaculâ lædi. Pari modo quò minori Prælatus præditus eſt ratione, eò ſubditus debet eſſe quietior & ſubjectior, ne illum in fama & honore lædat. Verùm quia de hoc puncto ſermo fiet infra, parte quintâ, ideo de his hìc plura addere ſuperſedeo; & qualiter in obedientia cæca proficere, nóſque perficere debeamus, pro concluſione quædam notanda reſtant, & inprimis quidem ſententia *B. Huberti* de Erudit. Religioſ part. 2. lib. 2. cap. 10. ubi ait: *Perfecta obedientia & maximè in incipiente, eſt indiſcreta, hoc eſt, non novit diſcernere quid, vel quare præcipiatur, ſed ad hoc tantùm attendit, ut fideliter & humiliter fiat, quod à majori præcipitur.* Quemadmodum ergo paſtori ſuo oves obtemperant (inquit S. Baſilius Conſtit. Monaſtic. cap. 23.) & viam quamcunque ille vult, ingrediuntur, ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, Moderatoribus, ſive Superioribus ſuis obſequi debent, nihil omnino eorum juſſa curioſiùs perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato. *S. Franciſcus Seraphicus* (ùt notum eſt omnibus) Novitiis ſuis, ut caules inverſo modo in horto plantarent, præcipere ſolebat, ut illos intellectum vincere, & in obſequium obedientiæ captivare edoceret. Nam (ùt *B. Hubertus* proximè citatus ait) *Novitium prudentem in Congregatione durare impoſſibile eſt; ſtultus fiat, ut ſit ſapiens: & hæc ſit omnis ejus diſcretio, ut in hoc nulla ſit ei diſcretio.*

20. Similiter *Cæſarius Arelatenſis* ad Monachos homil. 8. monet, dicens: *Quidquid tibi à Senioribus fuerit imperatum, accipe tanquam de cælo, ſicut de ore Dei prolatum: nihil reprehendas, nihil diſſentias, in nullo penitùs murmurare præſumas: quia in monaſterio ſervire veniſti, non imperare; potiùs obedire, quàm jubere, totum ſanctum, totum juſtum ac utile judica, quidquid tibi à Prælato videris imperari.* Hæc *Cæſarius*. Et certò, ſine tali modo obedientiæ vix poteſt conſtare pax, & bona adminiſtratio in congregatione religioſa: erunt enim aſſiduæ diſputationes, & altercationes inter ſubditos & Superiores: velle enim à Superioribus rationes exigere mandatorum, eſt contra humilitatem, & modeſtiam religioſam: quia hoc non eſt ſe gerere ùt ſubditum, ſed ùt parem; neque facere opus, quia præcipitur, ſed quia expediens judicatur. Porrò, obedientia debet eſſe cæca ad imperfectiones & vitia Superioris, ut hæc

non

non consideret, nec ob hæc minùs ad obediendum parata sit; sed solùm consideret eum, cujus locum tenet, scilicet Christum. Unde illis, qui obedire suis majoribus non didicerunt, ex eô potissimùm hoc provenit, quòd propter hominem operantur, non propter Deum: solo quippe ad Deum respectu, & propter amorem illius, atque honorem, humiliari debemus homini, & obedire, ceu qui Dei vices gerit in munere suo. Quod ait Apostolus *Petrus* in sua Epistola I. cap. 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Quod explanans *S. Thomas*, dicit: *Propter Deum*, scilicet sic ordinantem. Nam ùt dicitur *Rom.* 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Vel, *propter Deum*, id est, propter Dei amorem, non propter hominum favorem. Hæc de obedientia cæca dicta sufficiant; modò quid obedientia prompta sit, investigemus. Sit ergo

# PARS TERTIA.

21. Altera perfectæ Obedientiæ conditio est, ut sit prompta ad exequenda imperata, ut nec præceptum differat, nec tergiversetur, neque excuset, nec lentè & cum torpore ad opus accedat. Sic nos obedire docet suo exemplo Magnus Patriarcha *Abraham*, dum enim illi Deus mandavit, ut filium suum unigenitum Isaac immolaret, non fuit conquestus, neque dixit: quid sibi vult hoc mandatum? Promiserat mihi de cælo Deus, semen meum multiplicaturum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris; & nunc imperat, ut filium meum unicum occidam, quomodo ergo implebitur divina promissio, præsertim cùm alium filium non habeam, nec generandi spes ulla affulget, cùm jam tam ego, quàm uxor mea Sara effœti simus; nihil simile S. Patriarcha Deo objecit, sed mox de nocte surrexit, ùt refertur in lib. *Gen.* cap. 22. non expectavit usque manè, sed statim de nocte antequam diesceret, eo ipso momento, quo mandatum accepit, ad jussum tam arduum exequendum se accinxit. Notat ad hæc Scriptura, eum famulos ad montis pedem reliquisse, nec secum in montem ducere voluisse, ne quis ipsi in obedientiæ suæ executione impedimento, & obstaculo foret. Certò talis deberet esse Religiosorum obedientia, ad quam amplectendam nos adhortatur *D. Bernardus* Ser. de Obedien. sic loquens; *Verus Obediens mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & sic se totum intra se colligit, ut mandatum peragat imperantis.* Ad amussim hoc observavit *Marcus* Monachus, qui cùm proptetea plùs cæteris ab *Abbate Silvano* diligeretur, & hoc cæteri Patres ægrè ferrent, utpotè causam ignorantes, convenerunt S. Abbatem, rationem hujus specialis dilectionis expiscaturi, quos ille peramanter susceptos per fratrum cellas circumduxit, ac ad easdem pulsans, inquilinos ad communem laborem evocavit, qui non mox, sed interpositâ aliquâ morulâ comparuêre: at quando ad cellam dilecti sui Marci venit, tantùm dixit: *Marce*; vix vocem ille audiit, mox relictis omnibus cucurrit foràs, dicens: Ecce, Pater mi, præstò sum, quid boni jubes? Post injunctum opus, Silvanus ad hospites conversus, ait: Ecce charissimi Patres distinctionem obedientiæ, quàm tardi fuerunt reliqui? Hinc absentis Marci cellam intravit, & invenit in-

in charta literam P. inceptam, nec tamen perfectam, unde ait: Videte Patres testimonium promptissimæ obedientiæ, quòd scilicet ad vocem meam nec literam perficere voluerit. Quod ùt illi Senes viderunt, inter se dixerunt: verè dignus est hic discipulus, ut singulari à suo Magistro amore haberetur.

22. *S. Ignatius* apud *Rodericium* part. 3. tract. 5. cap. 3. de promptitudine, quam in obedientia nos adhibere oportet, agens ait: *Ad signum campanæ, & Superioris vocem, perinde ac si à Christo Domino egrederetur, quàm promptissimi simus, re quâvis, atque adeò literâ à nobis inchoatâ, nec dum perfectâ, relictâ.* Duo nobis hic præscribit: *Primum*, ut, dum campanæ signum vel Superioris vocem audimus, Dei vocem nos audire credamus. Igitur pium est hic considerare trium Magorum in obediendo promptitudinem, nam quemadmodum hi, visâ apparente sibi stellâ, apud se dixerunt: *Hoc Signum magni Regis est, eamus, & offeramus ei munera, aurum, thus & myrrham*: ita nos auditâ campanulâ, vel voce Superioris, dicere oportet: Hæc vox Dei est, eamus quantocyùs, & obediamus ei. *Secundum* est, ut literam inchoatam, vocati imperfectam relinquamus. Porrò ut nobis ostenderet Dominus, quantoperè sibi hæc exacta & punctualis obedientia in litera inchoata abrumpenda placeat, sæpiùs id per miracula dignatus est confirmare; refert *S. Catharina Senen.* in Dialogis cap. 165. de quodam Monacho, qui cùm inter scribendum per campanæ signum vocatus literam semiperfectam reliquisset, eam, dum ad cellam est reversus, perfectam reperit, parte illâ mediâ, quam perficiendam reliquerat, aureo colore inductâ. Cellarius *S. Columbani*, ùt legere est in ejus vita c. 16. à B. Patre vocatus, relicto dolio aperto cucurrit. *Sanctus Odo* dum scriberet compendium vitæ *Sancti Martini*, & pulsus inciperet ad Vesperas, relicto libro aperto perrexit ocyùs ad chorum. Approbavit Deus utriusque promptum obsequium; nam ex aperto dolio nec gutta effluxit cerevisiæ. Et absente Odone, cùm pluviæ irruerent in cubiculum, cuncta præter librum vastârunt.

23. Aliàs duo Religiosi, cùm in Cœna Domini, eo ipso tempore quo communicandum erat, ad eleëmosynam colligendam missi essent, ac redeuntes in Sacello, ubi SS. Eucharistia asservabatur, suam infelicitatem, quòd eo die sacro epulo abstinere deberent, deplorarent, pulcherrimus Juvenis ex arca Eucharistica prosiliit, séque JESUM esse asserens, utrique corpus suum porrexit. *S. Philippus Nerius* dicere erat solitus, quòd, qui ut obedientiam adimpleret, orationem, vel quodvis aliud opus spirituale, cui adstrictus est, intermittit, is Deum pro Deo relinquere censeatur. *Ven. Blosius* in instit. spir. append. 4. authoritatem *Tauleri* adducens inquit: *Si quis Dei munere ad tam altum sanctitatis gradum pervenisset, ut Deum reipsa semper visibiliter præsentem, secúmque habitantem haberet, is, si ad aliquod opus obedientiæ evocaretur, humiliter Domino dicere deberet: Eja suavissime Deus, permitte me, obsecro, hanc obedientiam tui amore perficere. Credite mihi, humilis ista propriæ voluntatis abnegatio in illo homine multò gratior Deo esset, quam si ille idem tunc cum omnibus Beatis Spiritibus cælum penetraret.* Exemplum hujus rei subjicio. Virgo quædam in monasterio degens, & divino amore flagrans, cùm aliquando immenso dilectissimi Sponsi sui JESU desi-

desiderio teneretur, sic illum ex toto corde suo allocuta est: O unice Fili Dei, amabilis Redemptor animæ meæ, utinam vel ad momentum in hac vita te cernere possem! ad quæ verba mox astitit ille Dominus JESUS in forma cujusdam pueruli. Contigit verò, ut una ex Sororibus Congregationis januam devotæ illius Virginis pulsaret, eámque cum festinatione ad commune aliquod opus, ex obedientia faciendum, accerseret. Audiens Virgo sancta jussionem obedientiæ, puerulo JESU ait: Eja dulcissime Domine mi JESU Christe pro explenda obedientia abeo: Tu interim me hîc expecta, obsecro, si placet tibi, donec ad te redire liceat. His dictis è cella exiit, & quod facere jussa erat, animo voluntario, hilaríque vultu peregit, deinde magna cum celeritate ad cellam reversa est, quam cùm aperiret, mira quædam & radiantissima lux oculis ejus se ingessit, adeò ut vix eam sustinere posset; vidit igitur amantissimum Dominum suum in perfecta ætate tanquam elegantissimum Juvenem viginti quatuor annorum astantem, unde ipsa maximo gaudio afflata ita eum affatur: O Dilecte mi JESU, quomodo tam grandis tantillo tempore factus es, qui tam pusillus apparebas, cùm à te recederem? cui pius & dulcissimus JESUS respondit: *O Filia charissima, profunda velocis, atque impigræ obedientiæ tuæ humilitas me tam brevi tempore tam grandem effecit. Semper ergo mei amore libenter obedi, si mihi continuè sine medio optas uniri.* Post quæ verba Dominus disparuit.

24. Verum enim verò, dum Sancti viri suorum discipulorum profectum spiritualem agnoscere cupiebant, hunc apprimè per obedientiæ exercitia explorârunt. Inter quos numerabatur Venerabilis ille Senecio ac Magister *S. Joannis Damasceni*; Hic aliquando ejus virtutem exploraturus jussit eum Damascum pergere, fiscellásque aliquot de palmis concinnatas ibidem vendere, illic emptores reperturum. Præscripserat autem ei certum fiscellarum pretium, quod erat duplo majus solito. Quid ad hoc imperium Joannes? fortassis suum Magistrum de errore commonefecit, quòd scilicet fiscellæ non tanto pretio ibidem venderentur, & per consequens gratis illuc pergeret? nequaquam. Joannes sine omni excusatione hæc mandata magnâ cum promptitudine alacritatéque suscepit, sublatisque in humeros fiscellis ad urbem profectus, in forum se contulit, suásque merces venales eodem loco proposuit, ubi tantâ pompâ, tantóque agmine famulorum cinctus anteà imperârat. Emptores, audito propositarum mercium pretio, eum ridebant, & sexcentis contumeliis velut amentem furiosúmque onerabant. Sed inter hos eum servus ejus diligenter arbitratus, agnovit herum olim suum, fiscellásque omnes emit reddito ei pretio, quod flagitârat, quò sic eum à contumeliis, quibus obruebatur, vindicaret. Sic igitur cùm mandata Senis exhausisset, & omnem vanæ gloriæ appetentiam, mundíque existimationem calcâsset, ad monasterium reversus est.

25. *S. Dorotheus* Doctr. 1. memorat de *S. Basilio*, quòd, cùm cœnobia sua inviseret, ex uno Superiore rogârit, num quem inter suos haberet, quem confideret salvandum? respondente autem illo, sperare se omnes ipsius orationibus salvos fore. Rursum idipsum interrogavit, nec antè destitit, quàm ille ex optimis meliorem sibi offerret electum. Quem Pater sanctissimus à simplici obedientia probare cupiens, imperavit ei, ut aquam

ad abluendos pedes afferret. Abiit incunctanter; tulit, lavit. Hinc eum Vir Sanctus jussit sedere, ac lavari pariter: paruit ille simpliciter, & à Beatissimo Episcopo lavari se sustinuit. Quo facto introduxit eum in Sanctuarium, & celebranti discipulo ministravit, nulla in re dissentienti ad quodcunque mandatum. Unde eum postmodum sibi socium ac perpetuum comitem assumpsit, ùt qui præditus esset simplici obedientiâ. Porrò quis comprehendat charismata, quibus Divina Bonitas veros obedientes impertiri solet? Profectò tanta & tam copiosa erunt, ut assequi duntaxat, non verò sat à mortalibus explicari valeant.

26. Consideravit hæcce dona ab obedientia emanare solita Angelicus Doctor *S. Thomas*, qui vel ideo nedum suis Majoribus, sed insuper se multùm inferioribus obedientiam exhibere non recusavit. Cùm enim fortè Bononiensi in cœnobio deambularet, accessit eum hospes ejusdem Ordinis Religiosus, qui fortè Thomam non noverat, eúmque allocutus jussit secum extemplò in urbem prodire, quòd per Cœnobiarcham sibi liceret, quemcunque minùs negotiis impeditum offendisset, sibi comitem adsciscere. Vir sanctus nihil recusavit, sed è vestigio manticam eleëmosynis accipiendis aptam humeris injecit, & cum prædicto Religioso ùt comes exivit. Sed cùm Thomas propter affectum pedem Religiosum nimis velociter ambulantem sequi non posset, fuit ab illo publicè verbis objurgatus. Videntes & audientes hæc Sæculares admonuerunt illum fratrem, ut attenderet, quid ageret, nec enim decere Thomam Aquinatem adeò inclytæ eruditionis, & Sanctitatis virum tam malis ab eo modis haberi. Tunc enim verò Religiosus hospes ille errorem suum advertit, simúlque viri Sancti submissionem suspexit. Itáque vestigiis ejus advolutus erroris sui veniam postulabat. At ille subridens; Nescio, inquit, cujus tu peccati veniam flagites: ego námque religiosam professus pauperiem, volens libens manticam gero, religiosáque delector obedientiâ, quâ sese homini homo subjicit Dei causâ. Si itáque tam promptè hicce famosissimus Ecclesiæ Doctor etiam se longè inferioribus obtemperabat, certò summus pudor est, quòd nos miselli nostris legitimis Superioribus obedientiam præstare recusemus.

27. Verum enim verò, quàm grata Deo obedientiæ promptitudo, sit sæpe sæpius illustribus declaravit prodigiis. Refert P. *Ribadeneira* in vita *B. Jacobi Germani* Fratris Conversi Dominicani, quòd erat egregius artifex imaginum in vitro pictarum, quibus, ut colores inurerentur, eas ardenti clibano inferi oportebat. Itaque cùm aliquando venustissimam imaginem ardenti clibano immisisset, atque ad hanc concinnandam, perpoliendámque præsenti ejus operâ opus esset, Cœnobiarcha obedientiam illius exploraturus, jussit eum mox, acceptâ manticâ, abire stipem mendicatum. Mox ille nihil oblocutus, nec operis incepti necessitatem causificatus, obediit, & abiit jussam stipem mendicatum. Quam cùm collegisset, domúmque attulisset, post multas horas imaginem suam reperit adeò concinnam, perpolitam, suísque lineis punctísque omnibus absolutam, nihil ut in ea posset desiderari. Sic & ille perfectissimæ obedientiæ specimen exhibuit, & Deus obedientiæ amator, quidquid artis imagini defuit, miraculo supplevit adeò, ut ipse Jacobus nullam huic similem suâ potuerit arte formare.

28. Ad hæc porrò magis demonstranda non desunt etiam exempla do-

mestica, ex quibus duntaxat hoc libabo. Religiosissimus Frater noster *Alipius* à *S. Francisco* Clericus adeò obedientiæ deditus erat, ut ex hac digitum accendere non dubitârit. Cùm enim ejus Magister Alipium jussisset accendere candelam, & hæc fortè deesset, mox imperavit ei, ut digitum accenderet. Quid ageret Alipius, obediretne, & digitum cremaret, aut se modestè excusaret? At verus Obediens omnis excusationis, & tarditatis nescius protinùs imperata Patris executurus, digitum igni applicuit. O rem admiratione dignam! Digitus enim ejus non secus ac candela, omnibus stupore defixis, luxit. Hinc pro merito aves, & pisces cunctis stupentibus obsequentes habuit. Ex his ergo amice frater procul dubio sat cognoscis, quàm excellens sit Obedientiæ Virtus, intelligis etiam, quomodo te in omnibus oporteat promptè obedire. Sed adverte, quòd præventio præcepti, seu executio actûs, quia cognoscitur placere Superiori, etiamsi nondum præceptum promenti, præstantissimum Obedientiæ exercitium contineat, sitque actus heroicus illius: sicut enim qui ante tempus condictum anticipat solutionem, elicit actum perfectum Justitiæ, ita qui præoccupat jussum, elicit verè actum obedientiæ & quidem perfectissimæ. Servatis igitur memoratis, conditio tertia Obedientiæ investiganda erit.

# PARS QUARTA.

29. Tertium ad perfectam obedientiam requisitum est, ut sit fortis & constans, hoc est, ne quis propter rei difficultatem ab obediendo resiliat; quia ùt rectè monet *S. Basilius* Consti. cap. 20. dicens: Oportet imprimìs, ut is, qui se ad vitæ hujus rationem contulit, stabili, firmâ, immobilíque voluntatis constantiâ sit, judicióque tali, ut à malignis spiritibus neque concuti, neque loco pelli possit. Deinde animi firmitate tantâ, ut ad mortem usque constantiam Martyrum exhibeat, tum divinis præceptis retinendis, tum obedientiâ erga Magistros suos conservandâ: hoc enim totius vitæ & instituti est caput. Et alibi in Regul. breviore idem S. Doctor ait: *Verus Christi amator nil grave detrectat, sed potiùs ultra quid appetit.* Bellè huc quadrat, quod refert *Simeon Metaphrastes* de quodam Adolescente, qui sæculi deserendi desiderio actus quendam de priscis illis Anachoretis adiit, illius se discipulum esse velle dicens. Senex ostensurus qualem eum esse oporteret, si Monachus, & Discipulus suus esse vellet, statuam quæ in vicino erat, flagellare ac fustigare, quin & calcibus eum impetere jubet. Dictum factum. Percontatur deinde Senex, num statua ad has injurias conquesta esset, vel obluctata? minimè inquit Adolescens. Tum Senex, rursus (inquit) eam verbera sicut priùs, & verberibus adde injurias, & probrosa verba, quod cùm iterum ac tertiò fecisset, roganti Anachoretæ, num quid statua indignata ad injurias has respondisset? Nequaquam, ait Juvenis. Erat quippe statua sensûs omnis & loquelæ expers. Tum Senex, si (inquit) tam patienter ferre queas, ut eodem ego modo agam tecum, quo tu antè cum statua, nullatenus ut indigneris, obmurmures, vel offendaris; age, disciplinæ meæ te subdito: sin minùs, revertere ad propria, quia religioso statui ineptus es.

30. Excellenti in hac materia exemplo præluxit *S. Lambertus* Episcopus, qui

cùm in exilium pulſus fuiſſet,ad Religioſum Stabulenſe Cœnobium conceſſit. Exceptus eſt ab Abbate, cunctiſque Cœnobitis tanquam vir Sanctus. Hic itaque degens, dum quadam nocte communi cum reliquis dormitorio quieviſſet, & maturiùs ſurrexiſſet, quò ſe diligentiùs & attentiùs precationi daret, dum ſeſe calcearet,alter calceorum fortè manibus ejus elapſus, edito ſtrepitu, reliquos Cœnobitas adhuc ſopitos excitavit. Quem ſimulAbbas audiit,nil porrò percontatus dixit: Quiſquis ille eſt, cujus culpandâ temeritate iſtud modò accidit, pro noſtra conſuetudine mox ſe ad Crucem conferat, & quod negligentiâ admiſit, obedientiâ expiet. Erat nox perfrigida ac glacialis, attamen S. Epiſcopus Abbatis imperio ſatisfacturus, veſtitus ùt erat cilicio, nec alio amiculo aſſumpto, adiit crucem, locum nempe pium, ſolitarium ac impluvium, atque hìc ſub dio duravit, donec reliqui Cœnobitæ ſe ſtrato levarent. Itáque totus frigore rigidus, (nam ſæviebat acre gelu) nonniſi decantatis pro ſolenni precibus Matutinis ſeſe calefecit. Nam cùm Abbas reliquos inter Monachos fortè Lambertum deſideráſſet, & percontatus ubinam eſſet,audiviſſetque, ipſiſſimum eſſe, quem juſſiſſet adire Crucem, ad eum feſtinus accurrit.quem cùm ſolo cilicio tectum,frigore rigidum, vultúque radiante ſplendidum cerneret, cum reliquis Monachis ejus veſtigiis advolutus veniam flagitavit. In vicem Lambertus Abbatis modeſtiâ & veniæ petitione confuſus, oravit, ne ſimilibus ſecum verbis uteretur, precatus, ut ſuam ſibi potiùs incuriam ignoſcere dignaretur, quâ reliquorum ſomnum rupiſſet. Numquid hæcce obedientia fortis, heroicáque?

31. Non minùs etiam memoratu dignum eſt,quod refertur in Vitis PP. Dicebant ſancti Seniores de *Joanne* Abbatis Pauli Diſcipulo,quòd virtute humilitatis & obedientiæ præcipuè polleat, quódque in difficillimis etiam cauſis Abbati ſuo abſque omni contradictione alacriter obediret. Cùm igitur neceſſarius eſſet in Monaſterio pro utenſilibus fimus boum, miſit eum Abbas in proximum vicum, ut quæreret ibi fimum deſideratum, ac cum celeritate afferret. Erat autem in illo loco Leæna. Porrò diſcipulus ſecundùm Abbatis præceptum mox egreſſus eſt; cùmque pergeret, ait Magiſtro ſuo: Abba Pater,audivi quàm plurimos dicentes,quòd in illo loco mala beſtia ſit. Cui Senex quaſi localariter ait: Si venerit ſuper te, tene, & alliga eam,& adduc illam tecum. Sic inſtructus pervenit ad locum deſignatum: & ecce egreſſa eſt leæna, irruitque ſuper eum; at ille eam comprehenſam tenere voluit, ſed leæna excutiens ſe de manibus tenentis aufugit, quam mox inſequebatur, altúmque clamitans, dicebat: Abbas meus præcepit mihi, ut alligem te, & perducam ad eum. Ad quam vocem continuò ſtetit leæna, & tenens eam reverſus eſt ad Monaſterium. Cùm autem tardaret in itinere, Abbas nimìs pro eo ſolicitus, triſtabatur graviter; & ecce ſubitò ſupervenit diſcipulus ejus, tenens ligatam beſtiam. Quod cùm conſpexiſſet Senior, admiratus valde gratias Deo retulit. Dixit autem diſcipulus: Ecce Pater ſicut præcepiſti, adduxi leænam ligatam. At Vir Sanctus, ne propterea ſuus diſcipulus altùm fortaſſis ſaperet, increpavit eum dicens: Sicut tu inſenſibilis es, ita & inſenſibiliter beſtiam adduxiſti; ſolve ergo eam, & protinùs dimitte, ut vadat ad locum ſuum. An non hæc Obedientia fortiſſima, utpotè nec

nec præsentissimum vitæ discrimen metuens?

31. Sed audiamus etiam quædam de obedientia constanti. Erat in quodam Virginum Monasterio acervus lapidum: volens autem Abbatissa tentare *S. Euphrasiam*, dixit ei: Veni filia mea, istos lapides transporta hinc, & pone eos juxta clibanum. Euphrasia verò, etsi tam grandes essent lapides, ut multi vix à duabus sororibus portarentur, rem illicò aggressa sinè adjutorio ullius lapides humeris impositos ad locum tulit. Nec dixit, adjuvet me alia Soror; nec dixit, grandes sunt lapides, non prævaleo; nec dixit, jejuna sum, & deficio, & opus hoc grande est. Sed cum fiducia jussionem per obedientiam adimplevit. Aliâ die venit iterum Abbatissa ad eam, &, non decet, inquit, ut lapides hîc jaceant, reporta eos in locum pristinum. Fecit, nec semel, sed per viginti admodum dies. Numquid heroicè? At generosius quid memorat *Severus Sulpitius* 1. Dialog. de vita *S. Martini* cap. 13. de quodam, qui abdicato sæculi fastu ad Abbatem Martinum Monachi habitu induendus advenit, rogans virum Sanctum, ut se in discipulum admitteret. Cúmque prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetuùm polliceretur ad omnia vel extrema patientiam, casu Abbas storacinam virgam jam pridem aridam manu gerebat, hanc solo fixit, atque illi advenæ id operis imposuit, ut tamdiu virgulam aquâ irrigaret, donec lignum aridum in solo arente virescceret. Mox ille huic imperio humeros submisit, & quotidie à Nilo flumine per duo ferè milliaria aquam advehebat, virgam illâ humectaturus. Porrò jam duo anni effluxerant, nec etiam spes esse poterat de fructu, attamen ab incepto labore Juvenis non cessavit. Tertio autem anno divinitùs virga floruit. Ego ipsam, ait Author, ex illa virgula arbusculam, quæ hodiéque intra atrium Monasterii est, ramis virentibus vidi, quæ quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides possit, ostendit.

33. Alius Monachus, ùt memorat *Rodericius* p. 3. tr. 4. octo annis per tria milliaria jussus ingentis ponderis lapidem bis quotidie ad Monasterium deferebat; & toto illo tempore tam lætum & contentum fuisse dicebat, ac si rem omnium, quæ injungi poterunt, honorificentissimam fecisset. Hinc ergo patet, quàm olim Monachi in obedientia fortes, constantésque exstiterint. Si moderno tempore simile quidpiam Religiosis injungeretur, O quot non reperirentur, qui Superiorem, talia mandantem, delirum mentéque captum dictitarent! Quamobrem Amice frater, sequestra te ab his, & stude in omnibus, etiam quæ contra rationem videntur, obedientiam absque cunctatione, seu excusatione tuo Superiori deferre. Ne verò in hac obedientia deficias imitare *Abbatem Nestorem* (de quo Vitæ PP. lib. de humil.) qui in ipso Religionis ingressu dicebat: Ego & asinus unum sumus, posthac esse debeo sicut ille, quidquid ei imponitur, hoc portat, & sinè mora quidem, non petens; quare, aut quem ob finem? parum id, vel multum sit, neutiquam obsistit, neque secus sentit: si fustigetur, non prorumpit in contumelias, nec propterea minùs laborat; &, quòd animal humile & contemptibile sit, ab omnibus vilipenditur, & pauxillo stramine sustentatur. Ad hæc sicut asinus, nec ubicúnque voluerit

luerit, vadit; nec quandocúnque voluerit, interquiescit, nec quod vult, facit; sed in omnibus, & per omnia agasoni obsequitur: ita se gerat & Religiosus. Atque ut asinus non comedit, nec quiescit sibi, sed ejus comestio & quies eò spectant, ut Domino suo magis inserviat; pari modo Religiosus nec sibi comedere, nec sibi dormire debet, sed omnia sua eò referre, ut Deo & Religioni meliùs deserviat. Unde Regius Propheta de se dicebat: *Psal. 72. ver. 23. Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Velut jumentum ergo te habeas in Religione, & quantùm inde in via perfectionis proficies, propria te docebit experientia.

34. Verùm enim verò quia exempla veterum Monachorum exhortationes sunt nostræ, ideo præfatis exemplis hoc superaddo. *Isidorus* ( teste *Climaco* Grad. 4.) Vir apud Alexandriam primarius, relicto sæculo venerat ad Monasterium recipi postulans. Quem Abbas, esse hominem superbum, ac sæculi dignitate tumentem ratus, conspiciens ait: Si reverà tollere jugum Christi, Isidore, decrevisti, præ omnibus impero, ut te laboribus obedientiæ exerceas. Cui ille, sicut fabro ferrum subjectum est, ita & ego, Sancte Pater, me ipsum obedientiæ expono. Mox Abbas, volo, inquit, frater, ut egredientium & ingredientium provolutus genibus dicas: Ora pro me Pater, quoniam peccator sum. Obedivit autem ille sicut Angelus Domino. Itaque cùm septem annos illic peregisset, & ad profundissimam humilitatem pervenisset, voluit Pater hunc Fratribus connumerare, & ut reverà dignissimum etiam ordinatione honorare. Verùm ille plurimis multorum precibus apud Abbatem egit, ut ibidem illum sineret, sicut hactenus fuerat, degere, cursúmque suum perficere. Quod & factum. Nam post decimum diem migravit ad Christum, cujus Sanctitas, ut omnibus constaret, prophetiæ spiritu suo Socio ad januam prædixit, post septimum diem à morte sua illum secuturum. Dictum factum. Sic Divina Bonitas remunerare amat fortem constantémque obedientiæ perseverantiam, in terris quidem æternâ hujusce facti memoriâ, in cælis verò ineffabili perenníque gloriâ. Sequamur nos igitur juxta nostrum posse generosi hujus Militis Christi exemplum, ut cum eo etiam consequamur beatitudinis æternæ bravium.

35. Porrò, quò in hac forti, ac constanti obedientia solidè nos fundemus, considerare oportet, quòd, sicut non ille miles, qui pugnam animosè init, sed qui in ea usque in finem persistens, hostem fortiter sternit, triumphi fulgeat gloriâ; ita pariter non ille Religiosus, qui bene obedire incepit, sed qui constanter obediendo bene finiît, obedientiæ coronâ donatur. Oportet proinde, ut Religiosus in obediendo sit firmus ac constans, hoc est, ut non detrectet exequi difficilia, & postquam inceperit, non resiliat ob difficultates occurrentes. Unde *Doctor Angelicus* ( opusc. de erud. princ. lib. 5. cap. 39.) ait: *Laudabilis est valde perseverantia in obedientia, quæ summi Regis singularis est filia; & hæc sola est regni cælestis hæres. Unde Bernardus: Quid currere prodest, & ante metam in cursu deficere? Sic currite, inquit Apostolus, ut comprehendatis. Et Dominus Matth. 24. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Idcirco laudabiliter Religiosi obedientiam profitentur, eámque

Supe-

Superioribus devovent usque ad mortem. Quare si laboriosæ obedientiæ arduitas ab inceptis pedem referre nos tentare, & urgere videatur, consideremus oportet, nos Deo obedientiam vovisse usque ad mortem. *Quod ergo semel egressum est de labiis nostris, observabimus, & faciemus, sicut promisimus Domino Deo nostro,* ùt dicitur, seu præcipitur in *Deuteronomio* cap. 23. v. 23. Quò verò hujusmodi tentationem à nobis fortiter propulsemus, exemplar nobis statuamus Christum Dominum, asserentem: *Joan.* 13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* At quodnam nobis imitandum reliquit exemplum? Respondet, & indicat hoc *Tarsensis Præco*: (Philip. 2.) *Christus factus est obediens usque ad mortem.* Non ergo Christus in re levi & facili factus est Patri obediens, sed *usque ad mortem*, nec eam naturalem, quâ homines magno doloris sensu extinguuntur, sed violentam, unde subdit *Paulus*: *Mortem autem Crucis*, nimirum mortem non inter violentas celerem, aut honestiorem, qualis gladio, aut securi, percussis cervicibus, infertur; sed *Crucis*, id est, mortem longam & infamem: Nam affixi cruci in sanguine suo natantes diu mori sinebantur, erátque hoc genus supplicii servorum aut vilium, ùt docet *Lipsius* in libro de Cruce.

36. Quòd si verò causam quis scire discupiat, cur tam grave & durum præceptum accipere voluerit Christus, hæc non est alia, nisi ut perfectum nobis daret tam nobilis virtutis, scilicet obedientiæ, exemplum; ne quis imposterùm queri possit, sibi à suis Superioribus dura nimis præcipi, sed sciat, & soletur se quisque cogitans, Christum longè durius à Patre subeundæ Crucis mandatum accepisse. Eapropter præclarè admodùm D. *Bernardus* nostrûm quemlibet adhortatur dicens: (in libro ad milites Templi cap. 13.) *Manum tuam misisti ad fortia, agendum est instanter, constanter obediendum: nec inter verborum, seu verberum asperitatem tam regalis semita est relinquenda.* Et alibi: *Mementote fratres, Christus, ne perderet obedientiam, perdidit vitam.* In signum hujus filialis obedientiæ *inclinato capite emisit Spiritum*, ùt dicitur Joan. 19. Constans igitur, & fortis esto in exequendis Superiorum præceptis, ac placitis, & ad supremum vitæ tuæ halitum perseverans mane, utì Deus monet in *Apocalypsi* cap. 2. *Esto fidelis* in obedientia *usque ad mortem*, & *dabo tibi coronam vitæ.* Ut autem in his tribus obedientiæ gradibus solidas agas radices, primarium, & efficax medium est, in Superiore Christum Dominum agnoscere, & intueri; qua ratione autem id fieri debeat, intelliges ex iis, quæ sequuntur.

# PARS QUINTA.

37. Quòd Prælatis, etiam malis, tanquam si Deo obediremus, obtemperandum sit, S. *Apostolus Paulus* apertis his monet verbis: Ephes. 6. *Obedite Dominis carnalibus cum timore, cum simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Unde apertè deducitur, voluntatem; & præceptum agnoscendum esse ex ore eorum, qui in superioritate sunt positi, quorum proinde voluntati subjici

jici debemus, tametsi cæteroquin timorati, & virtuosi nequaquam existant. Nam his verbis S. hic *Gentium Doctor* indifferenter omnibus subditis præcipit, ut Superioribus temporalibus, ac gentilibus non secùs obediant quàm Christo. Unde *Magnus Basilius* in Constit. Monach. c. 23. S. Apostolus (inquit) jubet, ut potestatibus sæcularibus obtemperemus sicut Christo, & quod majus est, etiã iis, quorum vitæ ratio tunc temporis nequissima & sceleratissima erat. Cui etiam consonat *Apostolus Petrus* dicens: 1. Pet. cap. 2. *Servi subditi estote in omni timore Domini, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Quantò nos Religiosos æquiùs, & rationi convenientiùs erit, Spiritualibus & Religiosis Superioribus, & qui in omnibus non nisi Dei voluntatem exequi desiderant, obedire tanquam Christo? Unde, loco suprà citato, in eodem sensu mox S. *Paulus* Eph. 6. v. 6. subdit: *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Domini ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus.* Non oculis ergo exterioribus hominem, sed interioribus Deum contemplari oportet. Quia non jam cum hominibus vivimus, nec ut hominibus serviremus, ad Religionem venimus, sed ut Deo. Quin & *Colossensibus* cap. 3. scribens, idipsum iteratò repetit: *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem.* Profectò, si non esset obediendum nisi bonis, & modestis, Ecclesiæ jurisdictio res esset incerta, cùm nesciamus, quis sit bonus, aut malus, sicque nesciremus, cui obediendum esset: aut quis esset Prælatus; hinc oriretur confusio Babylonica. Si non mos gerendus esset malo, Ecclesiæ jurisdictio nullam haberet stabilitatem, quia, qui nunc est bonus, post horam poterit esse malus.

38. Proinde nequaquam convenit, ut obedientiam declinemus ob indiscretionem, vel modicam virtutem, aut malam vitam illius, quem Deus nobis tanquam caput nostrum destinavit; Sicut enim non obstante, quod Medicus infirmus, vel pessimis moribus imbutus, inurbanus, & vilis esset, non tamen propter hoc ejus præcepta, vel medicamenta præscripta, & ad sanitatem nostram ordinata sperneremus. Et sicut pictor, quantumvis deformis sit, imaginem tamen artificiosam, summáque pulchritudine, & Symmetriâ conspicuam delineare potest; ita quoque licèt Superior malus sit, non tamen est mala, aut spernenda ejus authoritas. In libro, qui *Doctrina Patrum* intitulatur, quædam non inconveniens proposito nostro recensetur historia. Etenim Sacerdos quidam sæpiùs sanctum quendam conveniebat Eremitam, ut eidem Confessionis, & Communionis Sacramenta ministraret: huic autem Eremitæ, hunc Sacerdotem dissolutè & inhonestè vivere, suggestum fuerat, unde scandalizatus, quamprimùm ad ipsum rediit, fores cellæ suæ eidem in faciem occlusit. Adeóque Sacerdos confusus, domum rediit. Eremita autem, Sacerdote abeunte, vocem cælitùs delapsam audivit dicentem: *Tulerunt sibi homines judicium meum.* Deus autem hunc servum suum ab eo, in quo versabatur, errore liberare, & erudire volens, eidem in ecstasim rapto, puteum quendam aureum ob oculos posuit, cui funis aureus una cum situla aurea annectebatur, quâ aqua hauriretur, eáque limpida

pida & pura; Móxque leprosum quendam eandem aquam attingentem, & vasi infundentem conspexit, & licèt sitibundus esset, aquam tamen, à leproso vasi infusam, nauseans, ab eadem bibenda abstinuit. Tunc vocem quandam, illum in hac verba reprehendentem audivit: *Cur non bibis ex aqua hac? Quam causam habet qui implet? Implet enim solummodo & infundit aquas.* Eremita igitur ab hac visione intra semetipsum reversus, meliúsque instructus, emendavit errorem suum, ac Sacerdotem, quem à se repulerat, denuò revocavit.

39. Ex qua historia discimus, quod nullatenus attendere debeamus ad illorum mores, qui vel nobis Ecclesiæ Sacramenta ministrant, vel salubria auribus nostris monita instillant, & quid Deus à nobis fieri velit, declarant. Certò nullus pœnitens ægrè fert, quod Sacerdoti v. g. malo & lascivo fuerit confessus, benè sciens, illius vitam sive bonam sive malam nec quicquam vel prodesse, vel obesse absolutionis beneficio; sed gaudet, se accepisse remissionem peccatorum, nihil curans de moribus ejus, à quo hoc beneficio est impertitus; Ita pariter verus obediens nihil aliud curare debet, quàm ut voluntatem Dei per suum Superiorem, tanquam Christi Vicarium & Ministrum, sibi manifestatam strenuè adimpleat. Item: Si infirmus quispiam aliud recúperandæ sanitatis remedium non haberet, quàm ut medicinam à Medico præscriptam sumeret, hic verò eandem nollet, non ex alio motivo, quàm quod de malis ipsius moribus pessimum habeat conceptum, nunquid talem infirmum delirare diceres? siquidem certum sit, quod mala Medici vita, aut conversatio in damnum, & præjudicium salutis ipsius minimè influat, sed sufficiat, quod medicina sit salutifera. *Tolle igitur quod tuum est.* Matth. 20. Eodem modo discurrere de illis licet, qui magnam habent aversionem in adimplendis sui Præpositi jussis, eò quod de illius vita sinistram habeant opinionem. Unde cùm illis à suis Superioribus aliquid præcipitur, intendunt oculos non in rem præceptam, sed in personam præcipientem, hominem forsan vitiosum atque imperfectum, ac dicunt: *Hic autem quid?* Joan. 21. Quibus respondetur, quod mox sequitur: *Quid ad te? tu me sequere.*

40. Denique ad hunc errorem pellendum, & stirpitùs evellendum alio in loco *Incarnata Sapientia* omnibus suis sequacibus ait, Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite; secundum verò opera eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Ubi S. *Anselmus* ait: *Servate quæ ad Cathedram pertinent, non quæ ad vitam;* Deus enim Superiores hic in terris deputavit, tanquam voluntatis suæ arbitros, judices, legúmque suarum interpretes. *Theophylactus* super præcitata verba ita scribit: *Quæcunque dicunt, illa Moysen putate dicere, imò Deum.* Tametsi ergo Superior homo summè malitiosus esset, non tamen propterea nobis fas est, ejus imperia negligere; à Deo enim constitutus est, ut super nos regnaret, nobísque imperaret. Hinc *Salvator* noster ad Pilatum (qui homo erat perversissimus) dixit: Joan. 19. 11. *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper.* Proin S. *Bernardus* Epist. 42. ad Monachos discursum suum dirigens, eosdem interrogat: *Quid igitur vos, ô Monachi, Sacerdotum gravat authoritas? sæcularitatem contemnitis? Sed sæcularior nemo*

*Pilato, cui Dominus astitit judicandus; non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper; Jam cum per se loquebatur, & in se experiebatur, quod post per Apostolos exclamavit in Ecclesiis.* Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ite nunc ergo; resistite Christi vicario, cùm nec suo adversario Christus restiterit; Aut dicite, si audetis, sui Praesulis DEUM ordinationem nescire, cum Romani Praesidis potestatem Christus super se quoque fateatur cælitùs ordinatam.* Hactenus S. *Bernardus.*

41. Quamobrem omnibus, animam suam salvare volentibus, sequens tradit monitum, seu præceptum, ab iisdem fortiter observandum, S. *Paulus*, dum ait: Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, móxque hujus præcepti rationem subdit, dicens: *Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ideóque S. *Bernardus* in quodam sermone ad hunc Apostolicum textum auscultandum nos invitans, inquit: serm. 19. de mod. bene vivend. Audi verba Apostoli, non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt ordinata, à Deo ordinata sunt, ideóque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ergo non debemus contemnere potestates, sive mundi sint, sive Ecclesiæ; quia omnes à Deo ordinatæ sunt. Igitur quando per inobedientiam Prælatis contradicimus, Deo injuriam facimus. Idem in progressu ejusdem sermonis ostendit inobedientes, non Superioribus, sed ipsimet Deo rebelles esse, dicit enim: *Quando Prælatis nostris contumaces sumus, atque inobedientes, Deum contemnimus, qui dicit: Qui vos audit, me audit, id est, qui vobis est obediens, mihi obediens est, & qui vos despicit, me despicit.* Rectè proinde monet omnes subditos S. *Bernardinus Senens.* tom. 3. serm. de obed. Evang. art. 3. c. 2. ut nimirum suis Superioribus, tanquam Deo obediant, ait enim: Debent inferiores audire mandata Superiorum, & & Prælatorum,; quasi eis à Deo præciperentur. Proinde Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* Deus olim Ezechieli, quem populo suo in divinarum legum suarum adimpletione statuerat directorem, in hæc legitur fuisse verba locutus: *Ezech.* 3. 7. *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Quòd si igitur æternum cælo proscribi per hoc rescimus, nostris Præpositis, quamvis minùs timoratis & virtuosis, obedientiam incunctanter exhibeamus oportet. *Plura hac de re sequenti parte.*

# PARS SEXTA.

42. CÆlestis Magister noster Christus prævidens, quod in cunctis sæculis futuris Ecclesia habitura esset sæpe Prælatos, & ministros Evangelicos malè viventes; ideo fideles suos monitos esse voluit, ut obedientes eorum monitis, & doctrinis, caverent, ne eorundem imitarentur prava exempla; Quocircò qui sub Superiore aspero, malísque moribus imbuto subditum agit, summè cavere debet duo, nimirum *Primò* ne malum ipsius imitetur exemplum

plum. *Secundò*, ne ejus præcepta & sanam doctrinam contemnat, utrumque enim animæ mortem affert. Proinde quò Prælatus est dementior ac imperitior, eò verus Religiosus deberet esse patientior & obedientior: Quò enim barbitonsor est hebetior, eò qui tondetur, debet sedere immobiliùs & quietiùs eique magis esse subjectus & obediens, nisi vellet novaculâ lædi; Pari modo quo minori Prælatus præditus est ratione, eò subditus debet esse quietior & subjectior, ne illum in fama, & honore lædens, à novacula peccati vulneretur, suámque animam alicui salutis æternæ periculo exponat. Hoc ut præstemus, Salvatoris nostri exemplum ob oculos collocemus oportet; Hic enim non solùm summis Sacerdotibus, & Judicibus iniquis obedientiam exhibuit, sed planè eandem præstare suis Crucifixoribus minimè dubitavit. Nam, ut annotat *S. Vincentius Ferrerius* serm. 3. de Epiph. quando hi crudeles lictores dixerunt ei: *Exspolia te, statim obedivit.* O si ita Dei Filius nedum Superioribus, & Præpositis, sed vilissimis quoque, abjectissimisque homulis obsecutus sit, qualem ergo suis majoribus (licèt forsan minùs doctis & piis) inobediens, & rebellis excusationem afferre poterit, præsertim cùm Christus, nullâ necessitate compulsus, ita scelestissimis obedientiam, & quidem in tam ardua & pœnosa re, exhibere non recusaverit, sed solummodo ex charitatis suæ superabundantia; ut nimirum nobis rectam, verámque, quæ ducit ad cælum, semitam per suam obedientiam monstraret. Audiamus hac de re *Mellifluum Bernardum* serm. de grad. humil. sic discurrentem: *Christus, ait Paulus, factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Qua necessitate? Respondeat Apostolus Petrus, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, id est, ut imitemini obedientiam ejus. Ex his ergo, quæ passus est, discimus, quanta nos, qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is, qui Deus erat, non dubitavit mori.* Hæc *Melleus Doctor.*

43. Quamobrem dictus nunc *S. Abbas* lib. 1. de Disp. & Præl. hanc statuit conclusionem: *Quidquid vice DEI præcipit homo, quod non sit certum displicere Deo, haud aliter accipiendum est, quam si præciperet Deus. Quid enim interest, utrum ipse per se, aut per suos ministros, sive homines, sive Angelos hominibus patefaciat suum beneplacitum?* Neque à tali obedientia excusamur eò, quod fortassis Prælatus præcepta aliqua non ex debito motivo, sed ex arrogantia, superbia, & reprehensibili quapiam alia passione promat, dummodò res, quæ præcipitur, in se non sit peccaminosa; quia tunc Deus utitur illo Superiore velut instrumento ad manifestandam suam voluntatem, quod frequentissimè divina Sapientia factitare amat. Hinc non immeritò Cæsari Augusto etsi Idololatriæ cultui deditissimo (dum edictum promulgasset, ut singuli in suam irent civitatem, & profiterentur) obtempeperare voluit Sapientissima Virgo Maria, nullam prætendens excusationem; potuisset enim indubiè sic secum discurrere: Hyems instat, & tempestas perfrigida, si in Bethlehem proficiscar, certò in tam prolixo itinere magno exponam periculo valetudinem corporis, ergò præceptum hoc Cæsareum me nequaquam obligat, præsertim cùm sim prægnans, & partui vicina. Nihil simile obedientissima Virgo. Præterea quamvis probè norat, hanc orbis descriptio-

nem ortum ducere à ſuperbia, & ambitione Auguſti, & ut ærarium alienis impleret pecuniis: nihilominus tamen Beatiſſima Virgo non recuſavit Auguſto, etſi rem injuſtè, quia tamen non injuſtam præcipienti morem gerere, ſciens Deum hujus Monarchæ ſuperbiâ velut inſtrumento uti, quò decretum ſuum circa Filii ſui nativitatem ab æterno factum in tempore impleretur, ut ſcilicet in Bethlehem naſceretur. Unde oculos ſuos non in perſonam præcipientem, ſed in rem præceptam convertit, omnibus Chriſtianis, apprimè verò Religioſis, præclarum imitationis exemplum relinquens.

44. Enim vero, ut majori cum faciſitate, & promptitudine Superioribus noſtris, etiam minùs bonis & diſcretis obſequamur, firmiter credamus oportet, eum Superiorem, quem quis habet, à Deo ipſi prædeſtinatum eſſe, & quidquid ipſe præceperit, Dei præceptum eſſe: hoc enim pacto cum ſumma animi alacritate, magnáque cordis lætitia ſine ulla diſquiſitione ad implenda Superiorum juſſa feremur. Quod idem pius quidam Pater apud *Bloſium* in Dictis PP. c. 8. his valde benè notandis verbis ſuaſit dicens: *Certò tibi perſuade, ipſum Dominum Deum tuum æterna ſuâ Sapientiâ, ac Bonitate illos Prælatos, quos habes in eo ſtatu, quem aggreſſus es, tibi prædeſtinaſſe, & providiſſe, ac per eos potius, quam per alios, ſuam gratiam tibi præſtare velle.* Perbenè huc quadrat ſequens hiſtoria, quæ ex vitis noſtrorum Patrum Eremitarum S. P. *Auguſtini* his recenſetur verbis: Fuit quidam Prior in Ordine, à pueritia caſtus, Religioſus, & devotus, ſed valde rigoroſus in regimine, & ſub ipſo viguit maxima diſciplina. Nam regularis obſervantia, & officium divinum optimè fiebat, & delinquentes ſtrenuè corrigebat. Erat autem inter Conventuales ſuos quidam frater in B. Joannem Baptiſtam ſingularem devotionem habens, qui propter rigorem Prioris procuravit mitti ad aliumConventum. Cui apparens S. Joannes Baptiſta in viſione dixit ei: *Noli recedere à Priore tuo, quia utile & ſalubre eſt tibi ſub ipſo eſſe uſque ad mortem.* Et ſic idem frater ſub illius Prioris regimine manſit uſque ad mortem, & tandem devotè obiit in die Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. Prior autem diu infirmatus diem claudens extremum, magnam gloriam & multa præmia percepit à Domino, ſicut revelatum fuit cuidam Sanctæ Sorori. Ita *B. Jordanus* de Saxonia lib. 2. cap. 4.

45. Pariter huc ſpectat, quod refert *Rodriquez* p. 3. tr. 5. c. 8. de S. Gertrude, quæ Abbatiſſam habebat, inſigni quidem Sanctimoniâ præditam, at indolis præfractioris & auſterioris, & quæ aſperior erat in reſpondendo. Unde Dominum pia Virgo rogabat, ut ab ea hanc aſperitatem auferret. Reſpondit ei Dominus: *Cur hanc ab ea tolli cupis? hæc quippè illi humili de ſe ſentiendi occaſio eſt. Nam cùm in impatientiam aliquam incidiſſe ſe comperit, illicò demiſsè de ſeipſa ſentit, ſuámque infirmitatem agnoſcit. Ad hæc quid vos Religioſæ obediendo mereremini, ſi Antiſtita lenis & placida foret? Idcirco hunc defectum in ea vigere patior, ut obedientiam diſceretis.* Haud abſimile eſt, quod de eadem ſancta Virgine refert *Bloſius* c. 4. monit. ſpirit. Cùm enim pro defectu cujuſdam perſonæ, quæ Congregationi cuidam præerat, Dominum rogaſſet, ipſe apparens ei dixit: Ego ex abundantia dulcedinis, pietatis, & dilectionis meæ divinæ, quâ Congregationem hanc elegi, permitto inhærere aliquos defectus etiam

etiam illis, qui præsunt, ut inde meritum Congregationis augeatur. Nam multò major virtus est subjici ei, cujus defectus cognoscitur, quam alteri cujus opera per omnia probata videntur. Ego sino Superiores habere aliquos defectus, & ex diversitate curarum quandoque maculari, ut magis humilientur. Subditorum meritum tam crescit ex defectibus, quam profectibus eorum, qui præsunt; & similiter meritum illorum, qui bene præsunt, crescit tam ex profectibus, quàm ex defectibus subditorum. In quibus verbis (subdit *Blosius*) Gertrudis intellexit, superefluentem divinæ Sapientiæ pietatem, quæ tam subtiliter & secretè salutem Electorum disponit, permittens in eis defectus, ut ipsos ducat ad majores profectus.

46. Quamobrem sive Superior sit doctus, & sanctus; sive indoctus, & malus; hoc, si verus obediens es, non debes attendere; sed purè in tuo Superiore respicere, quod nimirum à divina Providentia tibi in Superiorem fit ordinatus, & per quem Dominus tibi salutis semitam pandere dignetur. Certò si tibi, in gravi necessitate constituto, quidam potens Dominus per manum alicujus lascivi, & dissoluti famuli sui insignem quandam mitteret eleëmosynam, tu utique illam non propterea rejiceres, quia is, qui illam tibi adfert, lascivus est; similiter cum summa animi alacritate & cordis jubilo ambobus amplecti oportet brachiis, quidquid nobis à nostris Præpositis injunctum fuerit, scientes quod per hoc non tam illorum, quàm Dei voluntatem explendo, nobis cæli januam pandamus, & cælestes thesauros mirum in modum augeamus. Proinde non oportet mandata ejus præterire, ex eo, quod pessimis moribus imbutus sit, & naturâ suâ intractabilis, indiscretus, & importunus; quia quamvis talis sit, non tamen ob hoc locum, & authoritatem Dei obtinere desinit. Meliùs quidem foret, si pius, charitativus, discretus, & sanctus esset, nos tamen, quantum ad bonum, & profectum nostrum attinet, aliud in eo attendere non debemus, præterquam quod ex ejus ore voluntatem Dei agnoscamus, eandémque per veram obedientiam adimpleamus. *S. Isidorus Pelusiota* l. 2. ep. 37. ex corvo, quem divina Providentia ad Eliam sustentandum destinavit, sequentem eruit moralitatem, nostro proposito accommodam. *Si quid etiam*, inquit, *quod magis mirandum est, intelligere cupis, per corvum, hoc est immundam avem, Cælipetam illum Eliam pascebat. Quocircò ne dubites, quin per flagitiosos quosdam Sacerdotes divina, & naturâ sublimiora, beneficia tribuantur.* Nota, mi chare frater, hæc diligenter, ac indubiè comperies quantum hinc emolumenti relaturus sis; etenim spirituali semper incedes gaudio, pacatúmque ac serenum possidebis animum, &, quod maximum est, inter charos Dei filios, & amicos numeraberis, nec interim impatientiæ, & indignationum fluctibus agitaberis, quibus alii de uno tristitiæ scopulo in alium impelluntur, & miserè jactantur. Nam si bonum, & zelosum habueris Superiorem, lætaberis de omnium spirituali profectu; sin vero indiscretum, & parum sibi constantem, non contristaberis, firmâ fretus spe, per hunc tibi specialiter à Deo nunc majora quidem gratiarum dona, olim vero uberiorem obedientiæ coronam præparari, & concinnari.

47. Ex hactenùs dictis solvitur quæstio, unde scilicet fiat, quod multi Religiosi

ligiosi per plures annos, in Religione transactos, quotidie & toties obedierint, qui nihilominus obedientiæ habitum non sunt assecuti: cùm tamen commune Philosophorum, & Theologorum sit axioma, quod virtutum habitus per earum actus, & exercitia acquirantur? hujus rei causa est, ut docet *Rodriquez* solidè & doctè, quod nimirum habitus comparentur per actus similes, qui secundum formalem virtutis illius rationem fiunt: hæc autem obedientia, de qua loquimur, virtus Religiosa est, adeóque quædam Religionis species, quæ Dei cultum & honorem respicit. Igitur quia tales, cùm obediunt, Deum in Superiore purè non respiciunt, non tam obediunt, quia illa Dei voluntas est, quam ut vel Superiori placeant, vel ab ipso cari pendantur, laudentur, & amentur. Aut è contra obediunt ex metu, ne reprehendantur, puniantur, confundantur, non amentur, vel ne indignationem Superiorum incurrant; Vel denique obediunt, quod imperata sint ad eorum mentem, & placitum, aut suaviter, leniterque illis proposita; propterea non sunt hi actus virtutis hujus obedientiæ Religiosæ; quòd formali & religiosâ obediendi ratione careant. Quamobrem quisquis hoc modo procedit, talis non solùm non est assecutus obedientiæ virtutem, sed nec toto vitæ tempore unquam assequetur: Politicam quandam obedientiam forsan habebit (qualis inter milites, & in navi, & in qualibet communitate reperitur) veram tamen Religionis virtutem non habebit.

48. Et ideo similes nullam ob suam obedientiam consequentur mercedem in altera vita, quia de his locutus est Christus apud S. *Matthæum* dicens: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Matth. 6. Et ob hoc satagit inimicus intentionem depravare, dum opus bonum non potest impedire. Igitur omnia obedientiæ opera quisquis ad hoc perficere solummodo debet, ut perveniat ad majorem gratiam, & familiarem, vel secretam dilectionem Dei. Et cùm totum posse suum fecerit, nihilominus semper debet velle contemni, & abjici à suis Superioribus; quia hoc est signum verax, quod propter Deum duntaxat omnia agat. Ad hoc autem necessarium est, ut in Superiore non attendamus, quod prudentiâ valeat, quod moribus lenis sit & placidus, & quod aliis naturalibus donis instructissimus sit, sed solummodo in eo contemplari debemus, quòd Dei, & Domini nostri vice fungatur, & locum suppleat.

49. Unde non minùs obediendum est Idiotæ, & Monasterii coquo, si Superior foret, quam viro doctissimo, sanctissimóque. Ad hanc porrò obedientiæ perfectionem pervenerat S. *Franciscus*, qui ita de se dicere solebat: *Hanc mihi inter cæteras divina bonitas gratiam contulit, quod tam promptè, ac facilè unius horæ Novitio, si mihi in Superiorem consignaretur, obtemperarem, quam cuipiam veterano, & prudentiâ singulari prædito.* Exploratissimum scilicet habebat, quo pacto obediendum esset; ac proinde non tam Superioris personam, quam Deum, cui in illa obediebat, respiciebat. Dicebat ad hæc idem S. Patriarcha: Quo Superior, cui obsequimur, donorum naturalium, & auctoritatis minus habet, eò quæ illi defertur obedientia, in suo genere perfectior est, Deóque acceptior. Ita refert S. *Bonaventura* in ejus vita. Ex his sequitur porrò, obtemperandum similiter esse quibuscunque officialibus subor-

ſubordinatis, ſubalternatis, & ſubalternis, ſi illis, Superiorum juſſu, in certis quibuſdam monaſterii officiis, ac miniſteriis ſubjicimur; vera námque obedientia (uti antè demonſtratum) non intuetur perſonam ejus, cui obedit, ſed Deum (propter quem, & cui in omnibus obedit) conſiderat. Plura, quæ adhuc de obedientia Religioſa occurrunt notanda, habes, amice lector, hìc parte ſequente.

# PARS SEPTIMA.

50. Diximus hactenus, quod in Superiore ipſum Deum reſpicere, & conſiderare oporteat, eique in omnibus cæcè, promptéque obſequi. Veruntamen ſcire hìc debemus, quod hactenùs tradita doctrina locum non habeat, dum nimirum Superior ea præcipit, quæ ſine piaculo fieri non poſſunt. Sic nos docet Apoſtolorum Princeps, Divus Petrus; Nam quando Synagoga poſt Chriſti crucifixionem adversùs Collegium Apoſtolicum ferocire cœpit, eò quod Petrus multa Hebræorum millia ad fidem Chriſti converterat, his verbis Apoſtolis, ne ampliùs docerent, interdixit: *Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto.* Actor. 5. v. 28. Huic tamen præcepto morem non gerebant, quia injuſtum & malum erat, unde ſubditur: *Reſpondens Petrus, & Apoſtoli dixerunt: Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Simili modo verus obediens conſtitutus eſſe debet, ut nimirum promptè ſuo Superiori obediat, dum hic nihil mali præcipit, quod ſi verò præceptum ejus injuſtum eſſe certò conſtaret, vel peccatum, etiam tantùm veniale, vel in damnum proximi injuſtum ceſſurum, quod mandat Superior; vel ex quo aliquod damnum ſive corporale ſive ſpirituale ſibi imminere adverteret, ipſi obediendum haud foret, tunc enim haberet locum præcitatus textus: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Ne vero ſubditus per nimiam ſui judicii confidentiam in aliquo aberret, ut melius fecerit, ſi conſilium quorundam Seniorum requiſierit.

51. Notandum ulterius; Si cuipiam à Superiore tale officium, vel aliud injungeretur, ex quo notabile detrimentum vel corporis, vel ſpiritûs, aut periculum offenſionis Divinæ incurrere poſſet, debilitatem ſuam Superiori manifeſtare debet, cúmque ſubmiſsè rogare, ne quidpiam tale ſibi imponeret. Si vero nullum aliud impedimentum inde eveniret, niſi aliqualis abſtractio in exercitiis piis, præſtat obedientiam facere; quia valdè (ùt jam ſuprà diximus) pium exercitium eſt, Superiori ſuo obedire. Quòd ſi vero *quæras*, quidnam ſubdito ſit agendum, dum ſolummodo dubitet, an juſtum ſit, quod mandat Superior? *Reſpondeo*; ſubditum teneri obedire ſuo Superiori non tantum dum juſta, & manifeſtè bona præcipit, verùm etiam dum dubia, ſi videlicet ſubditus dubitet, utrum res ſit licita, quam Prælatus jubet, vel an habeat juſtam cauſam imperandi. *Ratio* eſt, quia in dubio præſumi debet pro Superiore, qui eſt in poſſeſſione imperandi, & præcipiendi. Et quamvis nemo cum dubio practico agere poſſit, tenetur

tamen subditus tale dubium practicum in materia obedientiæ deponere. Ita *Molina* de Justitia & Jure Tom. 1. tr. 2. disp. 113. & alii, quos lector consulere poterit.

52. His de obligatione voti obedientiæ præmissis: sciendum est porrò, quod scilicet obedientiæ votum tunc temporis solummodò meritorium fit, quando aliquid injunctum à Superiore ad laudem unicam Dei, non vero ex naturali carnis inclinatione præstatur; ex quo sequitur, si quis meritum habere vult, protestari coram Deo debet, quod opus commissum non ex affectu sensuali, sed ad meram Dei gloriam, & observandam obedientiam Superioris sui subire velit. Hinc S. *Gregorius* l. 35. moral. c. 13. naturam obedientiæ describens ait: *Debet obedientia in adversis ex suo aliquid habere, & in prosperis ex suo omnino nihil habere.* Quando nimirum sublimia, honorifica, & appetitui sensuali conformia, nobis imperantur, nihil in eis nostrum esse debet, sed purè, simpliciterque ideo accipienda ea sunt, quòd nobis mandentur, & hæc Dei sit voluntas. At contrà dum difficilia, abjecta, humilia præcipiuntur, aliquid in iis debet esse nostrum: erga illa námque mirificè propendere, & omnino acclinare nos oportet, magnáq; promptitudine, & voluntatis affectu eadem amplecti. Qui ita fecerit, meliùs persuadere sibi potest, ac credere, se etiam in aliis mandatis, inclinationi naturali arridentibus, Dei voluntatem facere, non propriam. At qui in rebus vilibus, & laboriosis, in quibus exequendis magnam difficultatem experitur, promptè non obedit, timere potest, ne etiam in exequendis sensualitati conformibus non tam Dei, quàm propriam voluntatem adimpleat.

53. Ex quibus sequens conclusio practica eruitur; Ut si v. g. quispiam subditus à suo Prælato extra Monasterii sepes, cum quibusdam notis benefactoribus sæcularibus pransurus, vel merendam sumpturus, aut ad aliam consimilem relaxationem mitteretur, ad quam homo naturali inclinatione propendet, & quæ non rarò devotionem animi enervant, & spiritûs tepiditatem causant; Tunc imprimìs absque omni perfectæ obedientiæ imminutione poterit Superiorem submissè, reverentérque supplicare, quatenus se ab hujusmodi relaxatione exemptum habere vellet; Sed si Superior huic desiderio non acquiesceret, tunc si ex obedientia missus, obedientiæ meritum ex simili mandato reportare discupiat, neque fervorem spiritûs amittere, duo diligenter servet necessum est. *Primò* quidem debet protestari coram Deo, se nolle similia Superioris justa exequi, quia appetitui naturali arrident, sed purè ideò, ut propter Deum Superiori obsequatur. Secundum est; ut in ipsa recreatione modum debitum servet, videlicet, ut nec propriæ, nec alienæ conscientiæ tranquillitas, nec devotionis ardor, nec religiosæ modestiæ nitor ullum patiatur detrimentum; observando etiam diligenter leges temperantiæ, tantum scilicet cibi & potûs sumere, quantum recta ratio dictabit, & quantum sufficere videbitur ad explendam Superioris voluntatem.

54. Sic nos docet suo exemplo S. *Nicolaus de Tolentino*; cùm enim ob quotidianam vitæ austeritatem morbum periculosissimum contraxisset, seriò eum ad esum carnium sunt adhortati. Sed cùm eum flectere non posset Præfectus Cœnobii, viri periculo permotus,

coepit

cœpit ei, ut carnes comederet, ſuadere. At Nicolaus ſe omnibus excuſavit modis. Itáque advertens Cœnobiarcha, ſe eum à ſententia deducere non poſſe, Generalem Antiſtitem, qui tunc fortè Tolentini aderat, rogavit, ut reluctantem ad eſum carnium adigere vellet. Cúmque ægroto Generalis præcepiſſet, ut medicis obtemperaret, non eſt auſus ejus auctoritati refragari, quare ſe facturum, quod jubebat, pollicetur. Cùm ergo Prior, & infirmarius carnes Sancto viro offerrent comedendas, ipſe omnino obedire volens, acceptâ parvâ particulâ, ſemel tantum guſtavit de carnibus dicens: *Ecce obedivi; Nolite me ampliùs de vitio gulæ moleſtare;* Videat ergo nunc aliquis, nequaquam obedientiæ voto repugnare, dum quis in ſimilibus appetitui ſenſuali placitis ſe difficilem in obediendo exhibet: quomodo enim non reluctabatur S. *Nicolaus*, qui tamen tam erat obediens, ut tota Auguſtiniana Familia de eo quotidie cantet: *Nicolaus verè Chriſti pauper Virgo à DEO electus, obedientiam jugiter ſervans?* Quòd vero hæcce repugnantia Deo pergrata fuerat, indicat ſine ullis pharmacis paulò pòſt recuperata ſanitas. Aliàs etiam cùm in infirmitate ſua perdix aſſata, atque in fruſta diſciſſa, ad manducandum ei fuiſſet appoſita, & ipſe de ea comedere recuſâsſet, præceptum illi fuit à Priore per obedientiam, ut manum poneret ad manducandum. At ille volens obedire ingemuit, & elevatis oculis in cælum, facto crucis ſigno manum ad perdicem poſuit; & ecce perdix reſumptis illicò pennis, cunctis, qui aderant, ſtupore defixis, per feneſtram avolavit.

55. Enim verò ſi cuidam non videretur conſultum in talibus occaſionibus ſe ſic mortificare, ne ab aliis notaretur, ac pro mortificato haberetur, talis poterit aliud arripere medium, ne in ſimilibus juſſis obedientiæ meritum amittat, ſcilicet ut pro hujusmodi carnis blandimentis certa poſtmodum mortificationum exercitia ſubeat; v. g. Vinum unâ alterâve vice relinquere, pitantiâ carere, vel alio modo ſenſus affligere; Hâc enim methodo efficiet, ut, quando Superior ei aliqua ſenſuali appetentiæ convenientia, & deſiderabilia imperabit, non erunt hæc ne quidem carni accepta, utpotè mortificationum ſubſecuturarum aculeis aſperſa. Sic nos facere docet ſuo exemplo Magnus ille Eremi cultor, S. *Macarius Alexandrinus*: Hic cùm nonnunquam congregationi Patrum adeſſet, ab illis perſæpè rogatus, ut non nihil meri libare dignaretur, Quibus S. Macarius tandem acquievit, ne inhumanior videretur, atque unum, alterúmve calicem vini plenum, à Patribus oblatum, evacuavit. Sed deinde tot dies ſe ſiti cruciabat ſic, ut nec aquam deguſtaret, quot vini caliculos ſumpſiſſet. Porrò ejus diſcipulus hoc animadvertens, Patribus factum ſui Magiſtri patefecit. Quare hi de cætero, ne viro ſancto occaſionem tanti cruciatûs ſubminiſtrarent, ei nil vini obtulerunt. Ita habetur lib. 5. libell. 4. num. 26. in *Vitis PP.*

56. Secutus eſt hunc S. Abbatem Ven. noſter *Joannes à S. Guilelmo*, qui ſi quandoque apud ſæculares cibum ſumere cogeretur, in reditu poſtea tot verberibus, & diſciplinis corpus ſuum caſtigabat, ut undique ſanguis efflueret: quare ſocii ejus inſtanter eos deprecabantur, ne impoſterùm eum invitarent. Inſiſte ergo horum Sanctorum virorum veſtigiis, quia inde hanc conſequi ſperare

poteris gratiam, quod nimirum talia imperata magnâ animi promptitudine impleturus sis, non ideo quia carni arrident, sed purè quia à Superiore præcepta. Cæterùm quamvis hoc assertum omnibus Religiosis perutile esse possit, hoc tamen apprimè observare deberent, qui in virtutum exercitio nondum sunt fundati; quia hâc ratione paulatim se assuefacient omnia corporis commoda, animíque relaxationes per obedientiæ regulam moderare puréque in solam Dei laudem referre.

57. Si itaque hanc specificatam doctrinam plures è Religiosis tenerent, haud tam miserè sub obedientiæ prætextu in varia vitia præcipites ruerent. O quot non fuerunt reperti, & utinam nunc non etiam tales exstarent, qui dum sæpe à suis Superioribus foràs missi fuerant ad aliquam corporis recreationem, sive varia negotia pertractandi, expediendíque gratiâ; & nihilominus per similia Prælati jussa ad magnam pervenerunt laxitatem, Religiosæque disciplinæ, & monasticæ observantiæ remissionem. Et unde hoc? Profectò non ab obedientia, quæ minimè negationem gratiæ, benè autem ejus augmentum meretur. Unde ergo? Hinc, quia hactenus traditam doctrinam neglexerunt, & flocci penderunt, unde factum, quod similia Superioris mandata ex proprii commodi causâ magis, quam ex virtute obedientiæ peregerunt, ideóque pœnam potius, & divini auxilii subtractionem, quàm ejusdem gratiam meruerunt. Ex quorum classe censentur & illi, qui in odiosis, & laboriosis Superioris præceptis velut surdi prætereunt, in favorabilibus verò, & inclinationi naturali conformibus exhibent se omnino obedientissimos. Hinc omni modo satagunt, ut talia eis à Superioribus imperentur, quæ eorum voluntati arrident, arbitrantes inde perfacili negotio æternæ gloriæ præmium obedientibus omnibus repromissum, consequi posse.

58. Veruntamen tales ipsemet cacodæmon explodit, & irridet. Nam certus Religiosus (ut refert *Jordanus de Saxonia* libro 2. cap. 2. Vitæ F. F. Eremit. S. Augustini) sub variis, simulatísque prætextibus à suo Superiore exeundi licentiam impetraverat. Hic frater quadam die transiens per locum, ubi erat homo arreptus à dæmone; qui graviter torquebatur, rogatus ab incolis loci, ut accederet, & per conjurationes, & orationes suas dæmonem expelleret, non valens resistere petentibus venit ad illum, & cùm legisset initium Sancti Evangelii secundùm Joannem, aliáque quæ sibi legenda videbantur, subjunxit: *Præcipio tibi in virtute S. obedientiæ, ut hoc hospitium deseras.* Ad quæ diabolus; quid tu, inquit, mihi habes præcipere in virtute S. obedientiæ, qui nunquam verus obediens fuisti? Desine ergo hæc, aut te invadam. Erubuit miser & irrito conatu abiit. Proinde rectè ad hoc propositum Melleus Doctor S. *Bernardus* de tribus ordin. Eccl. in hæc excurrit verba: *Quisquis vel apertè, vel occultè satagit, ut, quod habet in voluntate, hoc ei Pater Spiritualis injungat, ipse se seducit, si fortè sibi de obedientia blandiatur: neque enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit.* Hæc D. Bernardi sententia corroboratur ex eo, quod in capite 27 Libri *Geneseos* perhibetur de Esau, qui à Patre suo Isaac jussus, ut sumptis armis, foras egrederetur ad venationem; & cùm aliquid venatu appre-

apprehendisset, illud in cibum præpararet, sibique afferret; quia volebat Isaac, ut Esau se disponeret ad benedictionem recipiendam, per hanc obedientiam, & obsequium venationis. Huic mandato promptè obtemperans, sine mora ad venandum egressus Esau, feram aliquam occidit, Patrique obtulit cum dicto: *Surge Pater mi, & comede de venatione filii tui; ut benedicat mihi anima tua. Gen.* 27. 31. Et tamen Esau paternam benedictionem non obtinuit, sed Jacob, frater ejus junior. Res mira, quàm promptissimè obedivit Esau parenti suo, & benedictione nihilominus impertitus non fuit. Quæ, obsecro, hujus negationis ratio? Profectò non alia, quàm quia Isaac divinitùs intellexit, Esau ad venandum quidem domo prodiisse, at non tam ut patri obsequeretur, quàm ut proprio genio, & appetitui faceret satis; nullâ enim re magis delectabantur quàm venatione. Audiatur *S. Petrus Damiani* opusc. 12. ubi hæc scribit: *Esau ut Patri cibos studio venationis acquireret, non tam paternæ jussioni per obedientiam paruit, quàm solitæ consuetudini tributa persolvit.* Vis ergo, mi Religiose, benedictionem referre à Patre cælesti? Vide, ut in Superiorum tuorum jussibus non tam tuam, quàm illorum facias voluntatem, & tam in odiosis, quàm in favorabilibus æquali voluntatis promptitudine propter Deum solùm obedias oportet.

# SERMO XV.
# DE INOBEDIENTIÆ SCELERE.

*Peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini DEI vestri.* Deuter. cap. 8. vers. 20.

## PARS PRIMA.

1. IN præsenti non agimus de inobedientia generali, quâ quis aliquod præceptum Decalogi, similémve legem transgreditur (quia hoc modo omne peccatum est inobedientia aliqua) sed loquimur propriè de inobedientia speciali, quâ quis Deo, aut ejus Vicariis, dum aliquid particulatim præcipiunt, vel jubent, non vult obedire. Hæc enim inobedientia est propria & præcisa, quâ quis Deo non vult obedire; sed jussionem ejus spernit, transgreditur, & violat; quæ gravis est injuria & contemptus Dei, cui correspondet pœna æterna, secundùm illud *Deuteronomii* cap. 8. *Peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.* Notandum porrò, quòd sicut obedientia est est primogenita filia humilitatis; ita inobedientia est principalis filia superbiæ.

Exemplum primi habemus in Christo, de quo *Apostolus* cap. 2. ad Philippenses ait: *Humiliavit semetipsum*, ex qua Christi humilitate continuò nascebatur obedientia in eo, dum Patri suo cælesti est *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Apud *Evangelistam Joannem* etiam dicitur: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Joan. 19. 30. Observat hìc D. *Chrysostomus* apud *Barradium*, Christum priùs inclinâsse suum sacratissimum caput, & postea tradidisse spiritum suum contra morem aliorum hominum, qui priùs moriuntur, & postea caput remittunt, ut nimirum nobis significaret, quòd tanta fuerit sua humilitas & reverentia, quam semper in tota vita sua Patri exhibuit, ut mortem, & quidem pœnosissimam subire non detrectarit. Ergo ex humilitate nascitur obedientia.

2. Similiter inobedientiam esse primariam Superbiæ Filiam, in casu Luciferi apertè demonstratur: hic enim, sicut & Angeli, ei adhærentes, primò fuerunt superbi ex consideratione propriæ excellentiæ; & mox etiam inobedientes, ac rebelles Altissimo. Quippe multorum Patrum ac Theologorum sententia est, Lucifero & Angelis omnibus datum fuisse à Deo præceptum, ut Christum, aliquando futurum, pro suo supremo capite agnoscerent, eúmque adorarent. At Lucifer & Angeli ejus noluerunt huic mandato se subjicere, nec Christum ùt hominem adorare, sed potiùs ab eo adorari, cui tamen se se ex revelatione prævia, & mandato Dei debebant subjicere. Hæc sententia suum habet fundamentum ex illis *Pauli* verbis, Hebr. 1. vers. 6. *Cùm iterum introducit primogenitum suum in orbem terræ, dixit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Ex quo textu non obscurè patet, Christum bis introductum fuisse in mundum, semel in creatione Angelorum, quando illis facta est revelatio Incarnationis possibilis, aut futuræ, saltem sub conditione, & iterum in executione in ipsa Nativitate Christi. Habuerunt ergo Angeli præceptum à Deo, ut Christum adorent, quando reipsa introductus & natus est: tunc enim sine dubio introductus est primogenitus Dei in orbem terræ. Sicut ergo pro eo tempore, pro quo fuit effectivè Incarnatio, fuit illis absolutè præcepta adoratio Christi, ut in effectu præstarent omnes Angeli, sic antecedenter (ùt probabilissimum est) fuit illis præcepta eadem adoratio Christi quoad affectum, & dispositionem animi, ut Christo se submitterent, si veniret. Contemplans autem Lucifer, Angelorum omnium supremus, suæ naturæ excellentiam, & quòd humana natura præ Angelica in tantùm deberet exaltari, ut fieret *homo* Deus, non *Angelus*, cujus natura tamen Divinæ naturæ fuerit longè propinquior, indignum esse judicavit, ut Christum adoraret; hinc & cæteri Angeli à Lucifero persuasi, indignum similiter arbitrati sunt, ut se submitterent Christo homini, neque eum adorarent. His restitit cum omnibus Angelis bonis Michaël, dignissimum judicans, & suadens cæteris, ut quantumvis naturâ excellentiores essent homine; tamen naturæ humanæ se meritò deberent submittere, Deo sic volente, & homini talem unionem Deificam decernente; in quo proinde consistebat prælium illud bonos inter & malos Angelos in cælo; de quo D. *Joannes* in Apocal. cap. 12. ait: *Factum est prælium magnum in cælo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum* *dracone*,

*dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus, & non prævaluerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo.* Ex dictis clarescit propositio nostra; nimirum obedientiam ex humilitate, inobedientiam verò ex superbia promanare; unde qui obediunt, Christi vestigia sequuntur, qui vero rebelles & inobedientes existunt, Lucifero, & Angelis ejus Apostatis se se associant. Si ergo Lucifer cum suis asseclis cælo exturbatur ob suam superbiam & inobedientiam, dic sodes, quomodo possibile erit, ut superbi, rebelles, & inobedientes Religiosi cælum subeant? Si Angelus damnatur, quia homini Christo se subjicere recusat, quâ ratione salvari poterit homo, qui alteri homini, jubente & ordinante Deo, obedire contemnit? Profectò de his judicium jam dudùm factum est à Veteris Testamenti Legislatore: *Peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini DEI vestri.*

3. Alterum Exemplum inobedientiæ, quæ à mentis superbia, ceu rivus à fonte, scaturiebat, habemus in Adamo, Protoparente nostro; Hic à Deo creatus ab eodem in Paradiso terrestri positus fuit; Et quia obedientia primum est creaturæ erga Creatorem suum obsequium, ut Deus homini illam exercendi daret materiam, ei præcepit, ut inter omnes regii istius horti arbores unam solam, à se notatam, intactam relinqueret: in quacunque enim hora de fructibus in ea natis comederet, sciret, tanquam perduellem, tam pro se quàm pro posteris suis hoc tam pulchro perennium deliciarum statu, cujus possessionem adierat, quamprimùm illum exuendum esse. *In quocunque die ex eo comederis, morte morieris.* Gen. 2. 17. Quærit hìc *S. Pater Augustinus* lib. 8. cap. 13. de Gen. ad lit. quare nimirum Deus tam leve præceptum, quod erat, ne pomo illo vesceretur sibi ostenso, Adamo dare voluerit? Quare non potiùs res difficiles ipsi præcepit ad fidelis sibi subditi obedientiam explorandam? & respondet *August.* Si Deus homini res magnas præcepisset, videri poterat, totum transgressionis malum ab ipsarum rerum commendatarum pondere dependisse: verùm cùm rem tam levem præceperit, clarè patuit, omne malum culpæ ab inobedientia, legi Dei resistente, profectum esse; & ut omnes homines benè intelligerent, quantum malum sit, Deo non obedire. Idem Sanctissimus Doctor illius Textûs: *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*, memor, ita insignissimè scribit Tom. 9. in Psal. 70. Homo positus sub præcepto audivit à Domino Deo: *Noli tangere.* Quid? hanc arborem. Quid est enim illa arbor? Si bona est, quare non tango? si mala est, quid facit in Paradiso? Prorsus ideo est in paradiso, quia bona est; sed nolo tangas. Quare non tango? quia obedientem te volo, non contradicentem servum. Serve, audi priùs Domini jussum, & tunc jubentis disce consilium. Bona est arbor, sed nolo tangas, quare? Quia ego Dominus sum, & tu servus es. Hæc tota causa est. Quid autem tibi expedit, nisi esse sub Domino? Quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto? Sola obedientia tenet palmam, sola inobedientia invenit pœnam. Hactenus *Augustinus.* Et quia Adam ab Eva sociâ suâ ad comedendum pomum illectus ac inductus, octavo post creationem suam die (quemadmodum gravissimi tradunt Auctores, quos citat *Paulus*

*Segneri*

*Segneri* in suo homine Christiano part. 2. discurs. 6. num. 8.) Divinum mandatum prævaricatus fuit, per hanc inobedientiam suam mortem in mundum invexit, omnésque suos posteros in innumera tum pœnæ, tum culpæ mala præcipitavit, dicente *Paulo*, Rom. 5. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores sunt constituti multi*, id est, omnes facti sumus peccatores. Ubi animadvertendum, quòd ex parte Adæ hìc non nominatur gula, nec superbia, licèt ipsa sit omnis peccati initium, ut suo loco dicetur; sed consultò de inobedientia fit mentio, ut quàm ingens malum ipsa sit, nostrûm neminem lateat. Ac proinde *Gregorius Magnus* lib. 5. in 1. Reg. cap. 2. in hæc, ponderatione dignissima, excurrit verba: *Quid unquam studiosiùs vitandum electis omnibus, quàm inobedientiæ malum videri debuit? Hæc quippe primi Angeli sublimitatem deposuit, hæc perditorum spirituum gloriam stravit, hæc primo homini felicitatem abstulit, hæc captivitatis humanæ perpetuas ærumnas invexit.*

4. Inter alia pia consilia, quæ Christus suis inculcavit discipulis, illud quoque memorat Evangelista *Lucas* cap. 17. 32. *Memores estote uxoris Loth.* Sed ad quid? nimirum ut in ea terribilem contemplantes punitionem ob levem quendam inobedientiæ actum, sibi ab hujusmodi caveant vitio. Nam quando Loth cum sua uxore, & duabus filiabus singulari Dei favore, ereptus fuisset ex communi Sodomæ incendio, hoc ab Angelo, Dei jussu, accepit mandatum: *Gen.* 19. 17. *Salva animam tuam, & noli respicere post tergum.* Non soli autem Loth, sed & uxori & filiabus hoc præceptum datum fuit, ut nimirum eorum obedientiam exerceret. Cúmque jam essent juxta urbem Segor, quo ab Angelis deducti sunt quasi in tutum, & inde mox Dei ultionem in Sodomam executi sunt pluendo in eam sulphur & ignem. Uxor Loth concitata strepitu ignis & sulphuris pluvii, contra divinum præceptum retrospexit, quæ continuò inobedientiæ suæ pœnam sensit; nam ùt sacræ testantur paginæ, *Gen.* 19. 26. *Versa est in statuam salis*, quæ effigiem muliebrem repræsentabat, formam videlicet uxoris Loth. Cur autem versa sit in statuam salis, & non in alterius materiæ statuam, rationem assignant Sancti Patres, quòd ideo in salem conversa sit, ut DEUS fidelibus quoddam præstaret condimentum, quo sapiant aliquid, unde aliud caveatur exemplum, Deóque per omnia obedire, ejúsque imperiis morem gerere discant.

5. Ex his, aliísque plurimis, quæ prætereo, exemplis liquet, quàm invisum ac odiosum sit in Dei oculis inobedientiæ crimen; & hoc non solùm, dum ipse Deus nobis aliquid præcipit, inobedientiæ scelere nos impiamus, si jussa non exequimur; sed etiam, dum divina ejus voluntas per suos vicarios (qui Superiores nostri sunt) nobis manifestatur, rei sumus, si morem gerere recusamus. Siquidem, ùt argutè discurrit *S. Bernardus*, (Tract. de præcept. & dispens.) *Nil interest, sive Deus, sive homo Vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Et hoc est, quod *Apostolus* ad Romanos 13. scripsit, dicens: *Non est potestas, nisi à Deo.* Omnes námque Principatus, & Magistratus à Deo, ejúsque divina ordinatione instituti

ſtituti ſunt. *Non tribuamus* (inquit Magnus *Auguſtinus* lib. 5. de Civit. cap. 21.) *poteſtatem dandi regnum atque imperium, niſi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorum ſolis piis, regnum verò terrenum & piis, & impiis, ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet.* Ubi notandum, Sanctum Paulum nullam facere differentiam inter poteſtatem, & poteſtatem, ideo intelligendus eſt de omni poteſtate tam inferiore quàm ſuperiore, quòd ſit à Deo. Id quod magis intelligitur ex verbis mox ſubſequentibus, quando ait: *Quæ autem ſunt* poteſtates, *à Deo ordinatæ ſunt*; id eſt, non ſolùm poteſtas in genere eſt à Deo, ſed variæ etiam ejus ſpecies, ac gradus ſuperiores & inferiores à Deo conſtituti, & ordinati ſunt, ùt Græci Interpretes exponunt; hoc autem addit *Apoſtolus*, ne Chriſtiani poteſtatibus inferioribus obedire detrectarent.

6. Proſequitur *Apoſtolus*: *Itaque qui reſiſtit poteſtati*, legitimæ ſcilicet, & in eo, quod ad ordinem ſuæ poteſtatis pertinet, non obediendo ei in licitis & honeſtis, *Dei ordinationi reſiſtit*; Quia videlicet Superiores, Dei quaſi Vicarii conſtituti ſunt. Hinc qui eos ſpernit, Deum ipſum ſpernit, atteſtante Cæleſti Magiſtro, *Luc.* 10. 16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Ita olim Deus ad Samuelem dixit de Hebræorum populo, qui repudiato Samuele, æquiſſimo Judice, poſtulaverat ſibi Regem juxta morem Gentium: *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* 1. Reg. 8. 7. Item quando Rex Saul mandatum à Deo accepit, ut omnes Amalecitas interficeret, & quia id Saul non fecit, mox à Samuele audivit: *Pro eo, quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus, ne ſis Rex.* 1. Reg. 15. 23. Sermo ille Domini non immediatè à Deo, ſed à Samuele intimatus fuerat Sauli: & tamen abjicitur Saul, quia videlicet abjiciendo ſermonem Samuelis, abjecit ſermonem Dei. Sauli per omnia ſimiles efficiuntur, qui ſuis Superioribus contumaciter obedire contemnunt, aut negligunt.

7. Subdit *Paulus*: *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*; nimirum qui reſiſtunt ſuo Superiori jubenti licita, honeſta, & ſuæ poteſtati conformia, æternæ pœnæ reos ſe faciunt. In exemplum nobis ſunt Core, Dathan, & Abiron, qui Moyſi rebelles deglutiti ſunt à terra, & deſcenderunt vivi ad infernum, ſocios eorum comburente igne. Quibus hoc lemma inſcribitur: *Intereunt, dum reſiſtunt.* Non ſolùm autem hi prædicti rebelles, ſed etiam eorum uxores, liberi, famuli, ancillæ, totæque domus cum rebus omnibus à terra abſorpti ſunt. *Diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & devoravit illos.* Numer. 16. 31. Quia nimirum uxores, liberi & famuli Dominis ſuis rebellibus conſenſerunt: Si qui verò non conſenſerunt, abſorpti tamen ſunt propter inobedientiam, eò quòd recedere noluerint à tabernaculis eorum, prout facere moniti erant: Clamabat enim Moyſes ad turbam: *Recedite à tabernaculis hominum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Numer. 16. 26. Hinc videre licet, quantis, & quàm celeribus ſuppliciis in eos animadvertat Deus, qui legitimis Superioribus rebelles & inobedientes exiſtunt. Quibus minatur *Apoſtolus Judas* in ſua Canonica Epiſtola: *Væ illis, qui in contradictione Core perierunt.*

8. Denique quàm ſit inobedientiæ crimen Deo inviſum, ex illis verbis etiam

etiam intelligere possumus, quæ *Samuel Propheta*, dum Sauli suam inobedientiam improbare voluit, protulit dicens: *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* 1. Reg. 15. 23. Non quidem dicit, quòd inobedientia sit magia, vel idololatria, vel illis æqualis culpa; sed quòd utrique sit similis. Nam in se gravius crimen est magia, vel idololatria, quâ quis dæmonem, vel idolum, ùt Deum consulit, & adorat in Dei veri injuriam, quàm sit inobedientia, quâ quis jussis Dei duntaxat non obedit. Hæc tamen utrique illi est similis. Optandum autem foret, ne pestilentissimum hoc inobedientiæ virus non sæpe in Religiosorum Claustra callidè irrepens, miseram & deplorandam ederet stragem. Videmus enim, quòd hoc scelus nonnullis in tantùm sapit, ut eo prorsus inebrientur, & in tantùm dementemtur, ut sicut gulosis Deus est venter, luxuriosis Venus, ambitiosis honor, avaris aurum; sic his inobedientibus Deus sit proprium judicium, & propria voluntas; ad hanc enim omnes suas referunt actiones, ut huic satis faciant, totis viribus laborant, hanc summum suum bonum æstimant, huic se, suáque omnia dicant, & tradunt. Quid hoc est aliud, quàm illam suum facere Deum?

9. Horum infelicitati, & cæcitati illachrymans S. *Bernardus*, sic libro de Ord. vitæ ait: *Cernis, quantum malum, quod idololatriæ, magicisque comparatur artibus, nolle acquiescere, séque dimittere. Juniores, qui tali repleti sunt malo, subdi senioribus dedignantur, facta verò eorum, aut dicta tumidâ & erectâ cervice non observant, sed dijudicant: non venerando exaltant, sed spernendo subsannant. Sed non impunè: inde enim evidenter deficiunt, unde miseri proficere debuerunt.* Nimirum, quando Majoribus obsequendo præmia cælestia sibi conservare potuissent, ibi illis non obediendo tormenta parabant. Nam certissimum: *Intereunt, dum resistunt.* Refert *Zacharias Boverius* in Annalibus Patrum Capucinorum ad annum 1566. de quodam fratre Converso, qui cùm, quidquid jubebatur, excusando, variisque coloribus interpretando negligeret, suámque in omnibus voluntatem ac placitum sequeretur, ad vitæ extremum pervenit. Monitus ut Sacramenta perciperet; nil opus est, inquit, Sacramentis, damnatus sum. Non feci, quàm quod volui, hæc causa meæ ruinæ. Territi præsentes, cùm hortarentur eum ad pœnitentiam, dum adhuc viveret, Deum esse clementem. Ille ad hæc & alia salutaria hortamenta nil aliud respondit, quàm justo Dei Judicio damnatus sum, donec efflaret animam. Ex his ergo patet, quanta voluntas propria damna causet. Breviter quidem sed nervosè dixit *Bellovacensis*: *Sola inobedientia aperuit infernum*; Id quod cum tritis illis S. *Bernardi* verbis coincidit dicentis: *Cesset propria voluntas, & infernus non erit. Nisi enim in naturam angelicam & humanam inobedientia prævaluisset, quid infernus esset, nemo unquam scire potuisset.* Ne ergo & tu ad hunc locum tartareum condemneris, inobedientiam summè refugias, relictáque voluntate propriâ, Superioris tui ductum sequaris, oportet. Quid verò sit propria voluntas, propriè ex dicendis patebit.



PARS

# PARS SECUNDA.

10. UT bene informemur, notandum imprimis est, voluntatem propriam dupliciter sumi posse, nimirum *propriè* & *impropriè*. Voluntas propria, *propriè* accepta, illa dicitur, quæ pro suo objecto non respicit aliquid intrinsecè malum, seu quod in seipso peccatum est, qualia v. g. sunt quæ Decalogi Præceptis interdicuntur; talis enim voluntas, quæ in aperta fertur flagitia, non dicitur *voluntas propria*, nisi impropriè, etsi alioquî peccatoribus sit propria, sed potiùs similis voluntas dici debet mala, perversa, ac scelerata; sed *propria* dicitur illa voluntas, quæ versatur circa aliquid, quod in se aliàs licitum, bonum, honestum, aut virtuosum foret; hìc & nunc tamen Deus, aut ejus Vicarius, ex causa sibi nota, talem actum nollet ab isto vel illo fieri, & nihilominus hunc, quanquàm in se aliàs actum bonum, quis peragere vellet. Verbi gratiâ, si Religiosus quispiam juberetur à suo Superiore aliquod certum opus tali horâ perficere, ille autem, eo neglecto, orationi vacaret: Profectò in tali casu similis Religiosus non sui Superioris voluntatem, sed suam propriam faceret, neque hujusmodi oratio opus bonum, sed malum, pœnâque dignum, dicendum esset. Sic olim Pharisæi in Synagogis jejuniis attenuari, austeræque pœnitentiæ operibus humiliari gaudebant: & nihilominus Deus ne benigno quidem oculo eos respicere dignabatur; & ob hanc causam apud Prophetam *Isaiam* cap. 58. lamentabantur dicentes: *Quare jejunavimus, & non aspexisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Hujus autem despectûs hæc immediatè subnectitur ratio: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* Discant hinc Religiosi, ne sua particularia devotionis exercitia ex proprio animi sui impulsu, spretis Majorum suorum consiliis, aggrediantur, & agant. Siquidem hac in parte facillimè error obrepit, junioribus præsertim, & illis, qui virtute discretionis carent.

11. *Divi Pauli* admonitio est: Gal. 6. 7. *Nolite errare*; erratur autem sæpe à via recta dupliciter, nimirum vel ad dexteram, vel ad sinistram plùs æquô vergendo: sic in via salutis errant non solùm qui sinistram, id est vitiorum ac peccatorum semitam tenent; sed etiam qui dexteram sequuntur, id est, qui exercitia mortificationis, orationis, & hujusmodi contra Superiorum voluntatem frequentare solent. *Nolite* ergo *errare*; quia neque oratio, neque aliud quodcunque bonum opus DEO gratum esse poterit, si id fiat repugnante Majorum justa ac rationabili voluntate. Audiatur *Basilius Magnus*, qui in oratione quadam (orat. 20. de princip.) sic disserit: *Continentia, & omnis corporis afflictatio multas ad res perutilis est; verum si quis proprios impetus secutus, quid sibi libuerit, fecerit, nec consulenti Præfecto morem gesserit, magis peccatum erit, quàm rectè factum.* De Manna, quod olim Israëlitis cælum depluit, in libro *Sapientiæ* c. 16. dicitur, quòd omne delectamentum

mentum in se habuerit. Et tamen dum hoc conservabatur ab inobedientibus contra præceptum in diem alterum, corrumpebatur; Ex obedientia autem servatum non computruit, teste Scriptura ( *Exod.* 16. 24. ) *Neque vermis inventus est in eo.* Audisti utique jam sæpiùs; quia *omnia in figura contingebant illis*: Per Manna enim rectè præfigurabatur oratio fervens, vel corporis jejunium, tantopere in divinis literis commendatum & laudatum; hæc tamen sancta opera, si Superiore repugnante peraguntur, corrumpuntur, & in nihilum rediguntur. Ut enim opus aliquod sit bonum & perfectum, defectu carere debet; juxta illud commune Philosophorum assertum: *Bonum ex integra causa; malum ex quolibet defectu.*

12. Hoc ita esse à parte rei, ex sequentis historiæ relatione discemus. Scribit *Nebridius* in suo Antiquario Monastico Epistolâ 31. inter Patres Capucinos aliquando extitisse Fulgini quendam Laicum, qui erat monasterii ostiarius: Huic erant singulis penè diebus continuata jejunia in pane & aqua, cilicium gestabat perpetuum, nudis incedebat pedibus, omniáque ferè solus in domo infatigabili labore peragebat: interim, quod mirum erat, nullus in corpore defectus, nullus inter tot onera in vultu pallor, quin potiùs præter reliquos benè habitus & rubicundus erat. Nemo minùs illo, quid otium & quies esset, sciebat, sic ut fratres cum Guardiano ejus sæpè miserti, hominem monerent, quò mitiùs secum ageret. Quibus ille nil aliud respondit, quàm se non gravari laboribus, sibi cuncta pro nihilo esse. Inter hæc ad locum venit P. Thomas, Generalis Ordinis Minister: cui cùm omnes mira narrarent de Ostiario, is eum ad se accitum benevolè monet, velit aliquid de tanta austeritate remittere. Nihil, inquit frater, mihi molestiæ facessunt omnia, quæ ago. Mos erat, ut ad initium prandii fratres omnes suas culpas ante Generalem dicerent. Inter illos accessit & ostiarius, cujus pertinax voluntas statim perspecta Generali erat. Ergo, dictâ culpâ, injunxit ei, ut quidquid hactenus propriô arbitriô fecisset, imposterùm perageret ex obedientia. Vix verba finierat, & frater in terram corruit; marcescit illicò facies, pallor invadit vultum, nigrescit aspectus, hebescit lingua, totúsque viribus exhaustus, ac tandem vix non exanimis defertur ad locum infirmorum. Intellexêre cuncti amissum robur, ac ruborem corporis à dæmone fuisse, qui in propria ipsius voluntate sibi sedem fixerat. Ubi convaluit, exemplo fuit aliis, ne etiam Sancta exercitia anteferrent Obedientiæ.

13. Ex qua historia facilè colligere possumus, propriam voluntatem bonorum operum esse eclypsin, quæ vigorem ipsis, & meritum omne aufert, ita ut quæ gratissima aliàs DEO accidissent, & summi fuissent pretii, accedente propriâ voluntate, statim ingrata & inaccepta reddantur, & præmium debitum, quod consecuta fuissent, perdant, sæpéque infernum mereantur. Et ideo non sine basi *Cassianus* in Collationibus Abbatis Moysis ait: *Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum trahit, ac perducit in ruinam, quàm cùm, neglectis dispositionibus Majorum, Seniorùmque consiliis, suo judicio, sententiæ, definitionique confidit.* Indubitata

tata planè eſt illa à Spiritu Sancto dicta-ta propoſitio : (Prov. 14. 12.) *Eſt via, quæ videtur homini recta, noviſſima autem ejus ducunt ad mortem.* Via hæc, propria eſt voluntas, quæ multis videtur eſſe bona, ſecura, recta & ſancta; veruntamen per eam incedentes perducuntur in exitium ſempiternum. Hoc ita eſſe, ſuo irremediabili damno didicit *Heron* Monachus; is enim propterea, quòd in remiſſione jejunii & ſilentii nunquam Majorum conſiliis & mandatis acquieverit, permiſſus eſt à dæmone miſerabiliter decipi, & ad orcum abripi, quemadmodum fuſiùs dictum ſerm. præcedenti num. 12.

14. Certùm eſt, quòd inter alia perfectionis opera animarum zelus vel imprìmis effulgeat, ſecundùm mentem *Dionyſii Areopagitæ* dicentis: *Omnium divinorum Operum diviniſſimum eſt, in animarum ſalutem cooperari.* Nihilominus, ſi qui ex ſenſu proprio huic ſeſe muneri, contra Superiorum ſecùs ſuadentium conſilia, ingerant, iſtiuſmodi zelus à Deo non probatur; quin imò vergit eis ſæpe in propriæ ſalutis detrimentum. *Adrianus Lyræus* in Apophthegmatibus lib. 2. num. 14. ſcribit de quodam Religioſo, qui converſionis infidelium zelô incenſus, ſuis à Majoribus mitti in Africam ad convertendos Mauros inſtanter petiit, nec acquieſcere voluit, licèt ab illis audiret, hoc opus minimè expediens ipſi fore. Cúmque importuniùs inſtaret, ſuæ voluntati tandem permiſſus, in Africam appulit, ubi cùm primâ ſuâ ad populum allocutione in Maurorum ſectam invectus, Chriſtianam fidem illis perſuadere voluit, fuit ſine mora fuſtibus exceptus, & in carcerem truſus, propediem exquiſitis necandus tormentis. Ille imminentis jam mortis metu fractus, Chriſtum abjurat, & quantùm antea conviciorum & ſcommatum in Mahometanam ſectam effuderat, tantùm in Chriſti legem projecit. Mauri autem, ne quid ſimile in gentem ſuam, Prophetámque committere aliquando Chriſtiani auderent, miſerum paulò pòſt publicè accuſatum, damnatúmque altiſſimis ignibus abſumpſerunt, animâ pariter ac corpore infelicem Apoſtatam perdentes. Ecce, quò tandem ducat voluntas propria, prudentum conſiliis obſequi neſcia, etiamſi videatur in perfectiſſima quæque opera ferri. Meritò proin voluntatem propriam æquiparare fas eſt equo indomito, qui niſi ab ejus ſeſſore fræno ſtringatur, & coërceatur, in præcipitia deferetur; eodem modo, niſi quis proprium ſuum judicium ſapientum conſiliô, veluti frænô regat, & cohibeat, ab eodem in irreparabilia pertrahetur damna.

15. *Divus Joannes* in ſua prima Canonica Epiſtola cap. 4. hoc ſaluberrimum omnibus Chriſti fidelibus dat conſilium, dum eos ita monet: *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere: ſed probate ſpiritus, ſi ex DEO ſint.* Quemadmodum enim non omne, quod inſtar auri fulget, aurum eſſe probatur; ſic etiam nec omnia opera, ſive deſideria noſtra, etſi quandam præſeferant ſanctitatem, & perfectionem, ſancta & perfecta ſunt, prout apertè demonſtrat Aſcetarum facilè Princeps, *Thomas de Kempis*, dum in aureo ſuo libello de imitatione Chriſti lib. 3. cap. 15. ita ſcribit: *Non omne deſiderium à Spiritu Sancto eſt, etiamſi homini videatur rectum & bonum; multi enim in fine ſunt decepti, qui primò bono ſpiritu videbantur*

*inducti.* Sic sub majoris perfectionis schemate inductus & deceptus fuit quidam Religiosus, qui solitudinem meditans, à suo Cœnobiarcha licentiam petiit, reliquum vitæ suæ tempus in quodam deserto traducendi. Dissuadet Superior, at non quiescit Monachus. Sic tandem suæ relictus voluntati, postquam in eremo sexennium perduravit, venit diabolus, juvenis speciem mentitus, & Eremitæ huic suadet, ut secum iret, & hæreditatem, à parentibus ipsi relictam, pauperibus distribueret, & denuò ad suam solitudinem rediret. Ad paternos ingressus lares reperit Parentem adhuc in vivis, cúmque diutiùs in domo paterna moraretur, brevi omnem didicit malitiam, & non solùm religiosum habitum deseruit, sed etiam scortum aliquod sibi in uxorem ausu sacrilego, adsciscere non erubuit; & cùm neque verbis, neque verberibus emendaretur, infelicem tandem animam in profligata vita exhalavit. Totius rei gestæ seriem reperiet sedulus lector infrà Sermone 55. num. 13.

16. Hinc meritò non omni spiritui, id est, suggestioni, inspirationi, impulsui credendum, licèt in opera Sancta impellat; quia scriptum legimus (2. Cor. 11. 14.) *Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*: Nam quem dejicere non valet pravis suggestionibus, hunc subruere adlaborat, sancta ei suggerendo, putà abstinentiam, cilicium, corporis macerationem, solitudinem &c. Unde jubet S. *Joannes*, locô proximè citatô, examinare spiritus, antequam eis fidem adhibeamus; *Sed probate Spiritus*, sicut aurum probatur Lydio lapide, *si ex Deo sint*: Lydii autem hi lapides, quibus examinari debent spiritus, bona & virtuosa suggerentes, sunt Seniorum consilia, quæ requirenda sunt juxta monitum *Siracidis*: (Eccli. 32. 24.) *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Loquitur Sapiens hic de rebus alicujus momenti, & arduis (qualia vel maximè sunt negotia salutis) ad quæ aggredienda opus est, Junioribus maximè, Sapientum consiliô, prout Tobias Senior suum filium Tobiam erudiebat, ac monebat, dicens: (*Tobiæ* 14. 19.) *Consilium semper à Sapiente perquire.*: Quia (ut ait S. *Basilius* in cap. 1. Isaiæ) *sacra quædam res est consilium, voluntatum unio, fructus dilectionis, humilitatis insigne. E diverso intolerabilis Superbiæ argumentum est, existimare se, nullius egere consiliô, sed sibi uni attentum esse, quasi solus possit sibi consilio decernere, quæ optima sunt.*

17. Igitur pro praxi sciendum ex omnium Doctorum & Ascetarum consensu, quòd, quamvis nunquam actio aliqua intrinsecè mala (licèt solùm foret peccatum veniale) jubente Superiore sit facienda: Opus tamen bonum quandoque omittendum est, dum illius omissionem vult, ac præcipit Prælatus. Juvenis quidam (ùt testatur S. *Matthæus* cap. 8.) à Christo vocatus ad sui sequelam, dixit: *Permitte me primùm ire, & sepelire Patrem meum.* Ad quem dixit JESUS: *Permitte mortuos sepelire mortuos suos; tu autem sequere me.* Certè, sepelire mortuos, opus semper fuit DEO perquam gratum; quare ergo modò interdicit Christus huic Juveni, ne iret ad sepeliendum parentem suum? Nimirum (ut omnes alias intermittamus rationes) voluit nos docere Christus, ut in particulari casu omittamus pia etiam & sancta opera, si Deus, sive ejus Vicarius hæc omittenda juberet. Quare si Prælatus, aut Confessarius volens ex-

piscari,

piſcari, num ſuæ curæ commiſſus eſſet ſui capitis, aut obedientis & reſignati animi, ei inhiberet, & ad tempus interdiceret quæpiam mortificationis aut pietatis exercitia, ex propria voluntate ſuſcepta; ſubditus autem morem gerere Superiori pertinaciter recuſaret, malè utique talis ageret, ac non levi ſe exponeret periculo ſalutis. Sæpe enim cacodæmon (ut ex dictis patet) in Angelum lucis ſe transfigurans, ſancta quæque ſuggerit, ut nos inde per propriam noſtram voluntatem ſubruere, & præcipitare poſſit, & hæc tentatio omnium eſt periculoſiſſima.

18. Dictis coronidem imponit S. *Ephrem*, veterum Aſcetarum facilè Princeps, memorabili quodam paradoxo in hæc verba propoſito: *Si conſpexeris adoleſcentem propriâ voluntate in cælum aſcendentem, tene ipſum: expedit enim ipſi. Id verò de illo quoque intellige, qui, dum ætate ſit ſenex, mente tamen eſt junior.* Stupenda planè amplificatio: qui cælum petit, illiusne iter impediendum? Sic affirmat hic *Vetus Scholiaſtes* in Paræneſi 35. Tom. 2. Si conſpexeris in cælum aſcendentem propriâ voluntate, tene ipſum. Quam ob cauſam verò? Quia propriâ voluntate aſcendere conatur in cælum. Bene, optimè. Si quem videris, qui ſive quaſi Icarus altiùs præfidenter evolare, ſeu velut temerarius Phaëton aurigandi imperitus, currum, caballóſque moderandos ſuſcipere velit, hunc alis ſuis nuda, & comprime; voluntas enim, & judicium proprium tam ſæpe fallit, & fallitur, ut ejus ductui (etiamſi in cælum ferre videatur) tutò fidere nemo poſſit, prout Chriſtus S. *Birgittam*, ac per eam nos omnes erudiens, indicare voluit ſequentibus verbis: (lib. 5. Revel. interrog. 4. reſponſ. 5) *Quicunque habet liberum arbitrium in manu ſua, timere debet, & veraciter intelligere, quòd nihil ita faciliter ducit ad pœnam æternam, ſicut voluntas propria ſine ductore.* Qua de re quia jam plura Serm. 14. incipiendó à numero 11 uſque ad numerum 19. diximus; ideò alia addere ſupervacaneum cenſemus, & ad alterum Religioſorum votum enucleandum properamus.



SER-

# SERMO XVI.
# DE PAUPERTATE EVANGELICA.

*Beati pauperes Spiritu ; quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Matth. 5.

## PARS PRIMA.

1. INter octo Beatitudines, ab Incarnata Sapientia Ecclesiæ suæ traditas, primatum obtinet Paupertas, adeò, ut etiam ipsimet antefe-ratur Martyrio, utpotè quæ primo loco ponitur. Advertendum tamen est, Christum in illa beatitudine non de quacunque paupertate loqui, sed de Paupertate spiritûs, id est, de illa paupertate, quæ ex motivo spiritûs, & virtutis sustinetur, & spontè assumitur. De qua S. *Basilius* in reg. brevior. Interrog 205. ita scribit : *Hi sunt mendici spiritûs, qui non aliam ullam ob causam ad mendicitatem devenerunt, quam ob doctrinam Domini, qui dixit : Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Ex cujus Sancti Doctoris asserto colligitur, quod paupertas religiosa, seu Evangelica rectè à vitæ Spiritualis Magistris sic definiatur : *Paupertas est rerum omnium temporalium ob amorem Dei, & desiderium perfectionis, voluntaria abdicatio.*

2. Hanc Evangelicam paupertatem Sancti Patres miris laudum encomiis semper extulerunt; Audiamus quid de hac sentiat S. *Climacus* grad. 17. *Paupertas, inquit, est abdicatio sollicitudinum sæculi, iter ad Deum sine impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat curis omnibus vitæ transeuntis, & facit, ut Dei mandata perfectè exsequamur.* Cui astipulatur S. *Laurentius Justin.* dum in laudem virtutis paupertatis in hæc prorumpit verba : *Quid paupertate melius? quid securius? quid jucundius? tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi, hæc semper hilaris, semper eodem vultu, eodem animo perseverat. Bonum Cæleste præstolatur possidere in cælo, ideo nihil habet, quod amittere possit in terra. Frequenter evolat ad supernam patriam, ubi suam remunerationem esse cognoscit.* Cujus S. Patriarchæ auream doctrinam, hâc *Divi Ambrosii* velut annulum aureum nobiliori gemmâ concludere libet. *Quemadmodum,* (ait S. hic Doctor) *rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum; sic harum abnegatio genitrix, & nutrix est omnium virtutum.*

3. Hanc paupertatem Christus adeò suspexit, dilexitque, ut eam, in primo suo in hunc mundum ingressu, velut Matrem incredibili cordis affectu amplexatus sit. De quo S. *Bernardus* ait: *In cælo paupertas non erat invenienda, at in terra erat* abun-

*abundanter, & homo nesciebat ejus pretium, ideò, ob hujus desiderium descendit Filius Dei de cælo, ut hanc sibi eligeret, & nobis etiam per ejus magni æstimationem pretiosiorem redderet.* Hinc videmus, quòd adeò pauper erat Dei Filius, ut nec locus in diversorio ei suppeteret, ideò ad stabulum divertere coactus fuit. Natus, non in molli lectulo, sed in rigido reponi voluit fœno. Paulò pòst in Ægyptum profugus cum Sanctissima Matre sua Maria, & Nutritio Josepho, quid non patiebatur? qualem non rerum oppidò necessariarum egestatem, & penuriam hi tres sufferebant? Per septem siquidem annorum decursum inter efferos, & barbaros homines, degentes, nec panem sufficientem habebant. Silentio involvo eorundem domicilium, quod fossa erat, sub quadam subrutâ domo reperta, ut testatur *Quaresmus* lib. 8. Peregrinat. part. 2. cap. 7. quoniam nemo illos hospitio dignabatur. Nihil dico de reliquis eorum incommoditatibus, lectus enim pro Sanctissima Dei Matre erat hirta tellus, nec molliorem sortitus Divus Josephus; pro Jesulo verò cunæ ex rudibus asseribus cōpactæ. O quoties hic divinus infantulus delicato aliquo opus habebat obsonio, nemo tamen ei porrigebat, non Sanctissima ejus Mater, non Josephus, quia quamvis omnem possibilem adhiberent curam, quò Jesulo res necessarias prospicerent, id tamen ob summam suam inopiam efficere, & procurare non valebant. Denique tota Salvatoris nostri vita non duntaxat pauper, sed ipsissima planè pauperies dicenda erat. Erat quippè pauper, pauperior, pauperrimus. Pauper, quia nudus & ab omnibus ludibrio habitus in Cruce pependit; pauperior, quia vehementi siti æstuans nec haustum frigidæ habuit; pauperrimus, quia non habuit, ubi caput suum reclinaret, teste ipsomet apud *S. Matthæum* cap. 8. in hæc verba conquerente: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Hanc porrò pauperiem non aliam ob causam subire, & sustinere voluit, quàm ut ejus excellentiam, & perfectionem nobis manifestaret, atque ad eandem amplectendam suo nos provocaret, & animaret exemplo; nam (ut loquitur *Apostolus* 2. Cor. 8.) *Propter nos egenus factus est, cùm esset dives, ut nos illius inopiâ divites essemus.*

4. Nam quis reverà magis dives esse poterit, quam cui debetur regnum Cælorum? At hoc proprium est Christi pauperibus, ut ipsa æterna Veritas pronuntiat dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum. Matth.* 5. Ubi solerter observat *Melleus Abbas* S. *Bernard.* serm. 4. de Adventu, Christum de hac beatitudine non esse locutum in futuro, uti de aliis: *Ipsorum erit*: sed in præsenti, *ipsorum est regnum Cælorum.* Jam ergò pauper spiritu regnum cælorum habet, quamvis illud ei nondum sit traditum: quia id jam sibi mundi rebus, & cupediis, quas amore Christi spontè deseruit, comparavit, & *Jus ad rem*, ut loquuntur *Juris Consulti*, acquisivit. Quemadmodum enim, ut loquitur *Rodriquez* p. 3. tr. 3. c. 2. si centum aureos pro vase aliquo aureo, aut lapide pretioso, quem venditor adhuc domi suæ habet, persolvas, jam tuum vas illud, aut lapis tuus est, etiamsi necdum sit traditus, quippe jam tuo ære coëmptus; Pari modo regnum cælorum jam tum ad pauperem spiritu spectat, quoniam ipse id omni eo, quod possidebat, aut possidere poterat, emit. Deniq; etiam status præsens horum pauperum adeò beatus est, ut ob ejus felicitatem jam in hac miseriarum valle regnum cælorum suo

suo modo nuncupari possit; Cùm enim *regnum Dei non sit esca & potus*, ut *Apostolus* dicit Rom. 14. *sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*; quod spirituale gaudium, quia pauperes spiritu in se experiuntur, meritò jam in præsenti vita regnum cælorum eos possidere affirmamus. Nam pauperes spiritu (ut argutè observat *Cornelius Jansenius* in præcitatum Evangelii textum) etiam in hac vita jam reipsâ regnant, regno planè cælesti, longè felicius, quàm Reges, & Principes terræ. Hi enim ut plurimùm veriùs gravissimam ferunt servitutem, quam regnant, multos enim patiuntur Tyrannos, discruciati ab avaritia, ira, livore, cupiditate bonorum, ac vindictæ. At homo humilis, terrenarum facultatum, ac bonorum inops, liber est ab hujuscemodi curis, tranquillo semper existens pectore, securè expectans dona cælestia.

5. Hinc ergo intelligimus etiam, quemadmodum pauperes spiritu, teste Christo, eò quod sua omnia amore Dei reliquerint, & contempserint, *centuplum accipient, & vitam æternam possidebunt*, ut dicitur *Matth.* 19. Hoc autem *Centuplum*, quod pauper spiritu accepturus est, tam de acceptione in hac vita, quam de altera in futuro dandâ, intelligendum esse, ipsâ incarnata Sapientia apud S. *Marcum* cap. 10. v. 30. declarat: *Accipiet*, inquit, *centies tantùm nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam*. De hoc centuplo ingeniosè quærit *S. Petrus Damiani*: *Quid est* (inquit) *centuplum istud, nisi consolationes, visionésque, & primitiæ spiritûs, qui super mel dulcis est? Quid est hoc centuplum, nisi testimonium bonæ conscientiæ? nisi læta & jucundissima exspectatio Justorum? nisi memoria abundantiæ suavitatis Dei? & magna verè multitudo dulcedinis ejus, quam nec expertis necesse est dicere, nec inexpertis ullis verbis exprimere quisquam potest.* Centuplum profectò recipiet pauper spiritu; quia Religiosus, dum cunctas opes mundanas, & sæculi divitias amore Dei relinquit, & spernit, evadit in virum omnino ditissimum: nam teste *Climaco*, magno vitæ spiritualis Magistro, & directore, *Monachus nudus est totius mundi Dominus*; Magìs quippè rerum, & opum mundanarum Dominus, & possessor est, quàm ipsimet divites, siquidem illi divitiarum suarum non sunt Domini, sed earum servi, & mancipia. Hinc *Psalmographus* eos vocitat Psal. 75. 6. *Viros divitiarum*, non ait, *divitias virorum*, sed vice versa, *viros divitiarum*, ut ostendat, divitias ipsis dominari; ipsæ enim præcipiunt, & imperant, hi verò velut earum mancipia illis obsequenter ancillantur, quia illarum causa laborant, tum ad eas comparandas, tum amplificandas, & ad eas conservandas. E contrà vero Paupertatis sectatores, dum res fluxas, & caducas peffundant, & contemnunt, reverà dominio, & ditioni suæ easdem subjiciunt, séque cunctarum sæculi facultatum, divitiarúmque Dominos, & possessores constituunt. Quò & alludit Apostolus, *Corinthiis* in hæc verba scribens: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*. 2. Cor. 6. v. 10.

6. Centuplum recipient, quoniam internarum amaritudinum morsibus, variarúmque solicitudinum, & curarum aculeis expertes erunt, quibus terrenarum opum affectæ identidem impetuntur, miseréque discruciantur. Si id credere nolis, percontare mundanos homines, & quidem illos, qui inter eos habentur felicissimi, & videbis, quibusnam ad singula propè momenta molestiis, & amaritudinibus angan-

angantur, à quibus pauperes spiritu prorsùs immunes & exempti existunt. Id quod os aureum *Chrysostomi* hom. 22. ad popul. hac probat, & confirmat similitudine: *Quemadmodum enim*, inquit, *tres Juvenes Hebræi non adorantes statuam auream Nabuchodonosoris, in mediis flammarum globis tuti fuerunt; ita pariter, & qui auream monetæ statuam, reliquásque mundi opes non adorant, etsi in afflictionum flammis constituti, manebunt nihilominus securi & pacifici, laudantes Deum, & benedicentes.*

7. Memoratu digna est historia, quæ in opusculis S. *Francisci Seraph.* legitur. Cùm S. Pater cum B. Fratre Massæo iter faceret in Provinciam Franciæ, in quadam solitudine invenerunt fontem limpidissimum, ad cujus oram erat lapis magnus & altus ad modum mensæ, cui superimposuerunt frustula panis, quæ in quodam pago ostiatim pro eleëmosynis accepêre, spiritu perquam hilari, in tanta paupertate lætabundus, dicit B. Pater ad socium: *Non sumus digni tanto thesauro*; Quæ verba multoties repetenti ait socius: Quomodo potest dici magnus thesaurus, ubi tanta urget paupertas? Hoc inquit Pater, *magnum reputo thesaurum, hanc pretiosam judico mensam, ubi nihil est humanâ industriâ elaboratum, totum est divinâ Providentiâ ministratum.* Optimè sanè quidam ex sanctis illis eremi incolis interrogatus, an paupertas esset bonum perfectum? respondit: *Magna res est voluntaria paupertas, & qui eam possidet, tribulationem quidem carnis habiturum, sed inventurum animæ suæ requiem.* Ita Ruffinus apud Rosvveidum lib. 3. Vitæ Patrum num. 169. De quo argumento mox plura parte sequenti.

# PARS SECUNDA.

8. SAtis clarè ex dictis constat, quam efficax sit medium, ad perfectionem acquirendam voluntaria paupertas, id quod etiam ipsamet incarnata Sapientia apud S. *Matthæum* c. 19. dilucidè & sine glossa insinuavit. Cùm enim Juvenis ille Evangelicus, qui se à primis annis divina præcepta observasse declaravit, à cælesti Magistro peteret: *Quid adhuc mihi deest?* Is ei respondit: *Si vis perfectus esse, vade, vende,* &c. Unde clarè deducitur, Paupertatem Evangelicam centrum esse virtutum, & eorum, qui perfectioni vitæ deserviunt, validissimum Magnetem. Hinc Frater Leo, unus è primis S. Francisci sociis, factus aliquando in ecstasi, ductus est ad maximum quoddam flumen; ubi cùm aspiceret transeuntes, vidit omnes, qui sarcinas, & onera portabant, ab impetuositate fluminis abripi, & submergi. Quod cùm Frater Leo non sine maxima compassione spectaret, vidit subitò aliquos sine onere, vel sarcina omnis rei, in quibus sola paupertas sancta relucebat; transire sine periculo, aut læsione aliqua. Intellexit verò, quod per flumen intelligatur mundus, per illos autem, qui à flumine sorbebantur, notari eos, qui professionem Evangelicam, & paupertatem voluntariam non sequuntur. Illi vero, qui sine periculo transibant, esse eos, qui spiritum Dei habentes, nihil terrenum nihilque carnale amant, aut quærunt, aut possident, ideò faciliter & sine periculo de tem-

temporalibus transeunt ad æterna. Ex *Chronic. Minor.* lib. 2. cap. 12.

9. Ut ergò & nos feliciter altum hujus mundi amnem transmeare valeamus, cuncta terrena, quæ non nisi somnia, & puerorum lusus sunt, abjiciamus oportet; Ad quod porrò præstandum nos movere, & allicere deberent infinita fermè Sanctorum virorum exempla, qui contemptis mundi divitiis, delitiis, & copiosis rerum facultatibus, & possessionibus, vitam omnino pauperrimam sunt amplexati, quò sic magis assimilarentur Christo Domino in Cruce nudato, suásque animas faciliùs salvarent. De gloriosissima Cælitum Regina refertur in revelationibus S. *Birgittæ* lib. 1. c. 10. quod in templo Hierosolymitano adhuc degens, jam voverit Paupertatem, quod scilicet nihil unquam in mundo vellet possidere. Hinc videmus quod eadem Dei Mater in die Purificationis suæ non agnum, more divitum; sed par turturum, more pauperum, offerre voluerit. Nam etsi in rupe Bethlemitica tanto in pondere aurum, à tribus Magis oblatum, acceperit, ut sine omni ulteriori cura, & solicitudine vitam suam honestissimè semper sustentare potuisset, maluit tamen in pauperie vivere, quam aliquid possidere proprium. Quid arbitraris, inquit Seraphicus Doctor S. *Bonaventura* in vita Christi cap. 10. beatam Virginem egisse cum hoc auro? Fortassis illud retinuit penes se, aut in aliquo locavit loco? vel agros vineásque illo mercata est? Nequaquam; talia enim nihili duxit paupertatis amatrix; sed intra paucorum dierum intervallum pauperibus totum distribuit; difficile enim ei erat tale onus portare, seu retinere. Unde omnia sic egenis elargita est, ut dum Filium suum in templo præsentaret, non haberet, quo agnellum comparare posset. Fecerat autem hæc gloriosa Virgo, ut Filium suum pauperrimum imitaretur, & ne in minimo, quò minùs Deum diligeret, impediretur, aut retraheretur. Probè quippe nôrat, res caducas valde cor humanum ab amore rerum cælestium abstrahere, & retardare. Quare ut suo nos exemplo doceret pauperiem spontaneam amplecti, illa pauper semper manere voluit.

10. Et certò, non paucos numerat Dei Mater sui imitatores, omnes enim Sancti contemplantes Christi, & SS. ejus Genitricis, vel extremam rerum necessariarum inopiam, nescire haud potuerunt, quin ineffabilis cælestium bonorum thesaurus in hac voluntaria pauperie latitet; ideóque hunc, ut mercarentur, totam suam terrenam substantiam pro eodem consequendo expenderunt. Inter quos non postremum obtinet locum D. P. *Augustinus*, qui etsi fuerit in Episcopali cathedra collocatus, multáque florenorum millia hæcce dignitas ei fructificaret, nihilominus tamen adeò paupertatis erat amans, ut moriens non haberet, quò testamentum conderet; idcircò non aliud testamentum quàm voluntariam nobis omnibus suis in Christo filiis pauperiem relinquere voluit. S. *Amatus*, teste *Surio*, adeò etiam hanc Evangelicam paupertatem magni habuit, ut, dum vice quadam illius loci Episcopus virum sanctum visitationis ergò convenisset, ejúsque inopiam subodoratus esset, ut hanc sublevaret, S. Amato liberalem eleëmosynam obtulit, quam cùm vir sanctus acceptare constanter renueret, eam Episcopus clam altariolo, in quo S. Eremita sacrificare solebat, impositam reli-

reliquit. Amatus igitur alterâ die videns in suo altariolo depositam pecuniam, hanc mox acceptam, in profundam vallem abjecit, cum dicto: *Deus pars mea est, vobis non indigeo.*

11. Simile quid legere est apud præfatum Authorem in vita S. *Melaniæ*; Nam cùm hæc Sancta Matrona venisset ad S. *Ephæstionis* Eremicolæ tuguriolum, omni commoditate viduatum, planéque desolatum, liberaliter eum eleëmosynâ donavit. Sed S. Monachus accipere eam detrectavit, séque eâ opus habere negavit. Verùm, cùm persuaderi non posset, ut eam acciperet, *Melania* eam clanculò deposuit in sportulam, illic adsitam cum modico sale (hæc erat omnis ejus annona) Cúmque se precibus ejus commendasset, discessit. At Monachus ùt in sportula peculium reperit, ocyus abeuntem secutus, & assecutam rogavit, ut pecuniam suam reciperet; at *Melania* hanc recipere recusavit. Quare S. Eremicola consilium mox capescit, & datam stipem in flumen abjecit, suámque cellam repetiit, malens, ut aurum per aquas nataret, quam ut se suâ paupertie viduaret. Porrò, ut clariùs patescat, quantoperè veteres Monachi omnem pecuniam semper aversabantur, audire lubet, quod *Pelagius* l. 6. n. 19. *Vit.* PP. refert. Vir admodum locuples venerat aliquando in eremum Scithi, deferens secum plurimum auri, ut id loci Presbyter distribueret Monachis indigentibus. Cui cùm Presbyter diceret; non indigent fratres pecuniis, & ille nollet acquiescere, mandavit Senior, ut omne aurum poneretur ad fores Ecclesiæ, quò quisque Monachus acciperet, quantùm vellet. Mirùm! cùm omnes ingrederentur, & audirent præconem, nullus tamen ex omnibus fuit, qui obulum acciperet; imò nonnulli explicatam pecuniam nec aspexerunt. Etenim probè noverant Sancti hi Ascetæ paupertatem voluntariam esse Monachi thesaurum, quo qui destitutus est, pauper sine merito, ac miserabilis omnino æstimandus est.

12. Hanc ergo pauperiem tanquam medium ad perfectionem omnino necessarium omnes Apostoli exosculati sunt, ùt *Eusebius* loquitur, & tanquam Sponsam coluerunt omnes viri Religiosi, sic, ut *Cassianus* Coll. 5. c. 8. dicat: Multa millia Monachorum sunt, qui post abrenuntiationem nec denarium habent, nec habere voluerunt, etsi in abundantia oblati fuerint. Silentio hìc non est prætereundum, quod memorat *Eusebius* l. 1. histor. cap. ultimo. Quod Abagarus Rex Edessenus, cùm à S. *Thadæo* Apostolo curatus esset, obtulit ei titulo gratudinis multum signati rudísque auri, quod omne *Thadæus* respuens dixit: *Si nostra reliquimus, aliena quomodo accipiemus?* Effatum revera ponderatione dignissimum; Oraculum omnibus Religiosorum cordibus altè imprimendum. Prô pudor! quæ major dementia esse poterit, quàm suis se spontè abdicare, & postmodum contra datam DEO fidem alienis inhiare? Hac de causa S. *Philippus Nerius* per 60. totos annos Romæ versans adduci non potuit, ut vel minimam rem à suis notis, & consanguineis acciperet.

13. De S. Spiridione Episcopo refert *Petrus Ribadenetra* in ejus vita; Cùm Imperatori Constantio suis precibus sanitatem restituisset, & in gratitudinis vicem ei Imperator magnam auri vim obtulisset, Vir Sanctus Imperatori dixit: *O Cæsar non est æquum, ut amicitiam odio, & invidiâ remuneres. Magnum suscepi iter, ut obedirem tibi, & pro tanto labore nunc vis*

*mihi dare aurum, quod est causa omnis mali?* Verùm quid mirum, quod viri Sancti, & divino spiritu afflati cognoverint divitias, & opes esse opifices vitiorum, multorúmque malorum fontem, & scaturiginem, cùm & id ex solo naturalis luminis instinctu intellexerint Philosophi gentiles, qui ideo voluntariè in paupertate vixerunt. Ex horum numero erat *Crates Thebanus*; nam omnes suas in mare projecit divitias, in hæc pariter verba prorumpens: *Mergo vos, ne mergar à vobis.*

14. De aliquo alio antiquo Philosopho, cui nomen *Photion* erat, legitur, quod, cùm vir Sapiens, vitæque exemplaris esset, & in bonis fortunæ parum provisus, Alexander Magnus dono eidem transmiserit multa aureorum millia. Cúmque prudens hic vir latores, quonam motivo Rex præclarum hoc munus ei transmisisset? rogaret, hoc ab iisdem retulit responsum: Quoniam te solum ex omnibus Athenienfibus bonum honestúmque virum judicat. Quo audito, opulentum hoc donum Regi remisit dicendo: *Sinat igitur me talem esse*: quasi dicere vellet, difficillimum est, hominem virtuosum esse, & manere, dum bonis terrenis abundat. Certò hoc ipsum docere Sacram Scripturam reperio in Ecclesiastico cap. 31. Ubi dicitur: *Beatus vir, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris.* Id est, divitias, quas habuit, pro nihilo duxit, quasi eas non haberet, neque cor suum ad easdem apposuit; at quàm hæc res difficilis & perrara sit, declarat mox idem Sapiens subjungendo: *Quis est hic, & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua.* Hinc videmus, quod Deus per altissimam suam providentiam bona terrena distribuat præscitis seu reprobis potiùs, quàm electis; ab æterno enim præscivit & præscit, quod hujus mundi divitiæ, & prosperitas plurimos homines à virtutum semita abstrahat, & divellat, vitiisque turpiter succumbere faciat.

15. Appositè S. *Thomas de Villa-Nova*, in Conc. funeb. mala ex divitiis sæculi emanantia, ante oculos nostros suo calamo depicta reliquit, dum non sine gemitu dixit: *Quanta mala fecit prosperitas & divitiarum abundantia? Prosperitas facit hominem oblivisci Dei sui, facit eum Superbum, facit eum levissimum & mundanum, prosperitas facit vitiosum & inertem, contemptorem proximorum, prosperitas replet hominem vitiis, & peccatis usque ad summum.* Ex cujus Sancti Præsulis doctrina satis perspectum habemus, quàm bona terrena animæ nostræ ruinosa sint, quamque difficilè divites suam salutem operari valeant. Id quod irrefragabili testimonio ipsa æterna veritas apud *S. Marcum* cap. 10. perhibet, & confirmat; Cum enim cuidam diviti dixisset, *vende quæ habes, & veni, sequere me*, iste autem totus contristatus dum abiret, dixit Jesus discipulis suis: *Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum DEI introibunt.* Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At JESUS rursùs respondens, ait illis: *Filioli, quàm difficilè est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. Facilius est camelum per foramen acûs transire, quam divitem intrare in regnum Dei.* Proinde S. *Hieronymus* moribundus in exhortatione ad suos, de divitibus, & potentibus hujus sæculi rectè dicit: *Si Christus verax est, hujusmodi hominum vix unus aptus regno Dei invenitur de mille.* Cùm ergo ita sit, meritò voluntariam paupertatem duabus ulnis amplecti, eandémque magnâ animi aviditate affectare, & suspirare nos oportet; *quia hæc est*, (ùt olim S. *Franciscus* ad suos fratres dixit) *Specialis via salutis, humilitatis fomen-*

*fomentum*, *perfectionisque radix*; *cujus est fructus multiplex*, *sed occultus. Hæc est enim Evangelici agri thesaurus absconditus.* Hunc porrò thesaurum, hancque pretiosam margaritam si & tu amice frater invenire, & consequi aves, cuncta, quæ mundus dare, vel polliceri potest, ex animo despicias, & contemnas necessum est; id quomodo impleri, & fieri debeat, subsequenti parte dicetur.

# PARS TERTIA.

16. VIderi alicui posset ex hucusque dictis, quod nemo posset esse verus Christi discipulus, nisi omnia sua terrena bona deserat, & pauperibus largiatur; hunc verò errare docent multa piorum Christianorum exempla, qui quamvis facultates, & opes suas non abjiciant, DEO tamen placent, & inter ejus discipulos meritò numerari merentur. Unde prædictus Evangelicus textus non tam intelligendus est de reali terrenorum bonorum abdicatione, quam de abdicatione voluntatis, & desiderii habendi res. Nam, ut quis verè sit pauper spiritu, non est necessarium, ut nullas possideat divitias, nam amore Christi deserere opes mundanas, non est ipsa perfectio, sed tantùm instrumentum, & adjumentum melius velociúsque perveniendi ad perfectionem. Quàm Abraham perfectus erat, qui tamen dives erat, & habebat uxorem? Unde colligitur, quòd qui omnia bona sua perfectè resignare valet quieto corde in DEI beneplacitum, sive ea ab eo auferat, sive conservet, nec illis uti vult nisi ad suam necessitatem, adque majorem honorem Dei, ac beneplacitum ejus secundùm omnem suum intellectum, ac consideratis statu suo, conditione, naturâ, aliisque punctis in hoc considerandis, si sciret Deo magis placere, ut omnia sua venderet, darétque pauperibus, ad hoc paratus esset, ille habet perfectè voluntariam paupertatem. Quia DEUS non desiderat in tantum exteriorem temporalium rerum paupertatem, quantum interiorem in abstractione affectuum, & occupationum: quia hæc est essentia & forma veræ paupertatis. De qua dicit S. *Paulus*, 2. Cor. 6.: *Nihil habentes* (scilicet in affectu) *& omnia possidentes.*

17. Porrò signum, ex quo aliquis colligere possit, se verè paupertatem spiritûs possidere, quamvis multas possideat divitias, sequens assignat *Henricus Harphius* in sua Theologia mystica l. 2. part. 1. c. 1. qui liber aliàs *directorium aureum contemplativorum* inscribitur, nimirum, si quando adeò liberi ab omnibus rebus temporalibus simus, quod si nobis (permissione divinâ ad probandum nos) auferrentur, voluntatem nostram liberè nihilominus valeremus conformare voluntati DEI. Et esto quod fragilitas naturæ parum in illo recalcitraret, quâ homines sumus, secundùm hoc tamen Deus nos non judicaret, dummodò deliberata voluntas rationis se paratam præstaret ad illud, & quieta in hoc permaneret, dicens cum *Job*: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Ista est essentialis paupertas, quam omnes electi perfecti quærere debent, & appe-

tere,

tere, quò melius cor suum imperturbatum, quietum, ac nudum Deo semper offerre valeant. Et si hujuscemodi homines regnum possiderent, tamen veri voluntarii pauperes essent. Et licèt quandoque sentiant in inferioribus, ac bestialibus viribus oblectationem aliquam in prosperis, vel tristitiam in adversis, hoc tamen non minuit perfectionem, dummodò in deliberata voluntate rationis se liberè resignent divino beneplacito, & in Superiori ratione quieti perseverent. Ita citatus Author.

18. Ex qua doctrina perspicuè constat, quod paupertas spiritûs in abnegatione affectuum ad res terrenas fundetur, & consistat; proinde qui hunc affectum ad mundana bona adhuc possidet, quamvis interim nec obulum sua in potestate haberet, pauper Christi non esset. Unde Religiosus volens inter Christi discipulos numerari, debet omnem affectum, & voluntatem aliquas res possidendi exuere, nam, *qui non renuntiat omnibus* (verba sunt Cælestis Magistri) *quæ possidet, non potest esse meus Discipulus*. Certè Apostoli præter meram miseriam, & inopiam, cymbam rimosam, & retia quædam reficienda, non multum reliquerunt, pauperes enim piscatores erant, & nihilominus audacter loquuntur ad Dominum dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia*. Voluntatem siquidem habendi reliquerunt, ideo omnia se reliquisse dixerunt. Unde qui non renuntiat cupiditati res habendi, nihil relinquit, & talis Religiosus etsi nihil possideat, non tamen propterea pauper spiritu, hoc est voluntate coram Deo dicendus est, quia, ùt loquitur S. *Bonavent.*: *Loculos mentis retinet*.

19. Ex his etiam liquet, Religiosum, qui omnes mundi divitias jam contempsit, si hic in Religione erga minutas reculas, v. g. erga vestem, cellam, librum, imaginem, aut alia id genus, perditè afficitur, verè & perfectè pauperem spiritu non esse; quia primaria paupertatis spiritûs pars in avulsione affectûs ad res mundi consistit. Qui verò sic affectus est, affectum hunc, & amorem neutiquam abjecit: sed quem amorem in sæculo erga res illas habebat, hunc in religione ad minutas res convertit, & transtulit. Unde *Cassianus* Coll. 4. c. 21. inquit: Nescio qualiter rem ridiculam, quæ in Religiosis quibusdam usu venit, exponam, quod, postquam facultates omnes, quas in mundo habebant, generosè dimiserunt, tantâ tamen in Religione solicitudine, & studio erga reculas, & minutias contemptibiles ferantur, supervacaneásque commoditates tam efflictim consectentur, ut harum cura nonnunquam pristinarum omnium facultatum passionem superet. Nam vitium cupiditatis, & avaritiæ, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed immutâsse se probant pristinam passionem. Hinc tales Religiosi (uti *Rodriquez*, eximius Spiritus Magister part. 3. tr. 3. c. 5. fusiùs ostendit) ad primam pueritiam redeunt, ubi grandescere, & cum Apostolo *in virum perfectum* quotidie crescere deberent. Nam sicut puer, dum pomum illi, similiáque infantilia auferuntur, quamprimum lacrymatur: ita illi, dum reculâ, erga quam afficiebantur, carere coguntur, vel denegantur illis petita, statim turbantur, & tentantur.

20. Et hoc est, quod *Cassianus* una ex parte risu, ex altera verò magnâ commiseratione, & compassione dignum ait: quod nimirum Religiosus, cui in religionis ingressu animus fuit, & mundum, & quidquid in eo erat, dimittendi,

usque eò se rebus vilibus, & minutis submittat, ut se turbet, & inquietet (uti turbari solet puer, si pomum illi negetur) si nugæ aliquæ pueriles, & ineptiæ ab eo auferantur. Hinc rectè *S. Bernardus* ad Monachos quosdam scribens, in hæc prorumpit lamenta, & suspiria: *Miserabiliores sumus omnibus hominibus nos Monachi, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta: quid enim insipientiæ, imo quid insaniæ est, ut qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus?* Porrò ut Religiosus agnoscat, utrum affectu inordinato aliquibus rebus adhæreat, hanc regulam observare oportet; quando sine dolore, & inordinatâ tristitiâ rei alicui ad Superioris nutum renuntiat, vel dum eam deperdit, Deum propterea collaudat, & sine animi perturbatione se liberè divino beneplacito resignat, & in superiori ratione quietus perseverat, signum est, quòd illi rei affectu non adhæserit, nec perditè eam adamaverit, uti paulò suprà etiam insinuatum fuit. Quod si verò, si similia ab eo per Superiores suos auferrentur, malè contentaretur, imò & murmuraret, indignéque ferret, perspicuum argumentum est, mirè erga talia affectum fuisse, eáque coram Deo cum proprietate possedisse, oportebítque similem Religiosum de his magnam reddere rationem.

21. Cæterùm, quò dictorum veritas magis patescat, sequentem non incongruè historiam recensere libet. Eo tempore, quo *S. Gregorius Magnus* Pontificatum gesserat, fuit quidam Eremita vir magnæ virtutis, quia omnia propter Deum reliquerat, & nihil nisi unam felem possidebat, quam blandiens sæpè, quasi cohabitatricem in suis gremiis confovebat. Oravit igitur Deum, ut sibi dignaretur ostendere, cum quo futuræ remunerationis mansionem speraret, qui illius amore nil ex sæculi divitiis possideret. Quadam igitur nocte fuit ipsi revelatum, ut cum Gregorio, Romano Pontifice, mansionem sperare deberet: at ille fortiter ingemiscens, parùm sibi voluntariam paupertatem profuisse putabat, si cum eo remunerationem acciperet, qui tantis mundanis divitiis abundaret. Cùm ergo Gregorii divitias suæ paupertati, die noctúque suspirando, conferret, aliâ nocte audivit Dominum dicentem sibi: Cùm divitem non possessio divitiarum, sed cupido faciat, cur audes tuam paupertatem Gregorii divitiis comparare, qui magis illam cattam, quam habes, quotidie palpando diligere comprobaris, quàm ille tantas divitias, quas non amando, sed contemnendo, & cunctis liberaliter largiendo dispergit? Itaque solitarius Deo gratias retulit, & qui meritum suum decrevisse putaverat, si Gregorio conferretur, orare cœpit, ut cum eo mansionem quandoque percipere mereretur. Ita habet vita *S. Gregorii* lib. 2. cap. 59.

22. Ex qua revelatione seu historia discimus, quod Deo longè gratius sit, erga nullam rem mundanam ferri affectu, quam vel ipsas mundi facultates, & divitias contemnere, quemadmodum eruditè docet memoratus *S. Gregorius* hom. 5. in Evang. *Hac in re*, inquit, *fratres charissimi, affectum potiùs debemus pensare quàm censum; Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit; Multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit; Multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci poterunt.* Cui consonat illud *D. P. Augustini* aureum assertum: *Piscatores*, ait, *vocante Domino, quod naviculas,*

*viculas, & retia dimiserint, omnia se dimisisse, & Dominum secutos esse, etiam commemorando lætati sunt. Et revera omnia contemnit, qui non solùm, quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere, contemnit.* Hæc S. Pater epist. 34. ad Paulinum. Porrò, hicce terrenarum affectionum contemptus videtur Religioso adeò necessarius ad operationes vitæ spiritualis eliciendas, sicut necessaria est homini vita ad actiones animales perfungendas. Quemadmodum ergo, discedente vitâ hâc animali, homo nequaquam se movere potest: ita ablatâ vitâ mundanâ, dum quis per ingressum ad Religiosum statum spiritualiter mundo moritur, omnibus pristinis functionibus suis, id est vitiis, & pravis ac inordinatis desideriis, terrenisque cupiditatibus destitutus esse debet. Præclarum hac in re exemplar, quo quis spiritualiter mundo moritur, omnibus Religiosis imitandum reliquit Ascetarum perfectissimus, *S. Arsenius Abbas.* Nam cùm fortè Româ vir nobilis eum vestigatum venisset, nuntiatúmque quemadmodum à cognato quodam suo scriptus esset testamento multorum bonorum hæres; simul adventûs illius causam didicit, respondit: *Ego priùs mortuus sum quàm ille, ipse autem modò mortuus est, quomodo ergo me fecit hæredem?* Sic testamentum, nil omninò recipiens, remisit.

23. Aliàs etiam cùm hic *S. Anachoreta* tantâ vitæ sanctitate clareret, séque nominis ejus fama longè latéque differret, hæc etiam emanavit ad aures Arcadii Imperatoris, qui defuncto jam Patri Theodosio successerat, memórque salubrium consiliorum, quæ sibi quondam suggesserat Arsenius, & quemadmodum ei causa fuisset relinquendi palatii, atque asceticam vitam amplectendi, pœnitudine eorum, quibus eum læserat, ductus, quendam suorum familiarium misit, qui suo nomine eum salutaret, additis etiam literis, quibus inprimis oravit, ut se suis apud Deum precibus commendaret, quò scilicet Imperio pro divino nutu moderaretur; dein ut quidquid in ipsum peccasset, propitius ignosceret: denique ut eleëmosynam abs se oblatam, nempe totius Ægypti vectigalia, acceptaret, eáque in pauperes Monachos erogaret. Sed Arsenius, ut Imperatoris literas aspexit, eleëmosynam remisit, nec scripto, sed compendio hæc Imperatori pauca verba referri jussit: *Deus qui omnibus est propitius, peccatorum nostrorum vincula solvat; Pecuniarum autem distributio nequaquam ad me pertinet, quia jam mundo mortuus sum. Mortuo autem nulla est actio alia, quàm Spiritu æterna cælestiaque contemplari.* Sic effatus Imperatoris Legatum remisit.

24. Insistamus itaque hujus S. Abbatis vestigiis, rejiciendo scilicet quæque à notis, seu amicis oblata munuscula, quantùm id sine eorum offendiculo fieri poterit, recogitantes fatuitatem fore vel maximam, proprias deseruisse facultates paupertatis amore, & nunc contra fidem Deo datam aliena affectare, & desiderare munera, & ad ea nimio ferri appetitu. Certò hoc nil aliud est, quàm respicere post tergum, ad mundum scilicet jam dudum relictum. In quanto vel talium Religiosorum salus constituta sit periculo, liquet ex verbis, ab æterna Sapientia prolatis, ait enim: *Nemo mittens manum suam ad aratrum* (ad Religiosam dico paupertatem) *& respiciens retro* (affectu scilicet cordis ad opes mundanas) *aptus est regno Dei. Luc. 9.* Ne ergo in arena cum hoste tartareo dimicantes,

micantes, turpiter victi succumbamus, ac simul in irreparabile salutis nostræ discrimen incidamus, amplecti oportet salubrem Doctrinam à *D. Gregorio* hom. 32. in Evang. in hæc verba nobis inculcatam: *Nihil maligni Spiritus in hoc mundo proprium possident: nudi ergo cum nudis luctari debemus. Si enim vestitus quispiam cum nudo luctatur, citiùs in terram dejicitur, quia habet, unde teneatur. Quid autem sunt terrena omnia* (subintellige potissimùm quantum ad affectum) *nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo cum diabolo ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat.*

At pergamus hac de re plura loqui.

# PARS QUARTA.

25. Cum pauperes Spiritu ab æternæ & infallibilis Veritatis Magistro *Beati* pronuntientur: *Matth. 5. Beati pauperes Spiritu*, &c. Ideò ut & nos ad hanc beatitudinem pervenire mereamur, necessum est, ut veram & genuinam Spiritûs paupertatem profiteamur: Quâ in re ut solidas & firmas agamus radices, benè scire, & notare oportet distinctionem graduum paupertatis, hi autem à SS. Patribus, & Religiosæ asceseos Magistris tres communiter assignantur, & traduntur. Primus est; *Paupertas professionis*, ùt est, nihil proprium possidere, quæ paupertas valde imperfecta est, quando trahitur ad solam exterioris boni possessionem. Nam multi id, quod non habent, eò avidiùs affectant, & tales, ùt jam supra insinuatum, non sunt veri, sed ficti pauperes, & falsò Religiosorum nomen obtinent, cùm non sint *pauperes Spiritu*, hoc est voluntate, coram Deo, sed tantùm coram mundo.

26. Secundus gradus est; *Paupertas usûs temporalium rerum*, eorum scilicet, qui omnia, quæ mundi sunt, affectu simul & voluntate dimiserunt, omnémque ergà superflua affectum deposuerunt in Religione, quia tamén nimium sunt soliciti circa necessaria, seduloque procurant, ne sibi quid desit eorum, quæ sibi necessaria sunt, doléntque, & conqueruntur, si quid in iis defuerit; ideò hi perfectam Spiritûs paupertatem nondum possident; ad hanc siquidem spectat, necessariorum carentiam æquo supportare animo. Nam, ùt rectè *P. Balthasar Alvarez* ex Societate Jesu vir singulari sanctimoniâ clarus (utpotè de quo revelatum erat *S. Theresiæ*, quòd illo tempore, quo ille vivebat, nullus illo perfectior in Ecclesia esset,) dicere solebat: *Nemo sibi de illustrationibus sensûs, & spiritualibus consolationibus blandiatur, nisi hilari vultu hunc bolum Evangelicæ paupertatis deglutierit. Tunc autem deprehendet, an illam amet, si ejus etiam comites diligat, famem, sitim, frigus, ac contemptum. Qui enim in vestibus quærit honorem, ne vilis habeatur, non diligit paupertatem; qui dum sitit, non potest sitim aliquamdiu perferre, is non studet paupertati: qui nihil vult sibi deesse, & tamen vult Religiosus haberi, decipitur.* Hanc doctrinam suo firmat, & roborat calculo *S. Vincentius*, dum in hæc prorumpit lamenta: *Proh dolor! Multi de paupertatis solo nomine gloriantur, sed quo pacto? ut nihil eis desit. Dicunt se amicos paupertatis, sed paupertatis amicos, &*

*sodales fugiunt pro suo posse, famem, sitim, contemptum.* Ita citatus Sanctus tract. de vita spirit. cap. 1.

27. Accedit idipsum asserendo *Mellëus Doctor*, cujus hæc sunt verba: serm. 4. de Adventu. „Dolendum sanè,& de„plorandum inprimis est, tot hodiernâ „die reperiri, qui specioso paupertatis „nomine gloriantur, & taliter esse pau„peres volunt, nihil ut sibi velint deesse, „sed omnia quàm abundantissimè sup„petere. Hæc non tam inopia, & pau„pertas est, quàm copia, & opulentia: „& quidem tanta,ut ne divites quidem „hujus sæculi parem habeant: utpotè „quibus non rarò multa in his rebus de„sunt; modò quidem quia non habent „per omnia quæcunque desiderant; a„liàs, ne quid de rebus suis expendant, „magis ex parsimonia abstinent, & se „continent, quàm nos ex amore virtu„tis; aliàs denique, quia tametsi & om„nia habeant, & etiam insumere au„deant, famuli tamen usquequaque ad „lubitum, & mentem ipsorum non ser„viunt. Tu verò, qui Religiosus es, & „paupertatem profiteris, imò votum e„jusdem concepisti, nullam pati neces„sitatem cupis, & nullâ re carere. Hoc „non est paupertatis, sed commodo„rum tuorum amicum, & cupidum esse, „& velle, ut omnia tibi affatim suppe„tant. „ Hucusque *S. Bernardus.* Fortassis etiam in mundo plura nobis deessent; Absurdum proinde, ac nefas est, ut in Religione, ad quam venimus, ut nos mortificaremus, ac pœnitentiam ageremus, majores delitias, & commoditates sectemur, quàm in mundo habuissemus.

28. Proinde si ad ipsam paupertatis spiritûs perfectionem pervenire volumus, si nomen Religiosi prorsus explere, & ut vita nostra cum nomine, quo dicimur, coincidat; ulteriùs ad tertium paupertatis gradum, ut transeamus, enitendum est; qui est *Paupertas necessariorum.* Verè enim pauper etiam necessaria parvi pendit. Unde non solùm superfluarum, verùm etiam necessariarum rerum affectum oportet deponere. Quia ùt scribit *S. Vincentius* supra citatus: *Laudabile non est, pauperem esse, nisi dum, cùm quis pauperrimus est,ut eam, quâ laborat, paupertatem diligit, eâ gaudet,eam perfert, & quicunque in eadem occurrunt defectus & carentiæ, æquo animo ex amore Christi JESU tolerat.* Qui ergo scire desiderat, an verè pauper spiritu sit, & an in eo proficiat, videat, utrùm paupertatis effectibus ejusdémque amicis (putà fame, siti, frigore, defatigatione, nuditate) lætetur. Videat, num veste tritâ & obsoletâ lætetur, num gaudeat, cùm quid in mensa sibi deest: Videat denique, num volupe sibi sit, si cella usquequaque accommoda non est. Si enim in his non gaudeat, si hæc non amet, sed declinet, nondum ad spiritûs paupertatem pervenit.

29. Ex qua doctrina ulteriùs patet, verum paupertatis sectatorem nequaquam dolere, & angi debere ob defectum, & rerum inopiam totius communitatis, sed semper liberalem Dei providentiam (quâ Deus suos famulos nunquam deserit) exspectare debet, uti monet *D. Petrus* ep. 1. c. 5. *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis.* Interim ut quamcumque demum Monasterii penuriam, paupertatis ergo; faciliùs ac suaviùs sufferre valeamus, ob mentis obtutum collocemus oportet summam rigidissimámque veterum Monachorum pauperiem. Pro qua consideratione vel

maxi-

maximè inservire poterit, quod refert *Drexelius* in Rosis p. 2. tr. 21. c. 9. §. 9. Veniebant quondam duo Monachi, *Moscus* & *Sophronius* ad Abbatem *Joannem* enixè rogantes, ut aliquod spirituale documentum ad vitam, & mores suos meliùs & perfectiùs componendos aptum proferret. Quibus Venerabilis Senecio respondens dixit: Fratres charissimi, suspicite & adamate voluntariam spiritûs pauperiem, & exspoliationem omnium rerum terrenarum cum continentia; causámque hujus asserti, & doctrinæ suæ rationem adjungens, ait: Credite mihi, dum quodpiam fermè inauditum vobis narravero. Dum ego eram Juvenis, & in deserto Scithi adhuc degerem, incidit quidam Senex in dolores splénis, & ut huic morbo mederetur, nonnihil aceti desiderabatur, quod etiam in quatuor Cœnobiis quæsitum, non tamen repertum fuit, tametsi in illis Asceteriis tria millia & quingenti numerarentur Monachi. O reverà paupertas magna! verè rerum necessariarum penuria inaudita! Hinc ergo facilè colligere est, quòd, si nec pauxillum aceti in his quatuor amplissimis Monasteriis reperire licuerit, profectò multò minùs aliquid de vino, oleo, adipe, carnibus, piscibus, aliisque bellariis inveniendum fuisset. Patet ergo, in quanto rerum oppidò necessariarum defectu, & carentia olim Monachi vixerint, quos tamen Deus mirabiliter pavit, & nutrivit, & in bona sanitate ad longævam ætatem provexit.

30. Huc etiam servit, quod memorat *Petrus Ribadeneira* in vita *S. Bernardi*: Nam in Monasterio Claravallensi, cui S. Bernardus præerat, Monachi tantam etiam rerum necessariarum penuriam patiebantur, ut famem placarent foliis faginis coctis, panis verò eorum erat hordeaceus, aut mylio confectus, adeò insipidus, ut hospes quidam Religiosus unum de panibus hujusmodi secum abstulerit, quo eum quasi monstrum quodpiam aliis monstraret, & miraculum, miratus nempe, quòd ejusmodi pane possent homines victitare. Certò nimis prolixum foret referre singulas paupertatis miserias, scil. famem, sitim, frigus, nuditatem &c. quibus olim Monachi premebantur, haud tamen opprimebantur. Sanè si inopia nostra in victu, vestitu, habitatione &c. eorundem paupertati comparetur, non tam penuria, quàm omnium rerum larga affluentia nuncupari debet. Summus proin pudor est Religioso, si, dum in aliquibus inopiam patitur, dum cuncta necessaria confestim præ manibus non habentur, lamentetur, & conqueratur.

31. Inhærentes igitur veterum Monachorum vestigiis, & licèt tam rigidam paupertatis angustiam moderno temporum statu sufferre vix valeamus, cuncta saltem superflua proscribamus, ac etiam, si quid minùs in victu, vestitu aliisque rebus ad sustentationem corporis necessariis præbetur, contenti simus, húncque defectum, & penuriam cum hilaritate cordis, paupertatis amore, sufferamus; siquidem hâc methodo faciliter imò suaviter ad magnam animi requiem pertingemus, variarúmque virtutum flosculos cordis nostri hortulus progerminabit; nam voluntaria paupertas est instrumentum aptissimum ad omnimodam perfectionem, imò hæc vocitatur à *S. Francisco Seraphico* Regina virtutum, quòd adeò à Rege, Regináque Cælitum fuisset amata, dicere solitus, hanc esse Ordinis sui fundamentum, atque ab hâc ducendum religiosæ per-

fectionis exordium. Hinc cùm aliquando Vicarius ad S. Mariam de Portiuncula quereretur, esse tantam illius Cœnobii pauperiem, ut adventantibus Religiosis necessaria præberi non possent, & sibi consultum videri diceret, res aliquas, quas Tyrones secum attulissent, asservare, quo necessitatis haberetur aliquod subsidium. Vir sanctus ait: Absit à nobis, frater charissime, ut pro quovis homine impiè agamus in Regulam. Malo enim Altare gloriosæ Virginis nudare, cùm necessitas illud requiret, quàm contra paupertatis votum aliquid vel modicum attentare. Unde liquet, quanti hic Sanctissimus Fundator voluntariam duxerit pauperiem, quantoperéque eam suis omnibus in Christo filiis, tum verbo, tum exemplo commendârit, & inculcârit. Adamemus ergo & nos spiritûs pauperiem, quo liberè & securè procellosum hujus mundi pelagus transulcare valeamus; amplectamur eam, ut faciliùs abjuratum generis humani inimicum, nobis ubique insidiantem, & in perniciem nostram pervigilantem prosternere, ab eóque certaminis lauream referre possimus; denique eandem votis omnibus adoptemus, quo velociter & absque omni retardatione, & impedimento ad æternam cursitare patriam moveamur, & incitemur. Verùm ne hac in parte cespitemus, vel à recto virtutum tramite aberremus, scire oportet ulteriùs, quænam voti Paupertatis, quod omnes Religiosi emiserunt, sit obligatio. Sit igitur

# PARS QUINTA.

32. QUoniam, ùt Spiritus Veritatis infallibilis testatur, *Eccle. 5. Deo displicet infidelis & stulta promissio*; ideo cavit prohibitione frequenti, ne votum sibi factum violaretur ullatenùs, futuris temporibus non exhibendo promissum. Profectò res foret indigna cum Deo tractare promissiones, ad eum modum quo pueri cum pueris tractant; pollicentes & non præstantes; dantes rem quampiam, & illicò repetentes. Quod provenit in parvulis istis ex instabilitate Judicii, & inconstantia voluntatis, quam in viros cadere non decet, quos Deus majori donavit fortitudine corporis, atque animi firmitate. Itaque *quod semel egressum est de labiis tuis, observabis: & facies sicut promisisti Domino Deo tuo. Deuteron.* cap. 23. v. 23. Porrò maxima, quæ de labiis tuis egressa sunt, & quæ Domino in Religiosæ Professionis emissione promisisti, sunt solemnia Religionis vota, inter quæ & Paupertas voluntaria numeratur. *Quod ergo semel egressum est de labiis tuis, observabis*, nimirum Evangelicam paupertatem, nihil proprium possidendo, sed expoliando te omnibus rebus caducis, earúmque desideriis, & cupiditatibus; quod ut meliùs, & perfectiùs præstare valeas, scire permagni tuâ interest, ad quidnam Religiosus vi hujus voti teneatur, & quandonam hoc paupertatis votum violare dicatur.

33. Imprimìs ergo scito, Religiosum, hoc paupertatis voto obstrictum, non posse aliquid alteri, sive extraneo, sive domestico fratri suo dare, sive ab eis recipere sine suorum Superiorum expressâ, aut saltem tacitâ licentiâ, citra transgressionem voti; nam agere similia sine facultate, requirit dominium rei datæ

datæ, aut receptæ, quali Religiosus per hujusmodi votum se privavit, ideóque peccat simile quid attentans. Hinc de Religiosis in communi viventibus loquens *S. P. August.* ait: Certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sinè Superioris licentia. Hoc est verè pauperem esse: nam posse ex sua voluntate, & arbitrio, prout lubet, & sine alterius facultate, rem aliquam temporalem accipere, dare, possidere, vel dispensare, hoc est esse proprietarium, & per consequens voto Paupertatis repugnat. Id quod manifestè ex ejusdem divi Patris Regula colligitur, dum sequens suis omnibus in Christo filiis monitum tradit in hæc verba: *quod si aliquis rem sibi collatam* (& sine Superioris facultate acceptam) *celaverit*, nec ei declarârit, *furti judicio condemnetur.*

34. Porrò ad abigendos in hac materia quàm plurimos scrupulos, ac animi perplexitates, recurrendum est semper ad consuetudinem suæ Religionis. Quippe in una Religione seu Monasterio sæpe licitum est absque transgressione voti aliqua minoris pretii dare, vel recipere, non petitâ priùs Superioris licentiâ; non tamen in alia Religione similia absque peccato forent. Ratio discriminis est; quia in hac Religione viget licentia tacita, in altera verò talis licentia neutiquam toleratur; tunc autem habetur licentia tacita, & interpretativa, quando jam communiter & passim aliquid in illa Religione usurpatur, Superioribus consciis, & videntibus, &, cùm contradicere, & impedire possent, non contradicunt, neque impediunt, sed dissimulant, & connivent: quia *qui tacet*, cùm loqui, & impedire possit quod fit, *consentire videtur.* Notant tamen apud *Alphonsum Rodriquez p. 3. tr. 3. c. 13.* Doctores circa hanc tacitam & interpretativam licentiam, non sufficere, ut Religiosus aliquid dare, petere, vel accipere possit, eò quòd certò nôrit, facilè sibi ad hoc facultatem concedendam, si hanc à Superiore postularet; sicut satis non est, ut sine licentia foras exire, vel epistolam ad aliquem scribere possit, se certò scire illam, si modò petat, minimè sibi denegandam; sed nosse, & scire antè debet, Superiorem gavisurum, & ratum habiturum, quòd, non petitâ facultate, alteri aliquid det, seu recipiat, & parùm curaturum, quòd hanc ab ipso non petat. Hæc scilicet est tacita, interpretativa, & virtualis facultas ad quid dandum, disponendum, seu recipiendum, necesse proinde non est aliam in particulari petere, ubi talis licentia viget. Et hæc doctrina aliis quoque materiis applicari potest ad multa dubia solvenda. Nihilominus tamen perfectius foret in his, prout prudens dictabit ratio, licentiam expressam à Superiore postulare.

35. Sic nos suo exemplo docent omnes, quotquot ad perfectionem anhelabant. Inter quos primatum sibi facilè vendicat *B. Aloysius Gonzaga*: hic enim tam accuratè hanc paupertatis regulam observabat, ut rogatus ab alio pro papyro, non priùs eam dederit, quàm à Superiore dandi facultatem obtinuisset. Item *Thomas Sanchez*, ejusdem Societatis Vir doctrinâ & vitæ sanctimoniâ clarus, absque facultate nihil dabat, aut accipiebat, licèt minutissimum, &, ùt ipse scribit, nec filum. Verùm brevitatis limites excederem, si plura talia exempla referre vellem; proinde quæro, quis illos, qui hanc Religiosæ paupertatis perfectionem sectantur, imprudentiâ aliquâ, seu nimiâ scrupulositate sugillare, & condemnare audeat?

36. Enim

36. Enimverò, quamvis eum, qui secus facit, non reprehendamus, neque eundem contra votum paupertatis agere dicimus, ubi videlicet viget licentia tacita; ubi verò talis consuetudo, seu tacita & interpretativa licentia non toleratur, peccant Religiosi, qui sine actuali & expressa Superioris facultate similia dare, & recipere consuescunt; quia tales sunt veraciter proprietarii, & rigidam quondam de hoc Justo Judici reddent rationem. Interim audiant tales, quod *Boverius* in Annal. Capuc. Anno 1569. de quopiam sui Ordinis Religioso meminit; hic cùm ab omnibus crederetur vitæ esse laudabilis, in morte constitutus ad quodvis nihil aliud respondit, quàm, non est opus Sacramentis, quia damnatus sum. Geminam suæ damnationis causam aperuit, quarum una erant excusationes, altera, quòd plura munuscula spiritualia absque majorum scitu tam dare, quàm accipere fuerit solitus, veritus repulsam, si licentiam accepisset. Alium quoque ex Ordine Minorum quinque Rosaria ad infernum detulerunt, quæ clam comparata dare voluit cognatis. Et licèt ob id conscientiæ stimulis agitaretur, nihil tamen unquam significavit Confessario, cogitans rem esse levem. Ita refert idem Author loc. cit. Anno 1550.

37. O reverà mortalium infelicissimos! qui etsi totum vitæ suæ cursum in magno traduxerint rigore, multum jejunaverint, vigilias protraxerint, orationes longas frequentârint, multos in Religione annos exegerint, nihilominus tamen pro his omnibus vitæ austeritatibus nihil meriti receperunt, sed insuper animas tartaro mancipârunt, & non aliam ob causam quàm ob vilissima quædam munuscula, sinè veniâ elargita seu recepta. Quis igitur sibi ab his non caveat? Certò asseverare fas est, munera talia esse occultum Diaboli hamum, quo non paucos Religiosos versutissimè illaqueare, ac capere solet; principio quidem per tales mutuas donationes à perfectione Religiosa, & animi fervore eos abstrahit, postmodùm eosdem ad laxitatem, & remissionem vitæ emollit, tandem in varia peccata, & vitia, præcipuè in amorem sæculi impellit, & sic sensim sine sensu incautos ad acherontem præcipites agit.

38. Proinde avertant Superi, ne & tu, charissime frater, ad flammas has tartareas, non per mille, non per decem millia, non per mille milliones, sed per perpetuas æternitates sine fine arsuras condemneris; quare scias oportet, quòd Religiosus citra transgressionem voti aliqualem cum cibis à sua refectione remanentibus disponere non audet pro suo libitu; quia Religioso conceduntur in tantum cibi, in quantum pro sua sustentatione indiget, quod verò remanet, tanquam superfluum ipsius non est. Hinc referente *Boverio* prohibitum erat apud Capucinos panem de mensa auferre. Contigit autem, ut fratri cuidam Satan appareret sub specie B. Mariæ Virginis postulans panem. Frater ergo delusus errore, tempore prandii panem furtivè in manicam injicit, finitáque mensâ exspectanti phantasmati porrigit. Quo facto dæmon repentè mutatâ formâ hominem pedibus corripuit, & verò abripuisset, ni unus, audito fratris clamore, advocasset reliquos, qui, fusis ad Deum precibus, furtivum eleëmosynarium tandem hosti eripuerunt. Hæc *Boverius* ad Ann. 1573.

39. Rursus Religiosus voto paupertatis adstrictus absque gravi suæ con-

ſcientiæ gravamine aliquid ſive parvum ſive magnum occultare pro ſuo uſu non poteſt, ne videlicet Superior id ſibi auferat, quia hoc foret quædam affectata proprietatis ſpecies. Hinc è *D. Franciſci* familia Religioſus quidam ante viſitationem in cella quædam abſconderat, ſed eadem nocte viſus eſt ab alio in inferno pendere de patibulo, haberéque pendulum de pedibus quidquid occultaverat. Quod viſum cùm deinde occultator intellexiſſet, vitium correxit. Sic refert citatus *Boverius* Anno 1579. Item contra paupertatis votum peccabit Religioſus, ſi quid in res illicitas, vanas aut ſuperfluas, etiam Superiore ad hoc licentiam faciente, inſumpſerit. Hoc enim per votum Paupertatis illi prohibetur. Quod Sacris Canonibus non uno loco declaratum eſt. Imò nec Superior in ſimiles res vanas pecuniam Monaſterii impendere poteſt; proinde nec alteri ad hoc licentiam dare valet. Intelligitur autem hîc *per pecuniam Monaſterii*, omne illud quod Religioſus, ſive ſubditus, ſive Superior ſit, ab aliquibus bonis amicis pro ſuo particulari uſu accipit; Ratio eſt, quia omnium Doctorum communis opinio eſt, omnia & ſingula, quæ Religioſus, quocunque titulo acquirit, ad Religionem pertinere, unde ea vanè & inutiliter abſque peccato non poteſt diſtrahere, ſeu expendere.

40. Verus præterea pauper omnia, quibus utitur, Superiori candidè exponere debet, & obtentâ licentiâ, ita rebus conceſſis uti, ut citra læſionem & corruptionem, quantùm fieri poteſt, utatur. Neque putet ſibi licitum eſſe quoquo modo cum rebus conceſſis agere, ut v. g. diſtribuere, deturpare, aut quid ſimile; non enim datur ſimilibus plenaria rerum poſſeſſio in perpetuum, ſed accommodatio ad tempus & neceſſitatem. Hinc ut ſcribit *Caſſianus* c. 19. Si quis olim rem leviſſimi pretii perdidiſſet, aut deſtruxiſſet, tanquam votifragus graviſſimè puniebatur. Notabile eſt exemplum, quod quoad hoc de priſcis illis Monachis nunc præfatus Scriptor commemorat. Procurator Monaſterii aliquando in culinam ingreſſus, tria lenticulæ grana, quæ coquo inter lavandum manibus fortè exciderant, humi jacere conſpexit. Quod ille mox ad Abbatem retulit, qui vocatum ad ſe coquum acriter primò verbis corripuit, dein publicam ei pœnitentiam impoſuit, quòd rem Monaſterii, ſacrúmque peculium tam incuriè tractaret. Siquidem ſancti illi Monachi, inquit *Caſſianus*, non ſolùm ſe, verùm etiam omnia quæ Monaſterii erant, velut rem Deo dedicatam conſecratámque contemplabantur, unde inſigni cum accuratione, & reverentia ea, quantumlibet exigua ac vilia, tractabant. Ita *Caſſianus* lib. 4. de Inſtit. cap. 20.

41. Quocirca, horum Sanctorum Cænobitarum pauperiem æmulantes, caveamus, ne minuta parvi pendamus; nam & de his minimis rigida nobis erit reddenda Deo ratio. Appoſitè ad diſſertationem noſtram narrat *Boverius* in Annal. Capuc. Anno 1581. Quod *P. Bernardus* moriturus conflictabatur cum Satana; Objiciebat hic ei violatam paupertatem, quod plùs lini cerati de nocte conſumpſiſſet, quàm neceſſitas exegiſſet. Interim præſentes fratres pro ipſius ſalute recitabant Litanias, ipſe verò ad ſingulas Sanctorum invocationes nil aliud reſpondit, quàm *Tam modicum, tam modicum, tam modicum.* Idque cum ingenti ſtupore. Mirantibus fratribus, &, cùm ad ſe rediiſſet, quærentibus, quid his

his verbis voluerit? respondit: Ad judicium stabam, in quo dæmon accusator, postquam ex omnibus lini frustulis, quæ absque necessitate combusseram, ingens volumen composuisset, illud mihi gravissimè objecit, & tanquam reum læsæ paupertatis coarguit. Non poteram satis mirari, tam levia examinari tam severè, unde erupi in hæc verba: *tam modicum*, &c. Verè chare frater, Judicia Dei verenda sunt, maximè ubi de votis agitur.

42. Ast noli ægrè ferre, quod adhuc unam historiam ab eodem Auctore relatam memorem. Quidam Senex ejusdem instituti, cùm post nocturnam Psalmodiam in hyeme descenderet in coquinam, ut sese calefaceret, offendit ibi duos velut culinaria mancipia, qui prunas vivas ferreis rastris dispergentes, parabant locum tertio, qui fratrem veru infixum humeris inferebat, in craticula supra prunas torrendum. Horruit Senex, & abituriens detentus ab uno est, atque interrogatus, num fratrem nosceret? Non, (inquit Senex) Præfectus, ait ille, culinæ erat, ac ligna, non observatâ lege paupertatis, profusè comburebat, qua de causa tamdiu ex divino Judicio ustulandus hoc loco est, donec novissimum quadrantem exsolverit. Denique ut magis cognoscas quàm implacabilis & inexorabilis sit Deus in Religiosæ Paupertatis violatores, distinctiùs percipies ex sermone subsequenti.

# SERMO XVII.

## DE VITIO PROPRIETATIS.

*Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Deuteron. 23. 21.

## PARS PRIMA.

1. VUlgatum Juristarum proloquium est, quo de debitis pecuniariis dicere solent, quòd ad eà solvendum *dies monet pro homine*; urget siquidem per seipsam obligatio debiti, sic ut etiam non loquente, vel monente Creditore, acceleranda solutio sit, ipso temporis tractu, ipso die præsenti monente pro Creditore; tametsi enim taceat hic, ipsa loquitur obligatio, petitque, ut non differatur solutio. Quod similiter etiam in iis, quæ Deo debentur, & quidem maximè, locum habet. De quo nos textu præsenti divinus commonet Legislator dicens: *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus.* Quo in genere gravis non rarò apud Religiosos contingit abusus circa votum Paupertatis. Unde his, qui hoc votum parvi pendunt,

pendunt, illud occinitur, quod immediatè sequitur : *Et si moratus fueris*, scilicet votum tuum adimplendo, *reputabitur tibi in peccatum* gravissimum, quod pœnam meretur æternam ; hoc autem peccatum nominatur à Sanctis Patribus, & Ascefeos Magistris & Doctoribus *Proprietas* ; & solùm reperitur apud eos, qui voluntariam Deo voverunt paupertatem ; & postea contra hoc votum aliquid proprium possidere volunt. Unde qui paupertatis voto illigati non sunt, in illis *proprietas* mala & peccaminosa non est ; cùm sit illis licitum bona propria possidere, ùt per se patet. Et licèt per *proprietatem* occasionaliter in vitam nostram innumera mala invehantur (siquidem, ùt *S. Martinus Dumiensis* lib. de moribus scitè observavit, si hæc duo vocabula, *Meum*, *& tuum*, in quibus denotatur *proprietas*, à rerum natura tollerent homines, quietissimam in terris procul dubio agerent vitam) ipsa tamen *proprietas* in se vitium non est, nisi in quantum dicit ordinem ad personas Religiosas, in quibus si *proprietas* reperiatur, hæc non solùm vitium est, sed & (teste *Cassiano* lib. 7. instit. cap. 6.) receptaculum vitiorum, omniúmque malorum radix, & inextricabilis fomes nequitiæ. Hinc veteris ascefeos eximius Magister *D. Basilius* (in reg. fusior. cap 32.) graviter monet, dicens: *Abesto penitùs à fratrum contubernio meum, & tuum.* Id quod similiter suis Religiosis præscribit in aurea sua Regula *Aurelius Augustinus* sic omnes adhortans : *Ne dicatis vos habere aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.*

2. Sed ah! quàm pauci hanc à SS. Patribus relatam doctrinam capiunt, pauciores qui eandem sequuntur. Siquidem Proprietas tam est subtile malum, ut (attestante *S. Gregorio Nysseno*) ii etiam, qui in omnia vitia dominium tenuerunt, clari virtutibus, huic tamen vitio obviare satis haud potuerint. In exemplum nobis sit *Joannes Garai* Ordinis S. Francisci, hic multis annis inter Fratres Minores in magna vitæ Sanctimonia transactis, humillimè à suis Superioribus Majoribus licentiâ, & benedictione impertiri petiit, quò in quopiam deserto loco vitam solitariam ducere sibi liceret; impetravit tandem Senex hanc gratiam; constructâ ergo in quopiam nemore cellulâ, vitam illic auspicari cœpit durissimam, siquidem jejunia ei erant continuata & quidem in pane & aqua, vigiliæ non rarò per totas noctes protractæ, orationes continuæ, lectus ei erat hirta tellus sarmentis pauculis substrata ; denique totius vitæ ipsius cursus Sanctitatem summam spirabat, plurimíque ad eum, ut ab eodem benedictione impertirentur, confluebant, eidémque quædam munera offerebant, quæ ille acceptans, per suum discipulum vendi procuravit, pecuniámque non modicam conflavit. Sed qualem putamus finem huic Seni obtigisse? Ecce tibi, repertus fuit in sua spelunca exanimis, totus ater, támque aspectu horrendus, ut omnibus aspectantibus summum horrorem incuteret. In signum verò & argumentum æternæ damnationis ipsius, reperta fuit pecunia sub sarmentis, quibus ille pro cervicali usus fuerat. Ita refertur in Prato Florido *P. Valerii* Capucini.

3. Non minùs horribile est, quod à *Zacharia Boverio* memoriæ proditum est : scribit hic Author suis in Anna-

libus, Anno 1569. quod ex Fratribus, qui Minores de Observantia vocantur, octo simul ad Capucinos transierint. Rogati causam dixerunt, Guardianum ipsorum haud ita pridem tam horrendâ morte defunctum esse, ut nisi sibi meliùs consulerent, non immeritò similia timerent. Cùm enim ex confectis à se flabellis pavonaceis, aliísque curiosis sericis signaculis multum pecuniæ corrasisset, ita tandem fœtere cœpit, ut ejus præsentiam nemo tolerare potuerit. Sejunctum ergo cùm fratres aliquando inviserent, viderunt capite de lecto miserabiliter pendere, atque à monstrosa fele ad collum graviter lacerari, & suffocari. Cùm Fratres in abactione felis se multum fatigarent, ægrotus, non cum fele, inquit, sed cum dæmone vobis res est: Hoc supplicium mihi vitæ turpitudo, concupiscentia, violata paupertas, ac spreta regulæ observantia peperit. Discite vos meo exemplo meliora. Damnatus à Deo ad tartara rapior; quibus dictis inter horrendum stridorem à fele præfocatus, amisit animam.

4. O igitur mortalium infelicissimi! utinam Sanctissimi Patris sui *Francisci* exhortationi aures accommodassent, & saluberrimo ejus monito obtemperâssent; dicere enim Vir Dei, suisque inculcare solebat: *Pecunia Servis Dei, nihil aliud est, quàm diabolus, & coluber venenosus.* Quod & portentoso spectaculo fratri cuidam ad oculum demonstravit. Nam cùm S. hic Fundator iter ageret, reperit in via crumenam pecuniis turgentem, & eum ejus socius virum sanctum multum urgeret, ut sibi crumenam tollere liceret, tandem vir Dei petitioni fratris acquievit. Sed ille pecuniam levans deprehendit se in manu sua tenere virulentam viperam. Hos ergo venenosos pecuniarum colubros diabolus inter Religiosos, Deique Servos projicere studet, ut eos veneno illorum possit intoxicare, quemadmodum intoxicavit miseros illos duos paulò antè memoratos. Sic etiam alios, mediante pecuniâ, ad apostasiam prolectare quandoque solet, quæ machina bellica tam feliciter nonnunquam stygio impostori cedit, ut fortissimos Christi milites tandem à statione sua amoveat, &, corrasâ priùs pecuniâ, à religiosis suis domibus aufugere, quandoque etiam fidem Catholicam unà cum religione sua deserere faciat. Certâ relatione scio contigisse hoc ævo nostro, nonnullum Religiosum virum à suis Majoribus (postquam multos annos in Sacra religione sua laudabiliter explevit,) in Hungaria præpositum fuisse alicui Religiosorum Religionis suæ domicilio. Ubi, dum aliis præesset, occasione tam opportunâ congregandi pecunias, non quidem communi ærario, sed loculis propriis imponendas tentatus, ac victus tandem succubuit. Quippe magnam auri vim corrasit, ac cum ea, assumpto quodam, quem fidelissimum credebat, famulo, à domo sua religiosa profugit. At verò servus, quò hoc auro ipse potiretur, suum Apostatam Dominum in via, nactâ opportunitate, obtruncavit. Sic, sic Deus per servum Sacrilegum, Sacrilegum Religiosum, imò Religiosorum Superiorem, ac etiam furem punire, ac injuriam suæ illatam Religioni, tali modo vindicare permisit, imò ordinavit, cæteris cunctis, futuris temporibus existentibus, in exemplum non utique imitandum, sed cane pejùs & angue fugiendum.

5. Nemini non constat, quòd dum quis fulmine percutitur, omnes non

longè astantes timor & tremor occupet; Unde fulmini hoc Lemma subscribitur: *Dum paucos lædit, multos terret.* Unde *Justus Lipsius* lib. de Clement. cap. 9. *Sicut*, ait, *cùm fulmen in unum aliquem cecidit, etiam ii qui in proximo stabant, tremuerunt.* Id quod pariter sequenti disticho exprimit *Ovidius*:

Cùm feriant unum, non unum fulmina terrent,
Junctáque percusso turba pavere solet.

Verùm, quia fulmen Dei judicium adumbrat, est enim aptissimum iræ divinæ instrumentum, teste ipsomet Deo: (*Deuteron.* 32.41.) *Si acuero ut fulgur gladium meum* &c. Ideo æquum omnino est, ut visis aliis, Dei vindictâ, velut fulmine percussis, nos similiter contremiscamus, metuentes, ne idipsum nobis accidat, quod aliis obtigisse perspeximus. Hæc enim causa est, cur Deus similia proprietariorum funesta exempla nobis ob oculos ponit, ut nimirum alieno malo sapiamus, & interitum, quem alii per proprietatis vitium incurrerunt, per sanctæ paupertatis studium evitemus. Denique hic etiam considerandum venit: Si sæculares, habentes & possidentes pecunias multas, difficilè salvari dicantur, ùt dictum Sermone præcedenti num. 8. & num. 15. Quid dicemus de illis Religiosis, qui pecuniis pro proprio solùm marsupio colligendis inhiant, & contra fidem Deo datam easdem coacervare sunt soliciti? Ne verò horum Religiosorum quispiam de nimia me arguat exaggeratione, aut scrupulositate, consideret, & in pondere Sanctuarii examinet quæ sequuntur.

6. *Bollandus* in vita *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis* cap. 19. num. 205. testatur, quòd hæc Sancta Virgo sæpiùs proferre solebat, asserens, se capere non posse, neque intelligere, quomodo Religiosi, qui tribus solemnibus votis dedicârunt se Deo, inter se non observent communionem rerum, sed nitantur per suam proprietatem evertere pulchrum illum vitæ perfectionis Ordinem. *O maledicta proprietas, secum ferens tot excusationes, & adinventiones, per quas fit, ut, quod vitium & defectus est, sæpe videatur esse virtus.* Aliàs ajebat: Væ illis Religiosis, qui per actum proprietarium retinent sibi quidpiam, cum eo negotiando, æquè ac si nullam hujusmodi obligationem haberent. Heu! Sic enim abrenunciant portioni suæ quæ Deus est, volentes, & possidentes aliquid contra ipsum, contra promissum ei factum. Utinam verò in hora mortis, quando ad discussionem venietur, non abnegentur ab ipsomet Deo, atque ab eodem summo Bono suo æternùm separentur. O miseri Religiosi! adeò excæcati in suo statu! ô simplicitas! ô paupertas! tantùm collapsæ in Religionibus, tam parùm cognitæ & observatæ ab iis, qui vos profitentur. Novit Deus, utrùm extremo in examine hujusmodi cæcitas habitura sit excusationem, ubi non solùm defectus, sed multa etiam, quæ nobis videntur esse virtutes, vitia & peccata fuisse deprehendentur. Sic sensit, & dixit Virgo illa Sanctissima, & à Deo visionibus & revelationibus multifariis illustrata, & edocta.

7. Aliàs cùm ab eadem Sancta pro solemni quadam Dominica die vesperæ in choro canerentur, monstravit ei Deus magnum numerum Religiosarum animarum, quæ instar fulgurum præcipitabantur ad infernum, intellexitque nominatim, ideo damnatas, quia non observaverunt votum paupertatis. Et exclamans inter alia etiam hæc

dixit: *O Paupertas! O Paupertas religiosa! Quàm parum cognoſceris, & obſervaris! O ſi illa cognoſceretur, non invenirentur cellæ plenæ ornatu, tanquam venenum horrori foret pecunia ad proprium arbitrium expendenda; & tot aliæ vanitates nimiùm dedecentes religioſam paupertatem, procul exularent à Clauſtris ſacris. O Jeſu mi, quantùm per iſtam maledictam proprietatem deformata eſt pulchritudo religioſæ paupertatis! O quot, & quot animæ Religioſæ ardent in inferno, quia ſanctam paupertatem non æſtimârunt, nec obſervârunt?* Profectò ex his magno percelli metu deberent corda eorum, qui quidem paupertatem voluntariam voverunt Deo; qualiter tamen hanc religiosè obſervarent, non curant, non examinant; libros de ea tractantes non ſolùm non legunt, ſed ne quidem obiter aſpicere dignantur.

8. Proinde, qui tales ſunt, ſciant oportet, quòd licèt plures ex iſtis non advertant, aut intelligant, ſe in multis contra votum paupertatis agere; hæc tamen ignorantia, ſive inadvertentia neutiquam illos à gravioris culpæ reatu abſolvit, aut excuſat; quia ignorantia hæc ex craſſa procedit negligentia, & ſæpe etiam ex animo affectato, reſpuente lectiones pias & ſalutares; ideóque non eſt ipſis involuntaria ſimpliciter; poterunt enim, & tenentur hæc ſcire, quæ ad ſuæ profeſſionis obligationem faciunt, & exiguntur. Ita expreſsè docet *S. Thomas* primâ ſecundæ quæſt. 76. art. 2. in Corpore, ubi ait: Illa quilibet ſcire tenetur, ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum rectè exercere. Unde omnes tenentur ſcire communiter ea quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta, ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant. Manifeſtum eſt autem, quòd quicunque negligit habere vel ſcire id, quod tenetur habere, vel ſcire, peccat peccato omiſſionis; unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum. Unde *Auguſtinus* in libro de lib. arbitr. ait: *Non tibi imputatur ad culpam, ſi invitus ignores; ſed ſi neglexeris.* Per quod dat intelligere (ſubjungit *S. Thomas*) quod ignorantia habet, quòd ſit peccatum ex negligentia præcedente, quæ nihil eſt aliud, quàm non applicare animum ad ſciendum ea, quæ quis debet ſcire. Ita Angelicus Doctor. Et quia non rarò tales voluntariè ignorantes quæ ad Paupertatis votum ſpectant inter Religioſos reperiuntur, quid mirum, ſi eorum non pauci ob ignoranter licèt violatum paupertatis votum ad inferos ruant, uti cum magno animi dolore audivimus ab ore *S. Magdalenæ de Pazzis.*

9. Porrò, quod vel maximè deplorandum & indolendum, hoc meritò cenſeri debet, quòd multi ex his malè ignorantibus Cœnobitis inveniantur ita obcæcati, ut etiam ex induſtria ignorare velint, quò ſcilicet vel excuſationem peccati habeant, vel ut non retrahantur à peccando, ſecundùm illud *Job.* cap. 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Et hæc dicitur *ignorantia affectata*, quæ peccatum non excuſat, nec minuit, ſed potiùs aggravat. *Aliud eſt enim neſciſſe; aliud ſcire noluiſſe*, ait *S. P. Auguſtinus* ad Valerium. Et de tali ignorantia loquitur *David* Pſal. 35. *Noluit intelligere ut bene ageret*; ſciénſque voléntſque oculis velùm obducit, ne aſpiciat lucem veritatis. Hinc per experientiam novimus, quòd tales ùt plurimùm nullam ſalubrem admittant admonitionem, aut inſtructionem, nec ullis moveantur minis æter-

æternarum pœnarum: Exempla eorum, quos ob fimiles caufas, & ignorantias damnatos legimus, audire non fuftinent, aut fi ea vel coactè audire debent, velut fictitium explodunt, ac derident. Sicque credere nolunt alios periiffe, donec & feipfos periiffe viderint. Tales homines increduli erant tempore Noë, qui ad omnes à Noë intentatas minas aures obturabant, nec credebant, fed dicta ridebant, donec venit diluvium, & fubmerfit omnes. Id quod lacrymis profequitur *Jacobus Billus* in Anthologiâ facrâ, ubi fic gemulus canit:

Sæpè, parente fatum Lamecho, dum
conderet arcam,
Peftiferos homines admonuiffe reor.
Attamen id fruftra, námque omnia
verba monentis
Ridebátque graves gens fcelerata
minas.
Quin Sodomis cum Loth generos exire
juberet;
Inftar eis ludi verba jubentis erant.
Scilicet hic mundi mos eft, nil credere,
donec
Admiffum æterno crimen in igne luat.

10. Proinde avertant fuperi, ne & tu, qui ifta legis, vel legi percipis, ad inextinguibiles has tartareas flammas condemneris; Verùm, illas ut fecurè effugias, animamque tuam in tuto ponas, modò omnem proprietarifmum à te abigas oportet; hoc ut fiat, optimè egeris, fi circa ea, quæ ad Paupertatis votum fpectant, fcrupulofus extiteris: hæc quippè fcrupulofitas non fe habet, ut fcrupulofitas circa obedientiæ & caftitatis vota, in quibus non folùm per defectum, fed etiam per exceffum delinquere aliquis poterit; id eft, poteft quifpiam plus obedire, quàm debeat, aut poffit; nimirum fi obediat Superiori, contra divinas, aut Majorum Superiorum leges aliquid imperanti; ex quo monebat *S. Gregorius*, ac dicebat: *Admonendi funt fubditi, ne plus, quàm expedit, fint fubjecti; nè, cùm ftudent plùs, quàm neceffe eft, hominibus fubjici, compellantur vitia eorum venerari.* Similiter, quæ ad caftitatis votum pertinent, poteft quis plus fugere, quàm æquitatis regula poftulat. v. g. Si Religiofus pius & doctus, qui fœminis, dum earum audit Confeffiones, plurimùm prodeffe poteft, ob aliquam fecuturæ fenfualis commotionis formidinem, earundem excipere Confeffiones fugit, ubi tamen charitas, & obedientia Superiori debita id agendum fuadet, & urget. Non fic res fe habet in paupertatis voto, in hoc enim, quò aliquis fuerit fcrupulofior (intellige de fubdito, non de Superiore, hic enim in utroque poterit excedere; nimirum plùs aut minùs æquo fubditis concedere, aut providere) in fervandâ paupertate, eò magìs elongabitur à tranfgreffione voti, ficque in tuto locabit ftationem fuam, ad quam acceffum habebit nullum, proprietatis vitium, quod in Religionibus velut crudelis beftia magnas fæpe animarum ftrages caufare folet, ut vifum; id quod porrò patebit ex dicendis.

# PARS ALTERA.

11. Dubium nullum eft, quin felix fit renunciandus ille, qui alieno edoctus periculo, quæ fuo impendent capiti mala præcavet, fanóque ufus confilio calamitatem fubterfugere novit, prout Poëtarum ille cecinit:

Felix quem faciunt aliena pericula
cautum.

Quare

Quare ut & tu, pie Lector, ex aliorum morte vitam referas, ac aliena mala cautum te felicémque reddant, modò ulteriùs consideres oportet divinæ vindictæ exempla, quæ te, qualiter proprietatis vitium fugere debeas, sufficienter edocebunt. Primum quod occurrit, in Actibus Apostolicis cap. 5. recensetur de *Anania*, *& Sapphira*, qui votum paupertatis fecerant; cùm enim agrum, quem possederant, vendidissent, & ejus pretium pro more ad pedes Apostolorum detulissent, aliquam ejus partem sibi reservârunt pro suo particulari usu; timuerunt quippe, ne successu temporis ob negligentiam ministrorum, seu provisorum ipsis aliquid necessarium deesset, idque pro nullo scrupulo, nedum piaculo habuerunt, ideóque pluris agrum se vendidisse negârunt. Veruntamen hæc ignorantia, seu coloratus prætextus eis minimè favit pro excusatione sui peccati; Nam cùm *S. Petrus* ad virum dixisset: *Anania cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Hæc vix elocutus, ecce mox eum divina est subsecuta castigatio; derepentè enim concidens in loco exspiravit. Uxorem quoque ejus Sapphiram, quæ fraudis hujus fuerat conscia, idem interitus excepit. Et additur in sacro textu; *Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes qui audiêrunt hæc.* Ergo & nos æquum est timere, ne quid contra paupertatis votum committamus, cùm ejus prævaricatio tam severè à Deo castigetur.

12. Quantopere etiam SS. Patres proprietatis vitium semper sint aversati, colligitur ex variis pœnis, quibus hanc pestiferam luem inter religiosos sopire, & extinguere sunt conati. *S. Hieronymus* ad Eustochium Virginem scribens, refert de quodam Monacho in Nitria, qui erat lini textor. Hic pecuniolæ cujusdam coacervandæ cupidine laborans, in suo opere nimium quantum festinabat, & parùm comedebat. Unde post longam parsimoniam tandem centum solidos (id est in nostra pecunia centum aureos) coacervavit; quibus collectis vitâ functus est. Quod rescientes Magnus *Macarius*, Abbas *Pambo*, *Isidorus*, & alii ex gravioribus Patribus, divino spiritu ducti unanimi consensu statuerunt, ut unà cum cadavere argentum hoc terræ infoderetur, dicentes illud Apostoli: *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Actor.* 8. Hoc exemplum tantum terrorem in omnibus totâ Ægypto Monachis creavit, ut ingentis piaculi loco ducerent, si apud se in hora mortis vel unus solidus reperiretur. Simili etiam pœnâ *S. Gregorius* Papa animadvertit in suorum Monachorum quempiam, *Justum* nomine, eâ de causâ, quòd tres argenteos à suo fratre viro sæculari ad emendam tunicam, inscio Abbate, accepisset, & in cella asservâsset.

13. Beatus *Albertus Magnus*, cùm Provincialis munere fungeretur (uti Annalibus Fratrum Prædicatorum p. 1. l. 1. c. 46. proditum est) rigidissimè suis inhibuit, ne quis pecuniam tam penes se, quàm penes tertium, tam propriam, quàm alienam haberet, idque sub gravissimis pœnis edixit, & has etiam de facto inflixit. Nam cùm in Capitulo Provinciali nonnemo certissimis conjecturis decretum hoc violâsse convictus esset, tam severè illum *B. Albertus* castigavit, ut eum paulò antè defunctum è sepulchro

sepulchro effodi, & sepulturâ asini, in sterquilinio sepeliri jusserit: ad imitationem scilicet priscorum Patrum, quibus hoc supplicii genere in fratres proprietarios animadvertere solemne erat.

14. Aliud horribile exemplum refert Author *Anonymus* serm. 25. ad fratres in Eremo de *Januario* Monacho, qui vulgo Sanctus ab omnibus habebatur; sæpè, inquit, Januarii nostri perditio, & ruina nobis plangenda & lamentanda est. Videbatur hic quoddam Obedientiæ, & Paupertatis speculum, sed miserâ vitam catastrophâ terminavit. Cùm enim multis cum lacrymis ad nostram Congregationem admitti petiisset, & toto vitæ suæ tempore paupertatem servare promisisset, nobis insciis, vineam, & agros in sæculo possidebat. O professionem lethiferam! ô promissionem proditoriam! ore proloquebatur, quod corde aversabatur: Sanctum credebamus eum, qui omnium erat pessimus. Atque duodecim ipsos annos & ampliùs hoc in statu Januarius apud nos vixit. Malè vixit; & mortuus est malè. Malè inquam vixit, quia clanculo & occultè apud se detinebat, quod non erat suum: malè autem mortuus est, quia ne in fine quidem vitæ delictum agnovit, sed in eo obstinatus expiravit, &, nescientibus nobis, testamento condito, filium, quem in sæculo habebat, hæredem instituit. Utinam id in mortis saltem hora nobis dixisset, ut, orantibus nobis, veniam criminum à clementissimo Deo obtinere potuisset. Sed enim nec confessionem instituit, nec facti pænituit. Proinde noster non est, nec erat, dum in vivis ageret. Ejus ergo defuncti manus colligate, iisque centum illos & undecim siclos, quos in cellæ suæ pariete clam asservabat, in pannum injectos inserite, plorantes & dicentes: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Nefas quippe est, illos in Monasterii sustentationem, vestimentum, aut alia quæpiam opera impendere, quòd damnationis æternæ sit pretium.

15. Optandum sanè foret, ut multi è Religiosorum Cœtu in hanc, aut consimilem aliam catastrophen mentis aciem retorquerent, quò aliorum damnis meliora & saniora saperent, nequè tam facilè paupertatis voto contrairent. Quod si verò Proprietariorum quispiam ad detestandum, & abjurandum hoc detestabile vitium inflammatus nondum sit, exterreatur saltem hisce nunc geminis miserandis tragœdiis. Prima eruitur ex *Chronicis Minorum* p. 2. l. 1. c. 18. ubi refertur de quodam laico *Franciscano*, quod Psalterium sibi, quò perfectiùs legere addisceret, comparârit. Superior id resciens librum sæpè, præcipuè verò dum frater gravi infirmitate laboraret, sibi dari petiit, ne fortè ùt proprietarius moreretur. Sed miser se Psalterium possidere negans, in pertinaciâ tandem mortuus est. Primâ ergò post sepulturam nocte, cùm æditus de more ad Matutinum nocturnum pulsaret, advertit post se magnam & gravem umbram, audiitque horrendam sinè ullâ verborum distinctione vocem, unde exanimis in terram corruit. Interea fratres primo campanæ pulsu è somno excitati, & ad Chorum vocati, cùm secundum pulsum omnes diu expectassent, neque Campanarius pulsare vellet, templum adierunt visuri, quid Sacristano factum esset; & ecce, eum velut mortuum repererunt. Qui postea ad se reversus, rem omnem ex ordine narravit. Cœpto jam Matutino horrendum

illud spectrum denuò apparuit, terribilem fragorem excitans. Adjurat Guardianus spectrum, & quis esset, & quid hîc vellet, edicere jubet. Ego sum, inquit, frater ille Laicus, quem heri in hoc loco sepulturæ mandâstis. Et heu me infelicem! ob Psalterium enim non traditum æternæ sum damnationi addictus. Quo facto spectrum mox, ùt imperaverat Guardianus, evanuit, nunquam exinde amplius visum, vel auditum.

16. Alterum non minùs horrendum spectaculum recensetur à *Boverio* in Annal. Anno 1569. de quodam Religioso Capucino. Hic allectus alterius Breviario, id clam subtraxit, & abscondit, sperans se brevi locum mutaturum, ubi eo absque suspicione uti posset. Qui Breviarium amiserat, Guardiano indicavit, rogans, ut fratres moneret de restitutione. Nequicquam id aliquoties factum. Unde concitatus Guardianus per S. Obedientiam edixit, ut quicunque Breviarium abstulisset, antiquo possessori redderet. Sed & hoc frustra fuit. Jam dies declinabat ad vesperum, & Sacrista templum clausurus, descendebat ad Ecclesiam. Nondum ad fores venerat, cùm ecce quidam in nigri Monachi habitu ingreditur, qui conversus ad Sacristam, obsecro te, inquit, frater, relinque tantisper apertam januam, dum, quod meum est, tollo. Sacrista miratus nigri advenæ dictum, rem defert ad Guardianum, secúmque ducit ad Ecclesiam. Qui conspecto peregrino, quid, inquit, hîc loci repetis? Et niger; est inter tuos, qui quod meum est, possidet, jube omnes adesse, & ostendam. Guardianus accitos omnes personato Monacho proposuit, qui ùt conspexit Breviarii furem, momento pedibus arreptum per aëra vivum in omnium oculis avexit ad orcum, Breviario de manica excusso. Ita cognitum fuit, quis hic niger, quis fur, & quæ pœna debeatur violatoribus paupertatis.

17. Verùm enim verò, quòd discursum longiùs protraxerim, ne quæso, amice Frater, ægrè feras, est enim materia Religioso scitu pernecessaria; quia verò ambo delectamur historiis, ideo pro coronide unam referam, ex cujus consideratione videre lubet, quàm acriter divina sæviat Justitia in eos, qui in construendis Monasteriis, seu etiam cellulis, paupertatis regulas excedunt. Cùm Pater *Franciscus Astensis* Capucinorum secundus Generalis Minister Romanam Provinciam visitaret, venit ad quoddam sui Ordinis Cœnobium, in quo ipsi cella admodùm splendidè exstructa, atque ornata pro diversorio assignata est. Peractâ cœnâ, cùm Pater in lectulo quiesceret, fores cellæ molliter pulsatæ sunt, ac si quis ingressum postularet. Audiit id Pater, & per verbum *DEO gratias* pulsantem admisit, sed nemo intravit. Tandem non semel ingeminato pulsu, dictóque *DEO gratias* Guardianus exstructor cellæ, ac jam pridem defunctus, ingressus est. Bis térve cellam obambulat in silentio, demum in hæc verba prorupit: *Maledicta cella, propter te solam ad inferos damnatus, heu miser abscedo.* Et cum dicto disparuit. Alius, teste eodem Scriptore, quòd Ecclesiam præter communes paupertatis leges extendere voluerit, damnatus est. Unus etiam, quòd cellam sibi splendidiorem exstruxerit, ad tartara raptus est, quamvis hic sub *S. Francisco* in familia laxiore militaverit. Ita refert idem *Boverius* in Annal. Anno 1554.

18. Ex his ergo, & similibus aliis pluribus

pluribus exemplis, satis abundéque contemplari poteris, quàm pertimescenda sint judicia Dei in violatores voti paupertatis. Cogita præterea, & pensiculatè perpende, quid animi tibi esset, si tu ex horum mortalium infelicissimorum numero fuisses unus, nonne jam infernali incendio, & quidem æternùm conflagrares? Age proin summas Deo grates, quòd ex immensa sua misericordia, tibi præ tot centenis aliis exhibitâ, non posuerit te in exemplar, quo cæteri tuo irreparabili damno saluti suæ meliùs consulerent, sed quòd collocârit tibi alios ante mentis oculos, quo tu alienis malis cautior & vigilantior fias, Sanctæque paupertati studiosior, ne eadem infelix sors tibi obtingat. Firmiter etiam tene Religiosos, proprietatis vitio nostris his temporibus laborantes, nequaquam effugituros horribiles illas à justo Judice huic delicto præparatas pœnas: tametsi non semper in præsentis vitæ statu in eosdem animadvertat, sed peccata, & scelera eorum dissimulet, ac pœnitentiam exspectet, quam si non egerint, duplici contritione conteret eos. Ne ergo & tu, Religiose, ob proprietatis vitium salutis bivio tuam exponas animam, cæloque proscriptus, cum proprietariis, & paupertatis votum violantibus apud inferos pœnas solvere cogaris æternas; modò noli surdâ pertransire aure illud divinum præceptum, in *Deuteronomio* his verbis expressum: *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus* in die judicii, *& si moratus fueris, si transgressus, reputabitur tibi in peccatum,* quod ne quidem ignibus gehennalibus expiari poterit unquam.

# SERMO XVIII.

## DE VOTO CASTITATIS.

*Hæc est voluntas Dei Sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione &c.* 1. Thess. 4. v. 3.

## PARS PRIMA.

1. S. *Paulus* ad *Thessalonicenses* scribens, voluntatem Dei in eo potissimum versari dicit, ut Sanctificationi nostræ omni cum industriâ, & studio operam demus, id est, ut nos continentes & castos assiduè exhibeamus. Et ne dubium relinqueret (inquit *S. Joannes Damascenus*) vel obscurum, quidnam Sanctificationem voluerit appellare, utrùm Justitiam, an charitatem, an humilitatem, an patientiam (in omnibus enim his virtutibus creditur acquiri Sanctificatio) infert, & manifestè designat, quid propriè sanctificationem voluerit appellare; *hæc est,* inquit, *voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in Sanctificatione, & honore, non in passione desiderii.* Alii etiam Sancti Patres mirum in modum nobis commendant corporis & animi puritatem, tanquam

Sanctitatis Magistram; de quâ *S. Hyeronimus* dignissimum hoc pronuntiatum nobis scripto reliquit: *Pudicitia imprimis est retinenda, quâ amissâ omnis virtus ruit.* Quod idem etiam sentit *S. Ephrem*, tr. 1. de virt. cap. 78. qui ad nostrum intentum sic scribit: *Serva frater castitatem corporis tui, quam si in charitate Christi custodieris, omnem facilè virtutem perfectè exercere, & assequi poteris. Marcellus Scithiota* Abbas apud *Joannem Moschum* Prat. spirit. c. 42. similiter docet: quòd nimirum nihil ita Deo Monachos familiares efficiat, ùt pulchra, & honesta, & Deo gratissima Castitas, quæ (ùt Apostolus 1. Cor. 7. attestatur) honestatem, & perseverantiam jugiter vacandi Domino sine distractione præstat.

2. Quæ cùm ita sint, haud immeritò Sancti Patres ab initio Monachismi Castitatem censuerunt ad perfectionem unicè esse necessariam; nam mulier exactissimum instrumentum est, quo mores viri boni corrumpi solent. Est porrò castitas tam eximia virtus, ut vel apprimè hanc Dei filius suspexerit, & desiderârit in gloriosissimâ Virgine Mariâ, ideóque illam præ cunctis mulieribus in suam Matrem eligere voluit. Inficiari sanè nequit, quin Castitas magnis polleat viribus quidvis à Deo impetrandi, est enim hæc virtus ipsi suavissimus & gratissimus odor, quem si in animâ nostrâ persentiscet, eam multum adamabit sibíque desponsabit, omnibúsque cælestibus thesauris locupletabit. Audiet proindè talis pia & casta anima illud sibi dici à Deo: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen. 27.

3. Profectò haud incongruè Castitatem comparare solent Ascetæ cum *D. Bonaventura* lilio; Sanctus enim hic Doctor in lilio sex grana quasi aurea, & sex folia nivis instar candida considerans, dicit: & nota, quòd in lilio sex sint folia nivei coloris, & sex grana aurei coloris; sex folia nivea significant carnis pudicitiam, & sex grana aurea significant mentis munditiam. Primò ergò in lilio sunt sex folia, in quibus figurantur sex ad pudicitiam necessaria; *Primum folium* est, cibi & potûs sobrietas, juxta illud *S. Hyeronimi*, in Epistolâ vigesimâ secundâ ad Virginem *Eustochium* ita scribentis: *Virgo fugiat vinum, ut venenum; nam vinum, & adolescentia est duplex incendium voluptatis.* Hoc ergo folium lacerat excessus in cibo & potu, quasi quædam spina; Crapula enim & ebrietas est via ad luxuriam, ùt patet in *Loth*, qui inebriatus perpetravit incestum. Hinc monet Apostolus, *nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria.* Et *Tertullianus* l. de spectacul. ait: *conspirata & conjurata inter se sunt ebrietas & libido.* Crapula ergò maximè fugienda est tanquam veneris hamus.

4. *Secundum folium*, inquit Seraphicus Doctor, est habitûs asperitas; unde dicit *Bernardus*: *Memento quòd asperior carduus pannum facit leniorem, sicut asper habitus carnem facit castiorem.* Spina hoc folium lacerans, est habitus superbus & mollis, qui incitat ad luxuriam. Unde filii Israël fornicati sunt cum mulieribus *Moabitis* quæ se ornaverant, ùt perhibetur in lib. Numer. c. 25. *Tertium folium*, est laboris strenuitas, hoc folium lacerat ignavia, & otium, cùm sint summum luxuriæ nutrimentum; juxta illud *Ezechielis* 16. 49.: *Hæc fuit Sodomæ iniquitas sororis tuæ, superbia, saturitas, abundantia panis, & otium.* Hinc David in domo otians commisit adulterium. Appositè proin canit *Poëta*:

Otia

*Otia si tollas, periêre cupidinis arcus.*
Et istud:
Quæritur Ægystus, quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

*Quartum* hujus lilii folium, est custodia sensuum, & maximè quoad visum, & auditum, quia curiositas videndi, & audiendi via est ad peccatum, cujus exemplum patet in Dina. *Quintum* folium, est fuga inanium verborum, & maximè immundorum; quia multum excitatur luxuria per verba dissoluta & inhonesta; nam dicit Apost. 1. *Cor.* 15. *Nolite corrumpi inanibus verbis, corrumpunt enim bonos mores colloquia prava. Sextum* folium, est fuga occasionum; Nam plurimi castitatis naufragium fecerunt, quia consortia pravorum hominum, præsertim mulierum non vitarunt. De quo infrà plura.

5. Enimverò, ut hoc castitatis lilium, Deo & Angelis suaveolens, integrum & intactum conservetur, opus est quotidianâ pugnâ, & multo sudore & labore; siquidem, teste Magno Patre *Augustin.* in l. de bono humil. c. 2. inter omnia certamina Christianorum sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria; gravem námque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, & semper timetur. Certò & ipse *S. Paulus*, non obstante quòd ad cælum usque evectus, & raptus fuerit, insultum carnis patiebatur: *Datus est mihi stimulus carnis meæ*; Unde præ ardenti conservandæ Virginitatis desiderio exclamavit, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Porrò, *S. Joannes Climacus* grad. 15. Apostolum hoc loco mortis nomine carnem intellexisse existimat; quia sicut mors homini connaturalis est, omnibúsque inevitabiliter accidit; ita quoque omnes homines, etiam perfectissimi & sanctissimi, quamdiu hâc fragili carne induti sunt, concupiscentiæ, & tentationibus carnalibus subjiciuntur; ac proinde verba illa: *Psal.* 88. *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?* de carnali concupiscentia exponit, ut sensus sit, *& non videbit contaminationem carnis.*

6. Verissimum igitur est, quod spiritus fornicationis nulli ætati, nulli sexui, aut conditioni parcat, fugatus enim redit, mortificatus reviviscit, debellatus denuò bella movet, prostratus resurgit. Testatur id *S. Job.* c. 7. *Militia*, inquit, *est vita hominis super terram*; Id est, Tentatio tamdiu duratura, donec caro & spiritus ab invicem separentur, ut iterum in novissimo Judicii die reuniantur. Unde *D. Chrysost.* de indefesso hoc inimico dicit: *Licet millies eum propellas, millies impetum facit, nunquam inducias belli hujus obtinemus.* In hujus asserti confirmationem idem S. Constantinopolitanus Præsul aliquot sanctorum Virorum adducit exempla, in hæc verba: *Audivimus hoc nostro sæculo, nonnullos ferro totum corpus obligantes, & sacco vestientes, & ad vertices montium currentes, & in continuis vigiliis, ac inedia summa viventes, & omnem disciplinæ severitatem ostendentes, mulieribus ingressum in tugurium suum interdicentes, atque hac ratione seipsos castigantes, ægrè tamen concupiscentiæ furorem comprimere.*

7. Cùm ergo ita sit, ideo quisquis sibi castitatis lilium comparare, vel potiùs conservare peroptat, strenuè cùm hoste confligat, necessum est. Sic fecerunt omnes, quotquot cum *S. Paulo* 2. Cor. 2. 15. *Christi bonus odor* fieri concupiverunt. Inter hos apprimè censendus est *S. Benedictus*, de quo *S. Gregorius* l. 2. Dialog. cap. 2. sequentia refert. Quadam die dum solus esset B. Benedictus, ten-

tentator affuit. Nam nigra parváque avis, quæ vulgò merula vocatur, circa ejus faciem volitare cœpit, ejúsque vultui importunè insistere, ita ut manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset, sed signo Crucis edito recessit avis. Tanta autem carnis tentatio, ave eadem recedente, secuta est, quantam vir sanctus nunquam fuerit expertus. Quandam namque fœminam aliquando viderat, quam malignus spiritibus ante ejus mentis oculos reduxit, tantóque igne servi Dei animum in speciem illius accendit, ut se in ejus pectore amoris flamma vix caperet, & penè deserere eremum, voluptate victus, deliberaret. Ast supernâ gratiâ subitò respersus, ad semetipsum reversus est; vestibus itáque suis exutus, totúsque nudus in medias sese spinas, & urticas projecit, in iis tamdiu volutatus, donec toto corpore sauciatus esset. Fuit hoc adeò gratum Deo sacrificium, ut nihil omnino deinceps tentationis hujusmodi experiretur.

8. *S. Franciscus Seraphicus*, à dæmone per impuras suggestiones agitatus, nudum corpus in foveam glacie plenam projecit. Aliàs etiam cùm se ardentissimis pravi Cupidinis facibus uri sensisset, repentè vestes exuit, & acerrimè flagris in suum tergum animadvertit, suáque cellâ progressus, hortúmque ingressus, mediis sese nivibus involvit, dein & cùm septem nivium cumulos aggessisset, ait: Ecce major hic cumulus est uxor tua, reliqui sunt tui filii, & filiæ, & famuli, confove eos, ne frigore extinguantur. Quod si molestum tibi videtur, agedum ferventiùs Deo famulare. Itaque igne divino ignes venereos extinxit sic, ut ne scintillam similis incendii persentisceret.

9. Non minùs laudis sibi vendicat B. noster *Joannes Bonus*, qui cùm in eremo viveret, eum luxuriæ inquinamento impugnare cœpit dæmon, mulieris formam objiciendo, quam aliquando conspexerat. Cùm autem sic vehementer incenderetur, voluptatis sensum inusitato cruciatu repressit. Nam accipiens arundinem, & multas in acutissimas partes dividens, eas sub unguibus posuit, elevánsque manus super lapidem ita percussit, ut ad extremum digitorum penetrarent. Unde præ dolore in terram lapsus, tribus diebus ac noctibus semivivus permansit. Sed non deseruit servum suum pius Dominus: in somnis enim apparens, dixit: Quia benè cœpisti, benè perseverabis, & feliciter consummabis vitam. Quia verò ita viriliter contra tentationes dimicasti, de cætero non tentaberis. Qui statim excitatus, sanum se conspiciens, gratias retulit Salvatori.

10. Stupenda porrò etiam censetur victoria, à carne & mundo à quodam Asceta relata, de quo narrat *Nicephorus Calistus* l. 7. c. 13. in Ecclesiastica historia, quòd castitatem & virtutes alias piis studiis sedulò meditans, æquali decertavèrit agone. Is cùm expugnari non potuisset, nullámque adversariis vincendi spem reliquisset, post innumera tormenta in lectulo florido vinculis sericis ligatus reponitur, & mulier eleganti formâ præstans, & non minùs compta, quàm impudica ad eum mittitur, quæ illum complectens, exosculans, & (quod dictu nefas est) manibus eum attrectans, procacissimè ad rem illicitam concitat. Quid ageret miles Christi, quò se verteret nesciebat; Verùm ille aliud, quod faceret, non habens, linguam ipse suam, morsu concisam, dentibúsque comminutam in faciem meretricis exspuit. Quare sibi ipsi quidem pro voluptate dolores, impudicæ

pudicæ autem mulieri probrum, atque stuporem cum acerbitate causavit, & sicut in certamine pudicitiæ adversus eam victor fuit, ita paulò post vitam Martyrii sigillo confirmavit; Nomen Sancti hujus Martyris est, Nicetas.

11. Denique plurimi alii vitam ipsam potiùs, quàm castitatem perdere elegerunt. De *Bonifacio Papa* IX. legimus apud *S. Antoninum*, quòd cùm ex acerbissimis calculorum doloribus, diu perpessis, tandem ei moriendum esset, eíque à Medicis desiderata promitteretur corporis salus, & convalescentia, dummodo in carnalem cum fæmina copulam consentire vellet, minimè acquiescere voluerit tanto contra legem divinam sacrilegio, eligens potiùs mori, quàm impudicè vivere. *Sancto Casimiro* Regi Poloniæ simile quid accidit, cùm enim in gravem morbum collapso, Medici suaderent, ut si ætatem floridam, thesauros, regnum, & vitam conservare vellet, virginitatis, quam eximiè amabat, colebátque, jacturam faceret, ille mori potiùs, quàm castitatis, & pudicitiæ jacturam de Medicorum consilio subire, constantissimè elegit.

12. Enimverò, quid mirum tantam inesse fortitudinem & generositatem viris contra brevissimam carnis illecebram, cùm etiam in imbelli sexu, in sexu fragili, in sexu fæmineo masculum animum reperiamus; Quot enim non fuerunt generosissimæ Virgines, quæ in bello contra salacissimum Asmodæum fortissimè decertarunt, ne huic crudelissimo Tyranno in prædam cederent. De *S. Maria Magdalena de Pazzis* sequentia habentur in ejus vita. Cùm die quadam continuis dæmonum apparitionibus oppugnata, & dirissimè tentata fuisset in materia castitatis per oblectamenta sensuum; illa memor quid in simili occasione fecerit *S. Benedictus*, abiit in apothecam lignariam, lectísque ibi spinis, & acutis assulis, super eas nudam se volutavit tamdiu, donec incendium diabolicum restingueretur. Aliquando se flagellabat disciplinâ ferreâ, cingebátque corpus suum horribili cingulo, quod ipsa sibi texuerat ex cannabe cum clavis acutis, carnem lancinantibus. Adhibebat præterea ardentes orationes pro impetrando Dei adjutorio, specialémque fiduciam reponebat in beatissima Virgine, quam cum lacrymarum abundantia deprecabatur, ut faceret eam superare tentationes carnis absque ulla virginitatis suæ macula. Apparuit igitur Regina cælorum circumdata gloriâ, eámque certam reddidit, quòd in conflictu tam molesto nunquam offenderit divinam Majestatem; imò, quia animosè certaverat, retulerit semper amplam victoriam. Quare candidissimo velo ipsam cooperuit: quæ continuò sese sensit interiùs stringi, atque ligari, in signum quòd nunquam deinceps esset impugnanda per tentationes carnis, quia posthàc toto vitæ suæ tempore nunquam hac in parte fatigata fuit, sed neque sensit imaginationem ullam impuram.

13. *Baronius* An. 670. n. 39. de *B. Ebba*, Monasterii Collingamensis Abbatissa narrat, quod cùm Danorum cum valido exercitu universam regionem devastantium timeret violentiam, utpotè quorum barbaries ne quidem Virginum Deo consecratarum pudicitiæ parcebat, ipsa convocatis coram se ad Capitulum subditis Religiosis suis dixit, quòd si suo acquieturæ essent consilio, futurum omnino foret, ut ab imminenti paganorum liberarentur periculo; quæ cùm in quacunque re maternis ejus præceptis obedien-

obedientiam exhibere promisissent, Ebba Abbatissa, apprehensâ novaculâ, nasum unà cum labio superiori usque ad dentes animosè sibi præscidit. Quod generosum facinus reliquæ omnes, non sine admiratione videntes, confestim singulæ imitatæ sunt. Cùm sequenti diluculo barbari milites haud secùs ac vultures rapaces non minùs lascivè, quàm truculenter candidum hunc spiritualium columbarum gregem aggredi pararent, subitò viso funesto hoc spectaculo exterriti, iráque in vindictam armati & inflammati, universum Monasterium unà cum sanctimonialibus universis, igne supposito, conflagrarunt, & quia inquit, *Baronius*, idipsum ex speciali Spiritûs Sancti impulsu fecisse creduntur, omnes hæ Moniales ab Ecclesia in Martyrum numerum relatæ, tanquam tales religioso pietatis cultu quotannis honorantur.

14. Similiter aliæ plurimæ Deo devotæ Virgines, ne vitiarentur, se mutilârunt, aliæ oculos sibi eruerunt, aliæ fœdum in modum faciem suam vulnerârunt, aliæ se in aquas præcipites dederunt; aliæ denique ne virginitatem perderent, vitam ipsam sub gladiis, supra rotas, & rogos perdiderunt. Et non immeritò, est siquidem corporis, animique integritas tam pretiosus thesaurus, ut Sapiens dicat: *Eccli. 26. v. 20. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* Quæ verba *Glossa* ita exponit: Opes scil. mundi, in unum cumulum congregatæ, castitati & continentiæ in pretio comparari non possunt. Ad hunc ergo thesaurum custodiendum, ne nobis eundem extorqueat infernalis prædo, induere oportet magnam fortitudinem, & generositatem, ad quid enim aliud signum Virginis in Zodiaco inter libram, & leonem positum est, nisi ad designandum, castitatem non posse conservari, nisi inter libram, id est temperantiam, & leonem, id est, fortitudinem? Armamentarium proinde nunquam à nobis claudendum est, priusquam nobis sepulchrum aperiatur, quia Virgo (& quiscunque alius castitatis cultor) à bello nunquam cessare potest, ut rectè dixit *D. Chrysostomus.* Ratio est, quia cum triplici hoste colluctandum est, quorum nullus cessat carnem pro viribus inflammare. Primus, ipsa natura est; alter, cibus & potus; tertius, dæmon. Ad hanc ergo hostium trigam debellandam arma spiritualia semper ad manum habeamus necessum est, cujusmodi assignari solent à vitæ spiritualis Magistris, & directoribus quæ sequuntur.

# PARS SECUNDA.

15. QUamvis inficiari nullatenus possim, quin mortificationes corporales, puta cilicia, flagra, jejunia, &c. ad debellandam rebellem carnem magnas habeant vires, non tamen semper eandem domant, ut testatur *S. Climacus* grad. 15. dicens: *Ego novi ad summum jejunantes, validè fuisse quassatos carnis motibus.* Quod ipsum etiam perhibet *S. Chrysost.* superiùs num. 6. citatus. Unde Sancta Virgo, & Abbatissa *Sara*, etsi multum jejuniis, & vigiliis alíisque vitæ rigoribus corpusculum suum attenuaret, nihilominus tamen acriter per annos tredecim impugnata fuit. *B. Pachon* optabat ferarum dentibus laniari,

eò

eò quòd quadraginta annorum solitudine, jejuniorum, aliarúmque rerum asperitate hunc hostem expugnare non potuerit, licèt nunquam penitus eidem succubuerit. Ita testatur *Palladius* in Vitis PP. cap. 29. Igitur non tam in his externis pœnalitatibus, quàm in Deo spes, & fiducia nostra est ponenda. Unde *Cassianus* apud *Rodriquez* part. 2. tract. 3. cap. 35. docet, quòd nullus labor ad consequendam castitatem per se sufficiat, usque dum per experientiam noverimus, quòd nostris viribus minimè ad eam possimus attingere, sed à divinâ liberalitate, & misericordia eam descendere debere. Cui per omnia suffragatur *D. P. N. August.* lib. 6. de Virginit. cap. 39. Nam primum, & primarium castitatis acquirendæ, conservandæve medium asserit esse humilitatem, ut nimirum non cogites, te ipso id te posse, tuásque vires, & diligentiam ad hoc sufficere: nam si his nitaris, eam haud dubiè amittes: Verùm tibi persuadeas, à Deo eam dari, ac cælitùs descendere debere, in eóque omnem tuam fiduciam colloces. *S. Paulus* Apostolus nos pretiosum hunc pudicitiæ thesaurum in vase fragili, & quasi vitreo portare asserit, ac proinde cùm nobis multi validi, indefessi, & implacabiles hostes semper insidientur, quò hunc thesaurum nobis eripiant, pro illius secura custodia, & conservatione specialissima Dei assistentia est nobis necessaria. *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. 2. Cor. 4. 7.*

16. *S. Anselmus* in cap. 19. *Matth.* prudenter observat, quòd cælestis Magister noster Christus, dum de Virginitate disserit, dixerit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*; causámque cur Deus non omnes Virgines esse, & permanere decrevit, hanc esse dicit, quia castitas donum est Dei, qui proinde illud dat, cui vult, non verò industriæ nostræ opus est. *Id est*, (verba sunt præfati Archiepiscopi) *Non omnes servant verbum istud, quod bonum sit continere. Non dixit: non possunt capere, id est, servare, quia benè possent, si vellent vincere carnis infirmitatem; sed dixit: Non omnes capiunt, id est, non omnes continent, sed quibus datum est divina gratia, in his verbis ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus.* Quod ipsum quoque asserit *Sapiens* in libro, cui *Sapientiæ* nomen est, manifestè enim fatetur, cap. 8. *Quòd aliter non possit esse continens, nisi Deus det.* Id quod etiam perspectum habebat Vates coronatus, cùm cecinit *Psal. 126. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Et nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Ipse est, à quo continentiæ donum nobis dari, & jam datum custodiri, & conservari debet, quod nisi fiat, omnis noster conatus irritus erit.

17. Profectò frequens experientia per omnia sæcula nos docet, quòd homines cæteroquin virtuosi, in proprio corpore castigando habituati, & vitæ illibatæ assueti, ex eo tamen, quia nimis de sua virtute securi, & in proximis positi occasionibus, de propriis viribus nimium confisi, tandem turpiter fuerint lapsi, unde idipsum, quod *S. Hieronymus* de Virginitate scripsit, lib. 1. cont. Jovin. nos in communi de pudicitia, & continentia asserere possumus, videlicet: *Difficilis res est Virgi-*

*virginitas, & ideo rara; multi vocati, pauci electi, incipere plurimorum est, perseverare paucorum.* Et ideo Sanctus quidam *Eremicola* plenus dierum & sapientiæ, animam cujusdam Solitarii eousque à tentationibus carnis infestandam esse dixit, donec castitatem donum Dei, non verò opus virium suarum esse agnosceret, & confiteretur. Hujus pariter opinionis est *S. Joannes Damascenus*, qui de spiritu fornicationis disserens, hanc nobis doctrinam scriptam reliquit: Hunc immundissimum spiritum superare omni mentis intentione, non nostris viribus confidentes (hoc enim industria humana facere non prævalet) sed opitulatione Domini festinemus, tamdiu enim necesse est hoc vitio animam impugnari, donec se bellum gerere supra vires suas agnoscat, nec labore vel studio proprio victoriam obtinere se posse, nisi Domini fuerit auxilio, & potestate suffulta.

18. Confirmatur id ipsum exemplo Abbatis *Moysis* (de quo *Palladius* in Vitis Patrum lib. 8. cap. 22. refert) qui cùm in sæculo validissimo fuisset corpore, & animo scelestissimo, se ex toto corde dein ad Deum convertit. Fuit hic initio conversionis suæ à diabolo gravissimè tentatus, maximè autem à fœdis & carnalibus concupiscentiis infestatus, quibus fugandis è seniorum consilio quæcunque humanitùs poterat, remedia adhibebat, orationi tam frequenter instabat, ut potissimam noctis partem insomnis, erecto in pedes corpore, orando transigeret, neque reliquo tempore ullam sive diurnæ sive nocturnæ quietis partem caperet. Manibus quoque per diem multum laborabat: adhæc non nisi pauxillum panis in alimoniam admittebat: per Seniorum quoque cellas jugiter obiens, aquam illis deferebat: alia denique non vulgaris austeritatis genera ad tentationes has à se dispellendas haud segniter usurpabat. Sed incassum omnia: neque tentatio cessabat, imò tanta concupiscentiæ carnalis vehementia in eo erat, ut parum abesset, quin succumberet, & religiosum institutum desereret. His in angustiis dum versatur *Moyses*, ab Abbate *Isidoro* invisitur, qui ex parte Dei sic eum est allocutus. Ex hoc temporis articulo, frater *Moyses*, fœda illa tua somnia, & tentationes cessabunt. Atque uti promisit, sic & factum. Causam enim, cur Deus eum siverit tam acriter tentari, ei exposuit dicens: Ne gloriareris, nec te extolleres, ùt qui tuâ exercitatione vicisses affectionem, ideo vehementer in te suam exercuit potestatem ad tuam utilitatem, ne incideres in elationem animi. Nondum scilicet *Moyses* diffidentiæ donum obtinuerat; quod ut perdisceret, nec ob nimiam suam præsidentiam in superbiam incideret, idcirco ad tot annos eum Deus permisit cum carne luctari, neque tamen tot tantisque laboribus plenam hujus passionis victoriam ei concedere voluit, quam tamen alii per longè minorem laborem subinde obtinent. Vult enim Deus, ut nostram fiduciam in se ponamus, de nobis verò penitùs diffidamus, nec ullatenus nostrâ solertiâ, mediisque humanis nitamur. Quamobrem, si certaminis lauream ab intestino & congenito nostro hoste referre, eúmque ditioni nostræ subjugare discupimus, ante omnia alia media impotentiam nostram, ad resistendum tam versuto & callido inimico, coram Deo fideliter ac rotundè, ut fateamur oportet; postmodum devotis precibus, crebris suspiriis, itera-

tis

is cordis affectibus, & desideriis nos à Deo adjuvari flagitemus; sicut enim Dux, cui castrum aliquod commissum est, videns illud ab hostibus, quibus imparem se credit, obsidione cingendum, mox ad castri Dominum litteras mittit, auxiliúmque petit; ita simili casu nobis agendum dicendúmque cum D. P. N. *Augustino*, l. 10. conf. c. 29. *O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris! Charitas Deus meus accende me. Continentiam jubes, da quod jubes, & jube quod vis.*

19. Jacto primario hocce fundamento, mox se aliud non minoris efficaciæ & energiæ argumentum offert, ad castitatis lilium inviolabiliter retinendum. Hoc autem est peculiaris aliqua ad castissimam Virginem, sine labe conceptam, devotio. Si enim (ùt *D. Bonaventura* in stimul. virt. l. 2. c. 23. testatur) ex venerando vultu, & corpore prodibat divinum aliquid, & virgineus frigidúsque ros, qui ad spectantium impuritatem omnem arcendam & extinguendam mirificè conferebat, & quasi virgines germinabat, aut ad majorem vitæ honestatem provocabat; quantò magis ab ea, nunc gloriosa, simile auxilium expectare poterit, qui eam mentis obtutu piè contemplatus fuerit? Si aspectus corporalis in Sanctissimam hanc Virginem, adhuc in terris exulantem, defixus tam frugifer & efficax fuerit ad arcendam intuentium libidinem, & castitatem adamandam; quanto potiori jure in quotidiano cum carne conflictu auxilium & juvamen sperare poterit ille, qui eam devotè & humiliter invocaverit nunc in cælis gloriosè triumphantem, & ad dexteram Filii sui sedentem? Profectò non habet, quò multùm trepidat in tentationum præliis positus, si Marianam opem sincero cordis affectu imploraverit. Unde meritò mellifluus *Bernardus* ser. 4. de Assumpt. his eam affatur: *Sileat misericordiam tuam Virgo Beata, quisquis est, qui invocatam te in necessitatibus suis, meminerit defuisse.* Proinde Magnus spiritualis vitæ Magister *Joannes Avila* varios effectus, & notabiles fructus se vidisse scribit in multis, qui cùm ab hac tentatione infestarentur, Virginis Deiparæ ope ab illa mirabiliter liberati sunt, nonnisi quotidie aliquas preces recitando in Immaculatæ ejus Conceptionis memoriam. Pro praxi igitur nota, quòd quotiescunque te carnalibus infestari motibus sentias, confestim te muni signo S. Crucis in fronte, & in pectore cum invocatione SS. Nominis JESU. Postmodum cum filiali affectu, & devotionis sensu implora castissimæ Virginis opem his aut similibus suspiriis: *O Purissima Virgo MARIA, per Sanctam Virginitatem & Immaculatam Conceptionem tuam, nec non per illam puritatem, quâ Unigenitum Dei Filium concepisti, & peperisti, supplex te rogo, extingue in me motum omnem libidinis, & da mihi virtutem integerrimæ castitatis. &c.* Ad castitatem præterea sartam tectam conservandam similiter cùm necessaria sit exteriorum sensuum custodia; ideo qualiter oculos nostros à fucata fœminarum specie avertere, earúmque contactum fugere debeamus, modò disseremus.

# PARS TERTIA.

20. Cùm indubitata sit illa propositio, à Divo Patre nostro *Augustino* in hæc verba proposita: ser. 15. de verb. Apost. *Qui fecit te sine te, non justificabit, nec salvabit te sine te.* Ita pari modo, quamvis puritatis donum nobis à Deo donari debeat, nulláque humana industria ad hoc sufficiat (ùt proximè insinuatum) hoc tamen nunquam assequemur, nec Deus illud nobis dabit, nisi etiam, quantum est ex parte nostra, strenuè laboremus, nec quicquam eorum, quæ huc ipsi conferre possumus, prætermittamus. Quemadmodum enim si quis magnum quendam trajicere parat fluvium, opus imprimis habet cymbâ; porrò quamvis hæc ita necessaria sit ad trajectionem, ut absque ea nullatenus attingi possit altera fluminis ripa, non tamen sola sufficit, sed exigitur etiam magnus labor à naviculatore adhibendus. Sic similiter tametsi absque peculiari Dei favore impossibile sit, rapacissimum tentationum carnalium fluvium citra castitatis naufragium tranare, hunc tamen cum solitaria Dei gratia minimè transnatabimus, si non etiam simul in exercitationibus mortificationum multùm studiosè desudemus. Igitur, si ad virtutem castitatis anhelare, eámque assequi, & assecutam conservare cupimus, sensuum, ac præsertim oculorum portas speciali quadam curâ, & solicitudine custodiamus oportet; quia, ùt Propheta *Jeremias* c. 9. v. 21. ait: *Ascendit mors per fenestras nostras.* Id quod expertus est Rex *David*, qui tametsi Sanctus, & vir secundùm cor Dei audiret, quòd tamen semel in videndo non sat cautus & circumspectus fuit, à muliere, quam viderat, abstractus & abreptus est, & peccati mors per illas incautorum oculorum fenestras ingressa, animam ejus despoliavit, deprædata est, & occidit. Rectè proin monet *S. Gregor.* inquiens: *Intueri non decet, quod non licet concupiscere*: quia res visæ & inspectæ hominem post se abripient, ac cor deprædabuntur; cúmque minùs putabit, captum se, & comprehensum deprehendet. Appositè ad hoc quadrat propositum, quod in libro *Genesis* registratur; quare nimirum Deus, ùt sacer textus *Gen. 6.* ait: *Tactus dolore cordis intrinsecus*, decreverit hominem, quem creaverat, à facie terræ delere? Et cur paulò pòst hoc suum decretum per universale diluvium adimplere voluerit? Ideò, *quia videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Ecce causam ruinæ tot millium, & iterum centenorum millium hominum; per aspectum enim in filias hominum defixum, filii Dei deperdidêre hoc maximi ponderis prædicatum, & indelebilem sibi ignominiæ notam inusserunt, dum non ampliùs filii Dei, sed carnis mancipia ab ipsomet Deo appellati sunt, dixit enim Deus; *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* O quot igitur unà cum his, per diluvium extinctis, sempiternis se subduxissent cruciamentis, si oculos suos in vanam & fucatam mulierum speciem non defixissent!

21. Hinc non immeritò *Ecclesiasticus* toto capite 9. dissuadet aspectum mulierum, tanquam periculum libidinis in animum invehentem. *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius.* Et iterum: *Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem*

*alienam: propter speciem mulieris multi perierunt.* Et rursus: *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt.* Quid clariùs hisce testimoniis, ab ipsomet Spiritu Veritatis dictatis? quis proinde citra maximam insaniam inficiari audet, non fore summè periculosum fœminarum aspectum? Siquidem formæ mulierum furtivo quodammodo modo virorum affectum solent allicere, ùt docet *S. Basilius* l. de Virgin. post initium dicens: *Sicut magnes ad se trahit ferrum; ita fœmina attrahit virum, quod vel maximè fit per mutuum aspectum.* Unde etiam *Apostolus* oculorum periculum insinuans, ordinat, ut mulier in Ecclesia habeat velamen super caput suum propter Angelos. Quid est propter Angelos? Respondet famosus quidam Author *Jacobus Marchantius* in Tuba Sacerd. tr. 3. lect. 5. propter Sacerdotum scil. reverentiam; ne fortè facie mulierum inspectâ, alicujus concupiscentiæ subeant periculum; vocantur enim Sacerdotes in scripturis Angeli. Providenter ergo Apostolus præscribit, ut velamen gerant mulieres propter illos; nam & ipsi vigilanter debent oculos custodire, & avertere, ne videant vanitatem: quia cùm nec virorum sit mulieres intueri, multò minùs servorum Dei.

22. Hoc quodam die edocuit *S. Ephrem* mulier quædam procax, casu ei occurrens, aut potiùs divino impulsu. Cùm enim ille in nemorum montiúmque desertis degeret, Dominus ei inspiravit, ut sese proximis impertiret, illáque sese solitudine abdicaret, quò plurium servire posset emolumento. Atque ita consultò se contulit Edessam, oravítque Dominum, ut sub ipsum Civitatis ingressum incideret in virum sanctum, cui cordis sui arcana detegeret, & à quo juvaretur, ac in omnibus ad spiritualem vitam pertinentibus dirigeretur. Sed enim Deus *S. Ephremo*, urbem Edessenam subeunti, sivit obviàm prodire meretricem; quæ res virum Sanctum vehementer afflixit, quòd sibi videretur à Domino non exauditus. Itáque tristis, verecundóque rubore suffusus, submissos in terram oculos defixit. Impudens autem pellex irretortis eum luminibus est contemplata. Quamobrem vir Sanctus erubuit, eamque reprehendens ait: Non erubescis mulier, tam fixis oculis me intuens? Cui illa, non erubesco, nam mihi licere reor te aspicere, quia ex te, lateréque tuo desumpta sum; Tibi verò convenit non fæminas, sed terram matrem tuam, ex qua sumptus es, aspicere, cùm & in illam reversurus sis. His verbis admonitus *Ephrem*, meritas egit Deo grates, quòd ab infami magistra didicisset, ex terra se genus ductare, atque ideò hanc fixis esse oculis contemplandam.

23. Verùm enimverò, tametsi quis non semper ex fæminarum aspectu cum Davide, Salomone, Samsone, & pluribus aliis in peccati casses præceps ruat, inficiari tamen nullatenus debet, quin saltem se magno labendi periculo exponat; cujus rei veritatem plurimis comprobare possemus exemplis, ex quibus tantùm paucula delibare lubet. *Ribadeneira* in vita *S. Brigidæ* Virginis recenset, quandam Monacham, cùm in procacem aliquem juvenem curiosiùs oculos defixisset, tanto repentè cupidini igne accensam esse, ut infelix nullam quietis partem haberet, dæmon enim identidem vivam conspecti adolescentis speciem animo ejus repræsentavit, & quotidie pro suo solenni impuri amo-

ris flammâ eam accendit, & haud dubiè etiam illam in lapsum pellexisset, nî specialiter Dei gratiâ præventa fuisset. Nam cùm jam periculo propiùs aberat, divinitùs instincta prunas è foco corripuit, nudisque eas plantis calcavit, itaque Vulcano Veneris ignem triumphavit. Nihil meliùs etiam ex tali aspectu evenit *S. Bernardo*; vix enim hic castissimus juvenis ex quadam incuria formosam quandam, comptamque fæminam suismet oculis arbitratus erat, mox pravum sensualitatis motum in carne oriri advertit, quem ùt sensit S. Juvenis, & quòd hujusce tentationis causam sibi ipsi dederit, vindices à semetipso pœnas expetiturus, notamque eluturus, in glaciale sese stagnum immersit, & illic tamdiu duravit, donec ipsum naturalem calorem propemodum extinxerit. Itaque semivivus inde extractus. Porrò etsi hoc actu tam generoso meruerit concupiscentiæ carnalis habenas, sicut omnis ille fomes, qui regnat in nostris membris, penitùs aboleretur, nihilominùs tamen jam cautior factus oculos suos sic refrenavit, ut in hac mortificatione nullus fuerit inventus ipsi par. Et ut alia prætereamus exempla; Quid *S. Benedictum* in summum perdendæ castitatis discrimen pellexit? Nonne curiosus ille aspectus, quo Romæ quandam fæminam aliquando fixiùs intuitus est? Et nisi se volutâsset in spinis, quò forsan abiisset?

24. Quis proinde in disceptationem revocare audet, fæminarum aspectum non fore viris valde ruinosum? Sanè si talis vanus obtutus nil discriminis secum traheret, hunc viri celebres, ac divino pleni Spiritu, haud tam acriter perstrinxissent. Lubet percipere *S. Dominici* factum; Hic Sanctus Pater, cùm fortè certum negotium cum fratribus tractaret, ingressus est Sacrista, & uni in aurem insusurravit: *Pulchra mulier adest, petens confiteri.* Audivit in spiritu vir Sanctus Sacristæ dictum, quare eum acerbissimè objurgavit, & pro clausula addidit dicens: Vade jam, & disce fæminas intueri, & de colore judicare. *S. Sabbas* Abbas etiam, cùm advertisset multos aliquam mulierem comitatos esse, socium suum probare volens, dixit: Compatior huic mulieri, quòd unum duntaxat oculum habeat. Cui cùm socius responderet, utroque & quidem eleganti esse præditam; Ergóne eam, inquit, vidisti? Discede à me, nolo talem socium, qui est tam curiosus. Denique *S. Franciscus* pariter à suis in Christo filiis exigebat, illísque identidem inculcare solebat, ut mulierum familiaritates, colloquia, & aspectus summo studio devitarent, per hæc enim dicebat debilem frangi, & fortem sæpenumerò infirmari. Qua in re ipse S. Pater tam cautus, & circumspectus erat, ut socio aliquando dixerit, se nullam fæminam de facie nosse. Sic refert *Nicolaus Lanciz.* Opusc. 2.

25. Enimverò objicere mihi nonnemo videtur illud, quod commemorat *Drexelius* in Amussi. lib. 1. c. 8. §. 3. de Angelico Doctore *Thoma Aquinate.* Cùm enim vice quadam, interesset convivio, in quo inter reliquos assessores etiam numerabatur mulier quædam rarissimæ venustatis formâ præstans, hanc ergo Thomas, fixis in eam oculis, diu contemplabatur; quod ùt notavit ejus Socius, non levem sumpsit suspicandi ansam, arbitrans eum, amore inhonesto abreptum, in mulieris forma hærere; sed opinionem suam brevi mutavit, dum à viro sancto causam hujus facti edoctus est: Dixit enim S. hic Doctor ad eum:

Non

Non sat possum admirari mundi Conditorem, qui, cùm sua plasmata tanto vestit, & amicit decore, & pulchritudine; quantâ ergo non in infinitum majori venustate, excellentiâ, & pulchritudinis raritate fulgebit, & radiabit eorum Plasmator Deus? Si misellì homines, filii sæculi, filii noctis, & tenebrarum, in hujus vitæ præsentis exilio constituti, jam tantâ formositate conspicui apparent, quales non erunt post Oecumenicam Anastasim, dum divinæ erunt consortes naturæ? Si hoc egit tam inclytus Ecclesiæ Doctor (dices) cur & mihi non licebit ob eandem causam formosiores mulierum vultus inspicere, & in hoc tam S. Virum imitari? Respondeo, quòd, quamvis S. Thomas hoc in negotio nequaquam vituperandus, sed plurimum laudandus sit, non tamen imitandus, quia in illo nullum suberat labendi periculum; divinitùs enim impertitus erat non vulgaris castimoniæ dono, quam gratiam nec unus ex centenis millibus acquiret, ideóque nemini fas est se temerè periculo exponere, in quo adhuc carnalis concupiscentiæ fomes viget. Præterea etiam nosse debemus, gloriosum hunc Doctorem non fuisse solitum fœminarum facies observare, aliàs *Surius* in ejus vita non testaretur, eum perinde formosorum vultuum aspectum vitasse, ac alii viperas & scorpiones vitare solent. Quod verò in præfato casu factum est, non temeritati, & curiositati, sed potiùs singulari Dei nutui adscribendum esse, nullus ambigat.

26. Huc servit ingeniosum quoddam cuidam redditum responsum, qui quoad curiositatem oculorum suorum excusare se volens, quodam Psalmistæ textu abusus est. Accidit enim viro illustri, quòd astaret alteri non inferioris dignitatis in templo, cúmque ingressa esset adolescentula, genere, & formâ nobilis, oculos illicò in ejus aspectum reflexit, quod cùm alteri illi displicuisse animadverteret, ejus severitatem comprimere ausus, illo Psalmi versiculo se excusavit: *Delectasti me Domine in factura tua.* Sed ille ex tempore, suaviter sanè: Perge, ait, & vide, quæ eodem in Psalmo sequantur, & invenies: *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Psal. 91.* Ita refert *Guilel. Baldes.* lib. 3. stim. virt. adolesc. *S. Joannes Damascen.* in vita *S. Josaphat Regis* sequentem refert historiam nostro proposito peraccommodam. Cùm Rex quidam multis votis desideratum nactus esset filium; Medicíque ex unanimi sententia eidem prædixissent, filium hunc infallibiliter excæcandum fore, si intra 12. annorum decursum solem, vel ignem conspecturus esset. Unde Rex id metuens, in specu quadam subterranea filium educari curavit. Completis autem 12. annis ipsum foras in apertam lucem prodire jussit, ejúsque oculis varia objici mandavit, nimirum aurum, argentum, uniones, & lapides pretiosos, aves, &c. Et quidquid denique humanos oculos delectare, & in admirationem rapere solet, ei exhiberi, & demonstrari imperavit, ac inter cætera etiam fœminas, quarum nomen dum puer scire discuperet, audiit à Regis armigero, dæmones eas appellari, à quibus hominum mentes in errorem traherentur; Pueri autem pectus earum amore, ac cupiditate vehementiùs, quam ullius alius rei desiderio illectus, ac delinitus est. Cùm igitur Rex ex ipso, quidnam ex omnibus rebus, quas vidisset, ipsi magìs arrideret, quæsivisset; Quid, inquit, aliud quàm dæmones illi, qui homines in fraudem inducunt? Neque enim ullius rei ex

his

his omnibus, quas hodierno die vidi, perinde atque eorum amore animus meus incensus est. Atque hunc pueri sermonem Rex ille admiratus est, quamque violenta atque tyrannica res fœminarum esset, hinc judicavit.

27. An non verissimum, quòd stygius veterator per fœminarum aspectum, & pulchritudinem, virorum animos emolliat, eósque in sensilem pravæ cupidinis illecebram pelliceat? Jure meritò ergo nos monet *S. Greg.* l. 21. moral. c. 2. dicens: *Comprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam*; qui innocentissimos agnos fascinant, &, velut scrupo in flumen conjecto, labyrinthum tentationum inducunt. Exemplum ingens est illud Juvenis Anachoretæ, qui cum Abbate suo urbem adiens, ubi mulieres vidit, cujusmodi eæ res essent, solicitè ab Abbate quæsivit. Cui Abbas anseres esse respondit. Reversus puer ad claustrum, incessanter flere cœpit. Ad quem Abbas: Quid vis, fili mi? Ait ille: volo anserem, pater mi, quam in civitate vidi. Quâ petitione Abbas consternatus, ad suos conversus eos monuit, oculos diligenter clauderent, cùm etiam innocens, qui virtutem ignis ignorat, per oculos inardescat. Certè *Cornelius à Lapide* in cap. 5. Matth. v. 28. vivaciùs fœminam depingere haud potuit, quàm dum dicit: *Fœmina visu est basiliscus, voce Siren; voce incantat, visu dementat, utroque perdit, & necat. S. Hieronymus* super illa verba *Ecclesiastis*, cap. 7. *Inveni amariorem morte mulierem*, ita de hoc fœmineo sexu scribit: *Sed & hoc ait: Requisivit anima mea, an recta mulier inveniatur? & cum vix paucos de viris bonis invenerim (ita ut de mille vix unum potuerim invenire) mulierem bonam omnino invenire non potui, omnes enim me ad luxuriam, & non ad virtutem deduxerunt, & quia appositum est cor hominum diligenter ad malitiam ab adolescentia sua, & pene omnes offenderunt Deum, in hac ruina generis humani facilior ad casum est mulier.* Quisquis proinde castitatis lilium intactum conservare desiderat, vanam mulierum speciem intueri caveat necessum est.

28. Certè dæmon per alterius sexûs aspectum, & pulchritudinem corda virorum fascinat, & incantat. *Cæsarius* l. 4. c. 96. sequentem, quæ suis temporibus accidit, historiam enarrat: Monachus quidam ætate maturior, in observantia Religionis ferventior, à spiritu luxuriæ multifariè, multisque & duris modis impugnabatur: Tempore quodam, cùm esset in oratione, diabolus post tergum veniens sagittam ignitam post eum direxit, ita ut illam Monachus videret juxta oculos suos volitare, fulgurare, & ex repercussione parietis scintillare. Alio tempore spiritus fornicationis, *cujus halitus*, ut *Job* ait, cap. 41. *prunas ardere facit*, corpus ejus igne libidinis intolerabiliter succendit, cujus importunitatem Venerabilis Vir ille considerans, in hæc verba altâ voce prorupit: *Quid me tam crudeliter crucias ô diabole? Non enim ampliùs facere poteris, quam à Deo permissus fueris.* Quæ omnia cùm *Apollonio* narrata fuissent, interrogavit is *Cæsarium*, an non ille spiritui fornicationis, sic terribiliter ipsum crucianti, occasionem præbuisset? Respondit *Cæsarius*. Sicut ab ore ejus audivi, die quodam cùm visitaret cum Abbate, in quodam claustro Sanctimonialium, Matronam quandam ejusdem Congregationis, quam ante conversionem benè noverat, oculos in eam defigens, cùm considerasset plùs, quàm oportebat, tunc quidem nihil ex hoc tentationis sensit, sed postea quando diabolus illam oculorum defixionem menti

menti ejus reduxit, ita tentatus est ab illa hora, & postea per annos aliquos, ut eum vivere tæderet. Ex quo liquet, curiosum, & incautum fœminarum aspectum, etiam post longum temporis spatium spectatorem conjicere in periculum, prout experti similiter fuêre *S. Benedictus*, & *B. Pachon*, innumerique alii. Haud illepidè Poëta *Ovidius*:

> Ut penè extinctam si flammam sulphure tangas,
> Vivet, & ex minimo maximus ignis erit.
> Sic, nisi vitâris quidquid revocabit amorem,
> Flamma redardescet, quæ modò nulla fuit.

Eapropter, ne in hujusmodi carnalem incidas fœminarum concupiscentiam, audi *Siracidem* suadentem, & monentem: *Ne respicias in mulieris speciem*; Eccli. 25. 28. Hoc monitum ut sequaris, innumera habes Sanctorum virorum exempla, qui à curioso mulierum contuitu solicitè oculos averterunt; & ut reliqua omnia missa faciamus, pro sexcentis aliis nobis sufficiat exemplum S. Job, qui in corde suo statuit, suos oculos refrænare, ne aspicerent Virginem: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Job.* 31. Ubi quærit *S. Gregorius*; quodnam est illud pacti genus, cum oculis pacisci, ut non cogitent? cum intellectu potiùs & imaginatione hoc non cogitandi fœdus pangendum est; cum oculis verò nôn videndi: Dicit tamen: *Pepigi fœdus cum oculis, ut ne cogitarem de Virgine*: probè nôrat scil. Vir Sanctus, per hoc ostium malas cogitationes in animum intrare; unde judicabat, si oculos benè custodiret, fore ut & cor & intellectus optimè custodita essent; hinc cum oculis suis fœdus se pepigisse ait, de nulla muliere cogitandi. Unde quisquis ab inhonestis imaginationibus, & phantasmatibus liber esse cupit, debet cum oculis suis inire pactum nihil videndi, quod nefas sit concupiscere. *S. Chrysost.* ser. de continentiâ *Josephi*, occasione horum verborum sic quærit: *Quisnam miretur, ubi viderit magnum hunc virum, qui diabolum debellavit & confudit, omnesque ejus machinas elusit, & stratagemata subvertit, mulieris vultum non audere intueri? ut noverimus* (inquit) *quam necessaria nobis sit in id genus rebus circumspectio, quantumlibet pii & Religiosi simus.*

29. Denique notandum ulteriùs, quòd nō solùm nobis timenda sit mulier, quando speciosa est, verùm etiam quando deformis est, omnísque pulchritudinis expers; nam ùt *S. Cypr.* de sing. Cleri. ait: Cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidita, vel vilis existit, sed diabolus pingens speciosum efficit, quicquid fœdum & horribile fuerit. Hoc ipsum lepido exemplo, & pio stratagemate Abbas quidam prudens suis Monachis ostendit: Erat Cœnobium, cui vir prudens præsidebat. Religiosi, ut communia onera à se repellerent, vetulam quandam conducendam statuerunt, quæ domesticis officiis gravaretur, nil periculi ab illâ oriri posse contendentes. Abbas sedulò suadet contrarium, sed parùm proficit. Itáque insigni stratagemate propositum molitur evertere. Quadam die obsonia, sale probè condita, eis jussit apponi, clausaque cellâ vinariâ, & puteo, monasterio prodit, neque ante vesperam rediit. Interim cùm Monachi ingenti cruciarentur siti, & certatim ad cellam vinariam, & ad puteum accurrerent, atque omnia clausa invenirent, demum acrem profligaturi sitim ad lacunam proximam, vermibus turgentem, properant, & fœtidam turbidámque, quam ibi repererunt aquam,

avido ore hauriunt. Abbas vesperi domum redux, quid Monachi egissent, certificatus, unde eosdem sic allocutus est: Charissimi, quoniam melior aqua non suppetebat, ad aquam putridam sitim sedatum ivistis; ita etiam potest contingere, ut cùm formâ ac specie pulchriori mulier desit, eâ, cujus copia adest, surgentem libidinem expleatis. Quâ similitudine convicti in Abbatis sententiam consenserunt, omne fæminarum genus arcentes. Ita refert *Joannes Nicius* Exempl. 31.

30. Quod ipsum etiam docuit *B. Ægidius*, è Divi Francisci familia laicus, quendam Religiosum, qui cùm Fratrem Ægidium conveniens, coram eo gloriatus esset de obtentâ adversùs carnis vitium gloriosâ victoriâ, modúmque etiam recensuisset, quo carnis præparatos sibi evasisset laqueos, inter cætera dixit, sequentis à tergo fœminæ sibi immissam concupiscentiam, eóque validiorem, quò propiùs illa accedebat, stetisse verò parumper, atque prætereuntem seriùs aspexisse, mox omnem evanuisse tentationem. Quem B. Ægidius mox interrogavit, an mulier illa speciosa, an verò deformis, juvencula, aut vetula fuerit? cui cùm Religiosus vetulam & turpem fuisse respondisset, mox vir Dei in hæc verba subjunxit: Quid ergo mirum, si præteriit tentatio apposito antidoto? Scias fili mi, potiùs succubuisse te, quàm vicisse. In eo consistebat victoria, quòd prætereuntem non aspiceres, sed demissis vel clausis oculis, te tentantem omnino negligeres; hísque utilissimum quoddam, nostro proposito admodùm oportunum, subjunxit documentum, dicens: *Victoria tentationis carnalis non in congressu, sed in fuga securior & firmior: cave iterum, ne molestas tibi fœminas, neque in universum ullas in faciem respexeris; nam pro vetula adolescentula, & pro fœda speciosa se tibi objiciet, quæ tentationem non remittet, sed augebit; non tollet, sed immittet; quo fiet, ut facilè pro victoria turpem lapsum, & pro gloria perpetuam reportes infamiam.* Hæc de fœminarum aspectu vitando dicta sufficiant: nunc gradum promoveamus ad earundem curiosum contactum studiosè evitandum.

31. Quoniam non minùs mulierum tactus insidiatur castitati, quàm earum intuitus; ideò verus castitatis, & pudicitiæ sectator se cautè custodire debet, ne fœminam, quocunque contactu, etiam licitissimo, tangat, aut se ab ea etiam sanctissima, aut sibi sanguine junctissima contrectari sinat. Sæpe enim, quemadmodum Spiritualis vitæ directores & Magistri asseverant, per similem tactum immunditiæ virus animum subit, eúmque inficit, devastat & necat. Expertus est id quidam Monachus, qui cunctis Monasterii sui erat speculum Sanctitatis, & amore castitatis omnium mulierum abhorrebat aspectus. Interea suorum fratrum precibus inductus Patrem suum lethaliter decumbentem, clamantémque se dolore moriturum, si ejus visitatione frustraretur, visitatum venit. Ubi per tres dies remanens tanto tædio affectus est, ut carceri se crederet mancipatum. Post tertium diem cùm contigisset eum cum sorore patris crura refrigerii causâ confricare, contigit ut manus sua sororis dexteram attingeret, & mox tam diris libidinis stimulis in eam cor ejus inflammavit, ut nisi verecundia obstitisset, penè eam statim ad illicitum actum prostravisset. Interim nil aliud, quàm cum sorore libidinem explendam cogitabat, monasterii, & ejus disciplinæ jam totus oblitus. Sanatur interea Pater, sed Mona-

chus occasionibus coloratis retardat de die in diem ad monasterium remeare, manétque in domo paterna non sinè magna admiratione Patris per tres menses. Tandem ad cœnobium redire compulsus est; sed diabolo suasore, & libidine impellente de Monasterio fugiens, mutato habitu per totum diem domum paternam occultè quærit intrare, intránsque serò tamdiu latuit sub lecto sororis, quousque æstimaret eam obdormire. Tunc exuens se, nudum sese ad sororis nudum latus applicavit. Ad hæc soror evigilans, & virum juxta se sentiens, diris clamoribus ad se omnes pariter evocavit. Currunt ad puellæ thalamum cuncti cum lumine, & in lecto inveniunt hunc jacentem. Mirantur parentes, & stupent, & cæteri etiam condolent, ille totus confusus, cernénsque se à diabolo illusum, suam culpam recognovit, & in se ipsum rediit, & de eâdem paternâ domo egressus sinè mora, lugens ac dolens ad pœnitentiæ fontem properavit. Deinde in suo Monasterio receptus, per duos annos in tanta se pœnitentia afflixit, ut foret cor hominis insufficiens cogitare, & completo annorum duorum spatio, ex hoc sæculo feliciter migravit. Sic scribit *Severus Sulpit.* Dial. 2. c. 19. de gestis *S. Martini.*

32. Quis hinc non videt, quàm mortiferum venenum sit mulieris quamvis consanguineæ contactus. Proinde haud immeritò *D. Jordanus* fratrem quempiam graviter coarguit, quod mulieri cuipiam dexteram porrexerit. Verùm cùm frater se excusare vellet dictitans, nullum adfuisse periculum, & fæminam esse sanctam, subjunxit S. Vir: *An nescis frater chare, pluviam secundùm se bonam esse, & bonam quoque esse terram; & ecce si hæc diversa substantia utraque bona commisceatur, quid aliud fit nisi lutum; quo fœdatur homo?* Quâ similitudine dictum religiosum, & nos omnes commonere voluit, ex simili contactu, nil aliud sequi posse, quàm commaculationem animæ. Ad hanc porrò veritatem magis demonstrandam bellè quadrat, quod *S. Petrus Damiani* l. 2. ep. 18. in lucem protulit. Quòd videlicet in quodam monte Orientis lapides reperiantur igniferi, qui masculus & fæmina nuncupantur, & dicuntur *Pyroboli.* Qui nimirum, cùm à se procul sunt, non accenduntur; si verò fæmina appropinquaverit masculo, protinùs ex eis ignis egreditur, ita ut omnia, quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab his ergo lapidibus docemur; si consumi libidinis incendio perhorrescimus, mulieris tactum declinemus oportet, ne per hunc impuri amoris flamma prosiliat, ac in nobis non montis, sed mentis fruteta pervadat, & absumat.

33. Non desunt alia exempla, quæ dicta non obscurè stabiliunt. In vitâ B. *Mariæ Oegniacensis* recensetur; cùm quidam prudens & virtuosus vir, & B. Mariæ Oegniac. familiaris, ex nimio spiritualis affectionis excessu manum ejus strinxisset, mox primos concupiscentiæ motus oriri in se advertit. Eodem tempore audivit Maria vocem (quâ olim S. Maria Magd. compellabatur) *Noli me tangere.* Illa, quid hæc vox sibi vellet, ignara, prædictum virum, an eam audierit, & quale in eâ lateret mysterium, percontatur. Quid autem responderit, haud constat. Hoc tamen certum est quod inde sat intellexerit, se divinitùs fuisse admonitum ab hujusmodi sensualitate abstinere. *S. Leo Papa* I. in die Resurrectionis Domini cùm Missarum solemnia celebraret, & fideles Sacro Eucharistiæ epulo reficeret, mulier quædam ex quodam devotionis affectu ma-

nui eius osculum libavit, unde tam vehementes carnis stimulos in se oriri advertit, ut Vir Sanctus ad hos reprimendos eandem manum scandalizantem amputare decreverit, & quod decrevit fecit. Intereà murmur in populo oriebatur, quòd Summus Christi Vicarius Divina, more solito, non perageret. Quare Leo ad B. Virginis patrocinium recurrens ejus providentiæ, & potentiæ se totaliter commisit, eámque enixè precatus, quò sibi ad tantas angustias redacto opem ferre dignaretur. Ad hanc supplicationem mox Misericordiæ Mater clienti suo affuit, resecatamque manum virgineis suis manibus trunco suo admovit, sanámque & incolumem restituit, jubens ut procederet Filio suo Sacrificium immolaturus. Hinc Pontifex omni populo, quod sibi contigerat, publicavit, ac manum restitutam palàm ostendit. Meminit hujus historiæ *S. Antoninus* in Chronicis, quem citat *Bagatta* Tom. 2. lib. 2. cap. 1. §. 4. num. 17.

34. *Plinius* lib. 9. cap. 60. scribit de pisce, qui stella nominatur, quòd inter medias aquas semper ardeat, &, quidquid contigerit, calefaciat, inflammet, & adurat. Unde pisci huic hoc rectè subscribitur lemma: *Tangentem adurit.* Ita sanè fœmina levi quovis contactu incendit, & adinstar flammæ devorat corda virorum. Graphicè *S. Hieronymus* Epist. 47. *Sicut stupa* (inquit) *ubi ignem olfecit, statim accenditur, & non opus est multâ operâ; sic fœmina, masculi corpus contingens, non opus habet multo labore, sed simul ùt contingit, statim habet latenter incensam voluptatis scintillam.* Nullus proin sibi fidat neque credat, sinè pudicitiæ & castitatis præjudicio id præstare posse, quod eminentis virtutis viri præstare non potuêre, nec sibi sisi sunt mulierem tangere. Nec immeritò, quia dogma est ab ipsomet Spiritu Sancto traditum (Prov. 6. v. 27.) *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cùm tetigerit eam.* Ubi notandum ly *tetigerit*, quod Patres & Doctores passim accipiunt non de ipso adulterio, sed de familiaritate, colloquiis, tactúque simplici fœminarum. Monemur proinde his verbis, ne mulieres adeamus, manúsque aut vestes earum tangamus; eò quòd sicut ignis in sinu adurit vestes, sic tactus mulieris adurit, suíque amore incendit corpus tangentis, ac per corpus quasi per vestem transit ad ipsam animam, illamque fœdo concupiscentiæ incendio, & tartareo libidinis igne inflammat, denigrat, maculat, secundùm illud Ecclesiastici, cap. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Rectè proinde Orbis Magister *D. Paulus* 1. Cor. 7. suadet, & suggerit: *Bonum est homini mulierem non tangere*, quæcunque demum illa fuerit, sive annosa, sive juvencula; sive pia, casta, sancta, sive impia & prostituta; sive amica, & sanguine juncta, sive extranea & aliena; quia igitur *bonum est mulierem non tangere*, ergo malum est homini, mulierem tangere, non quidem peccatum est (ait hic *S. Hyeron.*) sed *malum*, id est, ad concupiscentiam carnalem hominem emolliens ac inducens. Nam, ùt *S. Leander* Episcopus Hispalensis in quâdam Epistolâ cap. 2. ad Virgines ait: *Dispar sexus, in unum locatus, eo titillatur instinctu, quo nascitur. Ignis & stupa sibi utraque contraria, in unum redacta flammas nutriunt: Viri & fœminæ sexus diversus si conjungitur, quo lex naturæ provocat, commovetur.* Hæc de cavendo fœminarum attactu dixisse satìs; at parum proderit, eas non tangere, nisi etiam earum familiaritatem ac consortium solicitè declinare studeat; de hâc ergo mulierum fuga nunc agendum.

PAR

# PARS QUARTA.

35. Quemadmodum ad quampiam ægritudinẽ, quæ ex diversis causis originem ducit, propellendam, non sufficit aliquas tollere causas; quid enim prodesset infirmo, si à superfluitate quidem cibi & potûs, tanquam morbi sui causâ, sibi temperaret, iram verò, & bilem, quæ non minùs illius ægritudinis origo existunt, non reprimeret? Ita non dissimiliter ad libidinis febrem arcendam tollere oportet omnes causas, quæ in animũ nostrum hanc pestiferam luem invehunt. Proinde non solùm fæminarum intuitus, & contactus declinandus; verùm etiam omnis earum familiaritas, & conversatio, quantum fas est, fugienda. Quid enim prodesse poterit non intueri, aut tangere mulierem, si earum frequenti accessu, & familiaritate gaudes, quæ (ùt *S. Hieronymus* loquitur,) prima sunt Clericorum tentamenta. Saluberrimum proinde nobis suggerit monitum *Siracides* Eccli. 42. 12. dicens: *In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Ubi *Paulus de Palatio* ait: *Ut naturale est oriri ex veste tineam; ita ex fœmina viri concupiscentiam.*

36. Unde multi hac in re graviter errant, dum de voluntate sua nimiam sibi securitatem promittunt, & præsumunt; dicunt enim: Tametsi in hoc vel illo periculo, in hac vel illa occasione positus essem, certus sum, quòd minimè consensurus sim: nec tamen considerant, quòd concupiscentia carnalis naturaliter delectationem, & complacentiam etiam cum violentia quadam ad se trahat, quódque impossibilie sit, escam igni approximantem aliquod non concipere incendium. Habet siquidem id sibi omne objectum delectabile, ut, quamdiu est præsens, rationem turbet, intellectum velut fascino occupet, & voluntatem in sui favorem rapiat, uti Philosophorum Princeps *Aristoteles* lib. 2. Ethicorum cap. 9. nos docet. Exemplum adducit à Consiliariis Urbis Trojæ, qui, dum de Helena absente in Senatu ageretur, sapientissimè judicabant, illam civitate esse pellendam, ut Deorum simul & hominum iram evaderent. Cùm verò coràm causam suam tueretur, blandâ formæ elegantiâ excæcati, mentem continuò mutârunt; ac reclamante licèt totius populi suffragio retinendam statuerunt. Sic similiter quotidiana nos docet experientia, quòd res sit perardua, præsente amicà amorem moderari; quia præsentis illicii magna solet esse vis. Magnus audiatur *Gregorius*. *Ad hoc*, (inquit lib. 3. Dial. cap. 7.) *quod malè concupiscitur, præsentia concupitæ formæ validissimè famulatur.*

37. Facit huc, quod narrat ex Patre *Oliva*, Societatis Jesu Generali, *Paulus Aringhus* in monumentis infelicitatis lib. 2. cap. 12. num. 5. Cùm quædam fœmina familiaritatem contraxisset cum juvene quodam, hæc tandem in carnalem abiit amorem adeò, ut longo tempore in impudicitiis & libidinibus ambo hærerent. Tandem mulier infirmari graviter cæpit, quæ corporis ægritudo quia per menses aliquot pertinaciter ei adhæreret, omnis tandem carnalis amoris affectio penitùs suffocata & extincta est, cæpítque seriò de agenda pœnitentia cogitare; sicque per Sacramentalem peccatorum Confessionem se ad piè obeundam mortem disponere. Cúmque præsens jam adesset mortis periculum, rogavit advocari ad se juvenem illum, cui priùs turpiter assueverat, ut vel

unum salutis verbum ei dicere, illúmque ad pœnitentiam exhortari posset; ut sic ejus salutis fieret promotrix, quæ priùs illi perditionis fuerat laqueus. Vocatus Juvenis, dum advenisset, eúmque moribunda conspexisset, tam magnum repentè in ea impuri amoris excitatum denuò est incendium, ut Juvenem, etsi reluctantem, arctissimè complexata, tandem in hæc verba proruperit: O delicium meum unicum! Sicut semper te tenerrimè amavi, ita porrò te sic depereo, ut amore tuî in tartara abire minimè formidem, neque fugiam. Quibus dictis, mox omni membrorum sensu orbata, haud multò pòst, sceleratam in diaboli manus animam efflavit. Ex qua historia quis non colligat, quàm mulieribus exitialis sæpe sit virorum, præsertim impudicorum, præsentia, quemadmodum & viris mulierum.

38. Denique nec desunt alii innumeri, qui de sua confisi castitate, nihil sibi porrò metuebant; & tamen, quia occasiones non fugerunt, turpiter in carnalis libidinis cœnum prolapsi, in eo computruerunt, suásque tartaro animas consignârunt. Id quod non sine intimo cordis gemitu deplorat *D.Laurent. Justin.* in hæc verba differens: *O quot sub specie charitatis seducuntur! ô quanti simulatâ pereunt dilectione! Heu! quàm multi in principio purè & sinè deceptione versantes, & nimiâ familiaritate paulatim infecti, in immane præcipitium delapsi sunt, eò miserabiliùs quò inexpectatiùs.* Sed & *S. Cyprianus* nervosè & eleganter docet toto tractatu de Singularitate Clericorum, qualiter oporteat fugere fœminarum familiaritates, cùm ex illis in viros Religiosos, ac Sacerdotes ingentia emanare soleant mala, & animarum naufragia: ubi inter alia sic scribit: Mentior, si non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Episcopi, & Clerici, & Laici, post confessionem, victoriámque; post magnalia signa, & mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragâsse; cùm volunt in navi fragili navigare? Quantos leones domuit una mulieris infirmitas delicata, quæ cùm sit vilis & misera, de magnis fecit prædam. Quod Salomon (*Prov. 6. 26.*) loquitur dicens: *Pretium meretricis vix est unius panis; mulier autem pretiosas animas capit.* Hactenus *Cyprianus.* Nullus proinde dicat: Sum Religiosus, sum Sacerdos, sum Dei Servus, jam in virtutibus sat fundatus; nam esto ita sit, licèt in magno perfectionis gradu positus sibi videatur, inter medias tamen peccandi occasiones constitutus, animi robur non sibi promittat, quasi omnis securus esset periculi; est enim Sapientis (*Prov. 11. 28.*) oraculum: *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Id est, qui plùs, quàm oportet, suis confidit viribus, spémque suam in præteritis collocat victoriis, ab adversario relatis, neque pericula cavet, hic *corruet*; cadet scilicet, ùt folium aridum decidit ex arbore. Sic miserrimè corruit quidam magnæ virtutis vir, *Robertus de Licio*, de quo apud *Josephum Mansi* tr. 14. disc. 30. legimus, quòd licèt in suo sæculo omnium Prædicatorum Evangelicorum norma fuerit, & speculum, innumerorum quoque peccatorum procurârit conversiones, trecentósque ex iis ad Religionem induxerit S. Francisci: Attamen obscuratum doleo esse aurum, inquit historicus, mutatum esse colorem optimum, emarcuisse florem nitidissimum, matronarum eum certatim adeuntium concursu, atque libidine paulatim illectus, vesanus cœpit esse. Præsul postremò factus in Patria, imò Aquini, senex inter concubinas decessit.

39. Non

39. Non minùs etiam deplorandus est lapsus alterius cujusdam magni viri, de quo *Thomas Cantipratensis* l.2.apum.c.30. refert, quod Canonicus factus, Canonicalem præbendam, animarum Deo lucrandarum zelo permotus, cum Ecclesia quadam Parochiali permutârit, in qua integro septennio verbum Dei cum ingenti animarum fructu prædicavit, adeò ut vitæ suæ exemplaritate, aliísque bonis operibus, quibus passim resplendebat, magnam sibi sanctitatis famam passim apud omnes comparârit. Verùm dum jam sexagesimum ageret ætatis annum, septuagenariam Virginem, quæ cilicium ejus lavare consueverat, tandem deperire cœpit, & opportunitate pellectus eandem vitiavit. Quo scelere admisso, illa in tantum doluit, ut præ nimia amaritudine mortem accelerârit in planctu; at Sacerdos expertus incognitam voluptatem, ínque luxuria perseverans miserè periit. *S. Macarius* de Christiano quodam refert, qui, cùm pro fidei orthodoxæ confessione, in plurium atrocissimorum suppliciorum carnificina constans permansisset, tandem ad carcerem reductus, cùm ei mulier quædam in custodiam, & vulnerum suorum curationem assignata fuisset, ejus blanditiis, & verborum lenociniis resistere non valens, tandem in profundum fœdæ lasciviæ, & idololatriæ barathrum infeliciter incidit.

40. Hinc non sine fundamento *S. Hieron.* ad *Oceanum* de vita Clericali disserens, ait: *Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivúmque genus est fœmina.* *Thomas Cantipratensis* l.2.apum.c.30.n.46. postquam periculum ostendisset, quod etiam viris, summâ virtute & perfectione conspicuis, à mulieribus imminet, tandem subjungit: *Ecce quid est quod audisti; si in viridi ligno hæc facta sunt, in arido quid fiet? Ignis est mulier, & ignis usque ad consumptionem devorans, quid autem de se juvenes sentiant, nescio, ego autem sexaginta annorum sum uno minùs, & undique perstrepentibus malis, casum adhuc lubricitatis perhorresco.* Denique exempla etiam habemus, quibus ostenditur, nec sanctitatem, nec consanguinitatem satis tutam esse. *Ruffinus* in Vitis Patrum lib.3.n.14. narrat, quendam Monachum habitâsse in eremo, ínque magna virtutum exercitatione Deo, & animæ suæ servîsse, ad quem cùm ejus consanguinea nonnunquam venisset, ita paulatim animus ejus emolliebatur, ut tandem religiosissimi instituti sui immemor, cum ea peccârit cum ingenti dæmonum tripudio. Quid aliud etiam ad lapsum impulit, S. Jacobum Eremitam, S. Macarium Romanum, Joannem Guarinum, & alios plures perfectissimos viros, quàm brevis cum mulieribus cohabitatio, nimiáque cum eis familiaritas? Unde melleus Doctor *S. Bernard.* serm. 65. in Cant. apposite ad rem ait: *Habitare cum fœmina, & non cognoscere fœminam plùs est, quàm mortuum ad vitam suscitare: quod minùs est non potes; quod majus est vis credam tibi?*

41. Quapropter meritò ad omnem fœminarum familiaritatem cavendam solicitè nos adhortatur *S. Dorotheus* doct. 10. sic scribens: *Melius est tibi lethiferam æruginem comedere quàm edere cum muliere, etiamsi Mater vel soror tua sit: nam etsi nec cum Matre, nec cum sorore, aut consanguinea peccares, hæ tamen ipsæ in mentem transferent sexus muliebres.* Confirmat id ipsum *S. P. August.* qui rogatus, cur cum sorore habitare nollet? respondit: *quia non sunt mihi sorores, quæ cum*

*mea forore funt.* Hinc alteri quoque fua fit : *Contra libidinis impetum apprehende fugam, fi vis obtinere victoriam,* Etiamfi enim nihil fit fragilius hoc fexu, eft tamen nihil potentius ad viros fternendos. Pericula porrò, à familiaritate muliebri imminentia, pulchrè per ftatuam Nabuchodonoforis explicantur. Ejus ftatuæ caput ex auro optimo erat, pectus & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ. Adeóque omnia ingentis hujus Machinæ metalla, pretiofiffima fimul & folidiffima erant, & tamen mox in minutiffimum pulverem contrita, & redacta fuêre, dicente Scripturâ: *Contrita funt pariter ferrum, tefta, æs, argentum & aurum, & redacta quafi in favillam. Dan.*2.*v.*32. Sed quænam terribilis hujufce ruinæ caufa extitit? *Abfciffus eft lapis, & percuffit ftatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos.* Quæ omnia utique *in figura contingebant.* Sed quid præfigurabant? Refpondet *Richardus de S.Victore* lib. 1. p. 1. c. 25. de erudition. quòd per pretiofa metalla variæ defignentur virtutes: Quid eft fulgur capitis aurei, nifi fervor cæleftis defiderii? Quid claritas pectoris & brachii argentei, nifi certitudo recti confilii, & rectitudo operis? Adeóque omnia metalla varias præfigurabant virtutes, quæ in anima, magnis paffibus ad fanctitatem gradiente, refplendere cernuntur. Sed undenam ftatuæ hujus tam proceræ & pretiofæ lapfus? Planta teftea defignat voluptuofam fuperfluitatem. Unicus quantumvis modicus lapillus, unicum verbum obfcœnum, vel obtutus, geftus aut cogitatus lafcivus, unica proxima occafio à nobis non repudiata, ad hominem virtute & Sanctitate confpicuum, turpiter dejiciendum fufficiunt, dum plantæ teftea, quæ luteam voluptatem indicat, innititur; quia tametfi caput aureum fit, tametfi in propofitis noftris ad non confentiendum, chalybis inftar, ftabiles fimus, pedes tamen, quibus hæc omnia innituntur, ex tefta, lutóque funt ficti. Habemus (inquit Apoftolus 2. *Cor.*4.) *thefaurum iftum in vafis fictilibus.* Ita *Richardus.*

42. Proinde ne hujus pretiofi thefauri jacturam patiamur, quàm diligentiffimè nobis caveamus à familiaritate mulierum, tametfi fingulari virtute, & fanctitate præditæ forent, & converfatio, tractatióque de rebus bonis & fpiritualibus effet. Etenim communis SS. Patrum doctrina eft, amorem fpiritualem facili negotio folere degenerare, & è fpirituali in carnalem fenfualémque tranfire. Qua in materia confideratione digniffima eft doctrina quædam, quam peritiffimus vitæ fpiritualis Magifter *D. Bonaventura* de modo confit. c. 14. in hæc tradit verba: Quoniam Spiritualibus loquor, propter quos ifta fcribo, noverint ipfi quòd licèt carnalis affectio fit omnibus periculofa & damnofa, ipfis tamen magis pernitiofa, quando converfantur cum perfona, quæ fpiritualis videtur. Nam quamvis horum principium videatur effe purum, frequens tamen familiaritas domefticum eft periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum, bono colore depictum, quæ quidem familiaritas, quantò plùs crefcit, tantò plùs infirmatur principale motivum, & utriufque puritas maculatur, non tamen de hoc ftatim perpendunt, quia fagittarius ille à principio non mittit fagittas venenatas, fed folùm aliqualiter vulnerantes, & amorem argumentantes. Ad tantum tamen brevi perveniunt, ut jam non velut Angeli, ficut inceperant, fe ipfos alloquantur,

quantur, & videant, sed tanquam carne vestitos se mutuò intueantur, & saucient mentem quibusdam commendationibus, ac verbis blanditoriis & adulatoriis, quæ videntur ex prima devotione procedere, deinde unus incipit alterius appetere præsentiam corporalem. &c. *Isaac* Monachus proinde libro de *contemptu mundi* monet, ut à Monialium conversatione nobis caveamus, haud secùs quàm ab igne & laqueo diaboli.

43. Opportunè *Thomas Cantipratensis* verba illa, quæ in *S. P. Augustini* Regula continentur: *Nec solùm tactu, sed affectu quoque, & aspectu appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum*; explanans scribit l. 2. cap. 30. n. 44. *Vide, quàm exitiabilis dolus est, quod quidam magìs tententur ab his personis, quæ speciem in habitu, & religione prætendunt, quàm de his, quæ sæculo se dederunt; & mulieres similiter, quæ nunquam de viris sæcularibus tentabantur, eas diabolus, & mens perversa in Sanctos, & Religiosos, vel viros Ecclesiasticos stimulat.* *Joannes Gerson* apud *Rodriquez* p. 3. tr. 4. c. 5. n. 7. memorat de quodam insigni Dei servo, præclaris tum doctrinæ tum virtutis ornamentis conspicuo, quod cùm identidem cum Religiosa quadam sanctè de rebus, ad animæ salutem spectantibus, ageret, paulatim unà cum conversatione affectus hic erga illam adeò increvit, ut is se continere non posset, quin illam sæpiùs invisum abiret, multóque tempore cum ea colloqueretur. Unde tam procul venit, antequam vel minimam diaboli fraudem hìc latere adverteret, ut, nisi per aliquod longum iter, quod instituere coactus est, Deus ipsi occasionem peccandi eripuisset, ruinæ, & præsenti exitio quàm proximus fuerit. Unde subjungit *Gerson*: *Non quidquid resplendet, aurum est; nec charitas, omne quod charitas esse videtur.* Et addit: *Virum Sanctissimum dicere solitum; nihil esse quod aut magìs timeret, aùt suspectius sibi esset, quam amorem, etiam in personis multæ virtutis, & Sanctitatis*; & ad hoc adfert illud *Salom.* Prov. 14. *Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus ducunt ad mortem.* Talis (inquit) hæc via amoris esse solet.

44. Qua in re Confessarii singulariter habent, quò sibi timeant. Proinde quomodo cautè conversari debeant cum filiabus confessionis, salubria dat monita *Cornelius à Lapide* in cap. 6. *Prov.* dum hoc ab auditu refert testimonium, inquiens: Audivi in Belgio Matronam sapientem & Sanctam, monentem Confessarios, etiam Religiosos & Sanctos, ut caverent sibi ab aspectu, & colloquiis fœminarum pœnitentium, quia (inquiebat illa) adeò illices sunt oculi earum, ut, si in virum quempiam illos defigant, illum suî amore planè illaqueent, & irretiant. Addebátque, certa sum, non esse virum adeò gravem & constantem, cui, si fixè eum reciprocè per quadrantem intuita fuero, non persuasero, quicquid voluero. Hinc *D. P. Augustinus à S. Thoma* (opusc. 64. de pericul. Mulier.) citatus hoc serium nobis inculcat monitum: *Cum mulieribus*, inquit, *sermo brevis, asper, & rigidus semper habendus est; nec ideo minùs vitandæ, quia bonæ indolis & honestæ videntur, sed quantò religiosiores, tantò magìs alliciunt, & sub specie Religionis viget plurimùm viscus libidinis. Credite mihi, ut Episcopus loquor, Cedros Libani, & gregum arietes reperi sub hac specie corruisse.* *S. Bonaventura* quoque hunc *S. P. Augustini* locum refert in opusculo *de puritate conscientiæ* cap. 14. ubi per Cedros Libani, intelligit contemplationis

altissimæ homines, per gregum arietes, magnos Ecclesiæ Prælatos,

45. Ideo non solùm sunt laudandi, sed etiam imitandi, qui omne mulierum alloquium & consortium summô studiô fugerunt. De *S. Martiniano* Eremita legimus. Cùm ad maris scopulum, in quo vir Sanctus Solitarius vivebat, virgo quædam naufraga appulisset, hanc è pelagi fluctibus eductam, ùt adeò venustam conspexit, ait: *Igni cum fœno nequaquam convenit bene.* Quapropter maluit se in mare præcipitem agere, quàm cum corporis perturbatione, labendique periculo cum muliere solus habitare; hinc Cruce se signavit, séq; in mare conjecit; quò autem constaret, opus hoc, seu fugam hanc Deo peracceptam fuisse, inde liquet; nam mox Dei nutu gemini affuêre delphines, qui virum sanctum suis exceptum tergoribus ad litus extulerunt. Aliud exemplum perpulchrum nobis sequendum reliquit vir ille religiosissimus ex Ordine *S. Francisci*, de quo *VVadinghus* in Annalibus suis anno 1216. scribit, quòd à Virgine quâdam è gynecæo Sanctiæ Principis sæpius invisebatur, quo nihil ei erat molestius. Dum ergo semel per nuntium, ut ad colloquium in templum prodiret, multis urgeretur; ille, in unâ manu ignem, in alterâ verò paleas portans ad Ecclesiam processit. Cúmque ad conspectum Dominæ venisset, paleas igne accendit cum dicto: *Domina ideo tuum quantumvis pium alloquium recuso, quia timeo, ne mihi contingat, quod paleis accidisse vides.* Et cum dicto ab ea, rubore suffusâ, recessit.

46. Porrò, quæ diximus de viris, cur debeant consortia vitare mulierum; idem dictum sit fœminis, ut à contuberniis sibi caveant virorum, etiam Sanctorum ac religiosorum, quia, ùt proximè dictum, sæpe sauciantur libidine, dum viros honestos & pios cernunt. Exempla habemus in *S. Joanne Chrysost.* in *S. Ludovico* Cathalaunensium Episcopo, in *S. VVolstano* Episcopo Wigoriensi, in *S. Bernardino* Senensi, in *S. Vincentio Ferrerio*; qui omnes (ut alios innumeros taceam) à matronis, alias honestis, ad illicita fuêre provocati, ùt legere est in eorum Actis. Neque addubitandum, quin viri sæpiùs illaqueentur ab illis fæminis, quæ sub honestatis specie suam tegere solent malitiam, ac amorem venereum. Pavendum est, quod ex *Theophilo Raynaudo* memoravi in meo *Trino Perfecto* lib. 1. Tract. 15. fol. 373. de nobilissima quadam Matrona, quæ, viso quodam Religioso, eleganti formâ præstante, tam vehementi mox fuit accensa libidine, ut eum cum quodam alio seniore Sacerdote, pietatis, & Confessionis peragendæ prætextu, ad suam arcem invitârit, ac vocârit; ubi occasionem fecit, ut sola solum conveniret, quem mollibus suis sermonibus sic inflammavit, ut miser illectamentis succubuerit, & in ipso sceleris œstro, fœdísque amplexibus spurcam animam exhalârit.

47. Disce hinc mi optime frater, alieno damno meliora sapere, & à mulierum lenociniis longiùs profugere, ne similiter, ubi minimè putas, in alicujus lascivæ fœminæ laqueos cadas; nihil enim facilius videtur, quàm incidere in mulieres lascivas, quia consors est Philosophorum & medicorum sententia, fæminas viris esse petulantiores & salaciores, idque tum propter curiositatem, & levitatem naturæ, tum propter copiam humoris, tum propter carnium mollitiem. Quocirca *Plutarchus* in *Præceptis Connubial.* scribit: *Lucernâ sublatâ omnis mulier eadem erit.* Quasi dicat:

Omnis est impudica, modò detur facultas peccandi absque arbitris. Idipsum asserit S. *Chrysost.* homil. 40. in Matthæum. *Propria mulieris passio est luxuria.* Vide eundem in citata homilia. Ubi explicans illud Matth. 21. *Publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei*: ita scribit: *Ex persona omnium mulierum peccantium meretrices ponuntur: quoniam, quamvis sint multa peccata in mulieribus, tamen in illis præcipuè libido abundat.* Neque his dissentit Doctor Angelicus (in cap. 21. Matth. lit. b.) cujus hæc sunt verba: *Quòd sicut familiarius peccatum hominum est avaritia: ita peccatum mulierum est luxuria.* Hinc est pariter (ùt idem Doctor Sanctissimus Opusc. 20. lib. 4. cap. 6. docet) *quòd propter incentivum libidinis, quod in eis est, natura mulieri multa fræna providit, ùt est verecundia, quæ est præcipuum vinculum ejus.* Hæc non eò dicta velim, ut fæminas, nobis obvias, aut notas, signatè judicemus, eas esse impudicas; hoc enim foret judicium temerarium & peccaminosum; sed tantùm, ut intelligamus, easdem hujusmodi petulcæ carnis passionibus inprimìs obnoxias esse, quò nimirum nobis caveamus ab earum congressibus, nisi necessitas cogat inevitabilis, quâ urgente, nihilominus tanquam ab igne nobis caveamus, & quantùm fas est, citissimè recedamus. *Abscondat quis* (ut cum sacro loquar *Paræmiaste* cap. 6.) *ignem in sinu suo, & non comburetur?* Quòd si dicas: ex istiusmodi mulierum confabulationibus nil sentire in carne tua; tu vel es expers naturæ virilis, vel ita passionibus & cupiditatibus obrutus, ut instar phrenetici morbum haud sentias. Porrò, esto nihil sentias, unde verò scis, nec illas ex tuo accessu tentari, præsertim cùm (ùt ex dictis liquet) valde sint ad venerem pronæ? Itaque oportet esse hos congressus, aut breves, aut nullos. Quod non ideo definimus, quasi sexum despiciamus, & contemptim habeamus, sed ne temerè vel nosipsos, vel eas cum quibus agimus, in libidinis carnalis periculum, seu peccatum conjiciamus. Hæc sunt antidota, quæ non facilè sinunt nos à libidinis visco infici, aut teneri; quia tamen, his omnibus servatis, homo adhuc potest virtutem Castitatis amittere; ideo quid porrò ad hanc sartam tectam servandam sit opus, modò proponemus.

# PARS QUINTA.

48. Liquet ex superiùs num. 5. dictis, castitatis certamina esse durissima, quia etiam illi, qui in summis rigoribus vixerunt, ægrè carnem domare potuêre: Quid proin asserendum erit de juvenibus, qui cerei quodammodo ad libidinem inveniuntur? nam quidquid in homine est æstivi ardoris, latè se spargit per juvenes; quidquid vitiorum in aliis remissum, in illis summum est. Nam ùt *Plutarchus* lib. de virtutibus & vitiis ajebat: *Juvenes præcipites & temerarii sunt, ac in appetitibus ardentes, rabidáque.* Hinc D. *Hieronymi* est sententia *Impossibile est, juvenem vitiis carnis non tentari.* Sed quid opus, ne in impudicitiæ barathrum prolabantur? nimirum pudore & verecundiâ, quæ in juvenibus frænum est, quô retinentur, ne in turpia delabantur. Ideò rectè dixit *S. Ambrosius* lib. 1. offic. cap. 18. In Adolescentibus verecundia maximè commendatur; hanc enim nisi Juvenes habeant, in evidenti tentationibus succumbendi peri-

culo sunt constituti; cùm enim ratio, quæ pudenda committenda dissuadet, in Juvenibus sit debilis; ideò ratio in illis adjuvari debet verecundiâ, ne in mala obscœna, tentatione ingravescente, proruant, & pudicitiam amittant. Hinc *Demetrius Phalereus* (teste *Laertio* lib. 5. cap. 5.) Adolescentes admonebat; nimirum *ut domi parentes, in via obvios, in solitudine reverreentur se ipsos.* Illi autem se ipsos revereri censentur, qui non solùm, soli dum sunt, per pollutiones voluntarias non se corrumpunt, sed etiam qui à proprii corporis contuitu oculos refrænant, neque illa, quæ pudor & honestas velari jubent, membra respiciunt, aut denudant, absque urgente necessitate; *Spectare enim, si quid hujusmodi fortuitò accidat, quanti horroris est? Quod ergo in aliis displicet, nunquid in se ipso placere potest?* Dicebat rectè *D. Ambrosius*, quem citat *P. Nicol. Lancitius* opusc. 2. cap. 4. num. 95. Quare *D. Hieronymus* dissuadet balnea, eò quòd in iis occasio non desit proprium corpus inspiciendi. *Mihi* (ajebat Epist. 7. ad *Lætam*) *omnino in adulta Virgine lavacra displicent, quæ se ipsam debet erubescere, & nudam videre non posse.*

49. Licèt autem istiusmodi verecundia (ùt docet *S. Thomas* 2. 2. q. 114. a. 1. in Corp.) propriè loquendo non sit virtus, in quantùm tamen est passio laudabilis, quæ juvenes & fœminas maximè decet, aliquo modo virtus dicitur. Hinc qui hanc laudabilem passionem, sive verecundiam non habent, inverecundi & impudentes dicuntur secundùm illud, quod *S. P. Augustinus* in aurea sua Regula scripsit dicens: *Nec dicatis, vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* Ne ergo, mi frater, non solùm apud homines, sed nequè in Dei oculis impudicus inveniaris, *Cheræmonis* Abbatis (quem refert *Cassianus* collat. 12. c. 8.) saluberrimam doctrinam observes oportet: *Nunquam te talem secretiùs aspicias, qualem videri ab hominibus erubescis; nec in te tale aliquid inevitabilis ille oculus deprehendat, quod ab humanis aspectibus velis esse celatum.* Hanc parænesin inter alios castitatis, & pudicitiæ Clientes ad unguem explevit *S. Vincentius Ferrerius*, qui (ùt scribit *Ribadeneira* in ejus vita) tantæ integritatis virginalis, ac pudicitiæ vir erat, quòd triginta annorum spatio nunquam se nudum, aut nudam sui corporis partem aspexerit præter manus. Verùm ut simul intelligamus, quantopere hujusmodi verecundia Superis placeat, percipere lubet, quod scribit *Heribertus Rosvveidus* lib. 8. Vitæ PP. cap. 7. de *S. Ammone Anachoreta*; hic vir Sanctus in conjugio virginitatem servans, pòst à conjuge spontè sejunctus, ad montem Nitriæ solitudinis secessit, ubi viginti duobus annis solitarius vixit: erat autem adeò pudicus, ut nunquam sese viderit nudum. Et cùm aliquando cum suo discipulo *Theodoro*, aliisque Monachis stipatus, ad magnum *Antonium* pergeret; ad fluvium Lycum pervenerunt, quem tranare debuerunt. Verùm, cùm *Ammon* vestem exuere erubesceret, Deum rogavit, ut sibi ita flumen transire concederetur, ne suum propositum violaret, fuit repentè ab Angelo ad alteram fluvii ripam translatus non sinè ingenti aliorum admiratione, qui natando supra fluvium littus attigerunt, sicque omnes simul ad S. Antonium pervenerunt. Discimus ergo hinc, quàm grata sit Deo istiusmodi erubescentia; quæ tamen à multis parum æstimatur, minùs servatur.

50. No-

50. Notandum porrò est pudicitiæ, & castitatis clienti, ut in omni loco sæcularium, apprimè verò in Regum & Principum palatiis, sicut & in domibus, & arcibus Nobilium, oculorum portas occludat oportet; ne ad inhonestas, nudas, & turpes imagines, seu statuas in talibus locis passim obvias, oculos suos torqueat, tametsi eas solùm ob picturæ raritatem, seu artificium spectare vellet; hic enim prætextus apparet quidem, quasi ab omni periculo innoxius foret, re tamen verâ pestifero veneno est circumlinitus, quia mediante hoc prætextu, velut acutissimo hamo, sub speciosa esca latente, tartareus hostis quam plurimas animas ad libidinem emollire, ac in peccati laqueum pellicere solet, quod non paucis comprobare liceret exemplis, ex quibus unum delibasse sufficiat. In vita Venerabilis *Dominici* Carmelitæ Discalceati refertur (cujus historiæ tacito nomine etiam meminit *Engelgra.*Dom.4.quadr.) Cùm S.Vir aliquando iter faciens, à perillustri Domino hospitio reciperetur, & juxta suum consuetum morem potiorem noctis partem in precibus transigeret, conspexit cacodæmones cum thuribulis confestim in conclave quoddam intrantes, & paulò pòst rursùs eodem, quo venerant, ordine redeuntes. Venerabilis Vir, quidnam negotii ibidem loci habuissent, nosse discupiens, ex uno illorum percontatur, à quo audit: nudæ cuidam imagini illic appensæ incensum obtulimus; quia plures libidinis flammis ab hac una veneris effigie incenduntur, quàm nos omnibus nostris infestationibus inflammare possemus. Quo audito, vir Religiosissimus exterritus, Domino rei visæ seriem exponit, ac graviter commonet, picturam hanc flammis aboleret. Quam visionem cùm ille illusioni, aut somnio adscriberet, postridie ab his inferorum geniis horrendum in modum discerptus, ante imaginem, idolum suum, repertus est. Ex quo liquet, quòd tales picturæ pejores sint colloquiis lascivis, spectaculísque obscœnis, quódque damnum vix quispiam satis æstimet, quod ab impuris hisce simulacris infertur tam illorum auctori, quàm spectatori.

51. De pictoribus ipsis refert *Drexelius* in Nicet.l.1.c.6.§.2. narrasse sibi celeberrimum chalcographum, & pene catalogum texuisse eorum tantùm pictorum, atque sculptorum, qui artificiosè quidem, sed inverecundè pinxerant, aut sculpserant; qui omnes ad incitas redacti, aut præmaturâ morte sublati periêrunt, & cum tabulis suis miserè naufragium incurrerunt. Nostis ad quas syrtes & scopulos? Audi Religiosum vatem:

O oculi, scopuli potiùs, syrtésque vocandi.

Heu! quibus allisæ tot periêre rates.

Quare ut tibi consulas, ne uno jactu in consimilem tabulam, animæ jacturam facias, si tollere non possis, ubi ea loca transis, atria ingrederis, ubi illæ fœditates exhibentur, averte oculos, citò transvola, memor illius versiculi ad Veneris simulachrum:

Quid facies, facies veneris cùm veneris ante?

Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

52. Tandem non minori curâ, sive in publico ambulans, sive in alio quocunque locorum spatio degens visum custodire debes, ne leviter quidem oculorum aciem quandóque reflectas ad obscœnas & secretas quorumcunque animalium partes, sive eæ turpiter commotæ sunt sive non; quod multò magis

etiam vitandum tibi incumbet, dum bruta animalia conveniunt, & conjunguntur; & si ex improvisò tale quid oculis tuis sese spectandum objecerit, confestim averte faciem tuam, talia enim studio videre, valde indecens est, & facilè inde oritur tentatio. Et licèt præterea horum conspectus ex vanitate, levitate, joco & curiositate, seclusâ omni delectatione venereâ, non videatur esse mortiferus, non tamen vacat culpâ veniali juxta Doctorum opinionem. Quòd si verò talia intuens adverteret in se excitari carnis motum, neque tamen à tali aspectu abstineret, eum graviter delinquere omnes docent. Proinde oportet cane pejùs & angue abhorrere talia, & declinare; Nam quò aliqua res excellentior & pulchrior est, eò citiùs vel minimâ labeculâ dedecoratur; ita in pulcherrima hac virtute fit. Unde *B. Ægydius*, unus de primis S. Francisci Sociis, castitatem speculo tenuissimo ac nitidissimo comparat: nam quemadmodum hoc flatu, & anhelitu levissimo inficitur, suúmque nitorem & venustatem deperdit: ita pariter castitas suum decus, & pulchritudinem rebus, & occasionibus etiam levissimis amittit. Summâ proin cautione ad castimoniæ nitorem conservandum opus est, sensus mortificando, inhonestum cogitatum quamprimum præscindendo & comprimendo, omnémque occasionem declinando.

53. Pro coronide demum quivis nosse debet, tunc solùm Deo gratam fore castitatem, dum hæc aliis virtutibus, charitate & humilitate præcipuè stipata est, & quandocunque hæ virtutes castitati desunt, illâ Deo placere nequit; hinc quinque fatuæ illæ Virgines, quæ præter virginitatem nullas alias habuerunt virtutes, à Cælesti Sponso audire debuerunt: *Amen dico vobis, nescio vos.* Appositè ad hunc servit scopum, quod *Cæsarius* l. 4. dialog. c. 5. scribit; quod nimirum ad quoddam Cisterciensis Ordinis Cœnobium energumenus quidam, ut stygio inquilino liberaretur, adductus fuerit. Ad quem egressus Prior, assumpsit secum Monachum juvenem, sed quem ob vitæ Sanctimoniam omnes suspiciebant, & quem Virginem corpore noverat, & ait cacodæmoni: Si Monachus hic tibi præcipiat, ut exeas, ulteriúsne ibi manere sustinebis? respondit dæmon: *Illum non timeo, est enim superbus.* Aliud exemplum reperio in *Magno Speculo Exemplorum* de quadam Religiosa, quæ cùm diu servâsset virginitatem suam, præsumptuosè dixit jactando, quòd nollet similis esse S. Magdalenæ. Ecce quanta superbia in hac Virgine! quam proinde Deus justissimè suo speciali auxilio deseruit; nam post breve tempus tentationibus impuris agitata, infelicissimè iisdem succubuit, & à lenone turpissimo deflorata incidit in mala pessima & inaudita. Ob eandem causam Deus à Barbaris Romam, aliásque urbes vastantibus permisit violari Virgines Christianas, ut docet *S. P. Augustin.* lib. 1. de Civit. Dei cap. 28. quia periculum erat, ne ob castitatem superbirent. *Illarum*, inquit, *animi tumori occursum est immanenti, istarum occursum est imminenti.* Denique plurima alia habemus exempla, quòd multæ animæ cum virginitatis aureola ad inferna descenderint. Proinde oportet, ut castitati alias adjungamus virtutes, nimirum charitatem tum erga Deum, tum erga proximum, humilitati studeamus, silentium religiosum custodiamus, asceticam amemus solitudinem, omnem suspiciosam

ſpicioſam occaſionem declinemus, malos & mundanos homines fugiamus, in lectione ſacrorum librorum nos occupemus, & denique in omni nos Chriſtiana diſciplina exerceamus. Quæ ſi fecerimus, magnam haud dubiè in Sancta, & Deo promiſſa, caſtitatis virtute acceſſionem faciemus, illúdque ſecurè exſpectare poterimus, quod Æterna Veritas promiſit, dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

# SERMO XIX.
# DE IMPURO CARNIS VITIO.

*Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem Chriſti & Dei.* Epheſ. 5. 5.

## PARS PRIMA.

1. CUm ad virtutem quandam adipiſcendam non modicùm conducat gravitatem oppoſiti vitii cognoviſſe; idcirco operæ pretium fuerit de intolerabili vitii carnis mephiti breviter tractare, quo ſuaviſſimus caſtitatis odor nos magis afficiat, & ad eum conſectandum potentiùs moveat, & alliciat. Porrò, ad abominabilem hujus ſpurciſſimi vitii mephitim explicandam, nullus profectò calamus ſufficiens erit; continet enim in ſe tantam abominationem, ut etiam ipſum Deum, qui naturaliter non movetur, aut irâ, aut odio, aut paſſione ullâ, ad iracundiam provocet. Audiamus ipſiſſima S. Scripturæ verba: *Gen. 6. Videns autem Deus, quòd cuncta cogitatio hominis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra.* Vis noſſe, quale malum ſit, ob quod Deus adeò homini indignatus ſit, ut eum feciſſe pœnituerit? Vitium carnis eſt, *Corrupta eſt terra coram Deo; & repleta eſt iniquitate.* Quali iniquitate? ſcelere carnis. *Omnis caro corruperat viam ſuam.*

2. Eſt autem hoc vitium, ùt definit S. *Thomas* 2. 2. q. 255. a. 1. impuræ & libidinoſæ voluptatis appetitus inordinatus. Porrò quis ſatis explicet mala ex hac impura & beſtiali voluptate emanantia? *Hugo* ejus damna hiſce adumbrat verbis: *O extrema libidinis turpitudo, quæ non ſolùm mentem effœminat, ſed corpus enervat; non ſolùm maculat animam, ſed fœdat perſonam: ſemper illam præcedunt ardor & petulantia, ſemper comitatur fœtor & immunditia, ſemper ſequitur dolor & pœnitentia.* Et *S Hieron.* de hoc vitio loquens ait: *O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma ſuperbia, cujus ſcintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* De hoc *D. P. Auguſtin.* ſerm. de temp. ſic

sic exclamat: *Quanta iniquitas, & quàm lugenda perversitas, ut animam, quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis diabolo vendat. Verè enim nimium miseranda & plangenda conditio, ubi citò præterit, quod delectat, & per diabolum in cruce manet, quod sine fine cruciat. Libidinis impetus momento transit, & opprobrium infelicis animæ semper permanet.*

3. Hæc porrò scabiosa lues tam longè latéque solet serpere, ut eâ tam juvenes, quàm senes; tam pauperes, quàm divites; tam fœminæ, quàm viri passim inficiantur. Unde non malè quidam ex antiquis (teste *Jacobo Marchant.* Tub. Sacerd. tr. 3. lect. 8.) dixit, diabolum sibi in uxorem desponsasse iniquitatem, ex qua varias suscepit filias, quarum primam, Superbiam Nobilibus, Avaritiam & usuram mercatoribus, rapinam & furtum militibus, mendacium & fraudem artificibus & Advocatis, Simoniam Ecclesiasticis, Hypocrisin Religiosis, invidiam aulicis desponsarit; at verò luxuriam liberam esse, & omnibus communem voluerit, ut per eam tantò plures homines lucrari posset. Est enim hoc fœdum vitium contagium quoddam, quod in omnes omnino homines, sine ullo discrimine, aut respectu ætatis, sexûs, conditionis vel professionis diffunditur, dominatúrque in omni loco, & quovis tempore. Notanda est illa à Spiritu Sancto dictata propositio, quâ dicitur: *Gen. 6. Omnis caro corruperat viam suam.* Item: *Non est qui se abscondat à calore ejus. Psal. 18. Avarus,* inquit *S. Thomas à Villanova* Con. 2. de S. Ildeph. *sine arrogantia multoties reperitur, multi sine invidia vivunt, multi sine ambitione, multi sine furore; sed non ita sine libidine. Hoc virus universum fere genus humanum sic infecit, ut vix sit qui se abscondat a calore ejus* Hinc etiam *S. P. Aug.* de luxuria loquens dicit: *In illa video jacere pene totum genus humanum.*

4. Hoc verissimum esse, satis liquet ex universali diluvio, quod divina Justitia toti orbi propter carnis scelera immisit, in quo etiam omnes homines (si octo exceperis) aquis extincti periêrunt. Propter eadem peccata Sodoma, ac Gomorrha succensa, universáque Regio cum cæteris urbibus, oppidis & pagis, ac eorum incolis in cineres, & favillam redacta est. Et ut omnibus constaret, quantopere Deus fœdissimum hoc flagitium detestetur, voluit, ut hæc terribilis plaga ad finem usque mundi perduraret in luxuriosorum hominum horrorem & confusionem; nam ubi antè illa regio velut terrestris quidam paradisus vernabat, nunc conspicitur tetricum mare, quod *mare mortuum* appellatur, eò quòd nihil in eo vivens reperiatur; ex quo etiam fœdissimi & densissimi vapores continuò assurgunt, ut nullum animal in circuitú commorari possit. Non longè à litore in hodiernam usque lucem cernitur quædam pars parietis de Sodoma, quindecim circiter orgyarum longitudinem in se complectens, tota nigra & adusta; quia verò hic aqua non est profunda, ideo peregrini quandoque intrò equitant, & pro æterna memoria aliquos inde lapides asportant. Hi lapides dum modicùm manibus teruntur, mox fœtere incipiunt, dum verò ad ignem, seu lumen applicantur, sine mora sicut prunæ ignescunt, & tetricum vaporem, & intolerabilem fœtorem exhalant. Profectò prodigium horrendum, quo meritò timore concuti deberent homines, carnalibus mancipati voluptatibus.

5. Deni-

5. Denique Filiorũ Iſraël ob fornicationes cum filiabus Moab, viginti quatuor millia internecioni, jubente Domino, data ſunt, & principes populi contra ſolem in patibulis ſuſpenſi, ut habetur *Num.* 25. Denique optandum foret, ne noſtris quoque temporibus hæc venenoſa lues in toto genere humano dominaretur, & perpinguem ſecum prædam ad tartara raperet. *S. Joannes*, dilectus Chriſti diſcipulus, poſtquam univerſum mundi ſtatum attentè contemplatus eſt, in hæc prorupit verba: *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* 1. *Joan.* 5. ℣. 19. Lamentabilis ſanè viſio; ſi enim dixiſſet mundi partem, vel ad ſummum mediam eſſe conſtitutam in maligno, tranſiret; quòd verò totus mundus in maligno ſit, hoc non eſt ſat deplorandum. Sed quæres, quid ſit eſſe poſitum in maligno? Reſpondet *S. Thomas*: *Totus mundus in maligno eſt, id eſt in malo igne poſitus, qui omnes hominum conditiones pertranſit, eóſque ſuccendit, & potiorem eorum partem planè abſumit.*

6. Terribilis admodum eſt illa *S. Remigii* propoſitio, ut mirum non eſſet, ſi illa benè ponderata ſanguinem in venis illorum congelari faceret, qui carnis vitio dediti ſunt: dicit enim: *Demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci ſalvantur. Cornelius à Lapide* in cap. 28. Gen. à S. Chriſtina Mirabili habitam viſionem refert, in qua ipſi totum hoc univerſum peccato mollitiei infectum oſtendebatur, videbátque, quod DEUS in pœnam peccatorum iſtorum atrociſſima humano generi immitteret ſupplicia, propter quæ ipſa variis ſe cruciatibus conficiebat, ut ea mitigaret, vel omnino revocari faceret. *Euſebius* in Epiſtola quadam ad *S. Damaſum* de morte *S. Hieronymi* ita ſcribit: *Enſis diaboli luxuria. Heu! quot illa interfecit rhomphæa? Non eſt aliud peccatum, quo toties diabolus victor exiſtat.* S. Rex David hanc aliquando maledictionem imprecatus fuit montibus Gelboe, dicens: *Montes Gelboe nec ros, nec pluvia veniant ſuper vos, ubi ceciderunt fortes Iſraël.* 2. Reg. 1. ℣. 21. Ubi *S. Gregorius* dicit: *Eheu quàm verum! quid ſibi vult Gelboe? Fluxus devorans hic eſt luxuria uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Job. 31. ℣. 12. O *quot fortes Iſraël hìc ceciderunt!* Ampliùs accedit commune effatum vitæ Spiritualis Magiſtrorum docentium ex centum juvenibus, ad infernales flammas condemnandis, fore nonaginta novem, qui propter occulta carnis ſcelera ad orcum current. Ratio quæ aſſignari poteſt, hæc debet cenſeri, quod tentationes carnales valde tenaces & viſcoſæ ſint, mentémque humanam potenter perturbare, & ad turpem conſenſum, & ſenſilem oblectationem impellere ſoleant; unde difficulter iiſdem reſiſtitur, præſertim cùm frequenter redeant. Et certè vix fieri poterit, quin aliquis non ſuccumbat hiſce cypriis & illicibus voluptatum cupediis, niſi ferventi DEO placendi deſiderio æſtuet, filialiſque timoris, pariter & amoris affectu erga eum velut amantiſſimum ſuum Patrem feratur. Et quoniam in pauciſſimis talis filialis timor reperitur (nam ſi quidam timorem Dei habere cernuntur, regulariter erit tamen timor ſervilis aut mercenarius, qui utcunque debilis eſt ad hujuſmodi ſenſiles appetentias refrænandas & vincendas) Ideo haud mirum, quàm plurimos homines hoc maligno igne torreri, & æternaliter perire.

7. Eſt enim hoc beſtiale vitium tam

potens, ut, si semel mentem hominis invaserit, non sinat eum aspirare ad æterna & cælestia, sed semper illum cœno infixum, velut captivum retinet. Hinc rectè *S. Thomas de Villa-nova* Conc. 2. de *S. Ildeph.* lascivum hominem per Salamandram præfigurari dicit, quam scriptores in igne nutriri, & vivere asserunt: *Totus à pest fero illo igne devoratus est*, (inquit de lascivo) *nec illum quicquam præter flammas cogitare permittit, in igne solum velut Salamandra nutritur.* Unde ulteriùs hæ carnales delitiæ adeò suorum mancipiorum intellectum obfuscant, & excæcant, ut etiam beatitudini æternæ parati forent renuntiare, si præsentibus hisce cupediis semper frui permitterentur. Et quæ major malitia, stoliditas, & cæcitas esse poterit! Ratio verò, quod homo carnalis neque de salute æterna, neque de quavis alia re cogitet, præterquam de reperiundis, & explendis voluptatibus carnis, assignatur ab Angelico Doctore *S. Thom.* 2. 2. q. 153. a. 5. dicente: *Per vitium luxuriæ maximè appetitus inferior, scilicet concupiscibilis vehementer intendit suo objecto, scilicet delectabili, propter vehementiam passionis & delectationis; & ideo consequens est, quod per luxuriam maximè superiores vires deordinentur, scilicet ratio & voluntas.*

8. In vitis *Patrum* lib. 5. libell. 5. num. 37. sequens legitur exemplum, ad nostrum intentum bene deserviens: Solitarius quidam erat in inferioribus partibus Ægypti. Hic erat nominatissimus, quia solus sedebat in cella in deserto loco. Et ecce juxta operationem Satanæ mulier quædam inhonesta, audiens de eo, dicebat juvenibus; quid vultis mihi dare, & decipio istum solitarium vestrum? Illi autem constituerunt certum quid, quod daturi essent ei. Quæ egressa, vespere venit in cellam ejus velut errans, & cùm pulsâsset cellam ejus, egressus est ille, & videns illam turbatus est, dicens: *Quomodo huc venisti?* Illa autem quasi plorans dicebat: Errando huc veni. Qui cùm miseratione viscerum moveretur, introducit eam in atriolum cellulæ suæ, & ipse intravit interius in cellam, & clausit. Et ecce infelix illa clamavit, dicens: *Abba feræ comedunt me hìc*: Ille autem iterum turbatus est, timens etiam judicium DEI dicebat: Unde mihi venit hæc ira? Et aperiens ostium introduxit eam intrò. Cœpit autem diabolus velut sagittis stimulare cor ejus in eam. Qui cùm intellexisset, diaboli esse stimulos, dicebat intra semetipsum: *Viæ inimici tenebræ sunt, filiorum autem Dei lux est.* Et surgens, accendit lucernam, & cùm inflammaretur desiderio, dicebat: *quoniam qui talia agunt, in tormenta vadunt.* Proba ergo teipsum ex hoc, si potes sustinere ignem æternum: & mittebat digitum suum in lucernam. Quem cùm incendisset, ardorem non sentiebat propter nimiam flammam carnalis concupiscentiæ. Et ita faciens usque manè incendit omnes digitos suos. Illa autem infœlix, videns quod faciebat, præ timore velut lapidea facta est. Et venientes manè juvenes, qui eam miserant ad monachum illum, dicebant: Venit huc mulier serò: ille autem dixit, Etiam, ecce, ubi dormit. Et intrantes, invenerunt eam mortuam, & dicunt: Abba mortua est. Tunc ille excutiens palliolum suum, quo utebatur, ostendit eis manus suas dicens: *Ecce, quid fecit mihi filia ista diaboli, perdidit omnes digitos meos.* Et narrans eis quod factum fuerat, dicebat scriptum est: *Non reddes malum pro malo.* Et faciens orationem, suscitavit eam, quæ conversa castè egit residuum tempus

tempus vitæ suæ. Simile factum reperitur in vita *S. Jacobi Eremitæ*, quam refert *Petrus Ribadeneira* part. 2. die 28. Januarii.

9. Ex quo eventu satis liquet, quam magnam habeant potentiam illices voluptatum carnalium cupediæ ad animas nostras illaqueandas, excæcandas, ac in perditionis æternæ barathrum deturbandas; cùm videamus, quod Sanctus hic *Eremicola* nec ardorem ignis, nec dolorem ullum ex combustione suorum digitorum persenserit. Cùm ergo hic libidinis ignis usque ad perditionem devorans (ut superiùs docuimus) nulli conditioni, sexui, & ætati parcat, sed penè omnes invadat, quid mirum, quod, teste *S. Remigio*, ex adultis pauci propter hoc vitium salventur? Imò verò mirandum summè est, quod non omnes hâc flammâ consumantur. Stupendum sanè magis est vel unum incendium hoc evadere, quam omnes eodem conflagrare: quid dixi magis? cùm non sit mirificum vel stupendum, si omnes hoc maligno igne infecti, perirent. Nonne magis mirum, unum lapidem assurgere in æthæra, quàm si mille videres deorsùm ruere? Naturæ nostræ proprium per hanc pestiferam flammam interire est. Unde si consideremus pensiculatiùs imbecillitatem & corruptionem humanæ naturæ, plus admirabimur, unum ab hoc igne salvum fieri, quàm si eodem omnes perirent. Exclamare profectò hîc cogimur cum Apostolo: *Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei* hac carnis tabe non infici, & contaminari. Quia verò Apostolus omnibus Christi fidelibus insinuat dicens: (ad Ephes 5. 5.) *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem Christi & Dei*; his autem carnis vitiis, quia plurimi sunt contaminati, mirabitur nemo, plerósque ex mente *S. Remigii*, superiùs adducti, ad orcum descendere; ratio est, quia rarò eorum aliquis veram agit de peccatis hisce pœnitentiam, uti mox ex dicendis patebit.

# PARS SECUNDA.

10. QUàm magnam difficultatem, ne dicam impossibilitatē, homines carnales sentiant ad veram pœnitentiam agendam, suámque pessimam vitam emendandam, clarè colligitur ex hoc *Oseæ Prophetæ* cap. 5. oraculo: *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum*, id est, ut agant pœnitentiam, ut S. *Hieron.* interpretatur; redditque Propheta hujus obstinationis ipsorum rationem dicens: *Quia Spiritus fornicationum in medio eorum*, qui eos excæcat, inquit interlinearis. Etenim inter omnia peccata nullum est, quod pœnitentiæ magis contrarietur, aut opponatur, quàm vitium carnis. Unde in Apocalypsi dicitur: *Et dedit illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua.* Apoc. 2. Tales fuisse homines tempore Noë clarus Evangelii textus Luc. 17. 27. perhibet dicens: *Sicut factum est in diebus Noë, edebant, & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usque in diem, qua intravit Noë in arcam & venit diluvium.* Ubi advertendum, quod hi carnales homines profusam & inverecundam suam libidinem, etiamnum continuaverint, licèt illis in pœnam illius

universale intimaverit Noë diluvium, & centum annorum spatio arca ab eo fabricata fuerit, illósque eo tempore continuò, & sine intermissione utique reprehenderit, & ut in viam salutis perduceret, atrociora comminatus fuerit; sed hoc prorsus à pertinaci hoc peccatorum genere obtinere non potuit. Unde *D. Chrys.* hom. 2. in Gen. ait: *Vidisti stupidas & sensu carentes animas? Nihil eorum capiunt, quæ spiritûs sunt, nullis moventur monitis, perinde ac si rationis expertes sint.* Considerabilis in præsenti est illa responsio, quam is, qui ad cœnam magnam invitatus fuerat, subintulit: *Uxorem duxi, & ideo non possum venire. Luc.* 14. 20. Ubi notandum, quod alii duo, qui pariter invitati fuerant, civiliter responderint: *Rogo te, habe me excusatum*: hic autem uxoratus, aperto ore, & inverecundâ fronte dixit: *non possum venire.* Per quem (ut *Jansenius* ait) accipiuntur, qui voluptati carnis operam dant; Et meritò quidem hoc modo respondit, ut huic mysticæ cœnæ accumbendi, seu pœnitentiam agendi, non tam difficultatem, quàm impossibilitatem hoc suo responso innueret; *ut intelligamus*, verba sunt *Jansenii*, *nihil ita obruere animam, ut lasciviam carnis, quæ fastidium, imò oblivionem parit rerum divinarum.*

11. In magno speculo Exemplorum, verbo *Sodomia* hæc referuntur: Sacerdos quidam omnem possibilem adhibuit conatum, ut libidinosum quendam ad seriam induceret pœnitentiam, ac resipiscentiam; & primò quidem blandis illum, ac charitatem spirantibus, aggressus est admonitionibus, cúmque se per hasce nihil ab hoc lascivo homine obtinere posse cerneret, divinam illi proposuit justitiam, peccati illius rigidissimam ultricem: demum verò illi protestatus est, se illi è cælo peccatorum veniam nequaquam promittere, aut sacramentalem ei absolutionem dare posse; unde infelix homo obmutescens, plangere & post singultus respondere cœpit, dicens: *Pater mi, licèt inferni portas aperias, & dæmones ad me rapiendum in procinctu stantes viderem, attamen in prompta ac proxima peccati illius committendi occasione constitutus, ab hocce peccato me continere nequaquam possem; licèt certò & evidenter me subitò post commissum peccatum in ignem æternum præcipitandum esse scirem.* An non ergo libido menti humanæ plus quàm Ægyptiacas offundat tenebras, eámque omnium cælestium rerum notitiâ, & lumine privat? Ita sanè; percipiamus *S. Bernardinum* T. 4. serm. 21. contra hoc vitium in hæc verba detonantem: *Per luxuriam homo impeditur redire ad Deum, quia anima non potest redire & amare sine cognitione, juxta illud Augustini: invisa diligere possumus, incognita nequaquam, sed luxuria carnalis destruit cognitionem.* Id quod ad oculum cernere licet in *Udone* Archi-Episcopo Magdeburgensi. Hic (ùt omnibus notum) adeò Veneri fuit deditus, ut non solùm sæculares fœminas, sed etiam velatas violare non erubuerit. Cùm verò quadam nocte secum in lecto haberet certam Monalium Abbatissam, audivit vocem in hæc verba terribiliter intonantem: *Cessa de ludo, quia lusisti satis Udo.* Quam vocem sequenti nocte iterum audivit, nec tamen se emendavit, licèt & nocte tertiâ cum ingenti fragore eandem vocē audierit. Hinc tribus mensibus elapsis, dum de more cum Abbatissa prædicta dormiret, fuit repentè de impudicæ mulieris complexu abstractus, & ad Ecclesiam raptus; ubi coram innumera Cælitum corona à justissimo scelerum vindice mortis sententiam

accepit,

accepit, & capite plexus, unà cum corpore; & anima interiit, quem dæmones magno cum tripudio ad tartara rapuerunt.

12. Ex hac igitur horrenda historia quis non dilucidè perspicit, quantam tenebrarum caliginem in animum hominis libidinosi vitium carnis invehat, cùm videat Udonem Archiepiscopum infelicissimum, hoc scelere adeò excæcatum & obduratum fuisse, ut nec trino illo terrifico è cælo illiso tonitru: *Fac finem Udo &c.* consternatus, & ad agendam pœnitentiam permotus fuerit. Ratio verò efficacissimè & quasi palpabiliter probans, quòd homo carnalis nullam sentiat salutarem de pœnis inferni formidinem, quod nullis compungatur minis & terroribus, neque de sua salute, neque de quavis alia re cogitet, præterquam de reperiundis & explendis voluptatibus carnis, hæc est, quia anima talis hominis in carnem quodammodò degeneravit. *Quia in tantum*, ùt S. *Ambrosius* in 1. Cor. 8. ait, *agglutinatur anima corpori, ut in ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere; quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submersio, & absorbitio libidinis, & concupiscentiæ carnalis.* Atque ideo Spiritus Sanctus de homine pro eo tempore, & statu, in quo totus libidini deditus erat, locuturus, non sine mysterio hominem carnalem appellat, dicens: *Omnis caro corruperat viam suam.* Gen. 6. 12. Non dicit: *omnis homo*; & iterum: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.* Quibus verbis distinctiùs de carnali homine se loqui indicat. Et quidem certum est, quòd ibi non de solo corpore loquatur, hoc enim in dubium revocari nequit, sed specialiter de natura loquitur, quia omnes potentias suas ad concupiscentiam carnalem converterat. Hinc S. *Epiphan.* Hæres. 66. scribit: *Qui scortatione operatur, caro factus est, non solum ipsa caro, sed omnia, & anima & alia caro fiunt.*

13. Ex quo ulterius sequitur, quòd qui per carnis peccata in carnem totus degeneravit, ad ea, quæ caro suggerit, amplectenda quodammodo necessitetur, neque tamen unquam plenè saturatur. Audiamus hac de re Augustinum: *Velle meum*, inquit, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat; quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Quod verò libido satiari nequeat, id veridicus Spiritûs Sancti calamus testatur in hæc verba: *Prov.* 30. 15. *Tria sunt insaturabilia, infernus, os vulvæ*, id est luxuria seu amor muliebris, ùt sacri Doctores commentant, *& terra quæ non saturatur aquâ.* De quo S. *Hieronymus* contra *Jovinianum* ait; *Non hic de meretrice, non de adultera dicitur, sed amor muliebris generaliter accusatur, qui semper insatiabilis est, qui extinctus reaccenditur, & post copiam rursum inops est, animùmque virilem effæminat, & excepta passione, quam sustinet, aliud non sinit cogitare, nec ipso usu extinguitur, sed immoderatiùs & vehementiùs inflammatur.* Apud *Oseam* 4. 10. prædicitur: *Et comedent, & non saturabuntur, fornicati sunt, & non cessaverunt.* Super quem textum *Rupertus Abbas* ita scribit: *Luxuria cùm hominem imbuerit, nunquam dicit, sufficit: & licèt ad horam extinguatur sitis ejus, statim exardescit; ait ergo: fornicati sunt, & non cessaverunt; nam & usque ad decrepitam senectutem in cæno libidinis computruerunt.* Unde mortalis hæc impudicitiæ infirmitas hydropisi assimilatur: *Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Luc. 14. 2. Ubi *Glossa* ait: *est proprium hydropici, quanto plus bibit, tanto*

*plus sitit, & ideo comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat.* Tritissima sunt illa Poëtæ verba: *Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Ita sanè ad eundem modum homo carnalis, quantò magis carnalibus appetitibus obsequitur, tantò vehementiùs ad novas delectationes carnis appetendas accenditur.

14. Salomon quantumvis tantâ sapientiâ à Deo dotatus, divinóque cultui toto animi conatu deditus fuerit, nihilominus postquam semel in hoc lasciviæ barathrum præcipitatus fuisset, nunquam saturari potuit, neque ad insatiabilem ejus appetitum compescendum, populi sui mulieres ei sufficiebant, sed contra legem Dei, id expresse prohibentem, mulieres quoque alienigenas superinduxit. Assuerus quoque, qui centum viginti septem sceptro suo moderabatur provincias, quadringentas legitur nutrivisse concubinas. Darius vero trecentas sexaginta quinque ad libidinem suam explendam promptas habebat. Imò quis unquam ex Turcarum Imperatoribus ad illum Gynæcei sui numerum pertigit, quem à Salomone ad libidinem suam explendam, delectum fuisse Spiritus Sanctus veridico calamo suo nobis describit? Siquidem is eum septingentas refert habuisse reginas, & trecentas concubinas, nec tamen adhuc satiari potuit, siquidem ipsemet fatetur dicens: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: Affer, Affer, tria sunt insaturabilia, infernus, os vulvæ &c.* id est amor mulieris, ut vertit *Arabicus.*

15. Verùm enim vero, quamvis talia Veneris mancipia sub ultimam vitæ periodum ad pœnitentiæ asylum accurrere videatur, est tamen eorum pœnitudo valde rara, ideóque periculosissima ob defectum scilicet firmi propositi; qua de re egimus serm. 3. num. 12. Item serm. 4. num. 12. Quibus addi potest visum Religiosi cujusdam Angli, quem (ut refert *Dionysius Carthusianus*) in ecstasi positum S. *Nicolaus* per varia purgatorii loca circumduxit, qui dum ad se rediit, hæc inter alia narravit: Vidi, inquit, Sacerdotes immensis cruciari tormentis, ardorésque ferre intolerabiles, quia cùm incontinentiæ culpam confessione delevissent, pœnis divinæ Justitiæ debitis non satisfecerant. Cúmque admirarer tam paucos Sacerdotes illis fornacibus purgari, habitâ ratione multitudinis eorum, qui passim castimoniam polluunt, responsum est mihi, quod ideo ibi paucissimi erant, quia vix aliquis talium verum animi dolorem concipit de peccatis ante mortem, quapropter penè omnes æternùm damnantur. Quod ergo de Sacerdotibus specialiter hic Religiosus retulit, ob paritatem rationis facilè de omnibus aliis Christianis indifferenter idipsum asseverare licet. Unde liquet, quanto in periculo damnationis, obscœnis deditі deliciis versentur, cùm vix aliquis eorum sinceram agat pœnitentiam. Quid ergo agendum, ne æterni fias bustum ignis? nimirum mox in principio libidini resistas oporet, prout *Ovidius*, de Remedio Amoris præscribit, dicens:

*Principiis obsta: serò medicina paratur:*
*Quum mala per longas invaluêre moras.*

Itaque in principio, id est, in juventute mox obviandum est per sensuum, & corporis mortificationes libidini, sensim sese insinuanti & in naturalibus membris exsurgenti; Si enim tunc quis victas porrigat manus, per frequentatos actus habitum contrahet, cui resistere difficillimum erit. Qua de re quia agemus in sermone de Tentatione, ideo pium lectorem eo remittimus, & ad aliam hujus sermonis partem properamus.

PARS

# PARS TERTIA.

16. IN præcedentibus diximus, quod luxuria hominem totaliter excæcet, eúmque lumine supernaturali privet, quò præsentissima animæ suæ pericula & damna dispicere, & præcavere non valeat; ideo consequitur manifestè, quod homo libidinosus omnibus aliis sceleribus in prædam cedat. Unde Moyses dixit: *Corrupta est terra coram Deo.* Quibus verbis vitium carnis pro totum mundum passim dispersum esse innuit. Sed quid inde sequitur? auscultemus, *Et repleta est iniquitate.* Ex quibus verbis *D. Chrysost.* hom. 22. in Gen. rationem colligit, cur concupiscentia carnalis, malitiæ, & iniquitatis nomine indicetur: Ex hoc enim malo opere, inquit, quasi ex fonte quodam multa etiam alia suboriebantur peccata, & ideo dicit: *Malitiæ hominum,* nam ubi scortatio & luxuria, verisimile est, & ebrietatem, & crapulam, & magnam injustitiam & avaritiam, & innumera alia nasci mala. *S. Apostolus* ad *Galatas* scribit: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.* Gal. 5. 19. Ubi notandum quales sint hujus pestiferæ arboris fructus; nimirum *Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes & his similia.*

17. Audiamus quale epithetum *Eusebius Cæsariensis* l. 7. præpar. Evang. libidini attribuat; eam námque vocat *Hydram multorum capitum.* Siquidem ut *Angelicus Doctor* 2. 2. q. 153. a. 4. docet: *Est libido vitium capitale, quod habet finem multum appetibilem, ita quod ejus appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda.* Id quod etiam innumera funesta & horribilia exempla demonstrant, quæ à luxuria suum ortum, & originem sumpserunt, ex quibus brevitatis ergo unum duntaxat delibasse suffecerit. Quidam magni nominis Concionator, inquit *Delrio* de Magia l. 3. p. 2. in urbe quadam Hispaniæ in reprobum sensum datus est. Hic familiaris erat cuidam nobili cui formosa erat uxor, sed casta. Hanc cœpit ipse deperire, nec diu ignem fovit occultum, sed mulieri aperuit animum, & flagitium nititur persuadere. Illa sedulò conatur eum ad saniorem reducere mentem, sed erat oleum flammæ adjicere, nam & monita magis inflammabant incendium. Illa sollicitata continuò, pertæsa tandem molestiarum, statuit se ulcisci de nebulone. Rem totam pandit marito. Ejus jussu tempus certum addicit huic solicitanti. Venit ipse nocte optatâ & addictâ; sed maritus cum aliquot famulis agebat in propinquo conclavi cum armis insigniter eum excepturus. Adest ergo sæculari habitu, gladio ac pugione accinctus, & sequitur matronam in cubiculum seducentem, ubi veterem cantilenam repetit. Cúmque mulier more solito reniteretur verbis, ille vero castæ mulieri vim inferre vellet, exclamavit illa, quo maritus & armati accelerarent ingredi. Verùm nec maitus nec quisquam accurrit. Anxia illa vim vi repellit, ungues & dentes arma muliebria stringit, faciem ejus deformans. At ille propterea non destitit. Advertit matrona inter luctandum, dorso pugionem hærere, hunc eripuit, & improbum perfodiens vitâ privat. Collapso cadavere, accurrit

currit in conclave mariti, & invenit ipſum cum famulis, mortuis potiùs quàm vivis ſimilem. Clamat, vellicat, trahit, at illi conſopiti permanent: Suſpicata maleficio id fieri, nec opem aliunde ſperans cadaver domo effert, & in plateam abjicit cum gladio, & cruento pugione. Interim nocturni vigiles in cadaver incidunt, in carcerem illud efferunt. Facie lota agnoſcitur Concionator. Silentio indicto vigilibus, ſummo manè Gubernator loci illius adit Cœnobium, evocat Priorem, jubétque omnes de Conventu convenire, tanquam de re magna coram ipſis tractaturus. Adſunt omnes excepto illo, qui cùm quæreretur in cubiculo, non reſpondet. Ingreditur Prior cum Gubernatore in cellam, & nihil reperitur, niſi fax ardens, & obſcurè lucens in camino defixa. Mirantur omnes. Tum Gubernator narrat de invento cadavere, & dum illud auferunt è carcere, ut profanæ tradatur ſepulturæ, ecce nobilis advenit cum uxore rem coràm enarrans. Conferuntur momenta temporis, reperiuntúrque evigilaſſe, dum fax extincta fuit. Ecce tibi, quanta mala cauſet luxuria! credidiſſesne unquam, quod luxuria hominem Religioſum, virum doctum, famosúmque Concionatorem, quem haud dubiè contra hoc beſtiale vitium in ſuggeſtu multoties detonaſſe credendum eſt, ad tantam, eheu! malitiam & perverſitatem perducere poſſet?

18. Enim vero, quod luxuria hominem in profundiſſimum malitiæ barathrum deturbare ſoleat, id nemini mirum videri debet, ſi bene perpenderit, quod omnis malitiæ fabricator & Author Dæmon animam luxurioſi hominis totaliter poſſideat, eíque tanquam ſuo mancipio dominetur & imperet, unde facillimè eandem ad omnia crimina perpetranda permovet, & inducit. Quòd verò homo carnis voluptatibus deditus dæmonis ſit hoſpitium, palàm eruitur ex verbis illis, ab ipſomet Spiritu veritatis dictatis *Gen.* 6. *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt*, id eſt, fœdiſſimis carnis cupediis addictus. Cùm ergo homo carnalis non habeat in ſe inhabitantem Spiritum Sanctum, neceſſum eſt in eo manere ſpiritum malignum; ſiquidem impoſſibile eſt, quod homo non ſit, vel filius adoptivus Dei, vel filius, & mancipium diaboli; cùm ergo nullus poſſit eſſe filius Dei ſine Spiritu Dei, neceſſariò conſequitur, quemlibet libidinoſum fore hoſpitiũ diaboli, cùm maneat in eo ſpiritus hic maledictus, aliàs dictus *Aſmodæus*.

19. S. *Lucas* cap. 8. refert quam plurimos dæmones, ſcilicet totam Legionem ab aliquo homine expulſam rogaſſe Chriſtum, ut ſe permitteret in gregem porcorum ingredi, permiſit; & ecce impetu abiit totus grex in mare ſeu ſtagnum Tiberiadis. Ubi advertendum, dæmones mitti in porcos, animal immundum & ſpurcum, cœnóque amicum, ut intelligamus, hoſpitium diabolorum eſſe homines fœdâ libidine contaminatos. *Certi myſterii gratia* (ait S. P. *Aug.* tr. 6. in Joan.) *& certa diſpenſatione dimiſit Dominus dæmones in porcos ire, ut oſtendat diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt.* Porcus cælum nunquam aſpicit, perpetuò terram fodit, luto & fœtore delectatur, ventri eſt deditus, non ruminat; ſic homo libidinoſus cælum non curat, terrena quærit, lutum id eſt voluptates corporis, criminúmque fætorem amat, ventri ſervit. Denique non ruminat, id eſt, æterna ſupplicia, tartareas flammas, in quas ducitur, minimè conſiderat. Sed quid tandem miſeris iſtis porcis continget?

*Totus grex per præceps in mare abiit.* In mare, in Abyssum, in profundum illud tartari pelagus magno impetu voluptatis mancipia ruunt.

20. Certò, si probare hoc ipsum vellemus exemplis, nullus calamus ad annotandum, nulla lingua ad proloquendum, nulla memoria ad retinendum, nec ullus intellectus ad capiendum sufficeret. Nihilominus tamen ad salubrem omnibus in luxuriæ cœno jacentibus terrorem incutiendum lubet referre, quod *Raynaldus* scribit in Annalibus Ecclesiasticis de Dionysio Carthusiano, qui pro defuncto quodam Episcopo orans sequentem habuit visionem. Cùm enim pro eo in cella vigilans Deum oraret, à duobus gyganteæ formæ spiritibus deterritus, vidit ante se adductum squalidum, tetrum, ardentibus flammis circumseptum, fumóque oppletum, cui dixerunt: Ecce pro quo oras. Intuens autem illum Dionysius diligenter, vidit circa ventrem, & genitalia ejus immensum agmen serpentum & bufonum, qui miserum corrodebant; ei quoque causa mox declarata fuit, ob quam serpentes illam corporis partem præcipuè occupabant, ipséque dæmonibus miserè in prædam cesserat, nimirum, quia fuerat in vita in concupiscentiis fœminarum monialium, virginúmque stuprator.

21. Hæc amice frater in memoriam revoca, dum luxuriæ tentatio te invaserit, &, ùt commune fert axioma, clavum clavo pelle, id est, veneris ignem consideratione ignis infernalis ex pectore tuo expunge, quemadmodum monet *Isidorus* lib. 1. Synoym, dicens: *Propone tibi adversus præsentes carnis ardores, futuri supplicii ignes; superet æstum libidinis recordatio æterni judicii; memoria ardoris gehennæ, ardorem excludat luxuriæ.* De Abbate Elia sequentia audire lubet: *Pratum Spirit.* cap. 19. Narravit nobis, (inquit *Joannes Eviratus* seu *Sophronius*) Abbas Elias, dicens: Cùm aliquando morarer in partibus Jordanis in spelæo, pulsavit quidam ostium speluncæ meæ. Egressus verò vidi mulierem, & dixi ad illam: Quid tu hìc facis? & ait: Ego, mi Pater, ejusdem, cujus tu, instituti sum, & quasi uno lapide distat à te spelunca mea. Ostendebat autem & locum quasi ad Austrum. Et ait: lustravi hanc eremum, & præ æstu nimio siti fatigata sum, fac ergo charitatem Pater, & da mihi pusillum aquæ. Itaque protuli urceum, & dedi ei. Cùm autem abiisset, cœpit diabolus impugnare me immittens cogitationes sordidas in eam. Superatus igitur, neque ferens libidinis ardorem, sumptâ virgâ meâ, cellam egressus sum in fervore æstûs, cùm lapides ignescerent, profectúsque sum ad illam, ut implerem turpem concupiscentiam. Cùm verò fermè uno stadio ab ejus adhuc spelæo distarem, urgente me graviter æstu libidinis, repentè factus in ecstasi, vidi apertam terram, & me hiatu terræ absorptum. Aspicióque illic cadavera putrida jacentia & resoluta, & incredibili fœtore plena, & quendam reverendi habitûs virum, mihi demonstrantem ac dicentem: Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri, fruere jam ùt vis, & quantùm libet, concupiscentiâ tuâ: hujus tamen voluptatis gratiâ, vide quos labores amittere voluisti, ingeminavítque: Væ! væ! væ! Mundo propter libidines, & carnalia peccata. Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me, & gratias agens Deo, reversus sum in locum meum.

22. Hoc ergo ipsum nobis sæpè occinamus: Væ! væ hominibus propter libidines. Veruntamen ut majorem abominationem & nauseam foveamus erga hoc vitium, ejus intolerabilem mephitim persentiscamus oportet. Narrat S. *Antoninus* p. 4. summæ Theol. l. 1. c. 6. §. 1. Angelum humanâ specie tectum iter fecisse cum Anachoreta. Transierunt fortè cadaver in viam temerè projectum, & quia valdè fœtebat, Anachoreta obturavit nares suâ chlamyde, ne fœtorem sentiret, non ita socius. Paulò pòst obvium habuerunt Juvenem, vestibus pretiosis & redolentibus ornatum, ad cujus transitum Eremitæ comes nares fortiter pressit, & juvenem velut mephitim fœdissimam declinaturus, vultum pressásque nares avertit. Causam à socio rogatus: *homo libidinosus*, inquit, *olentissimum cadaver est*. Dixit, & evanuit.

23. Neque semel etiam similis gravéolentia castis naribus cruciabilis extitit. Certè S. *Catharina Senensis* hircos ab agnis solo odoratu secernebat; etenim impudicæ mulieris secum loquentis fœtore sic afficiebatur, ut nares obturaret, cúmque super hoc à Confessario suo gestum hunc admirante percunctaretur, dixit: nisi hoc fecisset, sibi præ nausea stomachum movendum fuisse. S. *Philippus* Nerius non minus etiam impudicos ex odore cognoscebat: hinc dicere solebat: *Malè oles, ô fili, malè oles.* Pariter *Sancta Francisca Romana* tantum narium cruciamentum ex impuri hominis præsentia sibi afflari sentiebat, ut vultum avertere fuerit coacta. Verùm quid mirum, quòd Sancti in hac vita degentes fœtorem libidinis abhorreant, cùm eum nec mortui tolerare possint? In Chron. S. P. *August.* legitur: Cùm defunctæ B. Christianæ de oppido S. Crucis in valle ad Flumen Arnum corpus publicæ venerationi ferè tribus hebdomadis expositum fuisset, suavissimo semper fragravit odore. Ad quod cùm mulier impudica accessisset, Christiana etiam defuncta impuritatem abhorrens, manu elevatâ habitu faciem sibi cooperuit, ne ab aspectu scelestæ fœminæ contaminaretur. Porrò, si causam investigemus, cur hæc & alia Deus in Sanctis suis patrare voluerit miracula, reperiemus, ista ad nostram eruditionem principaliter facta esse, quò nimirum intelligamus, quàm fœdum sit, carnalibus inhiare concupiscentiis; & vel ideo summè abominanda carnis libido, fugiendáque est. Ergo pudeat nos Christianos Veneri operam dare, cùm è *Stoa Philosophus* castior, *etiamsi scirem* (inquit) *& Deos veniam mihi daturos, & homines non cognituros, tantùm propter carnis vilitatem peccata carnis fugerem.*

24. Verùm enimverò, si quis ex hucusque dictis persuasus necdum sit, neque permotus ad fugienda carnis scelera, exterreatur, saltem ex nonnullis exemplis infelicium eorum, qui justo DEI Judicio, dum actu hisce carnalibus obscœnitatibus operam dabant, morte repentinâ conclusi, id experti sunt, quod de impiis prophetavit *Job* cap. 21. v. 13. dicens: *Ducunt in bonis, in voluptatibus carnis, dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Primum infelicitatis exemplum exhibet Juvenis quidam, de quo *Recupitus* in Tractatu Industriarum bonæ mortis num. 21. scribit, quod molli nimiùm familiaritate ab impudico quopiam parùm castè quiddam didicerat, simúlque ad Sacramentū pœnitentiæ redux identidem, sed prolap-

prolapsus iterum redibat ùt canis ad vomitum, & sus ad volutabrum luti, contrectatione impurâ. Vice quadam cùm se ad conclave aliud abripuisset, ut secum solus esset, ad rem detestabilem faciendam, ecce reperit istic dæmonem truculentum, qui adolescentem furenter aggressus, fasciam illi è tibialibus repentè solvit, eámque illius collo alligat, & è quadam illius conclavis trabe suspenso gulam stringit, ac strangulat. Reliquit ibi impudicum corpus lictor tartareus: at animam eò secum abduxit, ubi carnem ad æterna tormenta exspectat. Interea in urbe celebri, & utcunque dissitâ ab eo, ubi hæc gesta sunt, loco dæmon ex energumeno dixit; præclarè enimvero rem à socio suo gestam in urbe cum tali juvene, & rem quam dixi, palàm narravit; adjecítque quod Angelus custos ob illam juvenis illius impudicitiam tandem indignatus, Dei permissu, dæmoni potestatem fecisset, ut illum miserum strangularet.

25. Patet hinc, quàm magnoperè Deus irascatur his, qui (ut loquitur *Apostolus* Rom. 1. v. 24.) *contumeliis afficiunt corpora sua in semetipsis*, id est, qui in proprio suo corpore committunt peccata contra naturam. Væ illis, qui aliorum animadversione non compuncti, impurâ contrectatione seipsos polluere pergunt; veniet enim tempus, in quo & ipsi tantum recipient tormentum & luctum, quantum in carnalibus deliciis constituti suis meruêre peccatis. Verùm ut ulterius intelligamus, quàm sæpe luxuriosi repentino interitu pereant, referre lubet, quod scribit *Ottonellus* Tom. 1. Adnot. 3. de quodam Sacerdote impudico, qui cùm anno 1638. ad meretricem accederet, ambo, dum nefando vacant operi, ex improviso mortui sunt. Verùm ut mors non casu, sed divino obtigisse nutu omnibus innotesceret, post mortem miro portenti genere amborum brachia, & reliqua corporis membra, quorum animi impudicitiæ glutino invicem arctissimè colligati fuerant, eum in modum, mutuóque sibi inhærere visa sunt, ut unum sejungi, ac divelli ab altero cadavere neutiquam posset. Hæc ergo est scortatorum merces, hoc impuræ libidinis stipendium, à momentanea, turpíque voluptate ad cruciatus æternos ferri præcipitem. *Fornicatoribus pars erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Apocal. 21. 8.

26. Tertium divinæ vindictæ exemplum subjicit *Thomas Cantipratanus*, vir doctus & gravis, Divi Thomæ Aquinatis, sub Alberto Magno condiscipulus, & Episcopus suffraganeus Cameracensis, lib. 2. Apum cap. 39. in hæc verba scribens: Presbyter quidam, nomine tantùm sanctus, & castus Monialem, altioris ordinis juvenculam, sub religionis specie procurabat. Nactâ ergo occasione, cum socia seniore Monialis juvencula Presbyterum invisit. Post lautos autem cibos & potum immoderatum, Moniales, in uno loco, & Presbyter in altero quieverunt. Manè facto, vetula Monialis sociam juvenculam ad matutinum officium excitare voluit; quia verò nec strepitu, nec pulsationibus eam potuit excitare, surgens quæsivit sociam, nec invenit. Turbata ergo cum tota familia Monialis, cùm factum præ confusione celare vellent, nec possent, cum horrore & scandalo multorum, sicut inventa fuerant, amborum simul cadavera sunt sepulta. Væ! væ igitur omnibus, qui in simili reperientur culpa, quia non evadent eandem æternæ damnationis pœnam. Veruntamen hic cogitandum venit, quod supra serm. 17.

num. 5. diximus; nimirum, dum similia divinæ vindictæ exempla cernimus, sive legimus, cogitemus oportet, hæc non tam ad eorum æternam ignominiam & infamiam, quàm ad viventium salutem, salubrémq; metū mortalibus incutiendum à Deo, justissimo scelerum Vindice, exhibita fuisse. *Sit ergo* (ut cum *Magno Aug.* loquar) *aliorum perditio*, mi optime lector, *tua cautio*; nam sapiens profectò existimandus, qui ex aliorum infelici interitu sibi melius consulere novit, &, dum plurimos propter impurum carnis vitium æternùm perire intelligit, sibi ab eo solicitè cavere discit, prout Poëtarum ille cecinit:

*Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

# SERMO XX.
# DE HUMILITATE.

*Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.* Matth. 11. vers. 29.

## PARS PRIMA.

1. Quemadmodum sine fundamento aliqua fabrica consistere nequit, ita absque humilitate ædificium reliquarum virtutum, ita ut suspecta sit omnis virtus, quæ humilitate munita non est. Necessaria est ergo hæc virtus, itáque necessaria, ut sine aliis esse ipsa possit, non autem sine illa aliæ, quia est supplementum cæterarum, ut peritissimus vitæ spiritualis director *Alphonsus Rodriquez* tr. 3. c. 39. part. 2. demonstrat. Quod etiam innuere videtur S. P. *Aug.* ser. 10. de verb. Dom. his verbis: *Magnus esse vis? à minimo incipe; cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis.* Porrò de hac virtute eleganter disserunt SS. Patres, eámque variis laudum encomiis efferunt; eam enim primum Christianæ Philosophiæ fundamentum, medicinam tumoris, custodem virtutum, in ornatu summi Sacerdotis splendidiorem gemmam appellant. S. *Basilius* humilitatem vocitat, *tutissimum virtutum omnium thesaurum.* Denique (*S. Gregorio* teste) est humilitas omnium virtutum radix. Sicut enim inquit, flos in radicis succo vivit, & crescit, at ab ea resectus exarescit: ita quælibet virtus, nisì in humilitatis radice maneat, exarescit, & statim perit; & quò altiùs radices humo se immiserint, tantò arbor se magis extendet, eritq; fertilior & diutiùs stabit; ita pari modo, quò quis profundiùs per humilitatem descendet, tantò altiùs in virtute & perfectione crescet, uberiorésque animæ fructus producet.

2. Porrò, tametsi nemo Sanctorum hanc virtutem nobis commendasset, nihilominus tamen summâ contentione allaborare oporteret, quò hanc assequi possemus, cùm eam tantoperè Filius Dei suspexerit, dilexerit, & per totum vitæ suæ cursum tenuerit. Hinc ut præclarè S. *Basilius* Serm. de humilitate discurrit, voluit è paupere Matre in vili stabulo nasci, & vilibus pannis involutus in præsepi reclinari, voluit ùt peccator circumcidi,

cidi, ut debilis in Ægyptum fugere, inter peccatores & publicanos, ut unus illorum, baptizari: In vitæ progressu volunt illi honorem deferre, & in regem eligere, & abscondit se; cùm verò contumeliis & dedecore afficere, tunc offert se: prædicant illum homines, etiam à diabolis obsessi, & jubet illos tacere; dum illum subsannant, & convitiantur, ne verbo quidem se purgat. Et in fine vitæ, ut hanc nobis virtutem, tanquam testamento & ultimâ voluntate suâ magis commendaret, mirando illam confirmat exemplo, dum & discipulorum pedes lavat, & ignominiosam illam crucis mortem subit. Accedit Melleus Doctor. S. *Bernard.* serm. 1. de Nativ. Dom. in hæc verba discurrens: *Exinanivit semetipsum carnem nostram assumendo, & universam vitam suam humilitatis esse voluit exemplum, ut prius præstaret exemplo, quod erat docturus verbo: Mirus sanè docendi modus.* Sed quare tantæ Majest. Dominus tam profundè se humiliavit? *ut non apponat* (respondet idem *Mell. Abbas*) *ultrà magnificare se homo super terram; Intolerabilis enim impudentia est, ut ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus infletur, & intumescat.*

3. Quàm æquum ergo est, ut aures nostras accommodemus Salvatori nostro, dum nos ad humilitatem amplectendam tum suo exemplo, tum verbo invitat, dicens: *Matth.* 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Discite, inquam, non superbè & altùm sapere, sed vosmetipsos despicere, & ad omnium pedes meo exemplo abjicere; discite fallaces hominum laudes declinare, & ad injurias vobis illatas humiliter tacere; Discite denique, non mundum fabricare; non cuncta visibilia, & invisibilia creare; non in ipso mundo mirabilia patrare, ac mortuos suscitare; *sed quoniam mitis sum, & humilis corde.* Et ut efficacius nos moveret ad humilitatis virtutem sectandam, mox subjungit: *Et invenietis requiem animabus vestris.* Ecce præmium & mercedem in promptu, quam Deus humilibus corde largiri solet; Siquidem magnâ internâ gaudebunt pace, non quidem eâ, quam mundani homines in omnimoda temporalium rerum affluentia & prosperitate sitam esse arbitrantur, (hæc enim pax non est vera pax, sed falsa & fucata ducens hominem ad interitum) sed illâ, quam Christus Apostolis suis reliquit dicens: *Joan.* 14. 27. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Talem ergo pacem & requiem animæ suæ inveniet humilis; Nam licèt variis & multiplicibus quandoque calamitatibus, & pressuris subjacere cogatur, licèt passim ab aliis contemnatur, & illudatur, fame, siti, frigore & nuditate prematur, nihilominus tamen hisce miseriis ita gaudet, ut hanc suam sortem cum omnibus mundi thesauris, cunctísque opulentorum quorumcunque hominum commoditatibus commutare nequaquam vellet. An non ergo hæc magna animæ requies? hâc autem humilis corde identidem perfruitur. Præterea quamvis hæcce pax non careat pugnâ, Christus enim ipse restatur: *Matth.* 10. 34. *Non veni mittere pacem* (intellige pacem mundi) *sed gladium*, id est tentationes, vexationes, & pugnas quotidianas servis meis immitto: quia tamen humiles, in arena cum mundo, carne, & dæmone confligentes, sic divina manus adjuvat, dirigit, ac tuetur, ut certò certaminis lauream ab adversariis suis sint relaturi; ideo rectè incarnata Sapientia humilibus spondet, quod inventuri sint animæ suæ requiem, non solùm, quando corporis nexu soluti cælum intrabunt, verum etiam in præsenti vita, dum videlicet hostes suos victoriosè profligabunt, ac prosternent.

4. Notissimum est, quod hac in parte magno Anachoretarum Patri, S. *Antonio*

cælitùs fuit responsum. Cùm enim is in spiritu mundum laqueis, & pedicis inimici ad capiendas animas plenissimum cerneret, exclamavit cum lacrymis: Ah Domine! quis effugiet? Vox autem ad eum facta est dicens: *Humilis*. Hinc perapte S. *Ephrem* de recta vivendi ratione sic ait: *Profectò, si diligenter attenderis, ubique inimici laqueos, tanquam mellis dulcedine circumlinitos, & voluptatis illecebris extensos deprehendes, ut si quis illius dulcedinem gustare velit, laqueo capiatur; Humilitatem ergo dilige, & nunquam diaboli retibus capieris; quia levissimis humilitatis alis sublatus sublimior eris, quam ut ab eo capi possis.* Esto igitur humilis, & ab hisce laqueis & tentationibus te Dominus eripiet; *Custodiens parvulos Dominus*, inquit coronatus Vates *Psal.* 144. *humiliatus sum, & liberavit me.* Summi montes fulminis telis, & tempestatibus impetuntur; arbores proceriores à ventis convelluntur; sed arundines, virgulta, & plantæ humiles, quæ se submittunt, incurvantur, & in hanc illámve partem inflectuntur, post tempestates, & ventorum turbines infracta perdurant: Sic quoque humiles in mediis tentationum procellis, inimicorúmque tartareorum assultibus indemnes perstabunt.

5. Quisquis igitur stygii hostis astus eludere, ejusque occultas fraudes & technas dissipare, & destruere discupit, assumere debet humilitatem, quæ similis est, (ùt S. *Maria Magd. de Pazis* dicere solebat) acuto gladio, qui defendit & vincit omnes inimicos, & à quo diabolus fugit. Hunc humilitatis gladium arripuit quidam Anachoreta, & eo stygem in fugam dedit. Dæmon enim cuidam fratri apparuit, transfiguratus in Angelum lucis, & dixit ei: Ego sum Gabriel, & missus sum ad te. Ille vero dixit ei: *Vide ne ad alium missus sis: ego enim non sum dignus, ut Angelus ad me mittatur.* Diabolus autem hoc audiens statim etiam disparuit. Alius quoque cum ipsi cacodæmon, in Christum transfiguratus, apparuisset, ait: *Vide ad quem veneris, certè talis non sum, quod dignus sim hic videre Christum.* Simúlque subdit cum S. *Petro*: *Exi à me Domine, quia vilis sum, quia visionibus tuis indignus sum, quia peccator sum.* Sícque diabolum in fugam dedit. Si percontari fas est, quonam memorati nunc duo Eremícolæ abiissent, si humilitatis gladium in adversarium non vibrassent? Fortassis diabolicis hisce imposturis in fraudem fuissent impulsi, ac in superbiam prolapsi se acheronti æternùm mancipassent; Ast quia humiliter & submissè de se ipsis senserunt, ideo orcinum seductorem debellarunt, nobilémque victoriæ palmam ab orco retulerunt. Nihil enim vires hostis tartarei sic atterit, nihil ejus robur adeò enervat, sicut sincera humilitas: Proinde nil magis in homine pertimescit, quam animi submissionem.

6. In hujus rei assertionem apposite congruit, quod *Pelagius* l. 5. libell. 15. n. 26. in *Vitis Patrum* recenset de S. *Macario*. Cùm hic S. Abbas quondam tam ad sportulas contexendas, quàm etiam ad fugiendum otium aliquot palmarum manipulos à palude quadam exportasset, occurrit ei diabolus in via cum falce messoria. Voluit autem eum percutere falce illâ, sed non potuit. Et dixit ei: Multas violentias patior à te, Macari, quia non possum prævalere adversum te, quod scilicet viribus caream, quibus te vincere possem. Scito etenim, nihil esse eorum, in quibus temetipsum ad Dei gloriam exercere soles, ad quod ego non majori cum rigore me adhibeam. Quòd si tu jejunas, ego à primò creationis meæ momento cibum minimè gustavi.

gustavi.

gustavi. Tu integras noctes insomnes ducis; nec ego unquam vel minimo momento somno indulgeo. Tu castitatem semper observas; at ego nullam unquam huic virtuti contrariam actionem committo. Tu mundi hujus bona contemnis, quibus ego quoque nullum unquam affectum applicui. Tu corporis membra disciplinis maceras, & abstinentiis attenuas; ego verò gehennæ flammis æternum crucior, & torqueor. Unum est autem, in quo me superas. Et dicit ei Abbas Macarius: Quid est illud? Respondens diabolus, dixit: Humilitas tua, quod nimirum humilis sis, & parvus in oculis tuis; in hac enim virtute nullum ad dimicandum tecum campum reperio, in quo aliquam contra te prævalendi spem præsumere ausim. Sic effatus amplius videri desiit.

7. Hinc ergo liquet, quanta in humilitatis virtute lateat fortitudo, & animi robur, cui stygius ille veterator, ùt ipsemet altiori vi compulsus fateri cogebatur, longè inferior & impar est. Causa porrò, cur scilicet humiles tantis polleant viribus, est, quod Deus, ùt bellator fortissimus, cum illis sit; *humilitas enim est* (ùt Christus l. 6. revel. c. 42. S. *Birgittæ* dixit) *quæ Deum in cor nostrum introducit. Esto igitur humilis* (ait Venerab. *Thomas Kemp.* l. 2. c. 8. §. 3.) *& pacificus, & erit tecum Jesus.* De S. Gertrude refert *Petrus Pennequin.* part. 2. Isag. c. 18. n. 2. quod aliquando divina sibi collata beneficia commeditans, tanto pudore suffusa sit, ut sibi exosa se conspectu divino indignissimam judicaret, optarétque aliquod nancisci latibulum, quo turpitudinem suam absconderet, & quod divinis non poterat, humanis saltem oculis & naribus tantum fœtorem subduceret. Quid ageret hic Christus? Continuò tantâ benevolentiâ ad eam se dimisit, ut præ admiratione tota cælestis curia à tanta demissione illum dehortari velle videretur: quibus Christus dixit: *Sinite*; continere enim me non possum, quin me totum ei impertiar, quæ tantâ sui dejectione cor meum ad se pellexit.

8. Constat itaque humilitatis virtutem Deo summoperè placere. Sponsus Cælestis Sponsæ suæ pulchritudinem laudare volens, à pedibus præcipuè eam commendavit dicens Cant. 7.: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* Quid aliud per hæcce calceamenta subintelligi potest, quàm humilitas? Hæc enim se semper in postremum abjicere amat locum. Quisquis ergo Cælesti Sponso complacendi flagrat desiderio, in humilitatis calceamentis gradiatur oportet. Convenientem nostro proposito historiam narrat *Discipulus* Serm. 32. l. 2. Quidam cùm diu in extremis laboraret, tandem reversus ad se, incepit flere, & causam rogatus dixit: *Vidi quod Deus specialiter diligeret humiles, & magnam haberet complacentiam in illis, ideo præ gaudio lacrymatus sum, quia & mea opera utpotè cum humilitate facta gratanter acceptavit, ideóque jussus sum vobis indicare, quod, qui vult Salvus fieri, debeat se humiliare, & Christum imitari dicentem*: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. In vita B. *Catharinæ Ricciæ* c. 21. legitur Cælitum Reginam ei apparuisse, ac Christum parvulum in ulnas dedisse, quæ dum quæreret, quid esset agendum, ut placere posset puero JESU? Respondit B. Virgo: *Filio suo humiles & obedientes placere super omnes.* Hoc fac, amice lector, & vives; Verùm ut intelligere possis, in quonam vera fundetur Humilitas, quæ sequuntur, bene observes oportet.

# PARS SECUNDA.

9. CUm ex hucusque dictis palàm constare possit, quàm excellens sit virtus vera cordis humilitas; ut hanc assequi valeamus, apprimè scire debemus, in quonam vera humilitas fundetur, & radicetur: necessarium proin est, id explicare & declarare, quod Deo auxiliante præstabimus in præsenti & in subsequentibus paragraphis. Opinio S. *Laurentii Justiniani* est, neminem scire benè, quid sit humilitas, nisi qui à Deo accepit, ut sit humilis. Hoc autem scire, (ùt idem dicit) adeò difficile est, quod in nulla re ita fallatur homo, quàm in cognoscenda vera humilitate. Aliqui, dum se peccatores & miseros esse dicunt; aliqui, dum pannosum & lacerum gerunt vestitum; alii dum in sordidis contemptisque officiis obeundis sese occupant, se humiles forè autumant. Verùm si idcirco id faciunt, quò nempe humiles ab aliis prædicentur, & se cæteris meliores humilioresque reputant, ipsissima est Superbia.

10. Diligenter itaque notandum est, ne quis fictam & falsam humilitatem pro vera habeat. Nam S. *Hieron.* in Epistola quadam benè ait: *Multi humilitatis umbram, veritatem pauci sectantur.* Perfacile est aliquem habere vestem contemptam, caput dimissum gerere, oculos in terram defigere, submissâ voce loqui, sæpiùs suspiria trahere, & ad singula propè verba se miserum & peccatorem nominare; at si tales vel obiter, & uno verbulo tetigeris, etiam levissimo, statim videbis, quantum à genuina humilitate absint. Hinc rectè S. *Thomas* ait: *Qui honoris est cupidus, contemnique refugit, & dum contemnitur, excandescit; etsi miracula faceret, à vera tamen perfectione longissimè abest; nulla enim virtus ibi esse potest, ubi fundamentum virtutum, nempe humilitas deest.* Unde cùm quidam frater, uti in Vitis PP. recensetur, ab aliis laudaretur apud S. *Antonium*, hic tentavit eum, an posset injuriam ferre? quod cùm non posset, dixit S. *Abbas*: *Similis est hic frater domui, quæ à facie quidem ornata est, retrò verò à latronibus spoliata.* Sic profectò multi sunt, qui forinsecùs duntaxat humiles apparent, in eorum verò corde occulta latet Superbia. Verùm, humilitatem veram patientia ostendit. Hæc est lapis lydius, dicit S. *Hieron.*, ad quem verum humilitatis aurum exploratur. S. *Bernardus* tract. de grad. humilit. magis sigillatim edisserens, in quo virtus hæc sita sit, ita eam definit: *Humilitas est virtus, quâ homo verissimâ sui agnitione* (considerando scilicet defectus & miserias suas) *sibi ipsi vilescit.* Non consistit ergo virtus hæc in verbis, aut exteriorum neglectu, sed in intimo cordis, in abjectissimo de seipso sensu, dum videlicet homo non solùm seipsum vilipendit, sed etiam optat, ut ab aliis quoque despiciatur, & vilipendatur. Porrò quamvis SS. Patres multos humilitatis gradus enumerent, nos tamen brevitati studentes tantùm tres, ad quos reliqui omnes facilè reduci queunt, ad nostrum scopum attingendum in medium afferemus, qua in re inhærebo vestigiis *Alphonsi Rodericii*, qui p. 2. tr. 3. de his fusè & disertè tractat, à quo proinde nonnulla mutuabimus ad nostrum propositum magis accommodata.

11. Primus igitur humilitatis gradus est: *Seipsum parvi facere, & humiliter de se sentire.*

*sentire.* Ad hoc autem unicum & necessarium medium est sui ipsius cognitio. Imprimis ergo, ut consulit S. *Bernardus* in form. hon. vitæ, ista tria semper in mente habeas: *Quid fuisti? Quid es? Quid eris? Quid fuisti? quia sperma fœtidum. Quid es? vas stercorum. Quid eris? quia esca vermium.* Hinc meritò exclamat *Innocentius Papa* l. 8. de contemptu mundi. *O indigna humanæ vilitatis conditio! investiga herbas & arbores, illæ de se producunt flores & fructus; & tu lendes, lumbricos & pediculos. Illæ de se effundunt oleum, vinum & balsamum; & tu de te sputum, urinam, & stercus. Illæ de se spirant suavitatis odorem; & tu de te reddis abominationem fœtoris.* Unde SS. Patres humanum corpus sterquilinio nivibus tecto comparant, quod forinsecùs quidem pulchrum & album apparet, ast intùs sordibus & immunditiis repletum est. Occurrit iterum *Abbas mellitus*, in Meditationibus cap. 3. sic disserens: *Si diligenter consideres, quid per os & nares, cæterosque corporis meatus egrediatur; vilius homine sterquilinium nunquam vidisti. Quid ergo superbit terra & cinis?* rectè exclamat *Sapiens.* Eccli. 10. 9. Habemus ergo hinc magnam nos humiliandi materiam; Ideóque ait S. *Gregorius*: *Custos humilitatis est recordatio propriæ fœditatis*; sub hoc cinere illa optimè conservatur. Ex hac porrò humanæ vilitatis consideratione tam altas egit radices S. *Franciscus Borgias*, ut se vel ipso terræ pulvere viliorem esse duxerit. Nam cùm vice quadam cum aliquo Patre iter faciens ad angustam casam divertisset, & ambo in stramineis quibusdam manipulis quiescerent, ejus Socius tum ob senectutem, tum quòd respirandi angustiâ laboraret, totâ nocte tussit & spuit, dúmque versus parietem se spuere putat, ignarus Franciscum conspuit, faciem ejus non raro etiam fœdans. At ille nihil turbatus noctem transegit. Ubi diluxit, ita vir Sanctus sputis deformatus erat, ut vix agnosci posset. Comes ejus rei novitate totus confusus veniam precatur. Sed S. *Franciscus* totus hilaris ad eum ait: Non est, Pater, quod eâ re labores: nec enim usquam me dignior locus in cubiculo sputo aspergi debuit. Ita habet ejus vita lib. 4. c. 5.

12. Secundò perpendere oportet statum animæ nostræ. Certè fueramus omnes ante Baptismi gratiam filii iræ, filii gehennæ, & post Baptisma, heu quoties animas nostras, sanguine Christi redemptas, diabolo rursùs pro momentanea oblectatiuncula, velut commutatione mutuâ vendidimus! Utrùm autem pro hac ignominia, Deo irrogatâ, ritè ipsi satisfecerimus, penitùs habemus incognitum. *Nescit enim homo, utrùm amore, an odio dignus sit*, inquit *Ecclesiastes.* c. 9. Et væ nobis, si adhuc in peccatis vel ignari hæremus; bonum enim nobis foret, ùt testatur æterna Veritas de Juda proditore, *si nati non fuissemus.* Pejus enim est peccatum, quàm non esse; & præstaret non esse, quàm peccâsse. Et demus nos esse in gratia constitutos, quis autem nostrùm scit, an non hodie vel cras eâ excidat, & æternaliter pereat? Non enim ullum habemus promissum nos in ea permansuros. Cur ergo Deus hæc ab oculis nostris abscondita esse velit, non alia est causa, quam ut semper in perpetuo timore, & profunda humilitate coram eo ambulemus, assiduísque precibus veniam ab ipso & misericordiam petamus, ut suadet Siracides, *de propitiato*, inquit, *peccato noli esse sine metu.* Eccli. 5. 5. Hæc peccatorum præteritorum consideratio efficacissimum est medium ad nos parvi pendendos, & subtus terram nos abscondendos. Præterea non modò, si conditionem tam miseram, &

peccata nostra inspexerimus, sed &, si opera, quæ nobis recta videntur, examinemus, multùm nos humiliandi & confundendi materiam reperiemus, ob plurimos defectus & imperfectiones, quibus illa vitiamus, juxta illud *Isaiæ* 64. 6. *Facti sumus, ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ Justitiæ nostræ.* Unde S. *Greg.* l. 6. *moral.* c. 11. sic loquitur: *Omnis humana justitia, si districtè & in rigore judicetur, injustitia esse convincitur: Si enim remotâ pietate discutimur, opus nostrum pœnâ dignum est, quod remunerari præmiis præstolamur.* Ac propterea S. *Job* summum patientiæ speculum, & ab ipsomet DEO summoperè laudatus, semper se vereri, & timidè ac circumspectè omnia sua agere testatur, ob culpas nimirum & imperfectiones, quæ in illis se immiscere solent, quando quis sedulò non advigilat, nec super se ipsum excubat. *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti. Job.* 9. 28.

13. Quæ cùm ita sint, certò adminiculis potiùs opus habere videamur, quæ nostrum animum erigant, ne desperemus, quàm quibus ad nostri cognitionem excitemur. Quamobrem quamvis in tam miseræ sortis nostræ consideratione diésque noctésque nos transigere oporteat, quò humilitatem assequamur, non tamen finaliter hîc sistendum erit, sed protinus (ne animo concidamus, & in pusillanimitatem nos præcipitemus) ad divinæ misericordiæ considerationem progrediendum. Ne verò ex clementiæ & benignitatis Dei cognitione vanè præsumamus, & superbè inflemur, statim ad nos ipsos oculi denuò retroflectendi sunt. Et hæc est scala *Jacob*, quæ prima sui parte terræ cognitionis nostræ infixa est, & alterâ cæli fastigium contingit. Hac nobis ascendendum & descendendum est, uti per eam ascendebant, & descendebant Angeli. Ascendere ergo debemus, ne ex cognitione nostra facti pusillanimes desperemus, sed ut in Deum nostram fiduciam conjiciamus. Ast inde rursùs descendendum est, ad nostri cognitionem, ne præsumptio nobis oboriatur. Per hanc scalam identidem ascendendum & descendendum erit.

14. Taliter hoc exercitio utebatur S. *Catharina Senensis*, ut ipsamet suis in Dialogis c. 67. recenset. Nam cùm eam dæmon ad pusillanimitatem impelleret, persuadere illi volens, totam ejus vitam meram fuisse illusionem, illa statim sursum mentem evibrans de divina misericordia planè confidebat, dicens: *Confiteor Creatori meo, omnem meam vitam meras tenebras fuisse, sed ipsa me intra vulnera JESU Christi Crucifixi abscondam, illius sanguine me abluam, detersisque jam iniquitatibus meis gaudebo in Creatore meo.* Dum verò cacodæmon eidem suggereret: Jam perfecta es, & Deo grata, nec est, ut posthac defectûs tuos lacrymis expies; S. Virgo sese humilians respondit: *Heu mihi miseræ! Ipse Domini Præcursor Joannes nunquam peccavit, & in ipso matris utero fuit Sanctificatus, non minùs tamen vitam austeram duxit: Ego verò tot scelera commisi, nec unquam ea deflevi, ut debebam.* Sic diabolus confusus, victúsque recessit, suâ eam quiete frui imposterùm sinens, quod non nisi ingenti cum damno suo ad eam rediret. Liquet ergo hoc exercitium fore saluberrimum, unde diligenter tenendum. Veruntamen, ut in hac sui ipsius cognitione aliquis se melius fundet, non debet solùm similes humanæ naturæ miserias, & defectus in communi perpendere, sed eos immediatè sibi ipsi in particulari & individuo appropriare, nequaquam attendendo ad aliorum infirmitates & peccata. Hinc rogatus quidam de priscis illis Patribus, quâ ratione veram humilitatem quis sibi pa-

rare posset? respondit: *Si sua tantummodo, & non alterius mala consideret: Si oculos avertat ab alienis, & in suos duntaxat defectus eos conjiciat.* Sanè si hanc Sancti hujus Eremicolæ gnomam sedulâ custodiâ observaremus, continuò copiosissimam materiam nosipsos despiciendi, & ad singulorum pedes abjiciendi inveniremus; ast quia passim aliorum duntaxat peccata inspicimus, ideo haud mirum tam parùm nos in humilitatis virtute proficere.

15. Refert *Joannes Avila* tr. 3, de Spir. Sanct. pag. 104. se hominem novisse, qui sæpiùs Deum rogaverat, ut sibi monstraret, quis qualisque esset. Aperuit huic Deus paululum oculos, & ecce tam abominabilem se conspexit, ut magnâ voce exclamarit: *Tolle, obsecro, Domine per magnam miserationem tuam, speculum hoc ocyus ex oculis meis, figuram mei ulterius videre nolo.* Certò si & tu, tuam, ùt est in se, deformitatem videres, procul dubio in hanc prorumperes vocem; *Tolle, Domine, tolle tam abominandam mei ipsius speciem.* Habes ergo, ut humilies te sub potenti Dei manu, téque miserrimum peccatorem, & omni suppliciorum genere præ omnibus aliis dignissimum ex corde credas. Et hæc est vera sinceráque humilitas, quæ tartareum hostem mirum in modum affligit. Appositè ad rem servit, quod *in vitis* PP. l. 5. libel. 15. n. 65. in hæc legitur verba: Venerunt quidam aliquando in Thebaidem ad quendam senem habentes secum unum, qui à dæmonio vexabatur, ut curaretur ab illo Sene. Senex verò cùm diu rogaretur, dixit dæmoni: Exi maledicte satana de factura Domini Dei. Et respondit dæmon Seni: Exeo, sed interrogo te unum verbum, ut dicas mihi: Qui sunt hædi, & qui sunt agni? Et dixit Senex: *Hœdi quidem tales sunt, qualis ego, agnos verò Deus scit.* Et audiens dæmon exclamavit voce magnâ dicens: Ecce propter humilitatem tuam exeo. Et exiit eadem horâ.

16. Porrò ut majori contentione & ardore in hoc nostri cognoscendi exercitium incumbamus, alia commoda & fructus inde nascentes enumerare non inconsultum censeo. Missis ergo ambagibus, breviter dico, sui ipsius cognitionem esse semitam, per quam SS. Patres ad summam pervenêre perfectionem. Pro qua assertione affirmanda narrasse suffecerit hanc brevem historiam. Quidam notæ Sanctitatis vir Religiosus identidem ferventibus à Deo precibus petiit, ut ei illud iter monstraret, per quod Prisci Patres incesserant, ut sic ei complaceret; Unde nocte quadam in somnis vidit librum quendam aureis litteris exaratum, audivítque vocem cujusdam: Surge, lege: Surrexit ergo, & in eo legit pauca illa, sed cælestia & divina verba: Hæc antiquorum Patrum fuit perfectio, amare Deum, seipsum contemnere, spernere neminem, neminem vel in minimo judicare. Quo lecto liber mox ex ejus oculis subductus fuit. Itaque neminem spernere debemus, sed nos ipsos despicere & humiliare, quia hâc & non aliâ viâ ad Sanctorũ Angelorũ consortiũ pervenitur.

17. Hoc ipsum suasit Salvator noster, Luc. 14. 10. *Cum vocatus fueris,* inquit, *ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco.* Sed quare amantissime Redemptor id præcipis? *Ut cùm venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice ascende superiùs, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* Ecce ingentem remunerationem omnibus se deprimentibus, & humiliantibus ab Incarnata Sapientia promissam. Sed percontari lubet, quidnam per hunc novissimum locum, in quo nos ipsos collocare jubet Christus, intelligatur? *Respondeo,* per hunc novissimum locum non absurdè notari locum inferorum; per nuptias

enim significatur regnum cælorum, ad quod omnes invitati sumus, hoc autem regnum pro novissimo loco habet locũ damnatorum, juxta illud æternæ Veritatis edictum: *Matt. 5. Qui autem solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*, id est, ut Orator Aureus S. *Chrysost.* hom. 16. in c. 5. Matt. interpretatur, ad infernum ibit. Percipe S. Doctoris ipsissima verba: *Cum verò audis minimum eum fore in regno Cælorum, nihil aliud intelligas, quàm gehennam atque supplicium.* Recumbe ergo tuo cogitatu in hoc novissimo loco, te videlicet judicando dignissimum esse ob tua peccata supplicio sempiterno, & si hoc simplici corde præstiteris, haud dubiè audies à Cælesti Sponso: *Amice ascende superiùs.* Recubuit in hoc novissimo loco Frater Urigman ex Dominicana familia, qui adeò se humiliavit, ut nullũ sibi congruum locum reperire potuerit nisi in profundo inferno, ac sub ipsomet Lucifero; putabat enim se tali loco dignissimum esse. Et ecce, cùm ita sese in sua cogitatione dimisisset, hanc è cælo vocem audivit: *Frater Urigman, citò huc ascende ad thronum altissimum cor Dei.* Etenim talis submissio, ùt Deus S. *Birgittæ* revelavit, est scala, per quam ad cor Dei ascenditur. Ut adeò meritò dixerit *S. Climacus* grad. 25. c. 2. & 3.: *Quoties aliquem, vel videris, vel audieris intra paucos annos altissimam tranquillitatem* (quæ obtentâ perfectione obtinetur) *acquisivisse, noli hunc æstimare aliam, quam hanc beatam celerémque viam humilitatis pedibus ambulasse.* Humilitas sanè est tanquam terra, inquit S. *Basilius* serm. de abdic. rerum, ex qua crescit, & nutritur arbor charitatis, producens flores virtutum, & fructus gratiæ in anima.

18. Hanc B. *Basilii* assertionem verissimam esse, liquet ex eo, quod refert *Ruffinus* l. 2. vit. PP. n. 118. Cùm magnus Anachoretarum Pater S. *Antonius* fortè in sua cella precibus vacaret, venit ad eum vox dicens: *Antoni, nondum ad mensuram Coriarii istius, qui est Alexandriæ, pervenisti.* Quo audito, Venerabilis Senex surgens manè, arrepto baculo festinans Alexandriam venit. Cúmque ad designatum hominem fuisset ingressus, eum peramanter salutavit; Coriarius verò viso tanto viro obstupuit. Cui S. Abbas ait: refer mihi opera tua, quia propterea ad te de deserto veni: Qui respondit, nescio me aliquando boni aliquid egisse. Sed cùm instaret Antonius, ut vitæ suæ seriem manifestaret, dixit Coriarius: dum ex cubili meo manè surgo, antequam ad meos labores vado, dico, ut omnis civitas hæc à minori usque ad majorem ingrediatur in regnum Dei propter justitias suas, ego autem solus propter meam culpam pœnam ingrediar sempiternam. Quod verbum rursùs vesperi, antequam ad quietem nocturnam vado, ex corde repeto veraciter. Quod audiens S. *Antonius* dixit ei: Fili, sic tu es bonus artifex, sedens in domo tua cum requie, regnum Dei adeptus es, ego velut sine discretione omne tempus meum in solitudine consumpsi, necdum verbi tui assumpsi mensuram. Hinc ergo dilucidè liquet, ad religiosam perfectionem assequendam nil magis conducere, quàm seipsum cognoscere, veracitérque credere, se dignum esse omni pœnâ, confusione, & ludibrio. Proinde non immeritò S. *Isidorus*, quemlibet nostrûm adhortatur dicens: *Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei; Tantò eris apud Deum pretiosior, quantò fueris in oculis tuis despectior.* Hæc de primo humilitatis gradu dicta sufficiant, modò, in quo secundus humilitatis gradus fundetur, dispiciamus reliquum est.

PARS

# PARS TERTIA.

19. Quemadmodum Superbia omnes cælestes gratias ex anima propulsat, & dissipat, ita humilitas easdem ad se attrahit, attestante *Apostolo Jacobo* 4. 6. dicente: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Cui astipulatur illud à *Psalmographo* pronuntiatum: *Quoniam excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à longe cognoscit Ps.* 137. 6. Quid est, *humilia respicit*, nisi quod Deus ad humiles vel maximè suarum gratiarum vultum convertat? Quantò enim anima plus sibi vilescit, suúmque nihilum magis agnoscit, tantò magis supremæ illius & excelsæ Majestatis obtutus ad se trahit. *Humilia ergo te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam*, ait Sapiens, *Eccli.* 3. 20. Enim verò, scire hic debemus, non omnem humilitatem divinos hos secum trahere favores; sed eam tantum, ut loquitur Melleus Doctor *S. Bernard. serm.* 34. in Cant. quæ de humilitate venit; non ex tristitia, nec ex necessitate. Quamobrem, ne hac in parte hallucinemur, & pro vera falsam humilitatem amplectamur, ad secundum humilitatis gradum anhelare oportet, qui est: *Optare ab aliis despici, gaudereque, dum id fieri contingit.* Hic gradus manifestè sequitur ex primo; unde si in primo fundati essemus, facillimè ad secundum perveniremus: Nam si perfectè nos ipsos contemneremus, nullam fermè difficultatem sentiremus in eo, quod & alii nos pro nihilo reputarent, imò id nobis gaudium foret. Vis hoc ad oculum perspicere? inquit Seraphicus Doctor. Nonne omnes naturali quadam propensione gaudemus, quod alii suum judicium nostro conforment, & sentiant idem, quod sentimus? Quod si ita sit, cur non similiter gaudemus, quod nullo in numero & pretio nos alii habeant? Hinc etsi quis de se viliter sentiret, si tamen ab aliis moneri & corripi timeat, nullum adhuc gressum in humilitate fecit.

20. Venit aliquando ad Abbatem Serapionem, ut narrat *Joannes Cassianus* collat. 18. c. 11. Monachus, qui adeò se humiliabat, ut identidem se peccatorem confiteretur, & quidem tam sceleratum, ut ne usum quidem hujus communis aëris capere meretur, unde nec sedere, nisi humi sustinebat. Serapion, refectione fratrum peractâ, magna cum charitate & lenitate huic tam humili hospiti suasit, ut in cella maneret, & ad victum parandum juxta regulæ monasticæ præscriptum, operaretur, nec otiosus per cellas aliorum discursaret: Quam commonitionem Monachus ille tam ægrè tulit, ut indignationem internam supprimere non posset, sed vultu & exteriori oris compositione etiam proderet. Unde Serapion ait: Ecquid hoc rei est, fili? Hactenus tot probra & ignominias de te dixisti; & modò suavissimam monitiunculam audiens, ita es indignatus? An fortasse, dum te humiliabas, audire volebas: Verè hic justus & humilis est, cùm se tantopere accuset? volebas, ut te laudaremus, & ut sanctum ac justum suspiceremus?

21. Porrò ad hunc modum se humiliare, non tam humilitas quàm hypocrisis & superbia est. Audi verba Sapientis *Eccli.* 19. 23. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora plena sunt superbiâ & dolo* Quamobrem non satis est, ut ipse te contemnas, & malè de te loquaris, esto id, & ex animo dicas, & verè ita sentias, sed simul satagere debes, ut ex animo gaudeas, cùm etiam alii idipsum de te sentiunt & dicunt,

quod tu de te ſentis & dicis. Veriſſimè ergo *Climacus* eum negat humilem eſſe qui ſe verbis dejicit, & ore deſpicit: at illum verè humilem reputat, qui ab aliis deſpici, & nullo in pretio haberi, ſumma cum animi pace gaudet. Et ſi tunc volupe erit audire talia, ſignum eſt, ipſum ad veram humilitatem perveniſſe. Ut ergo ad ſecundum humilitatis gradum aſcendamus, deſiderare oportet, ut nos homines deſpiciant, & vilipendant. Nam ut *S. Bernardus* ſerm. 16. in Cant. ait: *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari, & gaudet de contemptu ſui.* Quomodo enim verus humilitatis ſectator non lætabitur, dum ab aliis deſpicitur, & opprobriis afficitur, quando videt Ducem & Salvatorem ſuum Chriſtum hæc ſummo cordis affectu amplexatum fuiſſe. Videte enim quanto cum deſiderio noſtri causâ deſpectum, contumeliam, & contemptum ſuſceperit; ſatis ei non fuit ſemetipſum exinanire atque annihilare, ſervi formam accipiendo, ſed inſuper peccatoris habitum & formam aſſumere voluit, unde de eo ait *Apoſtolus* Rom. 8. 3. *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati.* Non quidem aſſumpſit Dominus peccatum (nam illius non erat capax) peccatorum tamen ſigno & cauterio voluit ſignari; quia ut peccator voluit circumcidi, inter peccatores & publicanos voluit baptizari, tanquam ſi unus de numero eorum foret; voluit & Barabbæ, homini ſceleratiſſimo, poſtponi, eóque pejor, & vitâ indignior haberi; voluit albâ veſte ùt fatuus indui, ac denique medius inter latrones in crucem agi: Et hoc erat, quod ardenti cum deſiderio Redemptor noſter identidem deſiderabat.

22. Quamobrem ſi ipſe Dei Filius tam ardenter ignominiam deſideravit, quâ tamen nullo ſuo demerito dignus erat; haud ſanè multum erit, ſi nos omni infamiâ, & probro digniſſimi, illius causâ velimus ſaltem haberi id, quod reverà ſumus, & quam commeriti ſumus, infamiâ ac vilipendio gaudeamus. Sic ſe feciſſe ſcribit *Apoſtolus*, dicens 2. Cor. 12. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.* Reliqui quoque Apoſtoli, Chriſti humilitatem contemplantes, ſummo gaudio perſecutiones & contumelias pertulerunt; unde de ipſis legimus Act. 5. *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati.* Horum veſtigiis deinde reliqui Sancti inſtiterunt; atque imprimìs illuſtris ille Martyr *Ignatius Antiochenus*, qui dum Romam ad Martyrium ſubeundum à lictoribus Imperatoris reparetur, & multis injuriis & contumeliis per viam afficeretur, gaudens in Domino identidem ingeminabat: *Nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus.* Hoc ipſum ut & nos imitemur, efficaciſſimis verbis nos ſtimulat *S. Ignatius Loyola*, ſic inquiens: Quemadmodum mundani homines ea, quæ mundi ſunt, ſequuntur, diligunt, & quærunt magna cum diligentia honorem, famam, magni nominis exiſtimationem in terra, ſicut mundus eos edocet; Sic qui procedunt ſpiritu, & ſeriò Chriſtum ſequuntur, amant, & ardenter exoptant ea, quæ iis omnino contraria ſunt, adeò, ut, ſi ſine offenſione ulla divinæ Majeſtatis, & abſque proximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia, & injurias pati, ac ſtulti haberi & æſtimari (nulla tamen ad id per eos data occaſione) eò quod exoptent aſſimilari ac imitari aliquo modo Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ejúſque veſtibus & inſignibus indui. Quanti autem faciendus ſit hic gradus, indicavit *S. Laurent. Juſtin.* dicens: *Non eſt tantæ virtutis honores contem-*

contemnere; quàm contemptum appetere; *Plus enim est, ut malè affici negligas, quàm ut benè affici non cupias. Cæterum illud summæ perfectionis est, ut malè affici desideres.*

23. Ad secundum porrò humilitatis gradum etiam spectat, humilia officia appetere, eáque cum cordis jubilo peragere. Nam ut sapienter S. *Dorotheus* serm. 2. dixit; *Anima disponitur ab his, quæ parantur in corpore, sequitúrque habitum corporis; Aliter enim disponitur anima insidentis in asino, aliter sedentis in throno, aliter optimis vestimentis induti, aliter pannosi.* Verbo (ùt *Consjit Monast.* cap. 24. testantur) *humiliato corpore humiliatur & anima.* Ut autem ejusmodi officia plus æstimentur, & alacriùs assumantur, *intelligendum est*, inquit S. *Basilius*, *debere pietatis cultorem viliora etiam officia magno cum studio magnáque cum alacritate suscipere, scientem, nihil minutum esse, quod Dei causâ fiat, sed grande & spirituale, & ejusmodi quod cælum nobis & præmia cælestia conciliet.* Quod punctum iterum verbô & exemplô nobis commendavit Magister cælestis; quamvis enim esset ille, qui sciebat omnia, & cui omnia dederat Pater in manus; quamvis esset ille, cui cælum, terra, & infernus, cui Angeli & homines, omniáque quæ creata sunt, erant subjecta; quamvis esset ille, de quo æternus Pater dixerat: *Matth.* 3. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui,* & de quo scriptum est 1. *Tim.* 6. 15. *Rex Regum, & Dominus Dominantium*; hic tamen nihilominus manus suas subjecit sordidis vilium piscatorum plantis pedésque lavit. *Surgit à cœna*, inquit ejus Secretarius D. *Joannes* cap. 13. *& ponit vestimenta, & cùm accepisset linteum, præcinxit se, & cœpit lavare pedes discipulorum.* Cúmque jam hoc profundissimæ humilitatis ministerium exhibuisset omnibus, accepit vestimenta sua, & sedit iterum in sede, seu cathedra cælestis Philosophiæ, cœpítque declarare, quid mysterium illud significaret: *Scitis*, inquit, *quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis; sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius pedes lavare. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Omnis istius cæremoniæ non alius erat finis, quàm ut palpabile & manifestum nobis daretur humilitatis exemplum, idque daretur in fine vitæ illius tanquam mnemosinon ut altiùs memoriæ fixum maneret.

24. In hoc lucidissimum humilitatis speculum intuentes tot omnis ætatis, conditionis, ordinis, sexûs homines, quid mirum est, si & ipsi se demiserint ad abjectissima quæque munia frequentanda? Meminimus summum Pontificem Gregorium, Regem Galliæ S. Ludovicum, S. Helenam Imperatricem, & innumeros alios pauperibus ministrâsse, aquam lavandis manibus infudisse, cibum potúmque præbuisse. Et ut innumera alia Sanctorum virorum exempla omittamus, id unum commemorare lubet, quod de S. Joanne Damasceno, viro olim nobilissimo, ac totius Damasci Urbis Præfecto scribit *Henricus Fabricius* in ejus vita, quòd monasticæ conversationi se dedens, in tantum sese demiserit, & humiliârit, ut ad sui Magistri imperium aliorum Monachorum latrinas, & cloacas expurgare non erubuerit, nec recusârit. Similia alia sine numero reperiuntur exempla in Sanctorum Actis, quorum nonnulli ne quidem porcos pascere detrectaverunt. Hos ergo pro Dei amore imitari pro viribus satagamus, si veraciter humiles esse desideremus; nam qui verè, & non fictè de se viliter sentit, etiam

etiam externè, quantùm fas eſt, & ratio ac charitas poſtulat, operatione exhibeat oportet.

25. Cæterùm, ut intelligamus, quàm nobilem & eminentem ſpiritualis quæſtûs fructum inde ſimus relaturi, in medium afferre lubet hiſtoriam quandam, à Venerab. *Petro Abbate Cluniacenſi* relatam; Meminit enim, fuiſſe in Carthuſienſi Ordine Religioſum, vitæ ſanctimoniâ & caſtitatis dono inſignem; Hic morti vicinus in omnium Religioſorum præſentia à ſuo Priore juſſus eſt edicere, per quænam exercitia ſe magis Deo in vita placuiſſe putaret? Cui moribundus ait: difficilem rem quæris Pater, & quam nullo modo dicerem, niſi me cogeret obedientia. Equidem à pueritia ſemper habui humani generis hoſtem mihi ſingulariter offenſiſſimum, & dúm vice quadam acribus adeò tentationibus me oppugnaſſet, ut vix ei reſiſtere potuerim, dúmque in hoc periculoſo conflictu identidem Deum, Sacratiſſimámque ejus Matrem invocarem pro ſuppetiis mihi ferendis, apparuit mihi Angelorum Regina, cujus præſentiâ, omnes diabolicæ verſutiæ fugatæ tentationéſque repreſſæ ſunt; & poſtquam me eſſet conſolata, & monuiſſet perſeverare, & in perfectione progredi; mihi dixit: Ut commodiùs hoc facias, ſpeciatim tibi ex Filii mei theſauris tria media ſive exercitia humilitatis depromere volo, in quibus ſi te exerceris, Deo multùm placebis, & hoſtes ſuperabis, ſúntque hæc; ut te in tribus humilies, in victu, in veſtitu, & officiis quæ facis. In victu petes & procurabis tibi viliſſimos cibos, in veſtititu viliſſimam veſtem, in officiis abjectiſſimum & humillimum; magno tibi honori & lucro ducens abjectiſſimis & maximè contemptis, quæque alii dedignantur & fugiunt, occupari. Hæcque dicens diſparuit, & ego cordi impreſſi Dei Genitricis verborum virtutem & energiam, ut pòſt facerem, quod ipſa juſſerat, & hinc anima mea magnum profectum ſentit. Omni contentione proinde allaboremus, quò hanc brevem Marianam doctrinam ipſo opere implere valeamus, partim ut iiſdem cæleſtibus favoribus & chariſmatis, quibus hic pius Cœnobita circumfluebat, à Deo impertiamur, partim etiam, ut de hoc ſecundo humilitatis gradu ad tertium aſcendere mereamur.

# PARS QUARTA.

26. DIlucidatô primô ac ſecundô gradu humilitatis, explanandus venit tertius, qui in eo conſiſtit, quando quis eximio virtutum ornatu præfulget, Deíque audit amicus, in animo ſe propterea non effert, neque horum aliquid ſibi arrogat, ſed omnia in ipſum Deum refert. Gradus hic, teſte *Seraphico Doctore*, magnorum & perfectorum virorum eſt. De hoc *S. Bernardus* ſerm. 13. in Cant. ait: *Magna & rara virtus profectò eſt, cùm magna opereris, magnum te neſcire: cùm omnibus nota ſit ſanctitas tua, te ſolum lateat: cùm omnibus mirabilis appareas, tibi ſoli vileſcas. Hoc ego ipſis virtutibus mirabilius judico.* Porrò gradus hic, ſi eum ſuperficietenus & deforis intueamur, facilis quidem apparet, cùm ſit dogma fidei, quemadmodum in variis Scripturæ locis intimatur. *Quid habes*, quærit *S. Paulus* 1 Cor. 4. *quod non accepiſti?* Et iterum: 2. Cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid*

*aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et Christus apud *S. Joan.* 15. *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere.* Ergo non videtur hic gradus adeò excellens, cùm appareat esse vulgaris, quis enim Catholicorum est, qui non dicat omne bonum à Deo descendere, & à nobis nihil nisi peccata habere? Nihilominus tamen summam intus difficultatem includit. Nam quoniam aliquid opis ad opera nostra bona ipsi à parte nostra conferimus: *Dei enim adjutores sumus*, ait *Apost.* 1. Cor. 3.9. quoniam (inquam) ipsi quoque operamur, & unà cum Deo concurrimus; hinc statim tacitè & inadvertenter nobis ipsis nitimur, & confidimus, & furtivâ quadam præsumptione, & secretâ superbiâ irrepente, ipsi nobis persuademus, nostrâ industriâ hoc aut illud confectum esse, & ideo iis operibus, quæ facimus, ita inflamur, & evanescimus, & extollimur, quasi nostris viribus ea fecissemus, & à nobis solis profecta essent. Quamobrem singularia à Deo dona accepisse, & magna opera patrare, horum tamen gloriam Deo, prout oportet, adscribere nosse, nihil autem inde sibi attribuere, nec vanè sibi applaudere velle, maximæ res est perfectionis.

27. Quare non in eo sita est humilitas, ut speculativè noverimus, nos à nobis ipsis nihil posse, nihil esse, sed à Deo omnia bona nobis provenire debere, ipsúmque esse, qui in nobis operatur & velle, & incipere, & perficere *pro bona* (ùt loquitur *Apostolus*) *voluntate sua.* (Facilè námque est speculativè id nosse, quod fides id dictet) sed in eo, ut practicè id noverimus, & exerceamus, ac tam exploratum ac fixum ipsum nobis sit, ac si oculis nostris coràm perspiceremus, & manibus tangeremus. Hoc autem tam difficile est, ut nemo sciat (teste *S. Laurent. Justin.*) quid sit hæcce humilitas, nisi Deus dederit, ut sit humilis. Cùm enim ex una parte necessariò exigatur nostra libera cooperatio, sine qua Deus nullas nobis vult conferre gratias, quin etiam sic in virtutum exercitio nos allaborare oportet, quasi totum in nostra duntaxat industria situm esset; Ex alia verò parte, postquam omnes conatus, & vires nostras impenderimus, ita nos illis omnibus diffidere oportet, ac si nihil penitùs fecissemus, nos velut servos inutiles reputare, atque fiduciam & spem omnem in solo Deo collocare. Sic quippe nos Christus in Evangelio facere jubet: *Luc.* 17. *Cùm feceritis omnia* (notetur *omnia*, nec dici *aliqua*) *quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Ut autem hoc rectè fiat, virtute, & quidem non modicâ, opus est. Certò, si *Cassiano* credimus, quisquis perfectè cognoverit, esse se servum inutilem, omniáque quæ ad bonum aliquod consequendum adhibere posset media, cassa & evanida esse, sed gratuitò ipsum à Deo dari debere; ille cùm quidpiam consecutus fuerit, minimè se efferet, aut superbiet: Intelliget enim, non tam diligentiâ suâ, quàm Dei misericordiâ id se adeptum esse: quod demum est illud *Apostoli: Quid habes, quod non accepisti?* Quare rectè S. P. *Aug.* nos sine gratia esse censet, sicuti corpus sine anima: quemadmodum enim corpus exanime se movere nullo pacto potest; sic neque nos divinâ gratiâ destituti possumus opera meritoria vitæ æternæ operari.

28. Porrò, ut meliùs tertium hunc humilitatis gradum intelligamus, ac in eo solidè fundemur, vivâ fide contemplari oportet, quod eramus, ut loquitur Doct. Gentium *Ephes.* 2. *naturâ filii iræ*, nati in peccato, inimici Dei, qui è merâ gratiâ suâ ex hisce tenebris *nos vocavit in admirabile lumen suum*, ut *S. Petrus* ait 1. Pet. 2. Causa autem eximii hujus beneficii, non fuêre

ulla præcedentia in nobis merita, non obſequiorum poſtea à nobis accipiendorum intuitus, ſed unica ipſius bonitas & miſericordia, nec non merita JESU Chriſti unici Mediatoris noſtri. Præterea etiam natura noſtra per peccatum originale adeò vulnerata eſt ad bonum operandum, ut, niſi Deus potenti manu ſuâ jugiter nos conſervaret, & ſuſtentaret, protinùs ad præterita, quin & graviora peccata revolveremur. Hoc probè perſpectum habuit S. *P. Aug.* unde ſoliloquiorum c. 18. ita ait: *Præcidens ante me laqueos peccatorum, tollens occaſiones & cauſas, quia niſi tu hoc mihi feciſſes, omnia peccata mundi feciſſem.* Et alibi idem S. *Doctor* pariter ita ſcribit: *Adulter non fuiſti in vita tua præterita plena ignorantiis? hoc tibi dicit Deus tuus: regebam te mihi, ſervabam te mihi, ut adulterium non committeres; ſuaſor defuit? ut hæc deeſſent, ego feci; affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non conſentires, ego te tenui.* Imò & ipſe *Seneca* de benef. l. 3. c. 8. ſolo licèt naturali lumine præditus ait: *Retinuiſſe, ne in ſcelus rutes, inter maxima beneficia recenſendum eſt.*

29. Saluberrimam proinde nobis ſcriptam reliquit doctrinam *B. Albertus Magnus* tractatu de veris virtutibus ſic differens: *Amans humilitatem debet radicem humilitatis in corde plantare, hoc eſt propriam fragilitatem agnoſcere, ut ſe reputet non ſolum quam vilis eſt, ſed etiam quam vilis eſſe poteſt, imò quam vilis eſſet hodie, & quam vilis fieret, niſi Deus illum violenter à peccatis retraxiſſet, & niſi ei tentationes ſubtraheret, occaſiones peccandi tolleret, & in tentationibus auxiliarem manum porrigeret.* Ah! in quot prolapſus eſſem peccata, niſi tu Domine, infinitâ miſericordiâ me liberaſſes? O quoties debeo fateri cum Propheta Pſ. 93. 17. *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea!* Quoties ſum impulſus & everſus, ut caderem, & tu Domine me ſuſcepiſti, tenuiſti, ac potentem manum tuam ſubjeciſti, ne quam noxam ac læſuram acciperem! heu! quoties jam æternum periiſſem, niſi Deus ex infinita bonitate me conſervaſſet! Sic ergo de nobis ſentire ipſi debemus: hoc quippe à parte noſtra ſumus, & habemus, hoc fuimus, & etiamnum eſſemus, ſi ſuam Deus manum & cuſtodiam à nobis ſubmoveret.

30. Hæc cùm Sancti ad animum revocarent, ita confundebantur, erubeſcebant, & uſque adeò ſe deſpiciebant, & abjiciebant; ut illis ſatis non eſſet ſeipſos parvi pendere, ac peccatores ac ſceleſtos reputare, ſed inſuper omnium minimos ſe & ſceleratorum omnium ſceleſtiſſimos ducerent. Verùm è Sanctorum numero, qui ad talem profundiſſimæ humilitatis gradum pertigerunt, Principem obtinere locum videtur Seraphicus Pater, & magnus Patriarcha, *Sanctus Franciſcus*, de quo in ejus vita, quam Doctor Seraphicus, *Divus Bonaventura* conſcripſit, leguntur, quæ ſequuntur: Cùm quidam Cœnobita precibus intentus eſſet, conſpicatus eſt thronum miro fulgore gemmiſque ardentem, quo viſo, quendam Cælitum percontatus, cujus is thronus eſſet? Audiit, eum humili Franciſco deberi. Quamobrem Cœnobita multùm recreatus, interrogavit Franciſcum, quid de ſe ſentiret? Cui reſpondit ille: *Credo nullum me majorem in mundo peccatorem vivere.* Cœnobita miratus, quomodo id ab ipſo verè dici poſſet, audiit porrò: Si quantumcunque ſceleratum hominem tantâ fuiſſet Chriſtus miſericordiâ proſecutus, arbitror ſanè, quod multò quam ego, gratior eſſet. Ad hæc credo, & agnoſco, ſi ſuam Dominus manum à me ſubduceret, méque non ſuſtentaret, in

enormiora scelera me prolapsurum, quàm prolabitur ullus, & proinde illis omnibus deteriorem futurum. Idcirco me sceleratissimum, & ingratissimum sceleratorum omnium dico. Optima sanè hæc est responsio, profundissima humilitas, & verè admirabilis doctrina. Hæc quoque cognitio, & consideratio sanctos homines cogebat subtus terræ abyssum se recondere, infra omnium pedes se abjicere, ac verè se maximos totius mundi peccatores reputare. In hoc sensu S. *Philippus Nerius* magno affectu se maximum totius mundi peccatorem dicebat, ideóque quotidie coram Deo protestabatur: *Domine, cave à me hodie, nam te prodam, & omnia scelera patrabo, ni me custodias.* Aliàs dicebat: *Vulnus lateris Christi est magnum, sed nisi me Deus teneret, majus infligerem.*

31. Quamobrem quod ex una parte admiratione dignum censeri debet, hoc est, quòd nos pusilli, qui nec sanctitatis umbram habemus, quin si & virtutes nostræ ad Sanctorum virtutes comparentur, vitia potiùs quam virtutes nuncupari debent, & nihilominus ob paucula aliqua pietatis exercitia, à nobis peracta, mox perfectiores aliis & meliores nos esse arbitramur. Ex alia vero parte hoc ipsum admiratione minimè dignum est, quia traditæ doctrinæ sensum in intimum cordis nostri penetrale non admittimus: Cùm intellectus noster in investiganda hacce veritate multùm cæcutiat. Oportet ergo identidem Deum multis gemitibus exorare, quò intellectûs nostri tenebras dissipare, eúmque divinæ lucis suæ radio collustrare, verámque nostri ipsius cognitionem misericorditer largiri dignetur. Sic enim haud dubiè pro nostro saltem modulo ad tertium humilitatis gradum ascendemus. Quod fiet, si, dum omnimodis virtutum exercitiis magnâ animi contentione desudamus, è contra verò alios varia & gravia perpetrare flagitia nostrismet usurpamus oculis, nihilominus nos scelestiores, & gratiâ Dei indigniores reputemus, majoráque committere scelera fideliter fateamur, si Deus auxiliarem manum suam in pœnam peccatorum nostrorum subduceret; Ex quo maximam potius nos humiliandi, & ad singulorum pedes abjiciendi, quàm nos præ aliis extollendi, causâ habemus. Nam ut S. *Macarius* ait: *Sicut si Rex apud aliquem suum thesaurum custodiendum deponit, is illum non ut suum reputat, sed ubique fatetur inopiam suam, nec audet dispergere quidquam ex alieno thesauro; sic ejusdem debent esse sententiæ, qui gratiam Dei sunt adepti, nempe ut humiliter de se sentiant, & mendicitatem suam confiteantur.*

32. Ad hanc profundam cordis humilitatem sectandam suo nos invitat exemplo Sacratissima Cælitum Regina, dum S. *Birgittæ* ad imitationem humilitatis suæ dicebat l. 2. revel. c. 23. *Filia, fuge ad mantellum humilitatis meæ, & cogita te peccatricem super alios, quia etsi videris aliquos malos, nescis tamen, quid eis cras futurum sit, nescis etiam quâ intentione, & quâ scientiâ id faciant, utrùm infirmitate an industriâ. Ideo nullis te præferas, nullósque in corde tuo debes judicare. Quid dolorosius apud mundanos, quàm injuriam suam dissimulare, & omnibus se credere & tenere indigniorem? Talis erat, ô filiâ, mea humilitas.* Hæc porrò humilitas tantum placuit Dei Filio, ut vel ideo ex purissima hujus Virginis carne humanitatem assumere ab æterno decreverit. Nam sicut nulla post Filium Dei creatura (verba sunt S. *Bernardini Senens.* Tom. 2. serm. 31. c. 3.) tantam ascendit in gratiæ dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ, quam Maria; nec insuper alicui puræ creaturæ in hoc sæculo est datum, tantum

tum gustare nihilum creaturæ, nec tantum se humiliare & annihilare. Proinde quamvis hæc Sanctissima Virgo omnigenis exornata fuerit virtutibus; fatetur tamen præ cæteris placuisse Deo humilitatem suam, dum in sacro suo Cantico ait: *Luc. 1. Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

33. Opportunè planè, & admodùm egregiè in hanc rem ponderat *S. Bernardus* Serm. 37. in Cant. illa Christi verba: *Cùm vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco.* Solus ( inquit hic *mellitus Doctor* ) omnium novissimus sedeas, téque nemini, non dico, præponas, sed nec comparare præsumas. Quia non est periculum, quantumcunque te humilies, quantumcunq; minorē te reputes, quàm sis: Est autem grande malum, horrendúmque periculum, si vel uni in tua te cogitatione præferas. Quamobrem noli te, ô homo, comparare majoribus, noli minori, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, ô homo, si unus ille, quem omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cujus vitam scelestissimam ac singulariter fœdissimam horres, & propterea putas illum spernendum, non modò præ te ( qui fortè jam sobriè, & justè, & piè vivere confidis ) sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum; Quid scis, inquam, si melior & te, & illis, mutatione dexteræ excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo verò jam sit? Ita *S. Bern.* Denique quis scit, an non etiam Deus, ùt quondam Jacob impositis decussatim manibus ( ut habetur *Gen.* 48. ) sortes commutaturus sit, altero assumpto, te relicto? quid scis, quid in illius corde, jam inde ab hesterna die, vel etiam hoc momento Deus sit operatus? Facilè enim est ( ùt ait *Eccli.* 11. ) *in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Uno instanti potest Deus è Publicano, & Ecclesiæ persecutore facere Apostolos, ut in Matthæo & Paulo potuit. *Potens* denique *est*, ùt ait *S. Matth,* 3. 9. *de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, id est è peccatoribus, adamante durioribus, creare filios Dei. Hæc autem ore profiteri, satis non est, sed & in animo ita sentire oportet. *Non reputes*, ait *Thomas de Kempis*, *te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse cognoveris.*

34. Ex dictis cuilibet sufficienter ad intelligendum datur, quòd verus humilis neminem despiciat, aut spernat, in qualescunque demum culpas & flagitia prolabi eum videat; nec se præterea extollat, alterique arroganter præferat; quin imò sui magis humiliandi occasionem è lapsibus alienis capit: considerat quippe, & se, & lapsum ex eadem esse massa figuratos, & illo cadente, se quoque ( quantum est ex parte sua ) cadere potuisse; quòd autem non ceciderit, Divinæ solummodò gratiæ adscribit. Quemadmodum consulunt SS. Patres, ut, cùm hunc cæcum, illum surdum, alium claudum, alium infirmum aut debilem videbimus, hæc aliena mala in bonum nostrum convertamus, Deóque gratias agamus, quòd nos non cæcos, surdos, mancos, mutos, uti illos, fecerit: Sic omnium hominum peccata, velut collata nobis beneficia, reputemus. Nam in illa omnia prolabi potuissemus, nisi per infinitam misericordiam suam Deus nos liberasset, & conservasset. Hoc pacto Servi DEI humilitatem suam sartam tectam tuentur, cavéntque, ne quem è proximis despiciant, nemini, quantumlibet peccet, & scelestus sit, succenseant; juxta illud *S. Gregorii* hom. 34. in Evang. *Vera Justitia compassionem habet erga fratrem, falsa justitia dedignationem.* Unde ulteriùs consequitur, quòd veri humi-

humiles, quia agnoſcunt ſummam Dei liberalitatem ſibi immeritis impenſam, ſine intermiſſione ex totis præcordiorum medullis Deo gratias referant; ex quo ſe indies capaciores & digniores reddunt, divina in ſe charismata recipiendi; Unde fieri non poteſt, quin omnigenis floreant virtutibus. Hócque veriſſimum eſſe, ipſa docebit experientia eos, qui indefeſſo labore in hiſce tribus memoratis humilitatis gradibus ſeſe continuò exercere non deſiſtent.

# SERMO XXI.

## DE SUPERBIA, ET VANA GLORIA.

*Initium omnis peccati eſt Superbia.* Eccli. 10. verſ. 15.

## PARS PRIMA.

1. QUàm felix ac beata fuiſſet vita hominis creati in innocentia & juſtitia originali, ſi non comparuiſſet in mundo deteſtandum illud peccati monſtrum? quod ſi pariter cæleſtem non penetraſſet Paradiſum, neque ſuperna illa Jeruſalem magna ex parte tot Angelicis ſpiritibus evacuata & ſpoliata, nec infernus fuiſſet, neque commiſſa fuiſſent tot ſcelera & iniquitates, quibus terra poſtea inundavit, & ad finem uſque mundi hujus inundabit; at quis hoc monſtrum progerminavit niſi ſuperbia? *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*, ait *Eccleſiaſticus*. Quærit S. Thomas 2.2. q. 162. a. 8. Utrùm ſuperbia debeat poni vitium capitale, & hanc exponit excluſionem: Superbia non capitale vitium, ſed omnium vitiorum regina & mater eſt. Procedit deinde cum hac diſtinctione. Superbia dupliciter conſiderari poteſt; uno modo ſecundum ſe, prout ſcilicet eſt quoddam ſpeciale peccatum: alio modo ſecundùm quod habet quandam influentiam in omnia peccata. Capitalia autem vitia ponuntur quædam ſpecialia peccata, ex quibus multa genera peccatorum oriuntur. Et ideo quidam conſiderantes ſuperbiam, ſecundùm quod eſt quoddam ſpeciale peccatum, connumeraverunt eam aliis vitiis capitalibus. *Gregorius* verò conſiderans univerſalem ejus influentiam, quam habet in omnia vitia, non connumeravit eam aliis capitalibus vitiis, ſed poſuit eam reginam omnium vitiorum & Matrem.

2. Quemadmodum ergo humilitas omnes virtutes colligit, & condecorat, & vegetat; ita ſuperbia virtutes omnes deſtruit, contaminat, & enervat; & ſicut humilitas non ſolum eſt gratia, ſed gratia omnium gratiarum; ſic ſuperbia non ſolũ

est mala, sed fons & origo malorum, omniúmque bonorum obex, & veluti regina vitiorum, coronam enim gestat, ut dicit *Isaias* 28.: *Væ coronæ Superbiæ*. Nam sicut regina magno comitatu stipata incedit, ita hæc multa habet alia vitia velut à pedibus, quia superbus semper aliis innumeris scatet vitiis. Denique sicut radix non est principium duntaxat arboris, sed simul causa principalis est omnium surculorum & frondium, ac germinum; ad eundem modum Superbia in homine est prima origo peccati, & causa omnis peccati. Proinde de Superbia scribens S. *Isidorus Hispalensis* Exhort. ad pœnit. hæc tradit: *Mater & regina septem principalium vitiorum Superbia, non ingrediatur; neque requiescat in domicilio cordis mei, neque soboles ejus mihi adhæreat, id est gula, concupiscentia, fornicatio, avaritia, invidia, ira, tristitia, vana gloria.*

3. In quantum verò Deus hominem Superbum abominetur, brevibus quidem sed nervosis indicavit verbis S. *Jacobus* c. 4., dum ait: *Deus Superbis resistit*. Id est, gratiam suam ab eis vel maximè elongat, permittítque eosdem justissimo suo judicio in varios errores, & miseriam irreparabilem prolabi. In Sacris Regum historiis legimus maledictionem, quam Propheta Regius fulminat in Montes Gelboe 2. Reg. 1. *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniat super vos, ubi ceciderunt fortes Israël.* Per hos montes, qui erant altissimi, denotabantur Superbi, in quos DEUS non influit, nec infundit rorem gratiarum suarum, *quia Superbis Deus resistit.* Super hos montes ceciderunt fortes Israël, id est viri omni virtutum genere exornati, fortissimíque in conflictu vitiorum ceciderunt tamen miserè, dum montes ascendere, id est, altum & superbè sapere cœperant. In Annalibus Ecclesiasticis de *Origene* hoc refertur testimonium, quod fuerit vir summæ honestatis, patientiæ, filius Martyris, propter amorem Christi omnibus se spoliaverit bonis & divitiis, aliquoties propter fidei confessionem martyrio affectus, summo donatus ingenio, Magister innumerabilium Doctorum, Sacerdotum, Confessorum & Martyrum. Ast miserè prostratus est, dum non solùm hæreticus, verùm etiam Hæresiarcha factus. Sed unde tam miserabilis lapsus huic viro contigit? offendit pedem suum in lapidem superbiæ, etenim donis Dei, & gratiis sibi communicatis abusus fuit, & reliquis omnibus plùs præsumpsit scire & sapere: Majorum doctrinam, ac traditiones Ecclesiasticas sprevit, & contempsit.

4. Ne ergo & tu in montibus Gelboe cadas, id est, pereas æternùm ob Superbiæ vitium, attentè ausculta monitioni à *Thoma Kemp.* l. 3. c. 6., in hæc verba traditæ: *Multum præcave à vana complacentia & Superbia, propter hoc multi in errorem ducuntur, & in cæcitatem incurabilem.* Inter hos numeratur Monachus ille, qui teste *Baronio* to. 8. An. 614. ex Antiocho Monacho hom. 84. in monte Sina celebre adeò edidit suæ continentiæ specimen, ut in cellula multos vixerit annos inclusus. Postremò multifariis revelationibus diaboli, & insomniis illusus, superbiâ elatus, ad Judaismum dilapsus est, & ad carnis circumcisionem. Cùm enim cacodæmon huic identidem vera quædam insomnia demonstrasset, & veluti objectâ illecebrâ inescasset illus obscuratam mentem, novissimè oculis ipsius objicit copiosam Apostolorum, Martyrum, aliorúmque omnis generis Christianorum turbam, densissimis tenebris, & omni dedecore oppletam; parte oppositâ Moysen, Prophetas, populum quoque Judæorum offert, splendidâ admodùm luce conspicuos, ac in gaudio vitam traducentes.

Hæc

Hæc cùm ſpectâſſet miſer, è veſtigio ſurrexit, derelictóque Sancto illo monte Judæos adivit, cúmque his denarraſſet, quæ ſibi viſa fuiſſent, diabolicas apparitiones, circumciſus eſt, ac profeſſus judaiſmum, accepit uxorem, & in omnium conſpectu adverſus Chriſtianos edidit dogmata, propugnator factus judaicæ ſuperſtitionis. Hunc vidimus, neque enim quatuor anni ſunt à morte illius, quâ miſerè peremptus eſt, catarrhi enim enim profluvium aliquamdiu paſſus, & vermium arroſione contabeſcens exſpiravit.

5. Quis hìc non ſatis agnoſcit, quam deteſtabilis ſit in oculis Dei homo Superbus, cùm ſic eum in omnem vitiorum abyſſum prolabi ſinat? quis non etiam diſpicit, veriſſimum eſſe Regii Prophetæ oraculum Pſ. 137. 6. *Excelſus eſt Dominus, & humilia reſpicit ex alto* (& ſuperbos) *à longè cognoſcit.* Nam quēadmodum hìc in terra, dum quem eminùs & à longè videmus, eum minimè noſcimus; ſic nec Superbos cognoſcit Deus, ut illis charismata largiatur. Sic contigiſſe huic infelici ſolitario, ſat perſpectum habemus; cùm enim in tam auſtero vitæ ſuæ inſtituto ſibi multum complaceret, & vanè ſuperbiret, ſivit Deus eum ideo tot diabolicis faſcinis, & præſtigiis illudi, ac in imam flagitiorum abyſſum devolvi, quò altum hujus & ſuperbum hominis ſpiritum deprimeret, & meritis pœnis caſtigaret. Proinde ad noſtrum propoſitum peraccommode Doctor aureus S. *Chryſoſt.* hom. 31. in Gen. in hæc excurrit verba: *Etſi quis innumera bona fecerit, virtutémque omnem abſolverit, ſi tamen magnum quid de ſe ſentit, maximè omnium miſerabilis eſt & miſer.*

6. Enim verò aliam non abſimilem nobis exhibet cataſtrophen alius quidam Monachus, de quo *Palladius* c. 44. & *Ruffinus* l. 2. c. 1. narrant. Hic cùm multos annos in ſpelunca bonis operibus ſedulò inſtitiſſet, atque ideo magnum in ſpiritu profectum feciſſet, tandem vanè ſibi in illis complacuit, & inaniter gloriatus eſt. Unde factum, ut illum in turpe peccatum cum cacodæmone, in forma mulieris pulcherrimæ, per deſertum ſe errare mentientis, apparente Deus prolabi permiſerit. Nam cùm hanc nimis facilè & incautè ad ſe ingredi ſinit, pluribus cum ea colloquitur, de errore percontatur, jocatur, etiam manu tangit, & ſic paulatim igne venereo cor ejus inflammatur adeò, ut cum illa peccare conſenſerit. Cúmque miſer opere ipſo exequi vellet, ecce inter amplexus ejus ſubitò orcina fœmina evanuit inconditâ voce cachinnans; Subſecuti haud procul inde per aëra feſtivi multorum dæmonum plauſus, & irriſiones eum ſubſannantium & dicentium: O *Monache, Monache, qui te ad cælos uſque efferebas, & extollebas, jam uſque ad profundum abyſſi prolapſus es; Diſce ergo hodie, eum qui ſe exaltat, humiliandum.* Ad hæc infelix, cùm plangendo, ſuique confuſione excitandâ hanc & ſequentem noctem traduxiſſet, de reditu ad meliora, & veniâ deſperans, ad mundum reverſus eſt, ubi omnibus cupiditatibus ac probris fræna laxans miſerè vitam finivit.

7. O igitur intolerabile malum Superbia! verè malum ſuper omnia mala! Hæc enim Cedros etiam libani, viros, inquam, variis virtutibus, & vitæ Sanctimoniâ inclytos proſternit, & dejicit. Superbia Luciferum è cælo deturbavit; Superbia ex Angelis excellentiſſimis formavit turpiſſimos dæmones; Superbia Proto-parentes noſtros paradiſo exulare coëgit, eóſque cum tota ſua poſteritate innumerabilibus penè ſubjecit miſeriis. Ut verbo dicam, Superbia tantum malum

lum est in oculis Dei, ut neminem unquam in peccatum labi permitteret, si non superbus esset; nam causa prima, cur Deus gratiam suam à nonnullis cæteroquin fidelibus suis servis subducat, est, quia superbire incipiunt; unde si Superbiam à mundo exulare contingeret, omnia mala protinus cessarent. Verùm cùm te historiis delectari non nesciam, ideo referre lubet, quod S. *Macarius* hom. 17. memoriæ prodidit de quodam fratre, qui profligatis vitiis, sic in spiritu profecit, quòd inter orandum divina virtute ita sublevatus est, ut conspiceret supernam illam Jerusalem, in eáque fulgentes personas, ùt lumen infinitum. Audivit autem vocem dicentium sibi, hunc esse locum requiei Justorum. Paulò verò pòst æstimans ille sibi illud dictum, suúmque se vidisse locum in cælis, in Superbiam elatus est, & miserabiliter in gravissima peccata, & infinita mala corruit. De alio idem S. *Abbas* hom. 27. scribit, quod unà secum in domo, & orationibus adeò divinâ gratiâ repletus erat, ut propè ipsum positus compungeretur in precibus, ita ebulliebat in eo gratia. Porrò habebat etiam gratiam Sanitatum, ut non solùm ejiceret dæmones, verùm etiam solâ manuum impositione omnis generis morbos & mala curaret; propter quod, cùm ab omnibus tanquam vir Sanctus haberetur, & coleretur, Superbiâ tentatus, ac ab ea omninò prostratus cecidit in ima peccatorum. Ecce quantis viribus superbia polleat, cùm etiam eos, qui in omnia vitia dominium habuerunt, tandem ipsa debellavit, ac ditioni suæ subjugavit.

8. Proinde virtutum studioso apprimè incumbit, ut superbiam longè à se proscribat, & singulariter abhorreat; Nam alia vitia, ut accuratè notat Romanus Pontifex, S. *Gregor.* l. 24. mor. c. 18., illas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsæ destruuntur; ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cunctas animi virtutes se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus omnes corrumpit. Et hoc ad oculum videmus in exemplis memoratis; nam licèt præfati eremi cultores in multis sese virtutibus probaverint, DEUS tamen nihil omnes æstimavit, quoniam eas superbia totaliter destruxit, & devastavit. Superbia itaque est vitiorum vita, & caput, sicut enim serpenti omnis vita est in capite, quo amputato nihil potest nocere; sic eradicata è corde tuo Superbiâ, ùt vitiorum capite, facillimè peccatis cæteris imperabis. Si vis te tradere Deo, & illius gratiæ fieri particeps, fuge cordis superbiam, quoniam divinarum gratiarum aquæ relictis montibus currunt per valles. *Omnis vallis implebitur, & omnis collis humiliabitur. Luc.* 3. 5. Considera quis sis, & videbis, quàm parùm habeas, unde superbias. In conceptione tua invenies culpam, in nativitate miseriam, in vita pœnam, & in fine anxietatem. Unde non nemo Poëtarum humanæ conditionis statum his versibus deplorat:

*Unde superbit homo, cujus conceptio culpa,*
*Nasci pœna, labor vita, necesse mori?*
*Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror,*
*Sic in non hominem, vertitur omnis homo.*

PARS

# PARS SECUNDA.

9. Axioma indubitatum est, Deum in creatione hujus universi non fecisse infernum. *Deus mortem non fecit*; Sap. 1. 13., in profundo abyssi jecit ejus fundamenta superbia; ac propterea ante Superbiam Luciferi nulla erat notitia illius barathri æternæ perditionis; ast quando Lucifer vanâ gloriâ correptus jactanter dixit: *In cælum ascendam, supra astra Dei exaltabo solium meum*, tunc superbia hujus insani aperuit carcerem æternæ damnationis, abyssum miseriarum sempiternarum. Id quod non obscurè affirmat S. *Tobias* 4. 14., dum filium suum sic exhortatus est: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Rationem protinus subdit nostro proposito accommodam: *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Quasi inferre vellet, æternam mortem, infernum, qui est locus perditionis, habere originem & principium suum à Superbia. Superbia ergo infernum fabricavit, Superbia Luciferum cum asseclis suis cælo exturbavit, & ùt loquitur S. *Judas*, *vinculis æternis sub caligine reservavit.* Quâ proin ratione Superbus cælum introibit? Profectò quod *Isaias* cap. 14. de Lucifero dixit, id unicuique superbo occinere possumus, nimirum: *Ad infernum detraheris in profundum laci.* Nam ut S. P. *August.* ait: *Superbum si videris, filium Diaboli esse non dubites.* Hæc confirmantur ex eo, quod Christus aliquando dixit ad S. *Birgittam*; nimirum, quòd sicut humiles, sunt habitaculum Dei; ita superbi sunt cavernæ & latibula diaboli. Audi propria ejus verba, quæ habentur lib. 2. Revel. cap 9. *Omnia Christianorum corpora, in quibus regnat humilitas, templum meum sunt; in quibus autem est Superbia, non templum meum sunt, sed diaboli, qui eos juxta voluntatem suam regit ad mundi appetitum.*

10. Quòd si igitur in corde suo superbi domicilium cacodæmoni struant, quid mirum, si ab eodem in omnem flagitiorum abyssum pertrahantur, ac tandem aliquando in profundo inferni sepeliantur? quemadmodum videre licet in superbissimo *Luthero*. Audi ejus Superbiam, quam suo ipse prodidit calamo, dum Angliæ Regi scribit; nimirum, *se nihil curare, si mille Augustini, & mille Cypriani contra se consistant.* Sic refert *Bzovius* in Roman. Pontif. cap. 21. Sanctos Patres omnes irridebat, imò & Ecclesiam, & ipsos Apostolos: hinc impius dicere solebat, prout ipse scribit & docet lib. 1. de Missa cap. 15. *Nihil moror clamores, si clamitent Papistæ: Ecclesia, Ecclesia; Patres, Patres, quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus.* Et lib. de abroganda Missa ait: *Profiteor inprimis adversus eos, qui clamaturi sunt, quòd contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum.* Thomistas nuncupabat asinos, & S. *Thomam* asinum atque mulum appellabat. En portentosam Lutheri superbiam, qui solus plus sapere voluit & scire, quàm omnes etiam sanctissimi & sapientissimi Ecclesiæ Doctores. At quid inde secutum? nimirum, omnium scelerū monstra per viam superbiæ in impium hominem certatim irruerunt, & inprimis bonorum operum necessitatem de medio sustulit, & sceleribus impunitatem effusissimásque habenas permisit; hinc in tam execrandam blasphemiam prorupit, ut

ut Deum criminum Authorem pronuntiârit. Detestata est olim Ecclesia Simonem Magum, qui jubebat legis minas non pertimescere, ut referunt *Theodoretus* lib. 1. de Hæretic. fab. c. 1. & *Irenæus* l. 1. c. 20. Detestata est quoque Aetium, Principem Anomæorum, qui Anomæi quasi exleges vocati sunt, quia contendebat, Deum non curare, quid quisque agat, dummodo fidem custodiat, ùt refert *Epiphanius* Hæres. 76. Sed veteribus Hæreticis impietatis palmam præripit post hominum memoriam impudentissimus Lutherus, qui non solùm præfatam hæresim ex orco suscitavit, sed etiam scribere non erubuit, non solùm non obesse mala opera, sed obesse etiam bona, sola scelera prodesse. Sic Serm. de piscatura *Petri*: *Quantò sceleratiores*, inquit, *tantò citius Deus gratiam infundit.* Et serm. in illud: *Sic Deus dilexit mundum*; ait: *Ego tibi dico, quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam transire.* Verùm quomodo tenuem fieri velit Christus discipulum suum, sic explicat Doctor admodùm mysticus, his quæ subjungit verbis: *Cæterùm qui operibus onerati sunt, sicut conchylibus videmus onustos S Jacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare.* O stuporem non tam hominis, quàm belluæ! Non tam belluæ brutalitatem, quàm dæmonis ex adipe prodeuntem iniquitatē!

11. Vidisti modò Lutherum superbissimum & impiissimum? Videas nunc Deum Luthero terribilem, & sequentem historiam menti fixè imprimas, quò discas Lutheri damno superbiam cane pejùs & angue fugere, & in vera humilitate tuam salvare animam. *Tilmannus Bredenbachius* lib. 7. de Collat. Sacram. c. 39. scribit, visa esse multa dæmonum millia sub horrendissimis formis convolare ad rapiendam pessimi hæresiarchæ istius animam. Et in rei hujus confirmationem refert, cùm plurimi energumeni ad templum S. *Dimnæ*, quod in Brabantia celebre est, ad quærendum remedium & liberationem concurrissent, omnes die quadam quietos, & sine ulla molestia perstitisse, cùm tamen aliis præcedentibus diebus horrendè cruciarentur, die autem subsequenti iisdem tormentis, quæ priùs pati solebant, affectos ac divexatos. Sciscitantibus Exorcistis ex malignis spiritibus, cur nullum præsentiæ suæ indicium dedissent? Respondêre, imperasse sibi, cæterisque omnibus diabolis Principem suum, ut morienti fidelissimo suo servo Martino Luthero assisterent, quò alii animam raperent in inferno tumulandam, alii verò corpus ad sepulturam terrestrem comitarentur. Mortuus est Lutherus, fauces ejus collidente diabolo, & dum corpus ipsius ad tumulum deferebatur, plurima corvorum agmina conspecta sunt, quæ circa feretrum crocitantia, horrendo stridore funestissimas impii hominis exequias celebrabant. Similem mortem exspectandam habent illi, qui superbiâ inflati vitiis aliis in prædam cedunt.

12. Enim verò, quod vel maximè in hominibus superbis deplorandum, hoc inprimìs est, quòd seipsos non agnoscant, & ideo de sua superbia non dolent, neque pœnitentiam agunt, imò se justos, Deóque charos se esse existimant; quorum typum expressit ille *Pharisæus*, qui seipsum commendabat, dicens: (Luc. 18. 11.) *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri; jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo. &c.* Dúmque se hisce bonis suis operibus Deo amicum esse credebat, ejus inimicus factus est ob tumidam cordis sui superbiam. Videmus interdum hominem vegetum,

getum, robustum, qui comedit, dormit, ambulat, reliquásque instar sani peragit vitæ operationes; nihilominus quia pestiferâ lue correptus est, ubi insensibile hoc venenum cor ejus attigerit, mortem ei subitò inferet. Nonnullis hoc idem pariter accidit frequentissimè, quos censemus homines spirituales, virtutibus præditos, donis & gratiis cælestibus ditatos, in orationibus, eleëmosynis, in solitudine aliísque exercitiis spiritualibus videntur esse homines summæ perfectionis, at si contigerit eos infici hâc internâ peste arrogantiæ, præsumptionis, & superbiæ, hæcque cor eorum invaserit, indubiè mortem animæ & gratiæ inferet, omnibúsque bonorum operum meritis destituet; dúmque tales se secundùm animam sanos, id est in Dei gratia constitutos, putabunt, infirmi, imò planè mortui, morte scilicet peccati erunt. Deus in Apoc. c. 3. S. *Joanni* præcepit, ut ad Episcopum Sardis in hæc verba scriberet: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas & mortuus es.* Prælatus ille Sardensis in conceptu quidem populi habebatur tanquam vir valdè spiritualis & perfectus; & tamen licèt in multis actionibus virtuosè operaretur, Superbiâ tamen occultâ coinquinatus erat, quâ omnia ejus opera, cunctáque vitæ merita inutilia reddebantur & nulla. Ita S. *Anselmus* in illa verba: *Scio opera tua, &c.* Quasi dicat, inquit *Anselmus*, *Scio quòd in operibus tuis amas humanam laudem, & mortuus es in peccatis; quia qui in uno offendit, omnium est reus.*

13. Ex quibus facilè colligere possumus, quàm prodiga omnium bonorum, & virtutum dissipatrix & devastatrix sit Superbia, quàm præcipiti cursu hominem etiam Sanctum, & omnibus virtutibus decoratum, ad tarara vehat. Proinde non sine ponderosa ratione dixit S. P. *August.* Tom. 4. c. 32. de salut. docum.: *Multorum temporum labores, & orationes, & eleëmosynæ, & jejunia, & vigiliæ, si cum superbia finem habuerint, pro nihilo apud Deum computantur.* Cujus S. *Doctoris* assertum narratione cujusdam exempli stabilitum manet. Virgo quædam à juventute servivit Deo, quandam tamen spiritualem superbiam in se habuit in complacentia sui ipsius. Quæ venit ad extrema, & Episcopus illius loci personaliter eam visitabat, & cum Sacramentis eam procurabat, & propter Sanctitatem vitæ ipsius Virginis dixit circumstantibus: Meritò dies ista est celebranda, in qua ista Virgo devota & Sancta est moritura. Ista verba illa audivit, & valde sibi ipsi complacuit, & sic obiit; & infra spatium 30. dierum apparuit ipsi Episcopo dicens: se esse damnatam propter sui ipsius complacentiam, & spiritualem superbiam, quam in se habuit in extremis suis, quando illa verba audivit. Ita in terminis refert *Discipulus* lit. T. exempl. 21.

14. Quapropter pro nostro documento in hæc excurrit verba melleus Doctor S. *Bern.* de inter. domo c. 40. *Idcirco nisi omnia opera nostra humilitas præcesserit, comitata & subsecuta fuerit, totum de manu extorquet superbia; quantalibet sit justitia operis apud internum judicem, nulla est, si hanc elevet tumor mentis.* Idem S. *Abbas* ser. 37. de modo bene vivendi tradit sequentia: *Soror Charissima, crede mihi, quod ut loquitur Augustinus, multorum temporum vigiliæ, orationes, jejunia, eleëmosynæ, & labores, si cum Superbia finem habuerint, pro nihilo reputantur apud Deum.* Et in alio loco nobis insinuat: *Multæ Virgines excludentur, quia superbarum nulla ingreditur.* In libro primo Machabæorum. cap. 6. ℣. 43. sic legitur de generoso Duce *Eleazaro*: *Et vidit Eleazar unam de bestiis loricatam loricis Regis, & erat eminens super cæteras bestias, & visum est*

*est ei, quod in ea esset* Rex, *& dedit se ut liberaret populum suum. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis interficiens à dextris & à sinistris. Et ivit sub pedes Elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum, & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.* Sic iste bellidux, ut S. *Ambrosius* loquitur, sub suo triumpho sepultus est. Verè spectaculum admiratione dignum: At nobis non rarò taliter contingere solet; nam in hujus mundi campo adversus vitia strenuè præliari oportet. Primus autem & periculosissimus congressus est, ut Elephantem nostræ carnis in terram collidamus. Sed væ nobis miseris! Quoties enim subruit nos ipsemet triumphus, dum sub debellato hoste cadimus,& cum illo perimus. Jejuniis enim, vigiliis,aliisq; austeritatibus vincimus effrenem carnem nostram, sed si à Superbia non recedimus, ab ipsamet victoria subruimur; & victores vincimur.

15. Sic carnis suæ tyrannidem vincendo victa est, & sub ipso triumpho periit alia quædam Virgo devota, de qua refert *Doctor Jacobus de Paradiso Carthusiensis*, quod ita vitam suam duxit jejunando, vigilando,orando,castigando se,quod ab omnibus Sancta reputabatur. Contigit autem eam infirmari usque ad mortem, cujus confessionem quidam devotus Sacerdos audivit, & ejus spiritualem Superbiam ignoravit. Cui post obitum ipsa apparuit nigra & valdè horribilis. Sacerdos autem expavescens quæsivit, quis esset? Et fatebatur se esse illam virginem, quæ quasi Sancta reputabatur, & subjunxit, dicens: Ego infœlix tradita sum infernalibus dæmonibus, cum infimis damnatis æternaliter crucianda propter meam propriam complacentiam, & spiritualem Superbiam, quam habui, quod nullam æqualem mihi reputavi,sed super omnes me extuli, & alios homines judicavi, & sprevi; propterea ad profundum inferni descendi, de quo nunquam liberabor: Nam si siccatæ essent aquæ maris, & fundus repletus arenâ, & una avicula centesimo anno unum granum educeret, & tunc possem salvari, omnes pœnas inferni eligerem ad illud tempus sustinere; sed non sic, quia in inferno nulla est redemptio. Unde Pater Sancte, nec tu, nec aliquis Sanctus alius pro me oret, quia nunquam liberabor. Quis proinde non dilucidè perspicit, verissimum esse illud S. *Fulgentii* ep. 3. ad Probam c. 15. pronuntiatum, *quòd vitiorum author dæmon, quem non potest vincere vitiis suis, vincit virtutibus alienis: armis quibus eliditur, surgit, & virtute quâ dejicitur, dejicit. Laudat enim virtutem, quâ se prospicit superari, ut victus possit captivare innocentem.* Et hæc est teste *Cassiano* l. 11. instit. c. 7. subtilis inimici versutia, ut militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis non potuit superare.

16. *Faber* Conc. 4. in Festo S. M. Magd. refert, duos gallos acriter inter se diu pugnasse, & cùm alter victus fugisset, & se abscondisset, alter verò conscenso tecto triumphum caneret, casu prætervolans aquila illum conspectum invasit, & exossavit, quod ut alter vidit, multùm sibi gratulabatur,& gregi suo præesse pergebat; Ita haud dissimili modo sæpè nobis evenire solet; quoties enim profligatis jam cæteris vitiis,nobis incautis Superbia subrepit, cúmque vanè,tanquam re optimè gestâ,nobis ipsis placemus, & de hostibus triumphum plus æquo nobis arrogamus, ecce ex improviso à milvo infernali corripimur, qui nos miseros exossat, gratiam videlicet divinam à nobis auferendo. Clarissimum hac in re habemus exemplum in Apostolorum Principe Petro, qui nimium sibi confisus ad Christum dixit: *Matt.* 26. 35. *Etiam-*

*si*

*si oportuerit me mori tecum, non te negabo; & si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Sed quid factum? eadem nocte à diabolo illaqueatus est, dum trinâ negatione suum amantissimum Dominum, & Magistrum abnegavit. Quid Davidem ad adulterium, & homicidium impulit? quædam ejus præsumptio, ait *S. Basilius*, quam concepit tum, cùm semel solatiis divinis cumulatissimè perfusus dicere ausus fuit: *Ego dixi in abundantia mea; non movebor in æternum. Ps. 29. 7.* Si porrò Deus ita abominatur cordis superbiam & vanam præsumptionem, ut hanc castigaturus ab intimis etiam suis amicis auxiliarem manum suam ad tempus retrahere soleat, quò sibi diffidere, & in solo Deo confidere assuescant; Quid, amabò, nobiscum fiet, dum ob aliqua, à Deo nobis collata dona, evanescimus, inflamur, & extollimur, quasi ea à nobis solis haberemus? profectò multùm pertimescendum habemus, ne à Deo planè deseramur, sicut multi alii deserti & derelicti sunt, uti hactenus non sine gemitu cordis spectavimus. Saluberrimum proin nobis inculcat monitum *Apostolus* dicens: *Rom. 11. 20. Noli altum sapere*, id est superbire, ut commentat *Cornelius à Lapide*. *Sed time*, ne Dei gratiâ excidas, & in profundum abyssi cum Icaro Dædali filio corruas, de quo fabulantur Poëtæ, quod affictis à patre pennis, monitus fuerit, ne altiùs volaret, quod mandatum dum negligit, in aquas, liquefactis à sole pennis, cecidit. Hinc *Ovidius* canit:

*Dum petit infirmis nimium sublimia pennis*
*Icarus, Icarias nomine fecit aquas.*

Cave ergo mente tuâ in altum, in excelsum voles, si casum times. *Noli* itaque (ùt rursus monet Apostolus *Rom. 12.*) *plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*; id est humilitatem. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* His de superbia propriè dictis, congruum est, ut, quæ vanam gloriam directè & immediatè tangunt, superaddamus. Sit ergo

# PARS TERTIA.

17. NEmo ignorat, quin ea, quæ nobis Cælestis Magister in toto Sacri Evangelii codice tradidit documenta, utilissima, perfectissima, & saluberrima sint, utpotè quæ hominem ad summum sanctitatis fastigium sublimant, eique Cælorum januam pandunt. Veruntamen, cùm omnia hæc fecerimus, monitos nos esse voluit Salvator, ne in his omnibus benefactis nobis vana gloria (quæ callida quædam spoliatrix est omnium virtutum) subrepat; unde ait *Matth. 6. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* In quem textum *Dionysius Carthusianus* ita scribit: *Congruentissimè admonet vitare vulpeculam, utpote vanam gloriam, quæ tunc fortius & latentius ingredi solet, & pulsare non solùm pusillos, sed & proficientes & fervidos.* Sciendum porrò in præsenti est, quòd vana gloria secundùm commune Doctorum Asceticorum assertum tripliciter spectari possit, seu quod habeat tres species: prima vocatur *Domina*, secunda, *Socia*, tertia, *serva* seu *ancilla*. Tunc vocatur *Domina*, quando opera nostra præcedit, & propter illam opus fit. *Socia* vocatur, quando homo non facit quidem directè opus propter finem vanæ gloriæ, nihilominus in ipso opere percipit aliquam propriam com-

complacentiam, & vanam gloriam. *Serva* seu *Ancilla* dicitur, quando ex opere peracto consurgit vana gloria. Et ab his tribus speciebus ut caveamus, nos monet Salvator: *Attendite, ne justitiam vestram* &c. Et primò quidem allaborare oportet, ne vana gloria sit Domina, quemadmodum olim dominabatur antiquis Philosophis, qui omnia opera sua ob vanam gloriam peragebant; inter quos singulariter notatur *Diogenes Cinicus* (Mansi tr. 94. disc. 2.) de quo scribitur, quod tempore hyemali, frigore prædominante intensissimo, aquis gelu concretis se immiserit, ut nimirum laudem, & nomen hominis patientis aucuparetur, cúmque plurimi ad hoc convenissent spectaculum, & nonnulli compassione moti ipsum rogâssent, ne tanto se exponeret periculo, & tormento, sapienter respondit Plato, cui optimè perspecta erat occulta Diogenis vana gloria: *Si vultis misereri, abite*; insinuare volebat, quod vanæ ostentationis ergô totum id ageret. Sanè si liceret intima cordium penetralia perscrutari, indubiè plures in populo Christiano, imò in electo Religiosorum cætu conspiceremus tales Diogenes, qui multa ardua factitare, pietatisque exercitia frequentare amant tamdiu, quamdiu suorum operum encomiastes audiunt. Verùm his rectè occinitur illud, quod Salvator noster Pharisæis improperabat dicens: *Matth. 23. Omnia opera faciunt, ut videantur ab hominibus.* Sed quid inde sequetur? Audiamus rursùs ipsum Dei oraculum, de quo scriptum est: *Spiritus ponderator est. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Matth. 6.

18. Cùm ergò ita sit, non immeritò SS. Eremi Patres è suorum discipulorum cordibus omnem vanæ gloriæ pestem procul arcere semper conati sunt, inter quos apprimè censetur S. *Pachomius Abbas*, hic, ne sui Religiosi ob vanam gloriam suorum laborum mercedem deperderent, terribile statuere voluit exemplum. Nam cùm fortè S. Abbas in quodam Monasterii loco cum gravibus aliis Monachis consideret, ecce Monachus quispiam duas parvas attulit storeas, quas eâ die contexuerat, eásque propè cellam suam ex opposito S. Pachomii collocavit, ut eas ille commodè videre posset, æstimans se ab eo ob diligentiam dilaudandum, quod duas storeas uno die texuisset, cùm secundum regulam non nisi ad unam texendam fuerat obligatus. Intelligens vir sanctus, id eum ex vanitate fecisse, Patribus sibi assidentibus dixit: Videte, quæso, fratrem hunc, qui à prima luce in seram noctem cùm laborârit, & sudârit, universum laborem suum diabolo consecravit, hominum existimationem præferens Dei gloriæ. Hunc ergo ad se vocatum egregiè corripuit, eique in pœnitentiam injunxit, ut cùm ad orandum Fratres convenissent, ipse eôdem ingrederetur, duas storeas humeris gestans, altáque inclamaret voce; *Patres, & fratres mei charissimi, orate, quæso, Deum, pro me misero peccatore, ut mei misereatur, quod pluris duas hasce storeas quam regnum cælorum fecerim.* Præcepit adhæc, ut, cùm fratres ad refectionem sumendam collecti essent, ipse duas has storeas in humeris habens, toto mensæ tempore in medio refectorii consisteret. Neque verò hîc substitit pœnitentia. Nam post eum in arctam cellam insuper compegit, sic ut inde quinque mensibus ei prodire, vetuerit, & omni die duas storeas texere mandaverit, quo tempore nihil aliud illi in cibum dare voluit, quàm aridum panem

& aquam addito sale. Hoc exemplo cæteri attoniti à vana gloria sibi cavebant. Ecce quid non fecerunt illuminatissimi Servi Dei in detestationem hujus vitii, quod instar prædonis viatoribus invigilat, ut eos omni opere bono spoliet.

19. Magna profectò dementia est, quod rationalis creatura, ad æteranm gloriam creata, in præsenti vita sudet, incessanter laboret ob mundi gloriam non modò vanam, sed etiam transitoriam & fallacem, idque ex inimici sui instigatione. Quod primus reprobus damnetur, & pereat ob invidiam & homicidium; Abiron propter ambitionem, Zambri ob luxuriam, Judas ob avaritiam, dives Epulo propter crapulam, quid mirum? Ast quod homines Christiani per exercitia bonorum, sanctorúmque operum, per quæ æternam lucrari possent beatitudinem, præcipites agantur in abyssum perditionis, quia in operibus bonis superbiunt, & vanè gloriantur, magna sanè stultitia est. Hinc Romanus Pontifex, S. Greg. l. 8. mor. c. 28. ad nostrum intentum rectè dicit: *Qui pro virtute quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat; unde cæli regnum mereri potuit, inde nummum transitorii sermonis quærit.* Et quæ major illusio & fatuitas dari, & excogitari potest, quam multum laborasse, permulta opera bona fecisse, & pòst se ab omni mercede vacuum reperire!

20. Hoc significare voluit Propheta *Aggæus* c. 6. dicens: *Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis saturati; bibistis & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Quod postremum in alia versione legitur; Misit eas in dolium perforatum; in quod si quis vinum, aut alium liquorem infundat, perinde facit, ac si in terram eum effunderet: Sic in vanæ gloriæ captione idem est, lucrari, & perdere; struere, & destruere. Hinc S. *Arsenius* vidit vice quadam hominem stantem super lacum, & haurientem aquam de lacu, & mittentem eam in collectaculum, de alia parte per foramina defluentem; Cúmque mysterium hujus visionis nosse discuperet; ab Angelo, qui hæc ei monstravit, audit: Hic homo est popularis auræ studiosus, qui quamvis opera bona patret, quia tamen his non soli Deo, sed hominibus etiam placere desiderat, ideo omnia amittit. Optimè ergo vana gloria Salamandræ assimilari potest; sicut enim hoc animalculum tantum veneni secum vehit, ut, si radicem arboris contingat, omnes fructus in radice jugulet; sic, si vanæ gloriæ vel minimam particulam tartareus Serpens actionibus nostris immisceat, omne earum meritum & efficaciam tollit Hinc stygius ille cerberus omni contentione allaborat, quò virtutum studiosos, quos aliâ viâ supplantare haud valet, superbiâ & vanâ gloriâ succumbere faciat, qua in re tam feliciter quandoque ipsi negotium cedit, ut cygnos convertat in corvos, agnos in lupos, Paulos in Saulos, homines denique Sanctos in Judas Proditores.

21. Hoc, ut perspicaciùs intelligamus, miserabilem casum *Fratris Justini* Ordinis Minorum Religiosi percipere lubet, quem nobis *D. Bonavent.* in sua Bibliothec. paup. L a. Ambitio. scriptum reliquit. *Frater Justinus*, qui opulento Baronatu, & Regis Hungariæ favoribus spretis, institutum Minorum suscepit, contemplationi deditus, initiò sæpè exstases patiebatur & raptus. Sui Institutoris vestigia & SS.

SS. Limina veneraturus, venit in Italiam, ac demum in urbe subſtitit. In Conventu Aræ Cæli, dum quadam die pro more inter prandendum pia ſanctorum geſta legerentur, extra ſe raptus, diu immobilis, & velut exanimis manſit, in altum corpore elatus è regione cujuſdam imaginis B. Virginis ſuper fratrum capita depictæ, ubi retractis cruribus in modum genuflexi in aëre pependit. Aderat tunc S. Joannes Capiſtranus Ordinis Vicarius, qui dimiſſis fratribus in templum, ut gratias agerent ſecundùm conſuetudinem, ſolus cum ſocio, clauſo oſtio, remanſit, finem exploraturus. Poſt longam moram vidit, omnia ſe benè habere, & ex ſignis placidæ mentis, ſereni vultûs, humilitate animi, aliisque notis, alienum hoc eſſe à vanitate & præſtigiis. His auditis Eugenius IV. ſummus Pontifex hominem accerſit, ac pedes oſculari volentem ulnis excipit & oſculo, juſſitque propè ſedere: longo dein tempore protracto ſermone, munuſcula addidit & Indulgentias. Inde factus altior Juſtinus, domum regreſſus, alter ab illo qui erat egreſſus, occurrit Capiſtrano, eóque corporis habitu, & vanitate cœpit jactare Pontificis in ſe benevolentiam, ut, quem antè per revelationem acceperat, ejus caſum nunc coràm experiretur. Igitur ingemiſcens ait: *Heu fratercule! ita te honores mutarunt? Angelus abiiſti, diabolus rediiſti; reſipiſce &c.* At ille inſolétior quotidie factus, omnes alios habuit contemptui. Juſſus eſt ergo iterum in Hungariam redire. Non longè aberat ab urbe, quando ad fontem ſedens, & manducans cum ſociis, priùs petulanti verbo, dein cultro unum ſauciavit. Retractus ad Capiſtranum, conjectus eſt in carcerem; deinde poſt aliquod tempus, expletâ pœnitentiâ, aufugit in Regnum Neapolitanum, ubi ea perpetravit, ob quæ iterum relegatus eſt in Urbem, & in vinculis miſerè deceſſit.

22. O tremendum & multùm expaveſcendum caſum! ecce quomodo dæmon hominem etiam ſanctum per ſuperbiæ & vanæ gloriæ tentationem ſubruere, & funditùs ſubvertere ſoleat. Certè ſi hic infelix homo nunquam ita honoribus & laudibus fuiſſet mactatus, haud tam miſerandum in modum vitiis, & ſceleribus in prædam abiiſſet. Unde ad oculum illius D. *Fulgentii* ſententiæ veritatem perſpicimus, *quod ſcilicet dæmon eum, quem non poteſt vincere ſuis vitiis, vincat virtutibus alienis*. Et quidem hac in parte facit, quod facit Erodius avis, hic ad aves aquâ ſe mergentes avolat, & capita illarum tamdiu morſu corripit, donec capturam extorqueat; Ita orcinus prædo, dum conſpicit aliquos, in virtutum via magnos & copioſos ſibi meritorum manipulos collegiſſe, mox ad illos avolat, ac omni conatu adhibito ſatagit eis ſpiritualem animæ prædam per vanam gloriam extorquere, ſicut reapſe videmus præfato Juſtino eam eripuiſſe. *S. Cyprianus* de tentatione illa, quâ cacodæmon Redemptorem JESUM ſecundo loco impetivit, illi, ad pinnaculum uſque templi ſublato, dicens: *Si filius Dei es, mitte te deorſum*; *Matth.* 4. 6. agens exclamat, & ait: O execrabilis diaboli malitia! putabat malignus, quem gula non vicerat, vanâ gloriâ ſuperari. Hinc eum inducere conatur, ut per aëra volare incipiat, ut ſic toti populo foret ſpectaculo, & admirationi. Putabat ſcilicet ſibi cum Chriſto Domino tam feliciter negotium ceſſurum, quàm cum aliis ſucceſſerat, & jam ſæpe probârat, ait *Cyprianus*, ſe, quos aliis hactenus tentationibus ſuperare non potuerat, per vanæ gloriæ, & ſuperbiæ tentationem tandem expugnâſſe; ideóque poſtquam

eum gulâ frustrà tentârat, jam per vanam gloriam velut acrius intentans telum, rémque expugnatu difficiliorem, adoritur. *Neque enim facile est* (addit idem Sanctus) *laudibus, & applausu hominum non delectari. Ut enim paucissimi reperiuntur, quibus gratum sit malè ab aliis audire, & probris affici; ita etiam quàm rarissimos est invenire, quibus gratum non sit bene audire, & laudari.*

23. Hinc cacodæmon nullum non lapidem movet, quò Dei servos vanæ gloriolæ, & superbiæ veneno inficiat, & à virtutum apice dejiciat. Sic aggressus est *S. Antonium*; Cùm enim ferocissimis suis insultibus Antonium expugnare non valuisset, neque innocentiam ejus corrumpere; suscepit in se formam adolescentis æthiopis, & ante pedes servi Dei se prosternens dixit: Multos ego decepi, multósque magnæ etiam sanctitatis viros ad lapsum protraxi, & seduxi; sed a te (heu pudet dicere) me fateor victum. Quo stratagemate astutus serpens Athletam Christi ad vanam gloriam pertrahere sperabat, & pertraxisset fortassis, nisi Deus dæmonis astutiam ei manifestasset. Sic etiam supplantare infernalis vipera conabatur *S. Abrahamum Eremitam*. Nam cùm vir Sanctus mediâ nocte psalleret, repentè lux magna in ejus cella refulsit, & vox hæc audita est: *Beatus es Abrahame, verè, inquam, beatus es, quoniam nullus in cunctis rectè factis inventus est, sicut tu, nullúsque ita meas voluntates perfecit, ut tu.* Subitò autem vir Sanctus astû maligni cognoscens, exaltavit vocem suam, & dixit: *Tenebræ tuæ tecum sint in perditionem, ò plene dolo, & fallaciâ; homo enim peccator sum ego, & pulvis & cinis*; ad quæ verba confestim stygius veterator instar fumi à conspectu ejus evanuit.

24. Hoc stratagemate Abbatissam *Saram*, Virginem omnino castissimam ultimò superare tentavit; cùm enim eam immundus spiritus 13. annos acriter tentâsset contra castitatem, & aliquando infestior esset illi inimicus, illa ascendit orare super lectum suum; & ecce dum ferventibus adeò precibus suppetias à Deo postularet, apparuit ei corporaliter spiritus fornicationis, & dixit ei: *Tu me vicisti, Sara.* O astutiam dæmonis! Cupiebat castissimam Christi Sponsam vanâ gloriolâ prosternere, quam non potuit carnis illecebris expugnare. Ast illa omni orcino dolo superior, prudenter hocce vanitatis telum, in se vibratum, elusit dicens: *Non ego te vici, immunde spiritus, sed Dominus meus JESUS Christus.* De Sancto *Marcello Abbate* sequentia scribit *Josephus Mansi* tract. 95. disc. 3. Cùm S. Marcellus Abbas in nomine DEI dæmones aliquos exorcismo subjiceret, & conjuraret, ab iisdem S. Abbas intellexit, & audivit sibi dici: Tu, qui habes potestatem in nos, nobis impera, & obediemus tibi; at Servus Dei nihil prorsus hæc curans, prosecutus fuit exorcismum. Interrogatus deinde, cur dæmoniis non imperasset in propria persona, uti petierunt, sapienter respondit: quod dæmonia me venerentur, confiteantúrque, me illis imperare posse, id alio fine non fecerunt, nisi quod me capere intenderint laqueo vanæ gloriæ, quæ est vitium: ideo dæmon se fatetur victum, quia sperat, & prætendit vincere. Sic alios plures cacodæmon per vanæ gloriæ tentationem aggressus est, à quibus etsi turpiter victus confusúsque in fugam actus sit, nihilominus tamen persæpe hoc stratagemate non sine magno emolumento suo circa alios usus est. Ex qui-

bus apparet, hanc vanæ gloriæ tentationem non solùm incipientium, & Novitiorum esse, sed & veteranorum, & eorum, qui perfectionis studio tenentur; quin imò illam horum magis esse propriam.

25. Unde S. *Nilus Abbas* refert, veteres illos Patres aliter Novitios ac Tyrones, aliter veteranos & adultiores instituere consuevisse. Novitios quippe docebant, temperantiæ & abstinentiæ assiduè & in omnibus incumbere, qui enim à gulà se vinci, & transversum abripi semel fineret, à luxuria carnali haud difficulter supplantandum, verè & prudenter asserebant. At Seniores iidem monebant, ut contra vanam gloriam & superbiam identidem, maximéque decertarent, & contra eam omni contentione se communirent. Quemadmodum Nautæ per mare navigantes sibi diligentissime cavent à scopulis, & syrtibus portui vicinis; sæpe námque videmus eos, qui longissimâ navigatione felicem auram habuere, in portu periclitari: ita plurimi, cùm totum propè vitæ cursum fœlicem habuerint, secundo velut vento in virtutibus progressi, omnes ingruentes tentationes expugnando & superando, tandem in fine haud procul à portu distantes, superioribus confisi victoriis, & summâ velut in securitate agentes, quòd superbierint, & negligentiùs se gesserint, triste fecêre naufragium. Ut navis, quæ tanto circuitu per mare rimas hactenus non egit, nec succubuit, sæpe in ipso portu deficit, & naufragium facit: Sic se res habet in hac vana gloria; ideo eam Sancti Patres non inscitè vocant, *Tempestatem in portu.* Ideo ne ab hac tempestate animæ ruinam patiamur, de remediis contra superbiam, & vanam gloriam agamus reliquum est.

# PARS QUARTA.

26. CUm ex hactenus dictis facilè constet, quod humani generis hostis irretorto semper oculo præcipuè virtutum studiosos respiciat, quò eos, dum sibi non sat invigilant, decipiat, superbiâ inflet, aut vanæ gloriolæ succumbere faciat; ideo superest, ut arma, quibus adversarium in fugam dare possumus, maturè assumamus, nósque egregiè variis stratagematis præmuniamus contra ejus versutias. Porrò ad hoc præstandum, quamvis sufficere possint ea, quæ in sermone præcedenti numero 15. Item, num. 28. & 29. fusiùs memoravimus. Nihilominus tamen, ut majore cum efficacia superbiam, & vanam gloriam è penetralibus cordis nostri eliminemus, præsentissimum nobis præscribit pharmacum Propheta *Isaias cap.* 10. ita loquens: *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur?* Quâ binâ similitudine Isaias vanam gloriam, quæ virtute præsertim præditos invadere, & perdere solet, extinguere studuit. Sicut ergo magna foret stoliditas, si securis & serra, quæ dissecant ligna, sibi duntaxat adscriberent actus illos secandi, nihil tribuentes brachio moventi, ducenti ac dirigenti instrumenta illa; Ita similiter homo vanæ gloriæ cupidus

cupidus stultè agit, dum opera sua bona, quæ sine singulari Dei auxilio & gratia operari non valet, suæ virtuti & diligentiæ attribuit.

27. Ad quem errorem propulsandum sic declamat Doctor Gentium S. *Paulus*: 2. Cor. 3. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ex quibus verbis sequens desumi potest argumentum. Teste *Apostolo*, non valemus ex nobis quidpiam boni cogitare, ergo multò minùs aliqua bona facere, partim quia cogitatio bona ipsum bonum opus præcedere debet, partim etiam, ùt quotidianâ constat experientiâ, quia major semper reperitur difficultas in operando quam in cogitando; in operando enim multæ extrinsecæ difficultates sunt evincendæ, quæ non occurrunt in cogitando. Quare si nec cogitare quid boni possimus ex nobis, quomodò ergo facere? nam qui non potest minus portare onus, quomodo majus poterit? Hinc etiam Salvator noster *Joan.* 15. 5. ait: *Sine me nihil potestis facere*; non dicit, (ùt exponit S. P. *Aug.*) sine me parùm potestis facere, sed, nihil potestis facere; quod benè notandum.

28. Quæ cùm ita sint, quæ major cæcitas, & malitia esse, excogitarive potest, quàm ob aliqua bona superbire, & evanescere, cùm tamen illa non ipsi, sed gratuita Dei gratia in nobis operabatur! Quæ major dementia, quam ex doctrinæ præstantiâ, aut aliis naturæ dotibus seu gratiis, sibi præ cæteris liberaliter à Deo concessis quærere, & aucupari vanissimam hominum laudem, cùm hæcce dona non sint sua, sed gratuita Dei beneficia! *Quid habes*, exclamat *Apostolus*, 1. Cor. 4. 7. *quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Caveamus itaque ne gloriam & honorem Deo debitum nobis superbè & arroganter attribuamus. Hinc servus ille fidelis apud S. *Lucam*, Luc. 19. 16. cui Dominus suus mnam dederat ad negotiandum, redditurus Domino rationem; *mna*, inquit, *tua decem mnas acquisivit*; non dixit; *ego decem mnas acquisivi*, sed: *tua mna*, quia omne lucrum gratiæ Dei attribuit Justus, juxta Apostolum dicentem: *Incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3. Homo plantat, & irrigat, sed fructum facere ex divina gratia procedit. Quare non dixit Judith: *Ego caput Holofernis amputavi*, sed: *Dominus eum percussit per manum fœminæ. Judith.* 13. Viginti quatuor illi Seniores in *Apocalypsi* coronas sibi detrahentes ad pedes Agni deponebant; Sic quoque oportet, ut similiter faciamus, boni operis nostri honorem ad pedes JESU Crucifixi deponamus, dicentes cum Regio Psalte: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Psal* 113. 9.

29. Porrò, ut faciliùs vanam triumphemus gloriam, ejus vanitatem & fallaciam pensitare oportet, ne ab ea prius visi occidamur; comparatur enim vana gloria communiter basilisco, qui tametsi tale venenum visu homini afflet, ut eum enecet: si tamen serpens regulus eum priùs conspexerit, illum interficit; sic si vana gloria à nobis priùs conspiciatur, è conspectu nostro emorietur, nullùmque nobis damnum inferet; oportet ergo hunc basiliscum vanam scilicet gloriam ut nos ipsi primò intueamur, attentè, inquam, & seriò consideremus, & examinemus, ipsam hominum opinionem & æstimationem nihil esse præter pauxillum venti

& vanitatis, cùm ex ea nihil nobis accedat, aut decedat, nec propterea futuri simus meliores, quod ab aliis laudemur, nec deteriores, quod nos maledicant & persequantur. Optimum igitur foret hac in parte cum mundo agere, ùt pater quispiam discretus cum parvulo filio agere amat; parum ille curat, utrum ab eo laudetur, an vituperetur, imo ridet, quia puer est, & quid agat, nescit. Sic nostrum est laudes mundi, & ea quæ homines dicent, parùm morari: in hoc enim mundus instar pueri est, & nescit, quid dicat.

30. S. *Pachomius* consueverat (ùt scribit S. *Hieron*) procul à suo monasterio orationis causâ ad loca remotiora descendere, qui cùm inde reverteretur, vidit aliquot dæmonum catervas, & inter alios audivit nonnullos palpones imperantes aliis: *Date locum homini* DEI. *Date locum homini* DEI: hâc enim viâ ad superbiendum, & altum quid de se præsumendum inducere satagebant. Sed ipse his omnibus major, viciſſim eos exsibilabat, ridebat, & despiciebat eos; eò minùs verò intumuit ex dato sibi hujusmodi titulo. *Homo* DEI, quia sciebat illum provenire à dæmone, sibi insidiante. Unde qui ab hominibus applausus & laudes recipit de suis bonis operibus, intelligat, & sciat ejusmodi laudes esse instigationes fraudulenti serpentis, proinde irridendus & exsibilandus est. Notabile prorsus est, quod in hoc genere scribit *Climacus*. Diabolus (inquit) Monacho cuidam cogitationes malas, quibus alium infestabat, aperuit, idque non aliâ intentione, quam ut, dum tentatus ex alio mentis suæ cogitationem audiret, eum ùt Prophetam haberet, & ùt Sanctum laudaret, ac deprædicaret; ut hâc ille laude auditâ magnum quid de se præsumeret. Unde patet, quanti faciat diabolus, ut hæc superbia, & vana complacentia in animos irrepat, cùm tot technis támque multiplici machinâ ad eam hominem impellere studeat.

31. *Surius* in vita S. Severini 8. Januarii refert de magno quodam Sancto, quod cùm multi ex diversis mundi partibus ad eum accurrerent infirmi, præcipuè verò à dæmonibus obsessi, ut ab iis liberarentur, timens vir Sanctus pungentem stimulum vanæ gloriæ, Deum exoravit, ut & ipse à dæmone obsideretur, quod & obtinuit, & à maligno spiritu, uti reliqui, tamdiu vexatus fuit, quousque liber evasit ab omni vana gloria, simúlque à dæmone exemptus fuit. Aliud exemplum ex lib. Doct. *Patrum* lib. 6. contra inanem gloriam num. 3. in hæc verba refertur. Audivit aliquando Judex Provinciæ de Abbate Moyse, & perrexit in Scete, ut videret eum. Et nuntiaverunt seni de adventu ejus, & surrexit, ut fugeret in paludem. Et occurrit ei Judex ille cum suis, & interrogavit eum dicens: Dic nobis senex, ubi est cella Abbatis Moysis? Et dixit eis: Quid vultis eum inquirere, homo est fatuus & hæreticus; & veniens Judex ad Ecclesiam, quid de Abbate Moyse audierat, Monachis narravit, qui inde contristati sunt dicentes: Qualis erat senex ille, qui hæc de Sancto homine locutus est ad vos? Et illi dixerunt: Senex vetustiſſimis vestimentis utens, longus & niger. Et illi dixerunt: Ipse est Abbas Moyses, & quia noluit videri à vobis, ideo hæc vobis ipse de se dixit. Et multùm ædificatus Judex discef-

discessit. Hìc cogitare debemus: Si ita solicitè viri Sancti vanæ laudis occasiones fugerunt, quantò magis nos pusilli nobis ipsis timere debemus, ne à Superbia, & vana gloria apprehensi, animæ ac salutis incurramus periculum?

32. Ulteriùs ad profligandam animi Superbiam, & vanæ gloriæ luem, præsentissimum nobis reliquit alexipharmacum S. *Isidorus Abbas.* Nam quoties cogitatio illi dicebat; quia magnus es, respondit, nunquid talis sum, qualis Antonius, aut certò Abbas Pambo, aut reliqui Patres, qui DEO placuerunt? Et quoties hoc cogitabat, mox malam hanc inimici suggestionem à se pepulit. Pariter dum stygius tenebrio superbiâ, sive vanæ gloriæ titillatione ob aliqua virtutum exercitia nos tentare aggreditur, vel mundus nos laudibus adornat, nos agamus oportet, recurrendo videlicet ad Sanctorum vitas, eorúmque heroica acta & facta diligenti mentis obtutu contemplando; hâc enim methodo facilè tela ab orco in nos emissa retundemus, dum cognoscemus mortificationes nostras, & quæcunque demum alia religiosa exercitia nihil fermè esse in comparatione eorum, quæ viri Sancti pro DEI gloria peregerunt.

33. Simili quasi stratagemate fortissimus quidam Christi Athleta Superbiam vicit; nam dum fortè (ut *Climacus in scala Cæli.* grad. 25. memorat) magnis passibus ad virtutes conquirendas festinaret, impuri dæmones laudem in corde illius subseminabant. At ille divinâ inspiratione motus, malignorum spirituum nequitiam pio & religioso compendio vincere aggressus est. Descripsit enim in cellulæ suæ pariete altissimarum virtutum appellationes, putà perfectæ charitatis, profundissimæ humilitatis, Angelicæ castitatis, mundissimæ orationis, & aliarum id genus. Cùm ergo hujusmodi cogitationes eum extollere occipiebant, dicebat tentatori; eamus ad argumentum, eáque virtutum nomina legendo percurrebat. Cúmque legisset: *Charitas perfecta*: ait: Charitas quidem; sed ah! quomodo perfecta, quia fratribus meis subinde asperiùs, & non sine stomacho respondeo. *Profundissima humilitas*; hanc ipse nondum habeo; imò vel profundâ contentus forem; nondum certè primum ejus gradum sum consecutus. *Castitatem Angelicam* forsan possideo? minimè, quia spurcas cogitationes plurimas, quin & motus subinde pravos in mea carne experior. Et quid dicam ad *mundissimam orationem*? Heu quàm frequenter in eadem præ torpore obdormisco, & aliena longè mente pertracto. Sícque ad reliquas virtutum appellationes sibi respondebat, quo peracto, seipsum his affatus est: Noveris frater, postquam omnes has virtutes perfectè nactus eris, te servum inutilem dicere, & reputare debebis, juxta illud Redemptoris JESU monitum: Luc. 17. 10. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis: dicite servi inutiles sumus.* Sic hostem tartareum abigens, nobilem de superbia & vana gloria victoriam reportavit. Hæc omnia modò dicta, quò meliùs & clariùs intelligantur, adhuc quædam de præsenti materia afferre oportet.

Sit ergo



# PARS QUINTA.

34. IN dubium revocari non debet, quin homo aliquo modo gloriari possit, id enim palàm liquet ex hoc Apostoli textu, nam nulli, ne glorietur, prohibuit, dicit enim: *Qui gloriatur.* Veruntamen in quonam hæc gloria radicata & fundata esse debeat, explicat idem Apostolus, sic subjungens: *In Domino glorietur.* Super quæ Apostoli verba *S. Bernardus* texuit Sermonem, quem exorditur hisce verbis: Noverat Apostolus gloriam propriam Creatoris esse, non creaturæ, sed consideravit rationalem creaturam adeò affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit, quippe quæ ad imaginem facta est Creatoris. Propterea saluberrimum adinvenit consilium dicens: Quandoquidem nobis persuaderi non potest, non gloriari, saltem *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Sed quæres; quid sit gloriari in Domino? Respondet *D. Anselmus* apud *Cornel. à Lapid.* in ep. 1. ad Cor. c. 2. ℣. 31. *Ille in solo Domino gloriatur, qui cognoscit non suum, sed illius esse, non solum ut sit, sed etiam ut nonnisi ab illo benè sit sibi, à quo habet, ut sit.* Respondet secundò *aureus Orator* apud cit. Author. in ep. 2. ad Cor. c. 10. ℣. 17. Quòd nimirum ille non in se, sed in Domino gloriatur, qui omnia dona naturæ & gratiæ DEO veraciter refert, illique omnem gloriam dat, & ad illius laudem & gloriam omnia dirigit.

35. Ex qua doctrina sequitur corollarium notatu dignissimum, nimirum eum, qui aliàs quascunque injurias, & dedecora pro Christi amore toleranda affectat, eáque oblata ridenti prorsùs ore excipere solet, malè & contra perfectionem religiosam non agere, si aliqua, quæ ad propriam commendationem & laudem aliquátenus faciunt, proferat, dummodo non vanæ gloriæ captandæ gratiâ, sed purè ad majus Dei obsequium, in aliis promovendum, & bonum animarum adaugendum hoc fiat. Sic Apostolum Paulum fecisse videmus, dum in Epistola 2. ad Corinthios cap. 11. & 12. seipsum laudare & commendare, ac magna quædam illustriáque de se commemorare incipit; gratias, quas à Domino acceperat, referendo; tum etiam quod cæteris Apostolis plùs & abundantiùs laboràsset; hinc etiam visiones, revelationes & raptus, quibus ad tertium cælum evectus fuerat, enarrat. Verùm non alia de causâ ad hanc narrationem delabitur, quam quòd ita tunc ad Dei honorem, & eorum, quibus scribebat, utilitatem expedire, & necessarium esse censebat, ut sic illi eum pro Apostolo Christi haberent, & æstimarent, ejúsque doctrinam admitterent, ac ex ea fructum aliquem caperent. Sic multos alios Sanctos & viros omninò perfectos egisse, & specialiora quædam gesta, singularésque à Deo sibi concessas prærogativas ad aliorum utilitatem & fructum enarrasse, non pauci historiarum libri testantur; hinc quia nihil vanæ laudis sibi propterea arrogabant, sed omnem honorem, ab aliis sibi allatum, in Deum purè referebant, plurimùm inde laudandos & venerandos fore, nemo negabit.

36. *S. Franciscus*, qui aliàs lutum in massam redegerat, ut sic pro fatuo haberetur, honorémque eluderet, quem ei oppi-

oppidani, quos adibat, deferre parabant, aliud oppidum alio tempore ingressus, summo honore ab incolis ejusdem exceptus est; etenim certatim vestes, manus & pedes ejus, ipso nullatenùs renitente, sed immobili persistente, sunt exosculati. Socius hoc honore eum delectari putavit, unde hoc suum judicium de S. suo Patre conceptum, invalescente tentatione, ei aperire ausus fuit. Cui vir Sanctus respondit: *Adhuc longè minùs honoris hi deferunt, quàm eos deferre decet.* Quod responsum adhuc magis ipsum torsit, & offendit, quod ipsum non intelligebat. Tum *Franciscus*: *Honorem, quem mihi deferri vides, nullatenus mihi arrogo, sed Deo omnem adscribo, intra vilitatem meam me continens: ipsi verò inde meritum sibi parant, quia Deum in creatura venerantur, & agnoscunt.* Quo dicto Frater acquievit, & Patris sui Sanctitatem cœpit demirari. Ita referunt *Chronica* Fratr. Minorum p. 1. lib. 1. cap. 37.

37. S. *Antonius Abbas* (ut *Petrus Sanch.* in reg. Dei p. 7. testatur) tantùm in amore Dei profecerat, ut Abbati *Ammonio* dicere ausus sit: Nunc tandem non timeo Deum (intellige servili timore) Cùmque *Ammonius* diceret: Et quare tu tanti æstimaris ab hominibus, cùm tamen ego plùs multò laborem, & agam quam tu? Respondit S. *Antonius*: quia ego etiam Deum plus diligo, quàm tu. Et hoc dicebat sine vana gloriatione. Unde liquet regulariter improbandum non esse, quandoque in spirituale aliorum commodum & emolumentum, absque omni tamen vanæ gloriæ appetentia, de se ea proferre, unde postmodum ab aliis pluris æstimetur. Nihilominus tamen, cùm similia de se ipso commemorare, neque tamen inde superbire, nec vanæ alicujus delectationis, & complacentiæ titillationem sentire, magna & rara sit perfectio, quæ ex profundissima sui ipsius cognitione ortum ducit, cui proinde illud adscribere licet: *Eccli.* 31. *Quis est hic, & laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita sua*; Ideo nobis, qui adhuc pusilli, & à tali perfectione & Sanctitate longè absumus, hac in parte periculosa foret hæc res; Itaque consultiùs fecerimus, si attentas præbeamus aures *Melleo Doctori*, sic in formula honestæ vitæ peroranti, & consulenti: *Nihil unquam de te loquaris, quod laudem importet, quantumcunque sit familiaris ille, cum quo loqueris, imò plus labora celare virtutes, quam vitia.*

38. Porrò in *Specul. Monach.* idipsum iteratò commendat dicens: *Loquens nihil dicas, unde multum eruditus, multumve Religiosus possis putari*; id est, in genere id omne, quod quoquo modo in laudem tuam possit cedere, cave proferas; est enim id imprimìs periculosum; Nam esto id ipse verè possis dicere, & ejus auditione sint alii non parùm ædificandi, atque adeò in aliorum bonum & spirituale commodum dicere tibi videaris, nihilominus ad ipsum reticendum satis est, quod tuum sit; certum enim est, magis te de proprio bono & commodo gaudere teneri, quàm de bono proximi: nam benè ordinata charitas incipit à se ipsa. Cùm ergo similia reticendo non exiguum emolumentum nobis accrescat, cur de hoc non magis gaudemus, quàm de fructu adhuc incerto, quem fortassis inde audiens metet? Oportet ergo in hoc cautissimè semper procedere, ne boni, quod egimus, jacturam hac ratione faciamus. Qua in re pulcherrimo nobis præluxit exemplo gloriosissima Dei Mater, quæ cùm ex Spiritûs Sancti obumbratione Filium Dei in castissimo suo utero concepisset, nulli prorsùs, neque etiam

ipsi

ipſi Joſepho Sponſo ſuo,ut tradit S. *Thom. de Villa-nova*, revelare voluit altiſſimum hoc ſecretum, tametſi ipſum videret totum anxioſum, ſcirétque ad ipſum pertinere cæleſtis illius partûs educationem; ſed expectavit tempus, quo ei ex parte Dei Patris per cæleſtem nuntium hoc ipſum declaratum fuit.

39. Quamobrem ſi Mater Dei, quæ plus Sanctitatis habuit, quam omnes homines ſimul, ut aſſerit *Cornel. à Lapid.* in ep. ad Rom. c. 5. ℣. 19. & quæ ne venialiter quidem unquam peccavit, ita reticuerit ea, quæ ad propriam commendationem & laudem pertinebant; quanto potiori jure idipſum nos agere convenit, qui molles & cerei quodammodo ſumus ad ſuſcipiendam & retinendam evanidam hominum laudem? Saluberrimum proinde nobis inſtillat monitum *Seraphicus Doctor* dicens: *Nunquam de ſcientia, vel de ſæculi ſtatu te jacta.* Id eſt, nihil proferas unquam, è quo te colligant alii eſſe vel ſcientem, vel peritum, vel aliquibus ingenii dotibus, & particularibus talentis inſtructum: nihil quoque agas, unde aliàs magnus in ſæculo fuiſſe appareas. Egregiè hac in re ſe geſſit S. *Arſenius*, qui tametſi in ſæculo vir eximius, litteriſque præclarè cultus fuiſſet, utpotè in præceptorem Arcadii Filii Imperatoris Theodoſii electus. Ex quo tamen Monachus factus eſt, nullum unquam verbum protulit, quod antiquum ſæculi decus ſaperet, aut è quo doctrina, quâ pollebat, colligi poſſet; ſed tantâ cum reliquis Monachis humilitate & ſimplicitate converſabatur, ac ſi litterarum omnino fuiſſet ignarus, imò è ſimpliciſſimis quibuſdam Monachis res ad ſpiritûs profectum ſpectantes percunctari non gravabatur, in altiſſima hac ſcientia ne diſcipulum quidem eorum appellari ſe mereri, dictitans.

40. Porrò ut efficaciùs quis moveatur ad abſtinenda propriæ laudis verba, præmeditatè legiſſe juverit ſequentem hiſtoriam. Refert *Gregorius Magnus* l. 3. dialog. c. 33. de Eleutherio viro Sanctitate conſpicuo, quod in itinere conſtitutus, nocte ingruente coactus fuit divertere ad vicinum Monaſterium Religioſarum Virginum, in quo morabatur puer à maligno ſpiritu vexatus, unde rogarunt eum Religioſæ Virgines, quatenus miſerum hunc puerum in ſuo cubiculo nocte illâ dormire permitteret. Permiſit; Interrogatus die ſequenti, utrùm puer rumorem aut ſtrepitum nocte illâ excitaſſet? Reſpondit, nullum. Informatus deinde de ſtatu hujus obſeſſi, ad inſtantiam Virginum duxit illum ſecum ad ſuum monaſterium, ubi & liberatus fuit. Verùm contigit poſt aliquot dies Eleutherium in hoc facto gloriari apud Monachos ſuos, eíſque vanâ correptum gloriâ dixiſſe: *Ecce quàm egregiè diabolus illuſit illis Monialibus, hic puer adhuc illis cohabitans obſeſſus erat, at modò liber eſt ab omni malo.* Vix hæc dixerat, & dæmon iteratâ vice ſubitò invaſit puerum. Unde errorem ſuum advertens *Eleutherius*, cum omnibus Monachis dedit ſe orationibus, rigoroſis jejuniis, humilliméque hujus jactantiæ, & vanæ gloriæ petiit veniam & remiſſionem, eámque obtinuit; in cujus rei ſignum dæmon rurſus ex corpore illo migravit, & diſceſſit. Hinc ergo patet, quantùm DEO diſpliceat, proferre ea, quæ in propriam commendationem aliquo modo cedunt, tametſi nonniſi à jocante & nihil mali intendente proferantur, ut Abbas iſte ſua protulit.

41. Conſultum proinde eſt, nihil effari omninò, quod propriam ſpirat laudem;

laudem; quod si verò nonnunquam ad aliorum ædificationem dicere aliqua, quæ nobis contigerant, meritò censemus, id in persona tertia referre suadetur, exemplo S. *Pauli Apostoli*, qui suum ad tertium cælum raptum per 14. annos celavit; quando verò necessitas eum compulit hunc manifestare, non eum in propria sed in tertia persona dicere voluit 2. Cor. 12.: *Scio hominem ante annos quatuordecim raptum hujusmodi usque ad tertium cælum.* Ut nimirum omnem à se amoveat ostentationis umbram. Hujus S. Apostoli vestigiis inhærebat Magnus ille vir, *Joannes Avila*, hic (ut refert *Rodriquez* p. 1. tr. 3. c. 6.) si quando cum aliquo divinis de rebus loquebatur, eique quidpiam pium ædificationis, & spiritualis profectûs causâ enarrandum putabat, quod sibi aliàs contigerat, id velut de tertio quodam sic referebat, ut alter illud de Avila dici minimè intelligeret. Certò excellentissimum stratagema contra vanam gloriam, & tam in bonum proprium, quàm in utilitatem proximi summoperè conducens. Verum enim verò, si Sanctorum vitas & gesta pervolvimus, videbimus fermè omnes citato passu à vana gloria fugere, omniqne curâ gratias, à Deo sibi concessas, solicitè occultare, & alto tegere silentio. Et non immeritò, prudenter enim metuebant, ne sibi contingeret, quod *Ezechiæ* Regi Juda evenisse ex lib. 4. Regum c. 20. intellexerant. Hic quod domûs tuæ thesauros Regis Babylonii legatis ostendisset. *Ostendit eis domum aromatum, & aurum & argentum & pigmenta varia, unguenta quoque & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis.* Mox audivit ab *Isaia Propheta*: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui usque in diem hanc, in Babylonem, non remanebit quicquam, ait Dominus.* Et sicut prædixerat ei *Isaias*, omnia evenerunt. Pari modo non rarò contingere nobis solet, dum spirituales animæ nostræ thesauros aliis, tametsi nullâ perversâ intentione, manifestamus. Est enim hoc in negotio dæmon astutissimus, qui sæpè pietatis ac virtutis specie nos fallit, solet etenim semper in medio tritici seminare Zizania; id est, dum nos Sanctam planè intentionem, similia in utilitatem aliorum proferendi, principiò habuerimus, hanc tamen adeò vafrè quandóque nobis minimè advertentibus, depravare, & vanâ gloriatione inficere solet, ut operis, quod jam rectâ intentione egimus, hoc modo fructum & meritum amittamus. Hæc de fuga Superbiæ, & vanæ gloriæ dixisse sufficiat; nunc gradum promoveamus ad alteram Superbiæ filiam, scilicèt hypocrisim, ut perspectâ ejus malitiâ, faciliùs hoc vitium, in Religiosorum Asceteriis communiter nidificare solitum, pessundare & penitus destruere valeamus. Sit ergo



# SERMO XXII.

## DE HYPOCRISI.

*Attendite à fermento Pharisæorum, quod est Hypocrisis.* Luc. 12. 1.

## PARS PRIMA.

1. UT à definitione discursum nostrum exordiamur, sciendum, quod *hypocrisis nil aliud sit, quàm simulatio, quâ quis se justum simulat, vel justiorem ac sanctiorem quam sit.* De hujus vitii fuga nos commonefacit Incarnata Sapientia apud S. *Lucam* dicens: *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Nec immeritò, quemadmodum enim in mari magis nocent rupes sub aqua latentes, quàm apparentes, etenim has navigantes cavent, illas effugere nequeunt; Ita hypocritæ plus damni faciunt occultato vitio, quàm aperti mali. Sic hæretici per hypocrisin, & Sanctitatis colorem plurimos induxerunt in fraudem, & de facto inducunt. Antichristus etiam, qui malorum est coriphæus, induetur hypocrysi. Propterea dicit Salvator: *Attendite*, quia malum ingens est, & vitium occultissimum; hypocrisi enim & fictione suâ innumerabiles hæretici longè majus fidei Christianæ intulêre damnum, quam Pagani persecutionibus suis. Unde & quidam modernus Interpres ita appositissimè loquitur (*Hector Pintus* in Isa c. 9.) *Hypocrisis est capitalior & perniciosior apertâ iniquitate, quoniam in virtutis imagine delitescit.*

2. Commune S. P. *Aug.* de hoc vitio tractantis hoc circumfertur axioma: *Simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas.* Quam eandem veritatem aliis licèt verbis insinuat dum ait: Sunt septem simulationes, quæ virtutes esse se simulant, & mentiuntur, quæ ideo sunt nequiores vitiis apertis, quia majorem habent perversitatem. Inter alias, S. *Joannis* in Insula Pathmos exhibitas visiones, una quoque notabilissima fuit de quadam muliere manibus poculum abominatione plenum portante: *Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione.* Quem textum S. P. *Aug.* Tom. 9. hom. 14. in Apoc. ad hypocrisin applicans, ait: *Aurum immunditiarum hypocrisis est, quia foris quidem parent hominibus quasi justi, intus autem pleni sunt omni immunditiâ.*

3. Talis erat ille Solitarius, de quo S. *Antoninus* Summ. Theol. p. 2. tit. 4. c. 7. §. 4. discurrens, eum in tanta refert apud omnes fuisse opinione, ut orationibus suis mundum conservare crederetur,

tur, à cujus proinde morte magnæ timebantur dependere ruinæ, & calamitates; sed successum audiamus ex ipsiusmet S. Archipræsulis verbis: Qui hypocrita erat, visus est in morte à quodam S. Eremita (qui suâ solitudine divinitùs eductus per lupum, qui eum per vestes trahens in civitatem deduxit) quod dæmones advenirent pro anima ejus, & dictum fuit uni eorum: educ miseram illam animam de corpore per violentiam, & qui nunquam passus est, me quietè habitare in ea propter hypocrisin suam, sic cum violentia & inquietudine ducatur ad inferna; subitò unus dæmonum emisit uncinos ferreos per os ejus, & cum maxima violentia illam de corpore extraxit, quam multitudo dæmonum sequebatur verberando, & cum magno impetu deducendo ad inferos.

4. Neque minus terribilem historiam refert *Bernardus Luxenburgensis* in historiis S. Dominici; Nam in Diœcesi Brixiensi quondam vixit homo tantæ famæ & existimationis, ut velut alter S. Joannes Baptista propter innocentiam & vitæ austeritatem crederetur, ideóque ex Provinciis variis innumerabiles ad eum venerandum concurrebant homines, in veritate autem hæresi & hypocrisi infectissimus erat; obiit cum conceptu, & opinione optimâ, cum qua vixerat, ast quia infallibile est illud Christi axioma: *Nihil opertum, quod non revelabitur. Matth. 10. 26.* Ideo animadverso errore ejus per inquisitores, postquam eum per testes sufficientes, & sufficienter examinatos, tanquam hæreticum condemnassent, de consilio & consensu Episcopi cadaver ejus effodi jussum est, ut ossa impii in omnium conspectu comburerentur, quæ cùm super ignem projecta essent, subitò à manibus invisibilibus sublevari, inque aëre sustentari visa sunt, idque mediantibus dæmoniis. Populus itaque id DEI miraculum esse credens, qui servum suum defendere intenderet, incandescens contra Episcopum, ejusque ministros, & condemnationis executores, cùm sententiam iniquam judicaret, eos interimere decrevit; Ideòque perterritus Præsul fugam inire statuit; sed à suis subitò animatus, causam Dei, Fideique Sanctæ propugnare statuit, inque eundem finem Sacrificium offerre Agni immaculati; Missam itaque celebravit in honorem Virginis MARIÆ, de qua Ecclesia cantat: *Cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.* Sed quem tandem tragœdiæ hujus putas fuisse exitum? Cùm corpus Christi elevaretur ab Episcopo, dæmones in aëre exclamare auditi sunt: *O Quido de Lacha, te hucusque, quantum potuimus, defendimus, sed amplius non possumus, quia major nobis adest.* Moxque in ignem ossa ceciderunt, & combusta sunt, & fides ab omnibus exaltata, ex quo diaboli dolus facili negotio perpendi potest, quámque multos in suam trahat nassam per homines hypocritas, qui Apostoli dæmonis meritò nuncupari possunt.

5. *S. Jeremias* Propheta de hypocritis, tanquam ab hæreditate cælesti exclusis, disserens cap. 12. ỷ. 19. inquit: *Nunquid avis discolor hæreditas mea mihi?* Ubi alia quædam versio legit: *Nunquid cornix?* Pro cujus intelligentia servire potest illa, omnibus passim nota, corniculæ fabula, dum enim hæc ab omnibus volucribus pennas aliquas sibi mutuâsset, adeò effecta est pulchra & elegans, ut ab omnibus concordibus votis in volucrum reginam fuerit electa; singulis verò avibus, postmodum pen-

nas suas ab ipsa repetentibus, ipsa penè nuda, omnibus facta est in derisum & improperium; Idipsum quoque cuilibet animæ hypocritæ & fictæ eveniet, quando in novissimo Judicii die coram oculis cæli & terræ, defectus & fictiones illius, peccata item occulta, deceptiones, cordis sui perversitates manifestabuntur, tunc námque omnibus manifestum fiet, omnia jejunia, eleëmosynas, austeritates, cunctáque alia, quæ actiones virtuosæ esse videbantur, nil nisi mera fuisse peccata, tunc certè in quandam confusionis, & erubescentiæ sepelietur abyssum.

6. Quòd similiter aliquis sub vexillo Capitanei cujusdam conscriptus, apparenter quidem suam probet fidelitatem, occultè verò cum inimico colludat, ejúsque conatibus faveat, nunquam id ipsum tanta cum circumspectione facere poterit, quin tandem dolus ejus manifestus evadat, & in aliorum exemplum atrociter castigetur, prout ex historiis sæpiùs factum fuisse constat: Eodem modo licèt hypocritæ se sub Christi vexillo militare simulent, furtivè tamen & occultè inimici infernalis partes sustinent, hunc tamen dolum diu continuare vix poterunt, quin cum maxima eorundem confusione in publicum erumpat. In exemplum nobis est quædam mulier, quæ ad privatum suum oratorium puellas convocatas stupro lenonum objiciebat. Historiam enarrat *Josephus Mansi* tr. 33. disc. 8. (ex cujus tractatu pleráque, quæ in præsenti discursu refero, excerpsi) In civitate quadam principali mulier quædam, quæ magnam fingebat Sanctitatem, ínque domo sua oratoria fabricabat, instituens devotiones, ad quas primariæ Matronæ concurrebant; sic in secretioribus ædium stationibus dimorabantur, quasi minorem inibi inter orandum passuræ distractionem; sed non sine maximo earum muliercularum dedecore, & infamia postea compertum fuit, quod in eas per portas secretas viri introducebantur, muliebribus inescati amoribus, qui proinde inibi impuris earum fruebantur amplexibus. Ecce tibi abominabiles fœtus, quos parturire amat mater hypocrisis, ecce vitiorum congeriem, quam suo in utero circumfert.

7. DEUS suum quondam *Prophetam Ezechielem* in templum invitasse scribitur, atque præcepisse: *Ezech. 8. 6. Fili hominis fode parietem, & cum fodisset, apparuit ostium, & dixit ad me, ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.* Historiam hanc ad nostrum possumus accommodare propositum dicentes: *Nescitis, quia templum* DEI *estis?* 1 Cor. 3. 16. *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti?* 1. Cor. 6. 19. Vivum DEI templum est Christianus; qui igitur in sagacem quendam & callidum hypocritam suos conjecerit oculos, exteriores quidem operationes ejus judicabit ex timore Dei procedere, hominísque esse, pietatem, modestiam, & honestatem colentis: sed in apparentia exteriori nequaquam subsistere debemus, ideóque dicitur: *Fode parietem, & ingredere & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt.* Introeamus curiosiùs, reperiemúsque hypocrysin ùt plurimùm omnium vitiorum habere sibi annexam societatem. Hanc ob causam æterna Sapiéntia hypocritas sepulchris assimulat, dum ait: *Matth. 23. 27. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa,*

*intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitiâ.*

8. Sepulchra Magnatum pretiosis forinsecùs exornatur marmoribus, statuis, sculpturis, simulachris, variósque continent encomiorum & elogiorum expressivos characteres, in laudem eorum, qui ibi sepulti jacent; Ast si tumulum aperueris, nihil nisi cineres, vermes, ossa arida, tineísque plena invenies. Ecce tibi ipsissimam hypocritarum proprietatem; Forinsecùs námque putabis hominem virtutis magnæ, humilitatis profundæ, sed si veritatem penetrare vis, ad cor descende, reperiésque hunc unicum tantæ humilitatis, & exinanitionis esse scopum, ut majorem sibi comparet existimationem & venerationem. *Est qui nequiter se humiliat*, ait *Siracides* Eccl. 19. 23. *& interiora ejus plena sunt dolo.* Ad hanc sepulchrorum allusionem sese reflectens Author operis imperfecti hom. 45. ita discurrit: *Sicut sepulchrum quamdiu clausum est, pulchrum videtur foris, si vero apertum fuerit, horribile est; sic & simulatores bonorum, quamdiu non cognoscuntur, laudabiles sunt, cùm autem cogniti fuerint, abominabiles sunt.*

9. Ulterius hypocritas aptissimè assimilare possumus struthioni; Struthio enim quantumvis plumis instructus sit, nihil tamen volat, nec à terra se elevat; sic hypocrytæ, etsi similitudinem sanctitatis habeant, quia tamen vitiorum pondere onerati sunt, à terra non possunt surgere, nec ad Deum volare more bonorum. De his jam olim Deus per *Isaiam* 29. 13. querebatur dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Sic verè faciunt hypocritæ; multa enim opera faciunt orationes frequentant, vigiliis insistunt, variis mortificationibus vacant, quibus Deum placare, & laudare, eíque gratum obsequium deferre creduntur, sed hæc laus, taléque obsequium in labiis duntaxat consistit, id est, in externis actibus, corde verò, intentione scilicet Deo purè placendi longè sunt à Deo.

10. In *S. Matthæo* legimus, quod Christus vice quadam ficulneam adiens fructum in ea quæsierit, quem quia non reperit, maledixit ficui dicens: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* Matth. 21. Porrò per hanc ficulneam infructuosam intelligit S. *Bernardus* hypocritas, qui, quia non nisi folia, id est exteriorem apparentiam sanctitatis habent maledicuntur, ut in æternum fructus afferre non possint. Audiamus ipsissima mellisflui Doctoris verba: *An ignoratis*, inquit, S. *Bern.* serm. 20. in Cœna Dom. *amantissimi mei, quod esurierit Dominus, vidit secus viam ficulneam magnam, latam & spatiosam, habentem folia & frondes, qui in ea non inveniens fructum maledixit ei, & arefacta est? Sic est omnis hypocrita, qui speciem sanctitatis habet, & virtutem non habet sanctitatis, qui palliat sanctitatem in veste, quam non habet in mente.* Talem maledictionem incurrit Monachus ille, quem omnes (ut à *S. Greg.* l. 4. dialog. c. 28. proditum est) vulgò ùt Sanctum suspiciebant. Hic morti factus vicinus fratres omnes ad se vocat, quibus ipse toto corpore tremens, animæ suæ statū patefecit, dixítque, se jam æternæ damnationi addictum esse, quod omnia sua opera non nisi mera hypocrisis & simulatio fuissent; nam cùm à fratribus jejunare credebatur, tunc clam, nullo conscio, egregiè manducare consueverat. Unde ajebat, nunc ad devorandum draconi traditus sum, qui suâ caudâ mea genua, pedésque colligavit, caput verò suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens extrahit. Quo dicto infelix sine pœnitentia obiit.

11. Væ igitur, iterúmque væ hypocritis! Quis non satis intelligit ex hucusque dictis, quantùm divina sæviat justitia in hoc vitium? quis non distinctè & dilucidè percipit & perspicit, quanto Deus odio hypocritas prosequatur ac ab eis longissimè gratiarum & misericordiarum suarum charísmata abscondat,& alienet? Profectò hujus peccati gravitas tanta est,ut incarnataSapientia in universo historiæ Evangelicæ volumine, nullum vitium adeò frequenter reprehenderit, & arguerit, quam hoc hypocrisis peccatum, adeò ut in uno solo cap 23. *Matth.* Christus scribas, & Pharisæos, hâc leprâ contaminatos, non semel sed octies acriter reprehenderit, iísque per verbum hoc *Væ*, sempiternarum ærumnarum expressivum, æternam comminatus fuerit damnationem. Quisquis ergo cum hypocritis æternùm perire timet, ne in eorum numero sit, caveat oportet. De qua re continuò plura.

# PARS SECUNDA.

12. CLaravallensis Abbas illam *Jeremiæ Prophetæ* cap. 17. imprecationem: *Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos,* ad hypocritas pertinere asserit, dum ita scribit: *Duplici contritione conteruntur hypocritæ, quando & hìc pro temporali gloria temporaliter se affligunt, & in futuro pro interna superbia ad æterna supplicia pertrahuntur.* Falsi Prophetæ Baal, videntes, quod ignis super ipsorum sacrificium è cælo minimè descenderet; *incidebant se juxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* 3. *Reg.* 18. 28. Qui utique felices & fortunati fuissent, si vel unicam duntaxat sanguinis stillulam pro Dei amore effudissent, qui pro unico calice aquæ frigidæ, in ejus nomine administrato, æternam promisit remunerationem; nunc autem pro tot vulneribus & tam copioso sanguine, aliud nihil præter æternæ retributionis barathrum promeruerunt. Quot sunt hypocritæ, qui cruentas disciplinas faciunt, per jejunia se extenuant, in continuis orationibus genua sua callo obducunt, ídque solùm, ut sibi in oculis mundi hujus opinionem acquirant, *quia omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Matth.* 23. 5. Proin S. P. *Aug.* de illis ait: *Hypocrita multa sustinet, multa portat, & fortis in cunctis apparet, sed væ hypocritæ, quia venando mundi gloriam, æternam pœnam meretur.*

13. S. *Bernardus* ad Simonem Cyrenæum se reflectens, hoc contra hypocrisin adducit motivum, dum ait: *Væ portantibus Crucem, non sicut Salvator suam, sed sicut Cyrenæus alienam.* Hypocrita equidem in judicio finali plurimos videbit damnatos, alios propter ambitionem, alios ob avaritiam & extorsiones, alios ob odium & vindictas, propter adulteria, incestus, blasphemias, aliôs, sed omnium maximè mirabile erit, quod ipse quoque, qui nil aliud, nisi honorem zelavit & laudes Dei, ejus sanctum invocavit nomen, animas convertit, in vigiliis, austeritatibus, & rigoribus sudavit, nihilominus & ipse cum iis ad infernum condemnatus sit propter eadem opera, virtute quorum Electi ad dexteram vocati sunt. Hæc omnia damna hypocrita incurrit propter defectum rectitudinis bonæ intentionis; ideóque apud S. *Matthæum* Salvator protestatur *Matth.* 7. 22. inquiens: *Multi dicent mihi in illa die; Domine*

*mine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam vos novi; discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Veruntamen si tot virtuosa & pia fecêre opera, qualiter ipsis dici poterit: *Discedite à me, qui operamini iniquitatem?* Respondetur: *Quia omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*, non Deum, sed superbiæ vitium, mundíque applausum pro objecto habentes.

14. Dum Noë Arcam ex præcepto divino fabricaturus esset, verisimile est, Sanctum hunc senem præter filiorum suorũ ope pariter indiguisse externorum in hac fabrica consummanda. Quâ veritate suppositâ, dubium occurrit non leve, qualiter scilicet laboratores illi, scientes arcam contra diluvium deservituram, timorem Dei non induerint, & juxta dictamen Dei & rationis vixerint? Cur non & ipsi arcam intrare contenderunt? Responderi potest, eos ad solum attendisse laboris stipendium. Ita quoque hypocritæ in Arca Ecclesiæ laborant quotidie, qua Sacramenta administrando, qua verbum Dei divulgando, qua studendo, qua disciplinam & observantiam religiosam zelando, sed in his omnibus applausus & conceptus quærunt mundi. *Omnia faciunt, ut videantur ab hominibus.* Atque ideo extra arcam excludentur. Opportunè admodum ad intentum nostrum facit, quod *Borerius* in suis Annalibus An. 1612. scriptum reliquit. Religiosus quidam inter Capucinos, ut in vita nomen sibi conciliaret inter suos, maximè Superiores, multam probitatem simulavit. Vacabat quoque nocturnis precibus sic, ut ad matutinum etiam lassus à via surgeret, cùm esset ipsi licentia dormiendi. Quibus de causis non semel ad officia ac dignitates pervenit, ad quæ intus unicè aspirabat. At quid tam occultum, quod non suo tempore revelatur? Contigit, ut in valetudine sat acri corriperetur: monitu proinde suorum, quasi sacrâ Confessione mentem expiaturus, Patrem sibi præ aliis familiarem accersivit. Quo præsente, & expectante æger ad eum dixit: Cùm de salute mea actum sit, nolo confiteri; obsecro te tamen, ut fratribus interrogantibus dicas, me esse confessum. Cui Pater, quid ita? an times mihi aperire conscientiam? Et ægrotus: quid opus est confiteri, cùm actum sit de salute animæ meæ? Ad quod Pater multis eum hortari cœpit, ut spem in Deum clementem ac misericordem poneret; fontem gratiæ fluere omni viventi, & alia plura eidem suggessit. Ast æger ad omnia surdus & induratus; Frustra est, ait, justo Dei judicio condemnatus sum, etenim annis tot internis deditus vitiis, inanem gessi speciem probitatis, nunquam enim verè confessus sum; hinc iram Dei in me concitavi sic, ut nec possim confiteri, nec si confiterer, acceptum Deo esset. Simúlque linguam morsu in frusta dissecuit, horrendúmque clamavit: O maledicta lingua, cui semper grave erat aperire mea crimina! Justam proinde nunc Dei vindictam experire dissecta in partes. Quibus dictis frustula linguæ cum sanguine exspuit, atque inter absonos clamores animam ejecit. Sic infelix religiosus, si tamen religiosus appellandus, condignam suæ hypocrisis mercedem retulit.

15. Quamobrem cùm hypocrisis Deo planè odibilis inter pios & spirituales homines suum communiter quærat diversorium; majoráque causet damna, quàm aperta vitia, (ut superiùs num. 1. diximus) ideo nobis benè invigilandum erit,

erit, ne hypocritis commiſceamur, & cum illis ſocietatem habeamus, quemadmodum monet Salvator dicens: Matt. 7. 15. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos, in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces*; Tales enim lupi rapaces ſunt hypocritæ, ideò omni ſtudio fugiendi. Veruntamen cùm difficile ſit diſcernere inter hypocritas, & verè virtuoſos, cùm enim hi in veſtimentis ovium incedant, neque doloſum eorum cor inſpici valeat; ideo monet rursùs Salvator: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Quia (teſte *Doctore Angelico*) vix aliquis hypocrita poteſt eſſe ita compoſitus, ut non appareat aliquid malitiæ vel verbo vel facto; *quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus*. *Prov.* 27. Igitur *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, quia ſicut torrentes in hyeme copiosè fluunt, in æſtate verò non comparent, ſic hypocritæ, qui falſas ſuas virtutes in proſperitate oſtentant, in adverſitatis æſtu ſiccantur, & quales ſint, oſtendunt; hi enim non malè aſſimilari queunt pſittacis, qui, dum doloris omnis expertes, & hilares ſunt, ad imitationem hominum loquuntur, garritúmque aliarum avium ſimulant; moleſtati verò, vel percuſſi ejulantur ùt pſittaci, propriam ſequentes naturam; Sic hypocritæ in proſperitate imitantur Sanctos, & more eorum loquuntur, gerúntque ſe probos exteriùs, ſed injuriis affecti dant indicia ſuæ naturæ, ita quippe inflammantur, ut vindictam ſitiant. Audiamus hac de re diſcurrentem S. *Antonium Patavinum* ſerm. in Dom. 8. poſt Trinit. *Attendite*, inquit, *à falſis Prophetis* (ſubintellige ab hypocritis) *qui, ùt dicit Gloſſa, maximè per impatientiam diſcernuntur in tempore adverſitatis; Cùm enim proſperitas arridet, ſub pelle agnina corda lupina latent; ſed cùm adverſitas flaveſcit, pellis ovis laceratur.*

16. Ex *fructibus eorum* &c. *Diſcipulus* in quodam ſer. 100. in Dom. 8. poſt Trinit. hoc novum hypocritas cognoſcendi ſignum adducit, inquiens: *Cognoſcuntur etiam, quod nimis humilia de ſe ipſis dicunt, & eadem ab aliis de ſe dici audire nolunt, ſicut aliqui dicunt: Ego ſum malus & peſſimus, ſed ſi hoc alius de illis proferret, hoc non ſuſtinerent, ſed protervis verbis contradicerent.* In cujus confirmationem exemplum cujuſdam mulieris adducit, quæ vitam ſpiritualem magnis paſſibus ſecundùm apparentiam ſeſe currere oſtendebat; quæ Confeſſarii ſui ſæpius ſe recommendabat precibus, ut pro ſe intercederet, utpote tantorum criminum reâ, tamque malæ vitæ fœminâ, ut propter peccata ſua non modò ſibi, ſed & aliis ſeverum timeret infligendum ſupplicium. Tunc Sacerdos, uti vir diſcretus voluit experiri, utrùm tanta humilitas vero niteretur fundamento? unde ſanctitatem ejus probaturus dixit, ſe quoque ab aliis hoc ipſum audiviſſe, tempus proinde eſſe, ut ſeriò ſe emendet. Quo audito, illa immediatè commota dixit: Mentiris ad collum veſtrum, & quicunque vobis dixit, vel de me talia locutus, ſimiliter mentitur, quia nunquam fui talis, ſicut vos aſſeritis: Tunc ſacerdos humiliter reſpondit, dicens: modò ego intelligo tuam ſuperbiam & hypocriſim, quia tu loqueris de te ipſa, quod ab aliis dedignaris audire. Fictiones igitur, & deceptiones hypocritarum ex ſuperbia, & exiſtimatione propria procedunt; Ideóque ſervi Dei, quanto majoribus abundarent cæleſtium donorum & gratiarum theſauris, tanto magis coram oculis mundi ſe occultabant, ut applauſum fuge-

fugerent; è contra vero hypocritæ *magnificant fimbrias, amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis.* Matth. 23.

17. *Ex fructibus eorum* &c. Id est, inquit *Dionysius Carthusianus* : *ex operibus eorum cognoscetis, quales intrinsecus sint, quia si diligenter considerentur, inveniuntur, vani Religiosi, non humiles, sapientes in oculis suis & proprii sensûs, non veraciter patientes, sed pleni privato amore, & aliquibus singularibus vitiis deformati : se spirituales ostentant, alienas reformant domus, novas condunt leges, à quarum observantia seipsos eximunt, dicente Cœlesti Magistro, alligant onera & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* De his similiter sic loquitur S. *Prosper* l. 2. de vita contempl. c. 4. *Ad reprehendendos alios prompti se non patiuntur à quibuslibet vel leviter reprehendi, suorum actuum negligentes, fiunt aliorum procaci libertate censores.* De iisdem apud S. *Matthæum* cap. 23. dicitur: quòd sint *excolantes culicem, glutientes camelum, vident festucam in oculo fratris, trabem in oculo suo non considerant.* Quibus verbis (ùt S. *Thomas* ait) notatur eorum nimia severitas, non quidem erga semetipsos, sed erga alios, alienorum namque errorum rigorosissimi sunt censores.

18. *Ex fructibus eorum* &c. Cognoscuntur enim hypocritæ ex qualitate vitæ, inquit *Abulensis* de hypocrisis indiciis disserens: Quia hypocrita non est bonus nec vult esse bonus, sed solùm videri bonus, ideo verè malum operatur, sed studium suum est illud malum occultare, & bonitatis speciem prætendere; si tamen solicitè inquirat, faciliter inveniet, hypocritam non esse id quod apparet, licèt aliquando solicitè caveant, ne videantur opera sua, non possunt tamen semper ad hoc esse attenti, & ideo interdum ipsi se manifestant, quia falsa non possunt diu latere. Idem quoque doctissimus Author ulteriùs dicit, quod hypocritæ nonnunquam opera sancta & perfecta operentur; quia tametsi voluntatem, ut sint virtuosi & Sancti, nequaquam habeant, attamen ad virtuosè operandum ab æstimatione & opinione mundi, quam desiderant, se inescari permittunt, dicit enim: *Tamen tunc etiam cognoscuntur ex operibus, quia non manebit diu bene operans, intendit enim gloriam hujus sæculi, & non futuri; operari autem bonum est difficile, unde nisi quis firmiter speret vitam æternam, illam præponens cæteris, non potest diu bene operari.* Aducitque sequens *Divi Chrysostomi* testimonium, dicentis: Facile hypocritæ capiuntur, via enim, quâ jussi sunt ambulare, laboriosa est, hypocrita autem laborare utique non eliget, & sic capitur ex fructibus, id est, ex operibus, & isti sunt fructus carnis, de quibus *Apostolus* ad Galatas 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt immunditia* &c. Porrò hocce vitium curatu est difficillimum; tum quia hypocritæ, ut sæpe dictum, fateri suas culpas nolunt, tum quia corrigi recusant; nam teste S. *Gregorio, paratiores sunt mori quam redargui.* Hæc de pessimo hoc vitio pro nostra instructione, & cautela annotasse suffecerit.



# SERMO XXIII.
# DE AMBITIONE.

*Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Luc. 16. vers. 15.

## PARS PRIMA.

1. QUin Ambitionis vitium multos ab alto virtutum culmine latenter, & quasi insensibiliter dejiciat, ac in irremediabilem æternæ perditionis ruinam deturbet, res adeo videtur liquida & certa, ut à nemine in dubium vocari possit; Siquidem id plurimis in locis asserit sacra Pagina, roborant Sanctorum Patrum dicta, demonstrant fide digna exempla non pauca, ut ex præsenti Sermone patebit. Proinde de hoc Ambitionis vitio Sermonem facere lubet, ut perspectis, quæ in eo latent, periculis, nobis cautè advigilare possimus, ne alioquin ab eodem transversùm acti pereamus, quemadmodum alios periisse ex mox dicendis constabit. Inprimìs autem Ambitionis vitio (quod nihil aliud est secundùm *Divum Thomam* 2. 2. quæst. 131. art. 1. quàm inordinatus appetitus dignitatis, & honoris non debiti, aut debitô majoris) attribui poterit illa Sapientis (*Proverb.* 14. 12.) protestatio: *Est via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Via hæc, est inordinatus honorum & dignitatum affectus, seu ambitio, quæ licèt sit prava, ambitioso tamen videtur honesta, justa & recta: at via hæc reverà devia est à recto, à salute, à cælo & Deo; Quia quò magis eam sequuntur ambitiosi, eò magis à recto & cælo aberrant, ac tandem rectà in mortem tum culpæ, tum gehennæ descendunt.

2. Quanquam autem ambitio non statim ducat hominem ad peccatum mortale, & gehennam, cùm ambitio (ùt docet *Sanctus Thomas* supra citatus) ex suo genere tantùm sit peccatum veniale; ab ea tamen sibi non cavens, sensim à minoribus ad majora progrediens, tandem in peccatum mortale prolabitur, cui continuò assuescens in eo obduratur, & consequenter DEO odibilis & invisus redditur secundùm illud *Proverb.* 16. *Abominatio Domini est omnis arrogans*, seu (ùt habet versio *Hebraica*) *elatus corde*, quales esse censentur ambitiosi, qui, dum honores & dignitates modô illicitô & contra rationis præscriptum appetunt, Creatori suo se odiosos faciunt, prout Cælestis Magister, Christus Dominus, audien-

audientibus Scribis & Pharisæis ambitiosis & arrogantibus, apertè docuerat, dicens: *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Luc. 16. Quid dici possit clariùs in odium & detestationem eorum, qui ambitiosè per fas & nefas alta semper ambiunt loca, nescio. Certè Luciferum non ob aliud crimen legimus descendisse ad inferos, nisi quia ascendere voluit supra astra Dei; quia ambivit Divinitatem, amisit beatitatem; appetivit alta scandere, & in ictu oculi fecit illum Deus in ruinam sempiternam cadere. *Qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam &c. Veruntamen in infernum detraheris, in profundum laci. Isai.* 14. 13. Hunc Luciferi lapsum contemplans *Oleaster*, ait: *Voluit Lucifer ascendere supra astra cæli, & ecce descendit ad ima sepulchri, sepultúsque est in inferno.*

3. Ambitio itaque est horrenda lues, vel (ùt melius dicam) ebrietas maxima, quæ intellectum creatum omni privat ratione, eúmque obfuscat, ut extrema sua pericula haud intelligat, juxta illud *Jessæi Prophetæ* effatum; *Ps.* 48. 13. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Proindequamvis Serpens infernalis multas habuerit vias, quibus hominem decipere posset; verè enim multos poterat tendere laqueos, quibus ambos Protoparentes nostros prædam sibi faceret; noluit tamen eos aliter infestare, quam per viam ambitionis, sciens hoc stratagema esse efficacissimum ad eosdem prosternendos. Suggessit igitur illis, quod divinitatem consequerentur, si de ligno vetito comederent; unde dixit ad eos Serpens infernalis *Gen.* 3. 5. *Scit Deus, quod in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii.* Ubi ad nostrum propositum sic discurrit *Moyses Barcephas* Episcopus Syrus, prout in Bibliotheca *Veterum Patrum* legitur: *Existimandum non est, cibi illius sapore illectam Evam violasse Imperium DEI, sed quod speraret se Deam fore, Divinitatémque affectaret, & ipsam edisse, & viro porrexisse.* Ita habetur Tomo 1. cap. 19. de Paradiso.

4. Verùm quanam ratione persuadere sibi unquam poterant, quod bolus pomi alicujus Divinam illis naturam communicare poterat, quàm incommunicabilem esse sciebant? Quomodo comminatæ illis atrocissimæ mortis pœnæ metum deponere poterant? Ita quidem reverà est, sed ambitio intellectum totaliter obfuscat, rationem turbat, nec ulla ratione discurrere permittit. Unde Orator Aureus S. *Chrysostomus* hom. 16. in Gen. optimè ait: Calicem exitiali veneno plenum mulieri dedit, quæ lethiferum hoc esse videre noluit, poterat enim, si voluisset, ab initio hoc scire, sed ùt audivit ab illo, quod ideo esum hunc prohibuisset Deus, quia sciret oculos ipsorum aperiendos, eósque sicut Deos fore æqualis divinitatis, spe inflata magna quædam secum concipiebat, ut divinitatem mente suâ imaginata est, ad esum properavit, & nihil aliud considerabat. *Moyses* quoque *Barcephas*, loco paulò antè citato, de *Adamo* scripsit, quod ab ambitione sese excæcari permiserit. Nisi illâ affectione (inquit) perturbatum animum habuisset, facilè hæc atque hujusmodi alia apposuisset uxori argumenta; Cur non serpens, qui nobis divinitatem ex arbore gustata promisit, prior ipse edit, Deusque evasit? Jam vero neque te, ut edisti, Deum factum video, quî possim ego divinitatem sperare, si edam? Et quî valeat arbor, quæ etiam

ſpiritu caret, Deos efficere qui veſcantur? Nec tamen, ut idem Author ſubjungit, nullam harum rationum Evæ repoſuit, cujus ratio ab eodem vetuſto ſcriptore adducta, hæc eſt: *nimirum, quia etiam ipſe divinitatis cupidine victus per vecordiam tenebatur.*

5. Ex quibus liquet, quàm gravia in mundum invexerit mala ac damna ambitio, & quàm nobis connaturale ſit vitium, ita ut quaſi omnes homines, ſi non multùm, ſaltem parùm ambitioſi exiſtant; quia affirmante S. P. *Auguſtino* ſuper Pſal. 1. *non ferè quiſquam eſt, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam.* Nec alterius eſt mentis *Sanctus Ambroſius* libro 4. ſuper *Lucam* inquiens: *Sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubruere; facit ambitio criminoſos.* De hoc vitio ſcribit *Sanctus Paulus* (1. Timoth. 6. 10.) *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Quem textum *Sanctus Gregorius* ſic explicat, dicens: *Cùm ſcriptum ſit: Radix omnium malorum eſt cupiditas; cui cupiditas Dominii dominatur, ſubjectus procul dubio malis omnibus demonſtratur.* Cujus aſſerti veritas per relationem aliquorum exemplorum magis roborabitur: *Aërius* Hæreſiarcha, inquit *Sanctus Pater Auguſtinus* libro de hæreſibus, quod Epiſcopatu fruſtratus eſſet, cœpit aſſerere Sacerdotes eſſe pares Epiſcopis. *Arrius* quoque, quod Epiſcopatum ambiens, cum non fuerit conſecutus, ab Eccleſia Catholica ſe ſeparans, totius Arrianæ hæreſeos caput & author extitit. *Tertullianum* quid Montaniſtam effecit? niſi quod (ut notat *Baronius*, *Pamelius*, & alii) mortuo Agrippino Epiſcopo, ambiens Epiſcopatum Carthaginenſem, eò exciderit? Sic etiam Lutherus, Calvinus, Dudecius & alii, primas Cathedras, vel purpuram, aut pallium ambientes & repulſam paſſi, apoſtatârunt, & inter Novantes primatum quæſierunt. Denique ſi hiſtoriarum volumina luſtrabimus conſpiciemus innumeros in virtute, & doctrina claros viros ob ambitionem miſerabiliter divinâ excidiſſe gratiâ, ſac in omnium vitiorum abyſſum devolutos eſſe. Ex multis unum libare lubet exemplum, quod refertur in Annalibus Capucinorum ad Annum 1535. quod ſic ſe habet.

6. *Pater Ludovicus à Foſſambruno & Pater Matthæus à Baſſio* tam feliciter, quamvis non ſine ingentibus difficultatibus & perſecutionibus, imò carceribus aliiſque ſine numero injuriis, quas à Pat. Joanne de Fano Franciſcanorum Provinciali perpeſſi ſunt, (qui tamen poſtmodum & ipſe pœnitentiâ ductus à *Patre Ludovico* tunc Ordinis Generali ſuſcipi petierat, & impetrârat) reformationem PP. Capucinorum Anno 1525. inceperunt, ut paucis poſt annis eorum Ordo longè latéque non ſine multarum animarum ſalute, Catholicæque Eccleſiæ emolumento, fuerit propagatus. Cæterum P. *Ludovicus* fuit primus Capucinorum Generalis, communiſque omnium Pater à ſuis electus, quique ſui Generalatûs munia, & vices omnes dexterrimè explevit, ſuâque ſanctimoniâ, & virtutum ſplendore innumeros Chriſto filios peperit, cúmque Ordinem ad 10. jam circiter annos ſapienter ſanctéque gubernâſſet, coactum fuit juſſu Pontificis generale

rale Capitulum, in quo P. *Ludovicus* egregium de observantia monastica sermonem habuit, séque simulavit ex desiderio religiosæ quietis à munere Commissarii Generalis totaliter alienum, tametsi id interiùs minimè sentiret; dum igitur Patres rogaret, alium in Generalem eligerent, & illi nullum suspicati dolum, vel ambitionem in *Ludovico* latere, eum ab omni officio liberum, ùt fictè optârat, reliquerunt, & neque in Definitorem, multò minùs in Generalem eum elegerunt, id quod adeò ægrè tulit *Ludovicus*, ut sibi maximam irrogatam esse injuriam crediderit; Unde sicut antè pro Religionis augmento, ita nunc pro ejusdem interitu laborare cogitavit, idque palàm etiam professus; nam suggestum conscendens, magna cum furia & indignatione Patres simul in unum congregatos in hæc verba fuit affatus: *Ego sum Ludovicus ille de Fossambruno, ego Ludovicus Tanaglia, multa hactenùs machinatus sum, pluraque machinari prævaleo, & machinabor deinceps quamplurima; ad quorum famam sive rumorem pili capitis vestri erigentur.* Quibus dictis de pulpito descendens, omnes præsentes attonitis similes reliquit. Cúmque Pater Generalis Neo-electus cum reliquis Patribus Ludovicum accederet, & coram eo se humiliaret, dictitans, eum semper ùt suum Patrem veneraturum, nihílque aliud de Generalatûs dignitate ei fore defuturum nisi solum nomen, simul pollicitus, se sine ipsius consilio & auxilio nihil attentaturum. Sed neque hâc tantâ P. Generalis submissione, neque reliquorum Patrum supplicatione, dura hominis ambitiosi, & arrogantis cervix flecti, aut emolliri potuit. Quin imò ad certum quempiam Cardinalem accedens, bonos Patres injustissimè denigrabat, dictitans, eos esse superbos, factiosos & ambitiosos, sibíque vota perperàm procurâsse. Cardinalis fidem *Ludovico* adhibens, rem totam ad summum Pontificem defert, à quo impetrabat, ut sequenti anno rursùs generale convocaretur Capitulum; Qualia verò boni Patres inde pati debuerunt, eloqui facilè nequit. Nam P. *Ludovicus* interea aliquos simpliciores fratres ad suam traxit partem, cum quibus majorem austeritatem simulans, in aliquo deserto extra obedientiam vixit, & schisma in Religione, & scandalum apud exteros omnes, non sine notabili Patrum Capucinorum infamia & dedecore concitavit. Cæterùm cùm præstitutum ad Capitulum celebrandum tempus advenisset, ordinavit Summus Pastor quendam Cardinalem, qui Capitulo præsideret, hic postquam Patribus ferventem de bona electione fecisset exhortationem, data sunt vota; & ecce rem miram, quamvìs enim longè plures essent vocales, quàm anno præterlapso erant, tamen rursùs unanimi votorum consensu electus fuit idem Generalis cum iisdem Definitoribus, neque ullum votum habuit P. *Ludovicus*. Unde Cardinalis collegit falsa esse, quæ de bonis Patribus à *Ludovico* spargebantur. Quin imò eum admonuit, ut reverentiam & obedientiam Generali exhiberet, séque submitteret, rancorem immeritò erga Patres conceptum deponeret; ast suâ quamvis saluberrimâ admonitione Cardinalis aërem verberare visus, nihil promovit. Patres cùm hominis duritiem inflexibilem esse adverterent, neque bonis & suavibus verbis quicquam proficerent, seriò eundem ad resipiscentiam adhortati sunt; ast ille in sua pertinacia cùm obduruisset, & obriguisset, Patribúsque pessima quæque semper minaretur, Religionis

tandem habitu privatus à suis, quos antè velut Pater susceperat, & educârat, meritò à S. Religione exclusus fuit. Qualem verò obierit mortem, nihil constat; facilè tamen augurandum, infaustam fuisse.

7. Quis non ex hoc infelicis hominis lamentabili lapsu satis intelligat, in quantam malorum abyssum ambitio hominem etiam pium & sanctum deturbare soleat, quantísque salutis æternæ perdendæ periculis exponat. Dicit proinde rectè Os aureum *Chrysost.*: *Quicunque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in Cælo; & inter servos Christi non computabitur, qui de primatu tractaverit.* Rationem verò hujus assignat *Didacus Stella* p. 1. c. 25. his verbis: *Difficilè est stare in alta dignitate, & carere cogitationibus elatioribus*: Quare cùm Deus alta & magna de se sentientibus resistat, & ambitiosi tales esse convincantur, ideò rectissimè infertur, similes à Deo in horrendum inferorum barathrum deturbari, juxta illud Luc. 10.: *Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata es, sed usque ad infernum demergeris.*

8. Rem satis notatu dignam hìc lubet referre, quia, quo loco, convenientiùs illius fieri queat memoria, non novi. Accidit Neapoli in quodam Conventu S. Dominici (ùt scribit *Antonius Senensis* in Chronicis Prædicatorum, ad annum Domini 1570.) ut post completorium refectionis locum frater ingrederetur, cui erat illius cura commissa. Qui mox in ingressu videt illum fratribus circumquaque refertum, & illi cappas habebant indutas, & tanquam hora esset collationis faciendæ, illámque exspectarent, sedebant. Quo viso Frater sine mora ad Priorem cucurrit, & illud ei aperit. Prior fratrem delirum, & somnia narrantem ratus, attamen dum urgetur, vadit, videt & credit; & ille quoque turbatur, & rem mox confert cum gravioribus Monasterii Patribus, de quorum consilio Sacras vestes assumit, sanctissimúmque Christi corpus deferendo, toto Conventu comitante, se illuc confert, & ad illum, qui honoratiori loco sedebat, sermone directo, eos adjurat, ut aperiant quinam sint, & ad quid venerint, & quid velint? Et, ut ad hæc respondeant, illis præcepit in nomine illius Domini, quem gestabat in manibus. Tunc ille qui cæteris præesse videbatur, respondens dixit: quod ipsi omnes fuerant ejusdem Ordinis Religiosi, & pro majore parte Magistri, Priores, Suppriores, Doctores, Baccalaurei, Lectores, & aliis officiis donati, & quod omnes damnationis sensentiam acceperant, quoniam ambitio multa, Superbia, invidia, & alia hujusmodi generis vitia eos fecerant damnatione digos: Sed quod divinâ permittente Clementiâ jussi fuerant illuc venire, ut eos, & universi Ordinis cultores commonefacerent, ut suæ vocationi facerent satis. Nam illi, qui minimè id præstiterant, omnes damnati erant, & flammis cremabantur æternis; & in signum hujus omnes suas tunicas aperuerunt, & singuli eorum flammis circumcincti, & incensi visi fuerunt, & tunc idem præcipuus manu in mensa signum dedit, & sic illa visio evanuit, totum Conventum timore consternatum relinquens.

9. Verùm, quis nunc tragicum hunc eventum diligenti mentis acie contemplans, non totis exhorrescat viribus, non expavescat, expallescat, cùm videat tot religiosos viros, rarâ doctrinâ inclytos, singularibúsque dotibus, & prærogativis exornatos, insuper sub tam Sancto Duce militantes, æternaliter propter ambitionis vitium præcipuè periisse? Certe dubitari

tari minimè debet, quin eorum multi æternæ damnationis sententiam securi evasissent, si religionis munia non ambiissent. Nostrûm proinde erit ex aliorum irreparabili damno fructum carpere, ut scilicet meliùs nobis consulamus. Quid enim miseris illis profuit, æternæ mortis suæ pœnas nobis indicare? certè nihil, sed hoc divinâ dispensatione factum est ad nostram eruditionem, ut nimirum nobis diligenter caveamus, ne altos dignitatum ac officiorum fasces ambiamus. Qua in re ingenti cum fervore hisce nos verbis adhortatur S. *Chrysost.* hom. 2. ad Tit.: *Non quæramus honores, imò eos, cum oblati fuerint, repellamus, & abjiciamus à nobis, & hujusmodi concupiscentiam extinguere omnibus modis studeamus: Ista nos ad Principes, & ad subditos dicimus: Anima omnis, quæ honoris tenetur appetitu, & gloriam ab hominibus quærit, non videbit cælorum regnum: non mea hæc ratio est, à me ipso ista non loquor, hæc verba Dei Spiritus profert.* Hæc S. Doctor. Hinc planissimo sanè consilio Sacræ Constitutiones nostræ: quò huic malo, ex ambitione emananti, aditum præcluderent, sanciunt, ut omnes Sacram professionem emittere volentes, quartum votum, videlicet humilitatem contra hunc virulentum hostem, ambitionem puta, emittant; Si igitur officia & munia, per hoc votum prohibita, prætendendi tentatione pulsaris, recogita, quid Deo coram omnibus Angelis promiseris, recogita, quod *Deo summè displiceat stulta & infidelis promissio*; sicque ad cor tuum per humilitatem redi omne ex eo ambitionis toxicum propulsans. Hæc parænesis, quò solidiores in corde tuo agat radices, irriganda est attentâ consideratione, quanta nimirum animæ pericula in Prælationibus abscondita lateant, id quod demonstrabimus paragrapho sequenti.

# PARS SECUNDA.

10. QUin omnis prælatio circumquaque animæ periculis circumsepta sit, non tantùm respectu malorum & ambitiosorum hominum, verùm etiam respectu bonorum, & ad prælationem à DEO legitimè vocatorum, palàm liquet tùm ex Scripturis divinis, tum ex Sanctis Patribus. Et inprimìs quidem demonstratur hæc assertio ex Sacris Canticis, ubi anima fidelis Prælati & boni ad Prælaturam vocati, hoc agnoscens, & plangens, dicit: Cant. 1.: *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me: posuerunt me custodem in vineis.* Et quid secutum inde sit, subjungit: *Vineam meam non custodivi.* D. *Gregorius* verba ista exponens, dicit, per vineam intelligi actionem nostram, factam in utilitatem animæ propriæ, quæ impeditur, dum per prælationem aliorum attenditur actionibus, sed custodes (inquit *S. Doctor*) in vineis positi, nostram vineam non custodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus. Non insciteè etiam per hanc vineam anima propria intelligi potest, ùt intelligitur verbis illis *Isaiæ* 5.: *Vinea facta est dilecto meo; Exspectavit, ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Idem igitur est dicere. *Posuerunt me custodem in vineis*, ac dederunt mihi curam animarum, dum me elegerunt

gerunt Prælatum, & emolumentum indè collectum fuit, *vineam meam*, hoc est, *animam propriam non custodire*. Et sermo est de vocato, seu assumpto, & non se ingerente, ut clarè indicat modus loquendi Scripturæ, non enim ait: *Posui me*, sed *posuerunt me*. Igitur vocatus fuit custos aliorum, & per hoc desiit esse custos sui. Et ita intelligit expressè hunc locum *melleus Doctor*: *Non de vinea* (inquit) *sermo est*, *sed de anima*; *ergo anima cogitetur*, *cùm vinea legitur*. Ita *Bernard*. Serm. 30. in Cant.

11. Non immeritò proinde citatus S. *Gregorius* omnibus, præcipuè Religiosis, ne Superioritates sibi procurare satagant, salutare monitum dat, dicens: *Si nobis sub cura majorum positis, indesinens sanctæ vitæ studium, aut securitas magnæ conversationis arrideat, præesse tamen aliis non habeamus in appetitu desiderii, sed in magnitudine timoris*. In Annalibus Ecclesiasticis *Baronii* An. 595. n. 76. legimus *Martinianum* Monachum à S. *Gregorio Ravennæ* electum fuisse Episcopum, eò quòd multo tempore in monasterio cum eo vixerat, eandémque dignitatem multoties à se repudiasse viderat, Martinianum hunc tanquam salutis animarum procurandæ zelosissimum, summis laudum encomiis ipsum extulisse novimus. At verò, dum *Baronius* ulteriores Martiniani in Episcopatu eventus enumerare pergit, ita scribit: *Quem præsenti anno adeò laudavit Gregorius, eundem anno sequenti mense Martio reprehendere opus fuit: ita humanæ conditionis instabilitas fert, ut mutatione statûs mutari interdum homines, atque virtutes in vitia converti facilè possint*. Imò idem Episcopus adeò se ab avaritiæ labe coinquinari permisit, ut S. *Gregor*. l. 5. ep. 18. indic.: hisce ad eum verbis scribere coactus fuerit: *Te instanter admoneo, ut non plus pecuniæ, quàm animabus studeas*.

12. Degebat in Parthenone, quem S. *Cunegundis* Imperatrix & virgo suis ipsa sumptibus olim fabricarat, in eóque Monacham post mortem S. *Henrici*, Mariti sui, induerat quædam, neptis ejus, nomine *Jutta*, quam singulari charitate, curáque educârat, & omni virtutum genere imbuerat, & *Jutta* disciplinæ capacissima imitari Magistram gestierat, ut ob insignes animi dotes amata, denique etiam Antistita creata sit. Quid inde factum? Ecce dum aliis dominaretur, seipsam regere suásque passiones domare omisit, & à virtutis calle, quem cœperat, pedetentim deflexit. Quæ res S. *Cunegundem* graviter molestéque affecit. Itaque ut neptem graviter aliquando delinquentem pro merito castigaret, reliquásque monachas cautiores redderet, honore divini Numinis commota, durioribus verbis objurgatæ colaphum etiam infregit. Ad quem rigorem sic exercendum divinitùs instinctam fuisse vel inde patuit, quod percussæ facies in omnem vitam, percutientis digitos retinuerit impressos. Hinc ergo patet, occasionibus oblatis corda mutari, honoribus animas etiam religiosas inflari, officiáque subinde moribus etiam probis officere. Ita refert *Ribadeneira* in ejus vita.

13. Reverà verissimum est, quod S. *Bernardus* in declam. scribit: *Etsi*, inquit, *irreprehensibilis videtur ingressus*, *& intentio casta* (intellige ad officia & prælaturas) *nihilne ultrà timendum est? Timendum quidem & maximè*. Causámque hujus suæ resolutionis addit, dicens: *Neque enim quicunque spiritu cœperunt, spiritu consummant, sed carne nonnulli*. Hæcque causa est, cur Sancti, divino lumine præ-

prædi̇ti, pericula ſub honoribus latentia in quavis oblata occaſione devitare ſoliti fuerint. Unde *S. Chryſoſt.* in Pſ. 9. ait: *Nemo de Poteſtate ſibi magnificè placeat, locus enim eſt & lubricus & præceps, & eos qui etiam attendunt, facillimè ſubvertit.* Id quod ad oculum videre licet in Saule, de quo veridicus Spiritûs Sancti calamus teſtimonium fert, neminem in univerſo populo Dei electo fuiſſe, qui ad moderandum Iſraelitici regni ſceptrum Saule aptior eſſet vel melior, etenim innocens erat & purus, ſicut eſt unius anni infantulus: *Filius unius anni erat Saul cùm regnare cœpiſſet, electus & bonus.* 1. Reg. 13. 1. Et alibi dicitur: *Et non erat vir de filiis Iſraël melior illo.* 1. Reg. 9. 2. Et quantum tamen mutatus eſt abinde? adeò nimirum, ut *S. Gregor.* de eo ſic exclamet: *Saul ab humilitatis merito in tumorem Superbiæ culmine poteſtatis excrevit, per humilitatem quippe prælatus eſt, per Superbiam reprobatus, Domino atteſtante* 1. Reg. 15. *Nonne cùm eſſes parvulus in oculis tuis, caput te conſtitui in Tribubus Iſraël? parvulum ſe ante poteſtatem viderat, ſed fultus temporali potentiâ, jam ſe parvulum non videbat.* Ita Pontifex Sanctiſſimus. Accedit vulgaris parœmia:

*Honores mutant mores, ſed rarò in meliores.*

14. Alterum exemplum conſpicitur in Juda Proditore, de quo ſic quærit *Gerſon.* Cur Dominus Judam, quem caſurum ſciebat, elegit in Apoſtolum? Ego, inquit, *duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt?* Reſpondet, quæſtionem iſtam eſſe unam de illis, quas intuens Apoſtolus, reverenti ſilentio præteriens honoravit, exclamans: *O Altitudo divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ &c.* Hoc unum ſcimus, quod in Juda non cauſavit Deus improbam voluntatem proditionis ſceleratæ in eſſe maliciæ; attamen ipſe hâc malâ voluntate benè uſus eſt, tanquam Dei Sapientia, *attingens à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter.* Corripitur hîc ſtulta ambitio cordis humani proruens impavidè ad culmina dignitatum, quem honorem homo etiam vocatus, etiam electus à Deo non tutè, neque ſine multo cadendi diſcrimine ſuſcipit; Teſtimonio ſunt Judas, Saul, plurimique alii. Hactenus *Joannes Gerſon.* ad Eccleſiaſticorum cautelam Conſid. 4. tom. 2.

15. Cùm igitur ita res ſe habeat, quod etiam boni & legitimè aſſumpti ad Prælaturas, multifariis animæ ſuæ periculis nihilominus obnoxii ſint; Heu! in quale ſalutis perdendæ diſcrimen non ſe exponent ambitioſi, mali, & ſe ſponte & ultroneè ad officia ingerentes? Hanc Prælatorum fortunam, aleis expoſitam, optimè perſpectam habebat *Adrianus VI.* Pontifex maximus. Hinc cùm vice quadam interrogaretur, quod ſupplicium capitali hoſti imprecaretur? *Pontificatum,* reſpondit. Unde tale ei Epitaphium factum eſt.

*Adrianus VI. hic ſitus eſt,*
*Qui nihil ſibi infelicius*
*Quàm quod imperavit, duxit.*

*Leo IX.* ad extremum vitæ redactus, Confeſſario ſuo in aurem dixit: *Quàm melius fuiſſet mihi, ſi Monaſterii, quàm ſi cœli claves tenuiſſem.* Simile quid refert *Engelgrave* Dom. 16. poſt Pent. §. 2. dixiſſe *Paulum III.* ſummum Pontificem, qui animam agens, ſanctè aſſeverabat: *Mallem me ſubjeciſſe coco familiæ Capucinorum quàm hanc Deo proximam dignitatem decennio ſuſtinuiſſe.* Beatus *Pius V.* hujus nominis Papa, dicere quoque ſolitus fuit: *Cùm eſſem Religioſus, ſperabam benè de ſalute animæ meæ; Cardinalis factus, extimui;* nunc

*nunc Pontifex creatus penè despero.* Si porrò tanti viri, doctrinâ & Sanctitate conspicui, & à Deo singulariter ad Petri Cathedram evecti, nihilominus sub Pontificatûs onere sic ingemuerunt, ut potiùs se fuisse Janitores, coquósque, quàm Christi Vicarios, optarent; signum evidens est, Prælatum, quo majori in eminentia est, tantò etiam magis animæ suæ periculis subjectum fore.

16. Nostræ huic assertioni astipulatur S. P. *August.*, dum in aurea sua regula, omnes Præpositos de periculo suo commonefacere volens, quò sibi accuratiùs invigilent, dicit: *Quantò ergo in loco superiori, tantò in periculo majori versatur*, inferens periculum ex Superioritate, & majus ex Prælatione majori, & sermo est de bono & timorato Prælato, de quo paulò superiùs dixerat: *Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum.* Loquitur ergo de bono interiùs, & exteriùs, & tamen in periculo majori animæ dicit esse, & ex hoc miserum affirmat: præcipiens, ut illius misereantur subditi, dicens: *Ipsius miseremini*; Non enim miseratio est, nisi in miseria existentis. In miseriis sanè est, qui aliorum Superior est; nam, amabò, quæ miseria major esse potest, quàm subjacere non paucis periculis contrahendi peccata aliena? Et quod gravius malum invenietur in toto terrarum orbe quam peccatum? Est enim peccatum non solùm in se malum, sed causa omnium malorum. Ast in prælationibus cõstituti difficillimè sua munia absque peccati contractione obibunt, uti non obscurè jam insinuatũ.

17. Denique hanc doctrinam nostram suo quoque munit calculo S. *Thomas*, dum in hæc excurrit verba: *Qui magnæ potestatis reputantur, frequenter in se infirmiores sunt ex parte animæ, quia minùs potentes sunt resistere diabolo & vitiis.* Et paulò infra idipsum confirmat, dicens: *Status ille periculosùs est, quantùm ad animam, quia difficilè est in statu illo carere peccato.* Quid clariùs, quæso, ad rem nostram dici posset? Cùm ergo constet, nos sæpè sæpius hac sola de causa in varia prolabi peccata, quò Deus ùt Justus vindex puniat peccata præterita, à nobis perpetrata; idcircò appositè inferre licet, prælationem ad quam aliqui evehuntur, non rarò peccatorum suorum condignam fore pœnam, quemadmodum *Angelicus Doctor* loco citato rursùs his indicat verbis: *Potestas terrena, quâ homo super alios homines est, non est res naturæ, sed sequela culpæ.* Ita S. *Thom.* in Opusc. l. 1. de erudit. principum, cap. 1.

18. Si ergo ita res se habeat in Prælaturis, quàm stultum proinde erit, altas affectare dignitates? Sanè quisquis talis est, qui ad Religionis munia acquirenda aspirat, aut ea oblata læto hilarique (hac de causâ, quòd cæteris anteponitur, ac majori in numero habetur, plurísque æstimatur ac honoratur) complectitur animo, cæcus esse, omnísque salubris timoris expers convincitur; Præsertim cùm S. *Chysost.* hom. 34. ad illa verba Hebr. 13. *Ipsi pervigilant &c.* hoc idem periculum, quod in prælatione est, considerans, prorumpat in hæc notabilia & tremenda verba: *Miror, si posset salvari aliquis Rectorum.* Quod effatum S. *Doctor* ostendit quadam similitudine, ex qua satis confirmatum venit; dixitque tam difficilè posse Prælatum salvari, quàm difficile est, juvenem conversantem cum pulcherrima adolescentula non peccare. Quod dixit his verbis à S. *Bonavent.* in

meditat.

meditat. Chri. c. 36. relatis: *Tale quid est, uti benè honoribus, ac si aliquis cum puella speciosissima converseiur, & legem accipiat, ne in ipsam unquam oculos injiciat impudicos.* Quis erit, quæro, qui se contineat? ergo & quis erit in Prælatione, qui à peccatis contrahendis se satis defendat, & contineat? Nam ex tanto Doctore hæc se pariter habent. Hinc est, quòd S. *Bernardus* epist 42. illud ad Romanos cap. 11. *Noli altum sapere*, considerans, dicat: *In alto positum, non altum sapere, difficile est, & omninò inusitatum.* Proinde ambitio appellatur ab eo Serm. 6. in Psal. 90. *Virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium*; quia nimirum honores, in quos tendit, hominem etiam illuminatum excæcant, & virtutibus evacuant. Concludit proin *Bernardus*, ac dicit: *Tu ergo, si rectè sapis, desine sequi, quod consequi tam miserum est; desine optare, quod habere tam periculosum est.* Hanc fugam ut saltem secundùm animi affectum ineamus, Christi Domini, ac Sanctorum in sequenti parte proposita exempla consideràsse plurimùm juverit.

# PARS TERTIA.

19. SCribit S. *Joannes Evangelista* in capite 6to sui Evangelii, magnam populi Judaici multitudinem secutam fuisse Jesum trans mare Galilææ abeuntem; allectos nimirum fuisse miraculis ab ipso patratis. Hos omnes (etsi numerò fuissent quasi quinque millia virorum præter pueros, & mulieres) miraculosè in deserto quinque tantùm panibus hordeaceis, & duobus piscibus cùm saturâsset, simulque conspexissent, discipulos ejus ex his quinque panibus collegisse & implêsse duodecim cophinos fragmentorum, toti attoniti hoc miraculo decreverunt, & voluerunt eum hìc regem inaugurare, Messiam scilicet, quem Judæi putabant sibi daturum copiam frumenti, vini, olei, auri & argenti. Verum, ùt ait *Evangelista*: *Cùm cognovisset Jesus, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit in montem ipse solus.* Quod factum Salvatoris S. *Gregorius* contemplans ita parte 1. Pastor. cap. 3. scribit: *Quis principari hominibus sine culpa potuisset, quàm is, qui hos nimirum regeret, quos ipse creaverat? Sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solùm nos per passionem redimeret, verùm etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, Rex fieri noluit, ad Crucis verò patibulum spontè pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut membra ejus discerent favores mundi fugere.* Gregorium sequitur S. *Bonaventura*, qui hanc Christi Domini fugam considerans, in medit. vitæ Christi. c. 35. ita scribit: *Vides, quantô studiô, & cautelâ declinarit Regis honorem? Exemplum nobis dedit, ut & nos similiter faciamus, non enim pro se, sed pro nobis fugit.* Et motivum explicans subdit: *Cognoscebat namque, quantæ sit temeritatis, si ad honores aspiremus, honor enim de majoribus laqueis est ad captionem, & de gravioribus ponderibus ad animarum submersionem, quam ego cognoscebam.* Hæc S. Doctor.

20. Hanc D. Bonaventuræ Doctrinam non esse vanum commentum, aut hyperbolicam elocutionem, innumera docent exempla, ex quibus aliqua delibare juvabit. S. *Hieron.* dicit in regula Monachorum,

chorum: Quàm rarò per gradus dignitatum ascendit homo, quin multò gravius non descendat? Nolo ergo hoc pertransire exemplum, quod Sancto mihi referente sene in eremo ex veritate scivi. Cúmque Juvenis quidam sancto proposito & vitâ electus esset ad episcopale fastigium (quo gravius aliquid aut periculosius nequit cogitari) patruum suum quendam virum utique sanctum, & prophetiæ spiritu plenum eremi incolam, ut eum ad hoc consuleret, adiit non incautus. Auditâ itaque narratione Nepotis, vir sanctus non verbis, sed signis potius percontanti respondit, ne contra Apostolum, qui desiderantem Episcopatum in bono opere laudat, dissuaderet. Jussit igitur Senex quadratam mensam ascendere juvenem, & quater per quatuor mensæ latera supinum revolvere semetipsum usque ad oram casûs. Quod cùm non sine ingenti periculo juxta Senis mandatum se aliquoties revolvisset, jussit eum descendere, & per quandam latam planitiem diutius volutare. Cúmque ex multitudine volutationum utrisque eveniret fastidium: Surge, inquit, & vade quò vis, facitóque quod tibi securiùs cernitur. Dedignatus itáque Juvenis abscessit, & alteri Sancto Seni patrui deliramentum putans factum retulit; à quo de periculo imminente edoctus, electioni renuntiat, ut teneret quod tutum est. Qui post modicum fœlici obitu ex sæculo exiens hilaris & jucundus apparuit Patruo, & gratias, inquit, tibi Pater refero, & de dissuasione Episcopatûs. Nam scito, quod nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.

21. Aliud exemplum, ad nostrum propositum multum deserviens, refert *Thomas Cantipratanus* lib. 1. Apum cap. 20. part. 8. his verbis: Clericus quidam in Synodo Episcoporum prædicare compulsus, angustiabatur non modicùm, quidnam dignè posset coram tot Prælatis Ecclesiæ prædicare. At ubi accessurus, in oratione jaceret, venit ad eum diabolus, dixítque ei: Quid angustiaris istis Clericis prædicare? Dicas eis istud, & non aliud: *Principes infernalium tenebrarum Principes Ecclesiæ salutant: læti omnes nos gratias referemus eisdem, quia cum ipsis Prælatis, nobis eorum subditi offeruntur, & per eorum negligentiam ad nos ferè pariter devolvitur totus mundus.* Invitus quidem tibi dico quod dico, sed Altissimi jussione coactus. Respondit Clericus: Mihi quidem, si hæc narravero, non credent. Tunc diabolus tangens maxillam ejus: Ecce (ait) signum, nigredo insolita faciei. Hanc antequam prædices, non attingas, quia frustrà: post prædicationem verò aquâ benedictâ delebis. Processit Clericus prædicaturus in Synodo, & admirantibus cunctis in signo indito faciei, illa quæ sibi jussa sunt, recitavit, & ad horrorem maximum cunctorum corda permovit. Hæc Anno ab incarnatione Domini 1248. fuerunt Parisiis coram omni populo & Clero solenniter recitata. Hæc & similia alia exempla si bene perpendantur, facilè ex illis intelligere quilibet poterit, rectè asseruisse S. *Laurentium Justin.* de Justit. & Regim. Prælat. *Cathedra Pastoralis non est officium honoris, sed oneris; non securitatis, sed periculi.* Item S. *Chrysostomum* non absque basi solida scripsisse: *Mirabile est, si salvantur multi Prælatorum: plures enim damnantur in dignitate positi; qui salvarentur, si viverent privati;* proportionaliter enim multò plures in humili subditorum, quàm

quàm in altoPrælatorum ſtatu ſalvantur.

22. Hæc Salutis diſcrimina in aliorum Regimine paſſim obvia intimè perſpecta habebant viri ſancti divino ſpiritu afflati, unde non ſecus ac à conſpectu baſiliſci honoratiora munera & regimina ſubterfugere nullo non tempore contentebant ac laborabant. Hanc ob cauſam *S. Bernardus* Genuenſem ac Mediolanenſem, alióſque Epiſcopatus oblatos recuſavit. *Sanctus Thomas Aquinas* Archi-Epiſcopatum Neapolitanum, deferente Clemente IV. Pontifice recuſavit. *Sanctus Ephrem* Syrus ut Infulam Epiſcopalem à capitis ſui vertice propulſaret, fatuum ſe & amentem eſſe ſimulavit, nam fœdos in foro cœpit edere geſtus, hinc inde velut inſanus diſcurrit, ſuas veſtes dilaniavit, in publico manducavit, denique ita ſe geſſit, ut ab omnibus veluti ſtultus mentéque captus æſtimatus & dimiſſus ſit. *Ammonius* vir eminentiſſimâ ſanctitate conſpicuus, qui unà cum S. Athanaſio Romam venit, poſt omnem, quam potuit, reſiſtentiam, ne Epiſcopus eligeretur, tandem dexteram ſibimet ipſi amputavit auriculam, futurum inde omnino ſperans, ut à facta jam perſonæ ſuæ electione omnes electores divertere poſſet. Verùm cùm adhuc ita non poſſet Epiſcopale onus vitare, populo & Archi-Epiſcopo inſtantibus juravit, dicens: *Quia ſi me cogeretis, etiam linguam meam, propter quam diligitis me, abſcindo.* Quare relinquentes eum receſſerunt. Quid non etiam egit *D. Gregorius*, ne claves Eccleſiæ acceptare cogeretur? Hic in Romanum electus Pontificem, nec precibus, nec incredibili omnium ordinum conſenſu moveri potuit ad acceptandam dignitatem; cúmque exitum omnem obſeptum videret, in dolio exportari ſe fecit in vicinum montem, & in antro latuit. Sed columnæ igneæ indicio proditus, & in latebra deprehenſus, dignitatem acceptare coactus eſt. Non minùs etiam hoſce honorum faſces fugit *S. P. N. Auguſtinus*, ùt ipſemet teſtatur, de ſeipſo ſic ſcribens: Uſque adeò timebam Epiſcopatum, ut (quoniam cœperat jam alicujus eſſe momenti inter ſervos Dei fama mea) in quo loco ſciebam non eſſe Epiſcopum, ne illò accederem, caverem, & hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili ſalvarer, ne in alto periclitarer. Quâ ratione verò Epiſcopus factus ſit, indicat verbis mox ſubſequentibus: Veni ad iſtam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari poſſe Deo, ut nobiſcum eſſet in Monaſterio. Quaſi ſecurus perveni, quia locus habebat Epiſcopum. Apprehenſus & presbyter factus ſum, & per hunc modum ad Epiſcopatum perveni. Hinc ſanè liquet, quanta ſcilicet animæ pericula in Prælaturis & dignitatibus recondita ſint, aliàs profectò non tanto conatu & renitentiâ Viri Sancti, cæleſti lumine pleni, eaſdem refugiſſent.

23. Porrò, quod in præſenti ſingulariter notandum occurrit, eſt, quòd his animæ periculis non ſolum Epiſcopi, ac reliqui Eccleſiæ Prælati, ſed & Religioſorum, ac Monachorum Superiores ſint obnoxii; incedunt enim omnes hac in parte pari paſſu, quanquam alii in majori, alii in minori verſentur periculo, juxta illud *D. Patris Auguſtini* ſupra num. 16. allegati: *Quantò in loco ſuperiori, tantò in periculo majori verſatur*; Sermo autem eſt de Religioſorum, non verò Eccleſiæ Prælatis. Quamvis autem ſolus Epiſcopus,

ut tradit S. *Thomas* ( 4. Dist. 20. 1. 4. q. 1. fin. cor. ) propriæ Prælatus Ecclesiæ sit; & ideo ipse solus quasi sponsus annulum Ecclesiæ recipit: nihilominus nomine *Prælati* veniunt & alii ab Episcopo Superiores, quales in Religionibus sunt Abbates, Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, & hujusmodi, cùm ex Privilegio Sanctæ Sedis habeant in subditos suos jurisdictionem quasi Episcopalem, ùt tradunt communiter *Doctores* in Clement. 1. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, & sumitur ex Capite *Abbatis*, de Privil. in 6. Et hoc ideo, quia cùm non subdantur Episcopis, nisi in certis casibus ( cùm exempti ùt plurimùm sint) sed immediatè Summo Pontifici subjiciantur, loco Episcoporum succedunt quo ad regimen suorum subditorum. Igitur quoad specialem animarum curam quicquid in Episcopo exigitur, in aliis quoque inferioribus Prælatis præter aliqua exigendum est. Animarum autem cura, sive Prælatio, magnum quiddam est, & undequaque periculosum munus, ùt ex dictis constat, constabitque porrò ex dicendis. Interim ex his faciamus nobis arma ad contemptum honorum, qui corpus affligunt, & animam non infrequenter ad sempiternum detrudere solent supplicium. Et cogitemus etiam exempla exhortationes esse ad operandum, & non solùm ad speculandum, & hunc esse finem, propter quem Deus in Ecclesia sua vult illa posteritati tradi.

# PARS QUARTA.

24. Quamvis pro instructione nostra satis tractasse de fuga Prælationis non nemini videri posset; Ut tamen hac in parte cautiores & magis alieni ab omni animarum cura reddamur, aliud motivum, cæterorum omnium facilè princeps, & caput hîc nobis pensiculatiùs expendendum venit; Nimirum quod attestante Spiritu Veritatis *Judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet.* Ut dicitur in Libro *Sapientiæ* cap. 6. Si igitur aliud non esset onus, nec difficultas ulla in aliorum regimine, quàm quod Deus dicat, Prælatos severissimè judicandos, vel hoc unicum sufficeret ad prælationes, dignitatésque fugiendas. Cras ultimum vitæ diem ages, & Sacra Scriptura, quæ falli, vel fallere nequit, dicit te rigidissimè judicandum. Quid formidabilius? quid terribilius? Credis hoc, vel putas esse jocum, quod dicit Spiritus Sanctus? Si Christianus es, & credis Deo, quid tam es insensatus, ut severissimè velis judicari? Cæcitas est inaudita, error est intolerabilis, hominem fragilem velle cum Deo rigidum ipsum Judicium intrare. Hoc vis, cùm cupis esse Prælatus, & aliis præferri. Proinde S. *Isidorus* Epist. 125. & alii Patres rectè monent, *quod tantum ab ambitu debet esse sepositus Antistes, ut quæratur rogandus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi.* Et paulò pòst subjungit: *Profectò indignus est, nisi fuerit ordinatus invitus.* Cum enim (ut diximus) Prælatis durissimum instet judicium, ideo ad hoc anhelare non sanæ sed cæcæ mentis indicium est: pro regimine proinde aliorum

aliorum minimè talis censetur idoneus.

25. Enim verò, tametsi multæ assignari possent rationes, & afferri argumenta, quæ efficaciter probant Superiorum Judicium rigidum & durum fore, nobis tamen brevitati studentibus sufficerit, unam cæteris ponderosiorem in lucem afferre causam, & hæc est, quod scilicet hoc judicium terribile erit ex parte rei judicatæ; quia non solùm Superior operum suorum, sed aliorum etiam, qui sibi commissi fuerunt, reddet ibi rationem strictam, tam malorum quæ commiserunt, quam bonorum quæ omiserunt, & facere tenebantur: & sic Prælatus Religiosus rationem reddet jejuniorum, & abstinentiæ, ruptorum ab isto & illo. Quod ille in Chorum ire omiserit, silentium neglexerit, clausuram fregerit, per Conventum vagando extra cellam, vel per Civitatem extra claustra sub colore quæsito, & à Prælato non examinato, & similium. Porrò horrorem istius rationis reddendæ præ aliis significat S. *Paulus* ad Hebræos 13. 17. in hæc verba perscribens: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis*, & obsequii hujus rationem reddit dum subdit: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quasi diceret, est adeò magnum onus, quod portant Judicii terribilis subeundi pro animabus vestris, quòd oneri tali justè debeatur tale obsequium, ut nimirum iisdem promptè obediatis, & in omnibus illis subjaceatis. Quem Apostoli textum egregio commentario ad nostrum intentum illustrat *Cornelius à Lapide* ibid. sic scribens: Quantumvis honoris, reverentiæ & obedientiæ deferas Præposito, nunquam onus & periculum, quod ipse pro te suscepit, adæquabis, ipse enim onus & curam animæ tuæ, omniúmque & singulorum subditorum suorum gerere debet, pro eisque æternæ mortis periculo se exponit: Singulorum enim probitas & salus ab eo exigetur in die Judicii; Quemadmodum ipse Deus clarissimis omnino verbis per *Prophetam* loquens protestatur: *Ecce ego ipse*, inquit, *super Pastores requiram gregem meum de manu eorum.* Ezech. 34. 10.

26. Hoc intimè perspectum habens D. P. N. *August.* proin sanctè serióque ut Prælatus in timore contineatur, in aurea sua Regula ordinat meditationem hanc semper habere debere, dicens: *Semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem.* Et in litteris patentibus, quæ dantur Prælato, sui officii Judicium hoc ex eadem causa intimatur illi his verbis tremendis: *Ejus conscientiam in diem Domini onerantes, ut temporalia suppeditando, & perfectioni regulari animarum tanquam rationem Domino redditurus indesinenter invigilet.* Ubi verbum, *Indesinenter*, respondet verbo *semper*, quo S. Pater in Regula utitur. Videat modò Superior, quomodo satisfaciat obligationi meditationis istius, qui nihil minùs cogitat, quàm de reddenda ratione inevitabili de suo officio, Deo Judici in die extrema. Hanc ob causam monet *S. Jacobus* 3. *Nolite*, inquit, *plures Magistri fieri, fratres mei scientes, quòd majus judicium sumitis.* Porrò, *magnum* (inquit *Hugo* apud *Cornel. à Lapide* in cit. textum) *est judicium, si Magister sit illiteratus: majus si immorigerus, maximum si deficiens in utroque, quod Sapiens durissimum asserit fore ei, qui præest.* Quocirco formidabile est, quod scribit S. *Chrysostomus*: Non temerè dico: sed ut affectus sum ac sentio. Non arbitror inter Sacerdotes

cerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. Quòd alii peccant, Sacerdoti imputatur. Si vel unus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipsius subvertit salutem? Etenim si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantáque pateretur, perditio, cogita, quantam conciliabit pœnam? Quòd si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quantò magis ille? Hæc *Os Aureum*, homil. 3. in cap. 1. Act. Apost.

27. Verum enim vero tametsi Superiorum quidam (si videlicet diligenti allaborent curâ & contentione, ut quæ sui sunt muneris, nihil prætermittant) non habeant, quô sibi hoc in judicio sempiternæ damnationis sententiam pertimescant; difficulter tamen tam accuratè omnes sui officii partes explebunt, quin saltem veniales quasdam peccati maculas contrahant; ob quas postmodum diras in flammis purgatricibus pœnas exsolvere debebunt. Interim percipere lubet, quod *Boverius* suis in Annalibus An. 1587. in lucem prodidit. P. *Constantinus à Salvatore* Capucinus, vir magnæ sanctitatis, paucis à morte diebus cuidam fratri apparuit, à quo cùm de statu suo interrogaretur, respondit: Heu! heu frater, quam districta Dei judicia sunt, atque ab hominum sensu & sententiâ remota! Nam quæ plerumque censentur à viventibus virtutes, apud Deum inter vitia numerantur. Et quidem Dei misericordiâ salvus sum, veruntamen per triduum in purgantibus flammis tam diras pœnas sustinui, ut ibi me per tria annorum spatia fuisse crediderim. Et causam tanti supplicii addens, dixit: Cùm enim essem Superior, contraxi quasdam maculas, quas nec maculas esse judicabam. Etenim prætermisi quædam mei officii, quæ à Deo summo rigore ponderata sunt. Deinde in concedendis recreationibus indulgentior in fratres fui, quæ res sæpiculè dissolutiones generavit. Quo dicto recessit.

28. Ex qua historia satis abundéque liquet, quam arduum & fermè impossibile sit absque quorundam nævorum contractione Religionis officia obire, cùm nec id præstare potuerit præfatus Pater, licèt non vulgaris perfectionis, & Sanctimoniæ Religiosus audiret. Colligitur etiam, quam severè in Superiores divina sæviat Justitia ob admissos & commissos in prælatione defectus. Quis igitur illos reprehendere audebit, qui, nullo non lapide moto, quaslibet à se prælationes amovere student? Nam certè si de corpore unius tam acriter judicatus est Cain, dicens *Gen.* 4. *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Quàm acrius & acerbius judicabitur ille, qui non solum de corpore unius, sed de multorum animabus rationem est redditurus, clamantibus adversus eum coram Judice incorrupto?

29. Hinc Divinus Spiritus per *Os Ezechielis* cap. 34. Væ ingeminat Pastoribus. *Væ* inquit, *Pastoribus Israel!* Et hæc comminatio non solùm malos ac ambitiosos, ac seipsos ultroneè ingerentes; verùm etiam veraciter à Deo vocatos & electos concernit, ùt per se patet; Si nempe, ut idem *Propheta* proloquitur, *Non gregem, sed semetipsos pascant, si, quod abjectum erat, non reducant, & quod perierat, non quærant, si confractum non alligant, neque infirmum consolidant.* Id est, si ignaviâ torpentes, non eam in curandis suorum subditorum animabus adhibeant operam, quam vi officii sui impen-

impendere deberent. Proinde talibus summum incutere deberet horrorem exemplum, quod à *Cantiprat.* lib. 1. Apum cap. 20. p. 2. proditum legimus. Princeps Apostolorum *Petrus* cuidam Prælato, multis annis malè regenti, in infirmitate vultu severus apparuit, librumq; tenens apertum, legere compulit recusantem. Erat hæc scriptura in textu libri: *Mortificat animas, quæ non moriuntur, & vivificat quæ non vivunt.* Cúmque ille horreret nimium ampliùs legere, vultúque refugeret, Apostolus *Petrus* severiùs institit, & ut *Glossam* textûs legeret, quæ in margine videbatur, præcepit. Legit vero coactus: *Quando reduces animas de inferno, quas per tuum destitutas exemplum æterno supplicio tradidisti.* Et cum ille præ horrore & confusione respondere non posset; de visione ad se rediens sine mora prælationem suam, ac sæculum pariter dereliquit, & Christi deditus servituti in Monasterio Ordinis Cisterciensis beato fine quievit.

30. Optandum sanè foret, ne nostris quoque temporibus multi ex Prælatis, ad Dei Judicium comparentes, audire cogerentur: *Quando reduces animas de inferno, quas perire permisisti, neque eas doctrinæ pabulo pavisti, imò pravo tuo exemplo eisdem in viâ perversitatis & malignitatis dux & antesignanus fuisti.* Appositè *Chrysost.* in cap. 20. Matt. ad institutum nostrum dicit: *Si qui necessitate compelluntur:* (intelligit ad Prælationem venire) *nullum poterunt habere refugium, neque ullam excusationem reperient, quando res malè tractaverint, & quando negligenter administrationem gesserint suam; quantò ampliùs, qui cum studio & ambitione petunt principatus, severiùs punientur?* Hæc penficulatiùs commeditantes tot Sancti prælaturas fugerunt, aut omnino coacti acceptarunt, aut habitis renunciarunt, ùt hactenus jam memoratum. Inter hos non infimum obtinet locum *S. Thomas de Villanova*, de quo legitur, quod vocatus ad Archi-Episcopatum Valentinum, cùm Amici ejus de hoc congratulaturi ad illum accederent, tales congratulationes accipere renuit, electionem suam pœnam reputans, non favorem, pro qua planctus potiùs & gemitus, quam congratulatio deberet fieri. Satage ergo, frater charissime, imitari hunc virum Sanctum, & alios verè sapientes; non enim errabis edoctus à Sancto Spiritu, & ductus tantis exemplis. Armare igitur hinc contra hostem tuum per fugam, ut effugias horribile Judicium coram Judice tremendo, ne astrictus sis respondere pro aliis, qui tibi non es sufficiens.

# PARS QUINTA.

31. Quanquam contra ambitionem hactenus dicta sat efficacia esse videantur ad omnimodam prælationum fugam ineundam, nosse tamen debemus, quòd virtus vera ac genuina in medio consistat, id est, quòd nec ad dexteram, nec ad sinistram plùs æquô vergere debeat. Proinde sicut ambire officia malum est, ita nec bonum est eadem fugere, dum ratio, & obedientia ad illa acceptanda monet & urget. Hoc utrumq; faciendum seu fugiendum monet Sapiens *Eccles.* c. 7. 6. dicens: *Noli quærere fieri Judex*, id est, noli ambire

bire fieri Judex, seu Superior in tuo Ordine vel Religione; Et mox vers. 9. subjungit; *Noli esse pusillanimis in animo tuo*, quasi dicat: Si præter tuam mentem coactus, vel factus es Prælatus, noli esse pusillanimis, ut extimescas facies subditorum, forsan protervorum, dissolutorum, malè moratorum, sed magno & excelso animo iis resiste, ac pro æquitate justam fer sententiam, eos paternâ charitate monendo, corripiendo, castigando, &c. Qua in re *Prophetam Regium* imitari stude, dicentem: *Psal.* 100. 8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de Civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Sic Superior agat, obligatio ipsius est; laborare enim tenetur, ut *in matutino*, id est, tempestivè, citò, operantes iniquitatem in domo Dei, qualis censetur esse sancta Religio, coërceat, eorúmque peccata disperdat, persequatur, & longissimè à suæ fidei commissis releget.

32. Huc imprimis facit, quod in *Sanctæ Birgittæ* Revelationibus lib. 6. cap. 95. memoratur: Cùm quidam Nobilis magnus Regni Sueciæ, qui Dominus Israël vocabatur, multis precibus ad dignitatem majorem regiminis Regni vocaretur multoties à Rege, & ille nullo modo ad suscipiendam dictam dignitatem inclinaretur, tunc orante Sanctâ Birgittâ, loquebatur ei Mater Dei dicens: Si illi, qui justitiã sciunt, & eam desiderant, & facere possunt, recusant pro Deo suscipere onus & laborem, quomodo stabit regnum in vigore suo? Vah! illud non est regnum, sed latrocinium, & spelunca tyrannorum, ubi iniqui dominantur, & justi conculcantur; & ideo homo justus & bonus trahi debet charitate Dei, & zelo bono offerre se ad regimen, ut proficiat multis. Qui autem dignitates & regimina ambiunt propter honorem mundi, non sunt Principes veri, sed tyranni pessimi. Ergo iste amicus tuus Israël accipiat regimen propter honorem Dei, habendo in ore verba veritatis, & in manu gladiũ justitiæ, non recipiendo, nec inclinando se ad favores hominum, nec ad cognatos, nec faciendo personarum acceptionem. Ita B. *Virgo Maria ad S. Birgittam.* Hanc pientissimæ Virginis parænesim tibi quoque (qui ejus cliens audis, & qui ab eadem misericordiæ Matre donatus es virtute, eruditione, & prudentiâ) dictam & commendatam crede; hinc si à tuis Superioribus ad quodpiam Religionis officium, seu animarum curam destinatus fueris, oneri humeros submitte, teque gnavum in vinea Domini operarium exhibe, & quod monuit *Paulus* suum dilectum Discipulum *Timotheum* Epist. 2. cap. 4. tu similiter fac, nimirum: *Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*, prout serm. 6. n. 15. plusculùm diximus.

33. Quòd si quæras, num sicut nedum bonum sed & consultum ex dictis videtur, ut religionis munia acceptet qui prodesse novit; ita pariter sub hac ratione, quò aliis spiritualiter & temporaliter prosit, eadem appetere fas sit? Respondet iterum omnis perfectionis & sanctitatis Magistra, Cælitum Regina, Domina nostra, dum in hæc verba (quemadmodum legitur in Revelationibus S. *Birgittæ* lib. 3. cap. 3.) ad *Birgittam* loquitur: *Si Episcopus* (vel alius quilibet Prælatus vel Superior) *attendere velit, quomodo accepit potestatem, attendat primò, si desideravit Episcopatum*, aut Prælationem, *propter se, an propter Deum. Si propter se, tunc sine dubio desiderium suum erat carnale; sin verò propter Deum, id est, ad honorem faciendum Deo, tunc desiderium suum erat meritorium & spirituale.*

Ex

Ex his Beatissimæ Virginis verbis deducitur, licitum esse ad bonum finem Episcopatum, aut quodlibet aliud prælationis officium appetere, ut nimirum honorem Dei, & proximi salutem meliùs promovere possit. Hinc & *Apostolus 1. ad Timoth. c. 2.* ait: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ubi *Glossa* Interlinearis notat, eum rectè Episcopatum desiderare, qui desiderat operari, & prodesse multis. Et *Lyranus* ibi asserit, quòd non est desiderandus Episcopatus, (quod similiter intellige de aliis inferioribus Ecclesiasticarum dignitatum gradibus) propter officii dignitatem, sed propter annexum laborem, qui est ordinatus ad honorem Dei, & proximi salutem. At verò appetere modò memoratas Prælaturas ratione dignitatis & præeminentiæ, crimen est haud leve, prout ex superiùs citatis *B. Virginis Mariæ* verbis innuitur, dum dicebat: *Si desiderat Episcopatum propter se,* intellige, ad sibi quærenda bona temporalia, & dominium super alios, *tunc sine dubio desiderium suum erat carnale,* quod pœnam meretur æternam. Vide, si placet, *S. Thomam* secunda secundæ quæst. 185. art. 5. ubi inter alia sic definit: quòd quilibet possit desiderare talia opera facere, ad quæ Episcopi & Prælati tenentur; ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis. Unde *Chrysostomus* dicit: *Opus quidem desiderare, bonum, bonum est; primatum autem honoris concupiscere, vanitas est: Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se odit.* Ita *Doctor Aureus* apud *Doctorem Angelicum* loco citato in fine Corporis.

34. Ad hoc idem punctum facit, quod in præfatis *S. Birgittæ* Revelationibus lib. 3. cap. 4. commemoratur, ubi denuò Dei Mater ad hanc sanctam Matronam de in dignitate, sive Prælatione positis verba faciens, ita fatur: Quia Domini, vel Episcopi nolunt venire ad nuptias, omnibus præparatas in cælo, venient pauperes & infirmi, sicut per exemplum tibi ostendere volo. In civitate quadam erat quidam Episcopus sapiens, & pulcher, & dives, qui de pulchritudine & sapientia sua laudatus non regratiabatur Deo, ùt debuit, qui dedit ei istam sapientiam. Iste Episcopus habebat quendam Clericum literatum, qui taliter secum cogitabat: Iste, inquiens, Episcopus diligit Deum minùs, quàm deberet; vita ejus tota tendit ad sæcularia. Ideo, si placeret Deo, libenter desiderarem Episcopatum ejus, ad faciendum honorem Deo; Non desidero quidem propter mundum, quia honor mundi non est aliud, nisi sicut aër: non propter divitias, quia sunt graves tanquam onus gravissimum: non propter quietem carnis meæ, & commodum proprium, quia non teneor esse in quiete nisi rationabili, sic ut corpus stare possit in servitio Dei, sed propter solum Deum desidero. Et quamvis indignissimus sim honore, tamen ut plures lucrifacerem Deo, & pluribus proficerem verbo & exemplo, pluresque sustentarem de bonis Ecclesiæ, libenter susciperem onus Episcopale. Nam Deus scit, quòd charior mihi esset mors dura, quàm Episcopalis dignitas. Quia tamen, *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,* inquit *Apostolus.* Ideo libenter desidero honorem Episcopi cum onere Episcopali, sed sicut mortem, honorem quidem propter salutem plurimorum, onus verò propter salutem meam, & amorem Dei, ad hoc solum; ut bona Ecclesiæ possim distribuere largiùs pauperibus, animas instruere liberiùs, & errantes corrigere fiducialiùs. Iste autem Canonicus increpavit Episcopum suum occultè & prudenter. Episcopus verò ægrè ferens verba, confundit Clericum apertè & imprudenter, jactans se ad omnia suffi-

sufficientem & moderatum. Canonicus autem ploravit Episcopi excessus, patienter ferens illatas sibi injurias, sed Episcopus deridens charitatem & patientiam Canonici obloquebatur ei in tantum, quòd Canonicus arguebatur, & reputabatur fatuus & mendax, Episcopus verò justus & circumspectus.

35. Verùm, quando Deus justos in hoc mundo ab injustis non solùm premi, sed & opprimi sinit, id non alio fine permittit, quàm ut illi copiosiorem in cælo reciperent remunerationem, quod etiam huic pio Canonico factum, uti liquet ex verbis, quæ in citata Revelatione habentur, ut sequitur: Tandem procedente tempore Episcopus & Canonicus migraverunt, & vocati sunt ad judicium Dei: in cujus conspectu, & præsentia Angelorum posita videbatur quædam sedes aurea, & ante sedem infula Episcopalis, & totus ejus ornatus, multi quoque dæmones sequebantur Canonicum, cupientes invenire aliquid mortiferum in eo, quia de Episcopo sic erant certi, sicut cete, qui inter procellas servat catulos suos in ventre suo. Propositis verò multis querimoniis contra Episcopum, cur scilicet, & quâ intentione suscepisset Episcopatum, cur superbivit de bonis animarum, quomodo animas sibi commissas rexisset, quid verò Deo pro facta sibi gratia respondisset? Cúmque Episcopus nihil justitiæ haberet quid responderet ad proposita; respondit Judex: Ponatur, inquiens, in capite Episcopi fæx pro infula. In manibus autem pix pro chirothecis, lutum in pedibus pro sandaliis, pro camisia, & lintea Episcopali pannus meretricalis, pro honore suscipiat dedecus, pro lata familia habeat sævientem turbam dæmoniorum. Deinde addidit Judex: Ponatur in capite Canonici corona fulgida sicut sol; In manibus ejus chirothecæ deauratæ; Calceate pedes ejus sotularibus; Insuper induatur habitu Episcopali cum omni honore. Qui statim veste Episcopali circumdatus, ab omni exercitu cælesti præsentatus est Judici tanquam Episcopus cum honore. Episcopus autem descendit sicut fur, habens in collo funem, à cujus conspectu Judex avertebat oculos misericordiæ suæ, & omnes Sancti cum eo.

36. His enarratis, eadem piissima Virgo pro omnium Fidelium, & imprimis Ecclesiasticorum ac Religiosorum eruditione hanc subnectit moralem doctrinam, dicens: Ecce, quomodo propter voluntatem bonam multi obtinent dignitatem spiritualiter, quam illi contemnunt, qui ad eam corporaliter sunt vocati. Omnia hæc fiebant in uno puncto apud Deum; sed propter te verbis prolata sunt, quia mille anni apud Deum sunt quasi una hora. Quotidie quoque contingit, quòd ex quo Episcopi, Prælati, & Domini nolunt tenere officium suum, ad quod vocati sunt, Deus eligit sibi pauperes Sacerdotes, & campanarios, qui viventes juxta meliorem conscientiam, ad honorem Dei libenter proficerent animabus, si possent, & faciunt quæ possunt, ideo ingrediuntur loca, Episcopis præparata. Ita ad S. *Birgittam* locuta fuit Dei Mater; quæ in fine capitis allegati de præfati Canonici interna animi dispositione sequentia revelavit: *Scito, quòd Canonicus iste laudatus, tametsi affluxisset sibi tota mundi substantia, non dedisset unum denarium ad hoc, quòd fieret Episcopus: nec pro pro toto mundo dimisisset Episcopatum, si placuisset Deo, sed totam voluntatem suam posuit ad* DEUM, *paratus honorari ad honorem Dei, & paratus dejici pro amore & timore* DEI. Habemus ergo hìc clarum exemplum, quòd

quòd Deus bonam voluntatem præmiet, ubi facultas deest, & non solùm ipsum bonum opus, sed etiam boni operis desiderium apud Deum suam habere remunerationem. Item docemur, quòd non semper fugere oporteat Prælationis statum, dum quis in eo positus aliis prodesse norit. Nam (ùt ait S. Bernard. epist. 86.) *nec præesse refuge, dum prodesse potes; quia væ quidem tibi, si præes, & non prodes; sed væ gravius, si, quia præesse metuis, prodesse refugis.* Idem docet S. *Isidorus* lib. 3. de Summo Bono cap. 33. *Multis*, inquit, *intercipit Satanas fraudibus eos, qui vitæ, & sensûs utilitate præstantes, præesse & prodesse aliis nolunt, & dum eis regimen animarum imponitur, & consultius arbitrantes otiosam vitam agere, quàm animarum lucris insistere, quod tamen decepti agunt per argumentum diaboli fallentis eos sub specie boni, ut, dum illos à pastorali officio retrahit, nequaquam proficiant, qui eorum verbis & exemplis instrui poterant.*

37. Ex quibus modò enarratis, manifestè concluditur, quòd Prælatio viro probato, ac prudenti non sit fugienda ea de causa, quòd audiat, non rarò animarum Pastores exorbitare & perire. Nam si causam quis lustraverit, haud mirabitur. Siquidem si vitam & mores multorum perscrutatus quis fuerit, utique reperiet plures, priusquam ad Prælationes assumuntur, nullum fermè in virtutibus studium impendisse, salutémque propriam in postremis semper habuisse; & ideo nemo magnoperè demirari debet, tales in officiis & prælationibus mox inflari, & evanescere, nullámque de promovenda subditorum salute operam navare; quin imò eosdem suis depravatis moribus scandalizare, & ad iniquitatis inducere sequelam, ideòque miserè perire. Alii reperiuntur, qui doctrinæ pabulum suis concreditis ovibus subtrahunt, & dum malè agunt, in eorum delicta debitis pœnis non animadvertunt; sic suorum subditorum peccata quasi approbantes, iisdem se contaminant. Paucis: Qui priùs in Virtutibus, in Charitate & humilitate præcipuè, solidè non est fundatus, huic prælatura non solùm periculosa & ruinosa, sed ipsa quoque ruina est, ut superiùs memoratum. Secùs res se habet in vero humili, & qui divini amoris igne æstuat; huic enim cuncta in bonum cedunt, teste Apostolo, Rom. 8. *Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum*; Et humilibus Deus non possit non porrigere auxiliarem manum. Hinc in solatium talis boni Prælati, qui propter amorem Dei, & pro salute animarum suscipit onus regiminis, dixit Christus S. *Birgittæ* (lib. 6. Revel. cap. 65.) *Quòd duplicem mercedem sit habiturus; primò, quòd particeps erit omnium bonorum eorum, quotquot perduxit ad portum: secundò, quòd gloria ejus augebitur sine fine.* Id quod fusiùs patebit sermone sequenti.



# SERMO XXIV.

# DE ZELO ANIMARUM.

*Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Eccli. 24. 31.

## PARS PRIMA.

1. ZElus hìc ſecundùm *S. Thomam* 1. 2. q. 28. a. 4. eſt intenſus amor, quo quis movetur contra illud omne, quod repugnat bono amici, illúdque repellit, & ea, quæ ſunt contra honorem & voluntatem Dei, repellere ſecundùm poſſe conatur. Hic gloriæ & honoris divini, nec non ſalutis animarum Zelus inter reliqua, quæ in Dei obſequium præſtare poſſumus bona, non poſtremum, imò fortaſſe primum eſt; teſte S. *Gregorio* hom. 12. ſuper Ezech. dicente: *Nullum Omnipotenti* DEO *tale eſt Sacrificium, quale eſt Zelus animarum.* Et ut Divinus Theologus S. *Dionyſius Areopagita* de Cæleſti hierarch. c. 3. loquitur; *Diviniſſimum eſt omnium divinorum operum, cooperari in ſalutem animarum.* Cujus Sententiæ veritas in Sacro Evangelii codice *Joan.* 21. fundatur. Interrogat Chriſtus S. *Petrum*: *Simon Joannis, diligis me plus his?* Reſpondet; *Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te.* Ter Salvator hanc interrogationem propoſuit, & S. *Petrus* idem reſponſum dedit ſemper. Unde ſubjunxit: *Paſce oves meas.* Non dixit: carnem tuam ediâ, continuis vigiliis, duríſque corporis affli&ationibus vexes, & mortifices: non dixit, omnibus te bonis exſpolies, facultates tuas vendas, & pretium pauperibus eroges; non dixit, ſæculum valere jubeas, omnem humanam converſationem fugias, téque vivum in ſolitudinum latebris ſepelias; non, inquam, hæc, aut alia ſimilia Petro impoſuit, quamvis bona, quamvis virtutum inſtrumenta, & grandium meritorum ſemina. Sed quid dixit? *Paſce oves meas*; hoc enim erit efficaciſſimum perfecti amoris, quo me proſequi teſtaris, argumentum. Unde liquet, animarum curam eſſe perfectiſſimum opus, quo evidenter comprobari queant vaſtiſſimæ ardentis amoris flammæ.

2. Idipſum ſentit S. *Chryſoſt.* hom. 76. & alii multi Sancti Patres: Nihil ſic, inquiunt, Deo placet ſicut Zelus & lucrum animarum. Ratio eſt, quia nihil ita gratum ac Charitas; eò quòd ipſa omnium Virtutum Princeps ſit & maxima, ut teſtatur *Apoſtolus* 1. Cor. 13. *Major autem horum eſt Charitas*, & in ipſa tota conſiſtit perfectio; unde & idem Coloſſ. 3. ℣. 14. eam nuncupat *Vinculum perfectionis.* Hic autem Zelus, ùt loquitur *Rodriquez* p. 3. tr. 1. c. 10. intenſus & excellens Dei amor eſt; ei quippe, qui hoc æſtuat, nequaquam ſatis eſt, Deum quantùm poteſt amare, & ſervire; verùm inſuper quàm arden-

ardentissimè cupit, ut omnes eum amare & servire intendant, ut Sanctissimum ejus Nomen ab universis colatur, glorificetur, & extollatur; denique ut DEI Regnum se quaquaversum extendat, ac propagetur, atque hoc unicum ejus gaudium ac voluptas est. Unde, si quæ peccata in Deum suum committi videt, ea ad usque intima animæ ejus penetralia penetrant. Quemadmodum enim filius probus summoperè Patrem suum ab aliis honorari exoptat, gaudétque dum hoc fit, si verò illi irrogantur injuriæ, hæ magis eum affligunt, quàm si forent propriæ. Pari modo, hoc Zelo succensus tanto in Dominum suum amore fertur, ut hoc unicum ejus gaudium sit, quòd Divina Majestas ab universis honoretur, & laudetur. E diverso nihil magis eum cruciat, quàm videre tot & tam atrocia peccata in eum committi. Proinde hic zelus, excellens Dei amor est, sicut etiam singularis quidam actus amoris erga proximum. Sicut enim tunc verè Deum amare comprobamur, si ob majorem ejus gloriam gaudemus, & ob injurias in ipsum admissas dolemus; ita verum amorem erga proximum tunc testamur, cùm ejus bono lætamur, & ob vera ejus mala, peccata scilicet, seriò contristamur, eáque, quantùm possumus, impedire procuramus.

3. Porrò, ne à regia hujusce zeli semita deflectamus, scire nos oportet; quòd sicut nonnulli sint lapides, qui pretiosi esse videntur, at verè tales non sunt, ita etiam videtur aliquando aliquis zelus bonus, sed reverà virtuosus non est. Talis fuit zelus Apostolorum *Jacobi & Joannis*. Cùm enim à Samaritanis in urbem non fuissent admissi, adversus illos commoti, & indignantes, dixerunt ad Christum: *Luc. 9. ℣. 54. Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?* At Salvator hunc zelum coarguens ait: *Nescitis cujus Spiritûs estis*; id est, non nostis Spiritum legis gratiæ, quæ non rigores spirat, non castigationes, sed clementiam. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Heribertus Rosweidus* l. 5. vit. PP. recenset, deliquisse Monachum quendam, quem propterea cæteris fratribus in Ecclesia congregatis Superior abegit. Quod videns Abbas *Bessarion*, mox è loco surrexit, perrexitque portam versùs, egressurus templo. Pater, inquiebat Sacerdos, quò vadis? Respondit ille: *Si peccatores expelluntur, hinc quoque abscedere me oportet, quia & ego peccator sum.* Quâ responsione *Bessarion* ingenuè indicavit hujuscemodi zelum esse vitiosum & malum, & quod in peccata lapsis potiùs compati, quàm indignari oporteat. Hinc S. *Dionysius Areop.* ep. 8. ad Demophilum egregiè hanc rem pertractat. Dicitque: Quemadmodum cæcos, quò sit eundum, nescientes, non propterea fuste cædimus, nec iis indignamur; sed potiùs manu arreptâ conducimus, illis compatientes: taliter cum peccatoribus, qui teste *Sophonia* 1. *ambulant ut cæci*, nos gerere debemus. Non inquam, statim in eos sævire; sed iisdem compati, & viam veritatis ostendere, magnóque eos amore conducere & adjuvare: idque ad imitationem Christi, qui errabundam oviculam per avia montium indefesso studio conquirit, eam & voce, & sibilo vocando: quam deinde inventam pedo pastorali non ferit, sed in humeros acceptam ad ovile defert. Hic bonus est zelus, aliæ verò zeli formæ, & adversus peccatores indignationes bonæ non sunt.

4. Refert occasione hujus *Dionysius* mirabilem quandam historiam, & quæ maximam legentibus adfert consolationem,

nem, quam S. *Carpo* ait contigisse viro multis revelationibus claro (vide eam serm. 3. ne eandem bis repetamus.) Hinc ergo *Carpus* ob indiscretum suum zelum correptus, in posterum factus est cautior, uti & nos illius exemplo sapere oportet, scientes id genus zeli Deo displicere: qui, asserente *Apostolo* 1. Tim. 2. *Omnes peccatores vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et per Ezechielem 4. ait: *Numquid voluntatis meæ est mors impii? & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Peccatores quippe carò illi steterunt, suntque velut Benoni Gen. 35. ℣. 18. id est filii doloris; utpotè quos magnis cum doloribus in Cruce genuit, ideo eos non perire, sed converti, & in perpetuum vivere cupit. Hanc ob causam S. *Catharinæ Senensi* (ut S. Virgo suis in dialogis c. 29 refert) Christus dixit: *Ego vos affectuosè deprecor, ut assiduè me rogetis pro salute peccatorum, quorum à vobis exigo sudores, atque lacrymosas orationes, ut eis impendam, uti opto, misericordiam gratiosam.* Aliàs S. *Birgittæ* l. 7. revel. c. 19. dixit: *Si adhuc possibile esset, ut ego toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ita ut pro qualibet earum talem mortem iterum sustinerem, qualem tunc pro omnibus sustinui, adhuc corpus meum paratum esset subire hæc omnia libenti voluntate, & perfectissimâ charitate.* Hinc ergo ex adverso facilè constare poterit, quàm perversus sit zelus, Deóque displiceat, dum peccatoribus non compatimur, sed iisdem potiùs indignamur, &, ut debitis plectantur pœnis, optamus.

5. Zelum ergo bonum, quem nos habere par est, exhibuit nobis *Moyses* Exod. 32. Ascenderat ille in montem Sinai, legem populo dandam à Deo accepturus, quâ in duobus tabulis acceptâ de monte descendebat. Videns autem populum vitulum adorare, eique divinos honores deferre, adeò iratus est, ut tabulas ipsius Dei manu concinnatas terræ illidens confregerit. Veruntamen etsi tanta ejus esset adversus prævaricatores & peccatum, indignatio, confestim tamen ad Deum se convertit pro iisdem rogaturus, idque tam ferventer ac cordialiter, ut dicat: *Dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Talis etiam, sit noster zelus, oportet. Simile exemplum habemus in S. *Paulo*, qui de seipso Rom. 9. ita scribit: *Veritatem dico in Christo JESU, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientiâ meâ in Spiritu Sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Ex una parte Apostolus ob populi sui peccata miro dolore affligebatur, quod peccatum cane pejus & angue detestaretur; ex alia ita ipsum ejus miserebat, ut anathema se velle esse dicat, quò ipse salutem consequatur.

6. Diversimodè hoc *Moysis* & *Apostoli* votum Sancti Patres exponunt. S. *Hieronymus* quidem id de morte corporali putat intelligendum, dicítque Sanctos illos voluisse suum profundere sanguinem, & corporali morte occumbere, ut sui viverent vitâ spirituali, & salutem æternam adipiscerentur. Inde autem id probat, quòd vox *Anathema* non rarò in Sacra Scriptura pro morte corporali sumatur. Verùm aliis expositionibus omissis, scitam & affectuosam admodum more suo dat S. *Bernardus* serm. 12. sup. Cant. Ait ergo *Moysen* eo loco affectu & amore quodam patris, aut potiùs matris loqui, hanc enim nullum gaudium oblectare potest, si ab illo filii ejus excludantur. Quod etiam eleganti similitudine declarat. Ponamus, inquit, opulentum quendam

dam pauperculæ mulieri sic loqui. : Si meæ assidere mensæ velis, accede, & grata eris, hoc tamen pacto, ut prolem, quam brachiis gestas, non adducas, sed interim ante fores relinquas, plangit enim, ego verò molestias & tædium non peto. Putasne mulierem hanc ad prandium venturam? Minimè, imò jejuna potiùs manere mallet, quàm dulce pignus viscerum suorum foris relinquere, diceretque; vel filiolus mecum huc intret, necesse est, vel prandium tuum ipse tibi habeas. Eodem modo *Moyses*, prosequitur *Doctor mellifluus*, noluit solus introduci in bona Domini, foris scilicet remanente, imò & excluso populo.

7. Non absimili compassionis & amoris affectu erga miseros peccatores & alii multi Sancti ferebantur, quos proinde imitemur, oportet. S. *Dominicus*, ut peccatores Deo reconciliaret, singulis diebus acerrimè se flagellis cecidit. S. *Ignatius Lojola* lacui frigido collo tenus se emersit, ut impudicum Juvenem à lascivia abduceret; ùt fusiùs serm. 6. dictum. S. *Magdalena de Pazzis* ex desiderio magno juvandi animas, præter extraordinarias afflictiones & pœnitentias, quibus se enecabat, petebat à Deo infirmitates, pœnas & tribulationes, & omnia mala pœnalia, quæ peccatores merebantur, & obtulit se DEO ad ferendas etiam inferni pœnas pro animabus, si hæc ejus esset voluntas. Denique, ut alia omittamus exempla, *Pater Ludovicus de Ponte* è Societate JESU, vir vitæ Sanctimoniâ clarus, tam ardente zelo erat accensus, ut scripserit in suo libello: *Si ad peccatorum conversionem necessarium sit, me in perpetuum ardere in flammis inferni sine peccato, me offero, DEUS, ad has flammas.* Hæc igitur compassionis & amoris viscera DEO maximoperè placent; & talis noster zelus sit, oportet. Hic autem zelus DEO tam gratus est, ut licèt (*Chrysostomo* teste hom. 79.) severas & graves suscipias austeritates, toto vitæ tempore jejunes, & humi cubes, denique totam substantiam tuam in pauperes effundas; nihil tamen hæc omnia sunt, si cum animarum zelo conferantur. Quantò enim anima pretiosior est corpore, tantò plura præstant, qui Confessiones audiendo, prædicando, consilium salutare dando, aliáque opera misericordiæ spiritualia obeundo, animabus subvenire, & mederi satagunt, quàm ii, qui largas de opibus suis eleëmosynas erogando corporibus opem adferunt.

8. Legitur in *Ecclesiastico Sapiente* c. 42. ℣. 14. *Melior est iniquitas viri, quàm mulier bene faciens.* Rarissima & insolita valdè propositio, & quæ potiùs paradoxi speciem præsefert, quàm sinceræ veritatis. Quis enim unquam audivit, meliorem esse iniquitatem viri, quàm mulierem bene facientem? Prætermissis aliis Doctorum expositionibus, hanc ad propositum nostrum optimè accommodatam profert S. *Bernardus* Serm. 12. sup. *Cant.* Nomen illud *Iniquitas* accipitur pro inæqualitate. Qui vitæ contemplativæ, qui propriæ saluti studet, suæque tantum animæ curam gerit, & peccatum non committit, probè facit: Superatur nihilominus ab eo, qui Saluti animarum vacat, qui juvandis proximis occupatur, licèt defectus aliquis, & peccatum in hoc exercitio subrepat; Charitas enim supprimit, & expungit peccatum, teste S. Petro 4. Audiamus *Melliflui Doctoris* verba: *Melior est iniquitas viri, quàm mulier bene faciens. Nam tu qui-*

*dem in tui custodia vigilans benefacis, sed qui juvat multos, & melius facit, & virilius: quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est, absque aliqua inæqualitate vitæ, & conversationis suæ, memento, quia Charitas operit multitudinem peccatorum.* Ita *S. Bernardus.* Quamobrem tametsi nonnunquam, dum aliorum saluti invigilamus, nos ipsos aliquibus nævis & defectibus inquinemus, qui ex humana incuria, & fragilitate nobis subrepere solent, non tamen propterea animarum curam abjicere oportet; quia (ùt docet *S. Chrysost.* or. 5. adv. Judæos) sæpè una anima, quam lucrati fuerimus, potest innumerabilium peccatorum pondus abolere; animæque nostræ pretium in extremo die judicii fieri. DEUS etiam lubenter peccata, occasione zeli animarum contracta, nobis dimittet, zelúmque hunc æternâ remunerabit gloriâ. Sicut enim is, qui filium aut Sponsam Regis ex igne, in quem jam jam cadebat, eriperet, non levem haud dubiè gratiam, præmiúmque à Rege acciperet, faciléque ob hanc charitatem de noxis in Regem admissis veniam consequeretur; ita non minorem apud Deum gratiam, & suorum peccatorum indulgentiam obtinebit, qui animas Deo dilectissimas ab æterno interitu liberare studuerit.

9. Hoc ipsum *S. Jacobus* in Canonica sua Epistola. c. 5. nobis indicat dicens: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus, & operiet multitudinem peccatorum.* Quæ verba *S. Gregorius* l. 19. mor. c. 11. exponens ait: Si, qui hominem à corporali morte liberat, tametsi non hodie, cras tamen moriturum, magnam mercedem & præmium meretur, ecquod ille præmium & coronam merebitur, qui animam à morte sempiterna vindicat, & causa est, ut in æternum gloriâ cælesti fruatur, nunquam ut eâ possit excidere? Hinc illi, qui proximum viam salutis edocent, non tantùm vitam æternam consequentur, teste Sapiente *Eccli.* 12. ℣. 3. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*; sed insuper in cælo ceu soles quidam, & lunæ micabunt, ut legitur apud *Danielem 12.* ℣. 3. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Anima siquidem pretiosum quid est in oculis Dei, hinc non mirum tanto præmio illos donari, qui animabus succurrere & mederi satagunt. *S. Catharina Senensis*, si quem Concionatorem per plateas incedentem cerneret, illicò domo egrediens, locum, quem ille pedibus calcabat, magno pietatis sensu osculabatur. Rogata verò cur hoc faceret? Respondit, Deo revelante se didicisse, quanta esset animarum in gratia Dei constitutarum pulchritudo & decor; hanc ob causam tanti se facere eos, qui earum conversioni insisterent, ut terram, quam illi pedibus pressissent, deosculari non detrectaret.

# PARS SECUNDA.

10. EX nunc dictis ulteriùs consequitur, ob metum Purgatorii (ne scilicet, dum aliorum saluti vacamus, contrahamus quædam peccata aliàs non contrahenda, quorum causâ in flammis purgantibus nos luere oportebit) non esse animarum curam prætermittendam; hic enim est inanis scrupulus, ideóque abjiciendus. Quin imò magnam spem concipere possumus, has

pœnas ob hanc charitatem nos evasuros, nedum respectu noxarum hoc in negotio ex aliqua incuria commissarum, sed etiam respectu aliorum peccatorum nostrorum. Egregiè ad hanc confirmandam veritatem scribit *S. Gregorius Papa* ( apud *Paciuchellium* tom. 2. lect. 44. §. 12.) ad *Augustinum*, quem prædicandi gratiâ in Angliam, & ad regnum illud ad Evangelii lucem reducendum, miserat. *Peccator ego*, inquit, *spem certissimam teneo, quia per Omnipotentis Creatoris nostri, ac Redemptoris Jesu Christi gratiam, peccata tua dimissa sunt: & idcirco electus es, ut per te dimittantur aliena. Nec habebis luctum de quolibet reatu imposterum, qui de multorum conversione gaudium conaris facere in cælo.* An gravius & suaviùs differere poterat S. *Pontifex* in eorum consolationem, qui prædicando, consilia & monita salubria suppeditando, Confessiones audiendo, moribundis assistendo, pro aliorum salute laborant?

11. Porrò, quamvis non raro ob peccata hujuscemodi occasione contracta aliquam in lustralibus flammis pœnam subire cogeremur ( cùm hæcce charitas non semper sit tam intensa & efficax ut omnem peccatorum nostrorum & culpam & pœnam deleat) propterea tamen nequaquam nos à similibus charitatis & pietatis operibus abstinere oportet, & plures rationes, quæ præponderant, quarum duntaxat duas huc afferam. Prima est, quòd in aliorum salute promovenda desudans, mirum in modum cælestem augeat sibi gloriam in æternum non minuendam, hujus autem gloriæ vel unus gradus tanti æstimandus est, ut teste *Jacobo Montfordo* Tr. de animabus, mille purgatoria nullius momenti reputanda sint, si iisdem unicus gradus gloriæ altioris obtineri possit; cùm ergo per ejusmodi charitatem haud dubiè quàm plurimi gradus gloriæ obtineantur, qui sine illa nunquam obtinerentur, rectè concluditur, optimè facturum eum, qui operam suam collocat in adjuvando proximo, tametsi ob aliquas leves peccati maculas inde contractas aliquo tempore in igne purgante hærere deberet. Hinc ( ut *Jacobus Marchantius* tr. 4. Virg. Aaron. lect. 1. testatur) *S. Theresiæ* tam jucundum erat, salutem animarum quocunque tandem modo procurare, ut diceret: Quale mihi damnum, aut cur conqueri debeo; licèt ad usque diem Judicii pœnas Purgatorii sustinere me oporteat, modò per illud consequar, quò una anima salvetur; quantò ergo magis, si agatur de plurium animarum lucro, id vereri nequaquam deberem?

12. Altera Ratio præponderans hæc censeri debet, quòd animarum zelus sæpè animas nostras ad æternam beatitudinem transmittat, quæ sine hoc æternùm periissent. Cùm enim *eleëmosyna*, teste *Tobia* 4. *ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Quantò magis ergo hunc effectum causabit hic zelus, qui est eleëmosyna omnino perfectissima? Præterea fieri nequit, quin illæ animæ, quas ad cælum venire juvimus, sine intermissione Deum pro salute nostra exorent. Libet audire aliquam historiam, desumptam ex *Spec. Exemp.* v. Conf. exemp. 18. Quidam Frater, bonus Prædicator, habens multos filios & filias Confessionis, hanc virtutem habuit, quòd pauperculárum & devotarum personarum confessiones libenter audiebat. Quo jacente in extremis, quædam devota mulier vidit in excessu mentis, quòd idem frater erat filius perditionis, usque dum spiritum exhalare debuit, & tunc Dominus misertus salvavit illum. Nam ejus anima egressa descendit in gravissimas incendii pœnas, sed ipsâ die mortis suæ vidit lacrymas & orationes

devotarum filiarum suarum magnam partem incendii ejus extinguere. Horâ autem liberationis ejusdem Fratris de Purgatorio, venit vox ad eandem Sororem dicens: Propera ante altare S. *Catharinæ*, quia ibi hodie dedicatio erit (in isto enim altari idem Frater solitus erat celebrare) quæ jussa complens vidit fratrem illum duci è Purgatorio, & venire super idem altare, & protinùs multi filii & filiæ ejus, qui antè obierant, & ad Patriam discesserant, descenderunt de cælo, eúmq; secum in cælestem Jerosolymam adduxerunt. Ecce fructum ex animarũ zelo prognatum! quò abiisset Sacerdos hic, si per hujusmodi charitatis opera, aliis impensa, Deum sibi propitium non reddidisset?

13. S. *Petrus Damiani* in vita S. Romualdi scribit cujusdam Cœnobii Monachos, bestiali furore agitatos, Sancto viro insurrexisse, quòd in plurimis depravatis eorum moribus se contrarium ostenderat. Conspirârunt itaque contra ipsum, & junctim, assumptis armis, cellam ejus irruperunt, gravibus verberibus cæsum regione illâ ejecerunt. Quare *Romualdus* decrevit imposterùm sibi ipsi tantùm invigilare. Quid ita laboro? inquiebat; nonne satis est, si meipsum salvem? Quot Sancti Eremitæ omnino solitarii in remotissimis desertis degunt, propriæ tantùm saluti consulentes? Cur non & ego hoc agere potero? Quid opus est de aliis solicitum esse? Fracta est navis, qui potest, effugiat. Cùm similia in mente coxisset, tanto terrore concuti pectus suum sensit, ut putaret se Deum conspicere iratum, fulminantémque è cælis, subtus verò explicatas inferni fauces, ita ut jam jam se damnandum crederet, si obstinatè in facta deliberatione persisteret. Timuit ergo, & contremuit, sententiámque mutavit, & fervore ardentissimo totum se alienæ saluti tradidit, ita ut desideraret, posse omnes homines à fugacium rerum amore deflectere, & ad cælestia concupiscenda, ipsamque Dei fruitionem efferre. Itáque liquet non paucis ad salutem propriam assequendam necessarium esse animarum zelum, sine quo aliàs perirent.

14. Hanc ob causam legimus in *Historicis Ecclesiasticis*, etiam Anachoretas, quos ad solitudinem colendam Deus vocârat, cùm Ecclesiam Christi à Tyrannis & hæreticis divexatam, Fideles autem doctrinæ & opis indigos cernerent; ad tempus, quiete sepositâ, eremo egressos per urbes circumcursasse, partim hæreticos confutando, partim Catholicos tum instruendo, tum ad mortem constanter pro fide oppetendam animando. Sic fecisse legimus *Magnum Antonium* temporibus Imperatoris Constantini, nec non alium virum Sanctum nomine *Acepsemam*, qui sexaginta ipsis annis anteà reclusus, nullum mortalium viderat, vel convenerat; nec non alios permultos. Quorum unus *Aphrates* nomine, egregium quoad hoc Imperatori Valenti Ariano responsum, & simul facti sui rationem dedit. Cum enim quæsitus esset, cur solitudinis quietem reliquisset? Respondit: id se fecisse, eò quòd incendium in domo paterna, id est hæresim in Ecclesia novam, exortum advertisset; non decuisse proinde, ut non & ipse ad incendium hoc extinguendum accederet. De S. *Simeone Salo* scribit *Leontius Episcopus Cyprius* in ejus vita, quòd, cùm viginti quinque annorum spatio in solitudine summa cum perfectione obsequium Deo præstitisset, statuerit tandem in urbem se conferre, ut lucrari animas posset. Quamvis autem *Abbas Joannes* à tali proposito eum removere niteretur, hanc esse tentationem diaboli dictitans, nihilominus in urbem profectus est, stultum se finxit, & sanctâ suâ felici & prudentissimâ

stultitiâ ingentem animarum fructum collegit, multas secum in cælum abduxit; ibique gloriosâ & celeberrimâ pompâ susceptus est.

15. Metuebant enim etiam SS. *Anachoretæ*, ne cum servo pigro in tenebras exteriores mitterentur, si in suis spelæis sibi solis vacarent, aliorum verò salutem negligerent, cùm eam promovere possent. *Quia* (ut S. *Gregorius* 1. Past. cap. 5. & D. *Thomas* 2. 2. quæst. 133. art. 1. inquiunt) *illos, qui prodesse utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, si districtè judicentur, ex tantis reos esse, ex quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt.* Os Divinum per *Salomonem* Prov. 11. vers. 26. loquens ait: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Quæ verba S. *Hieronymus* interpretatur, & dicit: Frumentum quid aliud significat, quàm divinum Verbum? Sacra Scriptura alimentum est, quo nutriuntur animæ; Qui populos alere potest, qui eos erudire, & lumen ipsis & salutem conferre novit, & hoc negligit, væ huic, nam omnes Dei & hominum maledictiones se in ipsum effundent. Servus ille piger in Evangelio in tenebras exteriores missus est non alia de causa, quàm quòd otiosum detinuerit talentum, quòd negotiatus non fuerit, quòd lucrum non auxerit. Ita & tu quidem (ait S. *Chrysostomus* ora. 1. adv. Jud.) tametsi ipse purus & innocens perseveres, cæterùm non augeas talentum, nec fratrem pereuntem revoces ad salutem, eadem, quæ ille patitur, patiêris.

16. Verùm enim verò si tam atrocibus subjiciantur pœnis illi, qui ex Charitate duntaxat obligati non quærunt animarum lucra, dum possent; Quid, quæso, non fiet illis, qui ex Justitia simul, & ratione officiorum suorum ad animarum salutem promovendam tenentur, nihilominus tædio victi, & otio torpentes animas sibi creditas perire sinunt, nec eas doctrinæ pabulo nutriunt? Profectò repetere hîc fas est verba Christi de Juda Proditore prolata: *Meliùs illis foret, si nati non fuissent.* *Isaias* eò quòd vice quadam tacuerit, & peccata populi, optimatum & præcipuè *Oziæ* Regis (ùt SS. Doctores *Hieronymus* & *Cyrillus* declarant) reprehendere neglexerit, adeò timore concussus est, ut exclamarit: *Væ mihi quia tacui. Isa. 6.* Porrò, si tam præclarus Propheta horruit damnationem propter perniciosum silentium suum: heu! quid non meritò pertimescere deberent animarum curatores, dum errantes non dirigunt, neque peccantes, ut par est, corrigunt, nec reprehenduut, sed tacentes eorum peccata quasi approbant. Certè mirum videri debet, tales Pastores posse salvari, cùm tot animas sibi concreditas ad tartara suâ socordiâ delabi sinant. Lubet ad hoc propositum nostrum audire horrendum factum, quod in magno *Exempl. Speculo* exemp. 12. dist. 9. refertur. Decanus quidam, cui animarum cura erat commissa, cùm gravi aliquando correptus morbo decumberet, invisit ipsum Sanctus quidam vir, cum quo magnâ utebatur familiaritate. Inter varia colloquia seriò de animæ salute agebat probus ille vir, sed vix inceperat, & ecce statim ægrotantis cubiculum densissimis perfusum est tenebris, auditáque horrenda quædam vox instar nubium fragoris: *Surge, surge Sacrilege, exspoliator Christi, & interfector pauperum, veni & accipe indumentum.* Pòst animam quantocyus reddidit infirmus, ejúsque corpus obriguit carboni simillimum. Rediit ad Monasterium probus

ille Religiosus, totus horrefactus, & ferventibus precibus Deum rogavit, ut dignaretur statum Decani illius manifestare. Die quadam, cùm oraret, apparuit defunctus horrendâ specie; Religiosus, quis esset? interrogat. Cui ille: Ego sum talis Decanus, maledictus & damnatus, quondam familiaris tuus. Tunc Sanctus: Miror planè, quòd, cùm homo castus semper fueris, probus & discretus, æternùm damnatus sis. Respondit infelix ille, Non mireris de hoc, sed mirare, quomodo Clericus habens Ecclesiam possit salvari, quomodo salutem obtinere queat, animarum qui curam habet. Adjuratus, ut damnationis causam diceret, non tacuit. Itaque plurimis causis enarratis, quæ damnationem Clericis parant, etiam hanc ut præcipuam adduxit, quia nimirum *Prædicationem* abhorrent, quia animas sibi commissas non pascunt, quia studium in eo non ponunt, ut subditi christiano more ac piè vivant, sed animarum salutem penitùs negligunt abjectâ omni curâ, & fervore.

17. Hanc catastrophen confirmat alia historia, quam recenset *Vincentius Bellovacensis* l. 24. specul. histor. c. 98. aitque *Henrici IV.* Imperatoris ætate duos laxioris vitæ Clericos pactum iniisse, ut, qui prior hinc migraret, viventi appareret, darétque statûs sui notitiam. Non multò pòst eorum unus animam efflavit, alterique apparens dixit, se æternùm damnatum; & simul addidit: *Sathanas, & omne satellitium inferorum omni Ecclesiastico statui gratias de tartaro emittunt, quòd, cùm ipsi in nullo suis voluptatibus desint, tantum numerum subditarum animarum patiuntur ad inferna descendere* Prædicationis incuriâ, *quantum, nunquam viderant retroacta secula.* His dictis disparuit defunctus, & vivus Religiosum Ordinem ingressus est, ut pœnitentiam ageret. Hinc ergo patet, quàm præcipiti cursu ad tartara devolvantur animarum Pastores unà cum suis subditis, dum eis salutaris doctrinæ pabulum subtrahunt. Quamobrem O Reverendi Patres, Fratres mei in Christo charissimi, qui in Superiores electi estis, quibúsq; vestrorum confratrum animæ sunt commissæ, vestris advolutus pedibus, eâ, quâ fieri potest reverentiâ, & summo charitatis affectu supplex rogo, ut diligenter & attentè expendatis, quod vobis D. P. *Augustinus* in aurea sua Regula præscribit, dum ait: *Ille qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem*; Dicit vos esse felices, non quia aliis præpositi, & in majori dignitate constituti estis, sed quia per charitatis opera, præcipuè per animarum zelum mirum in modum æternæ beatitudinis gaudia cumulare præ aliis valetis. Sed væ vobis, si hanc charitatem negligitis. Ecce barathrum est profundissimum, quod se sub vestigiis vestris, & plantis aperit, si animarum salutis zelo non ferveatis, quorum facti estis custodes. Si exhortandi, instruendi, & docendi munus neglexeritis, si omnem industriam, & omnes vires non impenderitis ad obstruendas inferni fauces, ne in eas incidant illi, quorum regimen vobis commissum est, æternæ damnationis rei estis. Vobis loquitur Deus Omnipotens per *Ezechielem* 3. v. 18. *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

18. DEUS hæc loquitur & clarè Prælati, & vos omnes, qui animarum curam geritis, si curam suscepistis, ut sine cura vivatis, magnis passibus ad infernum prope-

properatis. Cura vestra perpetua debet esse, mordax & pungens, quæ semper vos stimulet die noctúque, & somnum ex oculis vestris excutiat, ut nimirum ex subditis vestris nemo pereat. Væ vobis, si vel unicus incuriâ vestrâ pereat! Quapropter invitate, arguite, allicite, perterrete eos, explicate & prædicate illis vitiorum turpitudinem, peccatorum horrorem monstrate, pœnarum atrocitatem exaggerate, inferni supplicia, ignem, flammas, tormentorum æternitatem, quibus improbi plectuntur, intimate; inite denique omnem viam, omnia adhibete media, ne quisquam damnetur. Si hæc agere neglexeritis, eorúmque saluti non incubueritis, sed eos perire siveritis, damnationis, quam ipsi incurrunt, rei eritis; & væ vobis tunc! S. *Gregorius* hom. 11. in hunc textum altùm ingemiscens, exclamat: O miseros nos! O miseros omnes S. Ecclesiæ Prælatos! Ecce, quibus periculis obnoxii simus. Super ea mala, quæ propria habemus, alienas mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.

# PARS TERTIA.

19. Porrò si tam severè in die Judicii à Deo judicabuntur illi, qui vi muneris sui nullas oves Christo Domino lucrati sunt; Quid, quæso, de illis erit, qui nedum suâ negligentiâ, & perniciosâ taciturnitate, verùm etiam malis & pravis suis exemplis, & moribus multas perdiderunt, & in damnationis barathum deturbarunt? Quid, inquam, de illis erit? Id certò ipsis continget, quod vaticinatus est Vates *Jeremias* 17. v. 18. *Duplici contritione contere eos.* Quid hoc significat? Declarat S. *Laurent. Justin.* l. de Just. & regim. Prælat. c. 5. dicens: Duplici contritione atteritur Pastor, dupliciterque judicii efficitur reus, sui videlicet, & ovium perditione, præsertim earum, quas ex ipsius convincitur periisse incuria. Judicium quippe, quod subire debebunt, terribilius erit quàm aliorum, quia duplex erit, pro se enim respondebunt, & pro subditis; suorum scelerum pœnas dabunt, & subditorum qui perierunt, cùm eorum damnationem non impedierint, ùt illorum officium exigebat. Hinc idem Propheta *Jeremias* 25. præcipit Pastoribus, ad Divinum tribunal perducendis, *Ululate Pastores, & clamate, & aspergite vos cinere optimates Gregis: quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini: & dissipationes vestræ, ut cadatis quasi vasa pretiosa.* Sed nonne ululare propriè dicuntur lupi? Omninò, & hinc Propheta optimè dixit: *Ululate Pastores,* quasi dicat, vobis loquor, qui quoad officium Pastores estis, sed in lupos vos transformatis quoad muneris vestri exercitium; dilaniatis enim, interficitis, & ultimum paratis interitum ovibus, animabus, inquam vobis creditis. Hinc dissipabimini, hinc ad secundam mortem damnandi estis, & velut pretiosa vasa cadetis. Mysteriosus loquendi modus, ait hîc S. *Hieronymus*; quia quantò antè fuêre pretiosiora, tantò majus eorum in confractione fit damnum. Quod de vasis decidentibus & confractis dicitur, hoc de vobis asseritur Pastoribus. Nobiliores, sublimiores cæteris fuistis; cadetis proinde in infernum, & tantò terribilior erit vestra damnatio.

20. Ex his manifestè patet, periculosissimam fore Prælationem illi, qui priùs in schola Christi non fuerit sufficienter instructus, ac in virtutum exercitiis probè exercitatus; cùm enim ad Prælatum spectet suis subditis viam Salutis monstrare, eósque virtutibus imbuere, hoc profectò præstare, ut par est, nequit, nisi & ipse tum doctrinæ tum virtutum laude præstet, quomodo enim fideliter saluti alienæ invigilabit, qui propriam negligit? Audi Sapientem. *Eccli.* 14. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Hinc quisquis proximum instruere debet, ut ipse in eo instructus sit, oportet. Quod pulchrâ similitudine *S. Basilius* declarat, dicens: *Qui alium jacentem erigere vult, altior omnino lapso esse debet; qui verò æquè lapsus est, altero, qui erigat, etiam ipse opus habet.* Hinc monet *Isaias* c. 52. v. 11. *Mundamini, qui fertis vasa Domini. Vasa Domini ferunt* (inquit S. Gregor. p. 2. Past. c. 2.) *qui proximorum animas ad æterna Sacraria perducendas, in suæ conversationis fidem suscipiunt: apud semet ipsos verò quantùm debeant mundari, conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ sponsionis portant. Certè quisquis juxta hoc, quod loquitur, non vivit, quos verbo genuit, à stabilitate rectitudinis opere evellit.* Astipulatur huic S. Pontifici *Mellifluus Bernardus* serm. 18. sup. *Cant.* qui animarum curatores conchas, & non canales esse vult; canalis enim quamprimum aquam recipit, eam mox transmittit, nil de ea sibi retinens; tales sunt, qui quod docent, non faciunt. Quamobrem, inquit S. Abbas, *si sapis, concham te exhibebis, & non canalem; Nam sicut concha prius seipsam explet, & perficit, & postea primum, quod superest, aliis distribuit; ita qui curam aliorum suscepit, prius seipsum perficere, & donis spiritualibus replere, & tum ad similia dona aliis procuranda descendere debet; benigna enim prudénsque charitas affluere consuevit, non effluere.* Quia ergo non paucos, non conchas, sed canales esse videmus, quos in aliorum Magistros datos esse cernimus, qui nec unquam boni discipuli fuerunt, mirum videri non debet, quàm plurimos in Prælationibus, & animarum curis constitutos pessum ire, ùt hactenus tam in sermone præsenti, quàm antecedenti memoratum. Non quòd animarum cura in se non esset bona, optima enim est; sed quia bono mali malè utantur, ideo ubi virtutum studiosi mel ingentium meritorum sibi comparant, ibi fel interitûs proprii illi sugunt.

21. Quamobrem, ut quis tutè & sine propriæ salutis discrimine Prælationem quampiam, seu animarum curam suscipere valeat, necesse est, ut antè solidum virtutum fundamentum ponat, necessariámque ad hoc munus ritè fungendum, doctrinam magno labore & industriâ sibi comparet. Hoc ipse Christus suo nos docet exemplo. Quare enim toti mundo Regnum Dei prædicare ad annum usque trigesimum differre voluit, cùm jam à primo conceptionis suæ instanti omni Sapientiâ abundaret? & cur postmodùm ante suam prædicationem in desertum concessit, jejunaturus, aliásque corporis asperitates exerciturus, & diaboli tentationem experturus? ut suo nos exemplo edoceret (ait S. *Gregor.*) quanta ad hoc sublime ministerium præparatio & perfectio requiratur: ipse enim hisce præmunitionibus & præparationibus neutiquam opus habebat. Hinc rursus idem S. Pontifex diligenter ponderat id, quod de illo S. *Lucas* c. 2. scribit: *Invenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.* Adverte (inquit) & attentè considera, quod

JESUM duodennem in templo inter Doctores parentes invenerint, non docentem, sed audientem & interrogantem. docere scilicet volebat, ne, qui in virtute adhuc puer, tener, & imperfectus est, alios docere & ante tempus in tam arduum & eminens ministerium se ingerere præsumat: cùm ipse id ætatis non alios docere, sed tantùm audire & interrogare voluerit, etsi alioquin esset is, qui omnem hisce Doctoribus scientiam & Sapientiam, utpote verus Deus, communicabat. Inde etiam factum est, ait idem *Gregor.* quòd, cùm Apostolos & Discipulos suos per totum terrarum orbem Evangelium prædicare jussisset, ipsísque omnem ad hoc necessariam virtutem perfectionémque dare potuisset; hanc tamen ipsis tunc non cōtulerit, nec eos ita rudes & imperfectos prædicare permiserit, sed dixerit eis *Luc.* 24. *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Ut hoc pacto ostenderet, quàm nos necesse sit, solidum antè in virtutibus, humilitate maximè & mortificatione, fundamentum ponere, ut postea animarum curam suscipientes, & cum proximo conversantes, opus impositum, & magno nobis commissorum bono ac compendio, & nullo nostro dispendio exercere valeamus.

22. Ut ergo ea, quæ Pastor suos sibi creditos docet, vim & efficaciam habeant, eadem ut & ipse agat necesse est; nam tametsi salutaris doctrina multùm conferat ad movenda corda, si tamen hæc sine virtute erit, nil penitùs persuadebit; quia quod unâ manu ædificat, altera destruit. Itaque vitæ Sanctitas tum in Prælatis, tum in Concionatoribus & Confessariis tam necessaria est, imò magìs adhuc, quàm doctrina. Certissimum enim est, bonæ vitæ exemplum longè esse ad animos permovendos efficacius ac potentius, quàm quæcunque haberi queant verba, aut conciones. Hinc Author operis imperfecti homil. 10. ait: *Melius est facere, & non docere; quàm docere, & non facere. Quoniam qui facit, etsi tacuerit, aliquos corrigit suo exemplo: qui autem dicit, & non facit, non solùm neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat, multísque nocet.* Igitur quisquis spiritualem in aliis fructum causare desiderat, priùs facere quàm docere opus est. Unde Christus viam in cælum operibus primò docere cœpit, deinde ad verba descendit Ait quippe *Lucas* Act. 1. *Cœpit JESUS facere, & docere.* Primò triginta annis voluit laborare & facere, ut triennio doceret. Ut verbo dicam, tam piè & exemplariter animarum Pastor vivere debet ut veraciter cum *Apostolo* 1. Cor. 4. ℣. 16. suos subditos compellare possit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. S. Dionysius Areopagita*, loquens de Sanctitate & perfectione, quàm Sacerdotes & Ministri Evangelici præferre debent, eos (ait) esse debere sanctos in se, ut sic sanctificent alios; perfectos, ut perficiant proximum; tantam quoque Dei habere lucem & cognitionem, ut & alios illuminare, lucémque suam vicinis communicare possint; ita denique amoris divini æstuare incendio, ut etiam aliis æstum suum afflare, & eundem amorem in corde proximi accendere queant. Nam (ut bene ait *S. Gregorius*) *qui non ardet in se, non accendit alios.* Quia, ut *S. Thomas de Villa nova* dicere solebat: *Quomodo de corde frigido ardentia scintillare poterunt verba?* Tunc verò verba nostra amorem Dei in aliis accendent, quando è corde æstuante, & amoris divini flammis accenso prosilient; unum enim tale verbum plùs proderit, quàm alia centum, si nimirum erit ignitum.

23. Differuimus hactenus de prima, & secunda conditione ad munus pastorale ritè obeundum necessariâ, de verbo scilicet, & exemplo, nunc de tertia conditione, quæ est oratio, aliqua memorare libet. Ad vigilantem ergo Pastorem etiam pertinet, ut pro suo grege ferventes ad Deum preces effundat. De quo sapienter S. P. *August.* l. 4. de doct. Christ. c. 15. ait: *Munus suum ut præstet* (operarius Evangelicus) *magis opus est pietate orationum, quàm Oratoris facultate, ut orando pro se, & pro illis, quos est allocuturus, prius sit orator, quàm dictor.* Quod idem S. *Bernardus* epist. 101. confirmans, dicit: *Nunc manent tria hæc, Verbum, Exemplum, Oratio, major autem horum oratio; ea namque operi & voci gratiam & efficaciam promeretur.* Nil quippe sic iram Dei super capita peccatorum jam jam imminentem efficaciùs avertere potest, ùt fervens oratio. Exemplum habemus in *Moyse* Exod. 32. ℣. 10. Cum enim Deus filios Israel, eò quod vitulum conflatilem adorassent, exstirpare vellet, Moyses verò, ne hoc faceret, ferventer eum deprecaretur; dixit Deus: *dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.* Quid hoc est, Domine? cur dicis, *dimitte me?* quis te aut tenet, aut detinere potest? quomodo ergo dicis, *dimitte me?* Exactè hæc verba ponderat S. P. *August.* quæst. 149. sup. Exod. aitque: Orationis robur, & efficaciam videbis, & quantùm apud Deum valeat; hoc nimirum significare voluit per illud: *Dimitte me*, quod nec verbum est imperantis (aliàs servus non obediendo malè ageret) nec petentis vel orantis (non enim hoc à servo suo Deum petere decebat) sed indicare voluit, orationes justorum iræ Dei posse reluctari, eúmque iratum placare. Quod reapse *Moyses* oratione suâ effecit, ut ibidem ℣. 14. notatur: *Placatúsque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Hinc non immeritò S. *Magdalena de Pazzis* valde commendabat suis Monialibus, ut ardenter orarent pro salute animarum, & conversione peccatorum, & hoc exercitium dicebat valdè Deo gratum esse, & saluti propriæ multùm proficuum.

24. Quin & Deus ipse intentatum flagellum suis è manibus excuti gaudet, desiderátque reperiri aliquem, qui se ponat intermedium ad vindictam ejus avertendam. Quin imò tales interdum studiosè conquirit, ac summoperè dolet, & conqueritur, cùm desunt, qui iræ suæ per orationem obsistant. Per *Ezechielem* c. 22. ℣. 30. námque sic expostulat: *Et quæsivi de iis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dispenderem eam, & non inveni.* Hinc liquidò patet, quantum sit orationis Justorum, & Amicorum Dei robur & efficacia, quia ipsa ad brachium ejus retinendum, illiúsque iræ resistendum, nimis quàm potens est. Ex quo etiam confirmatum manet id, quod proximè dictum est; referre scilicet ad fructum in proximo faciendum, Sanctos & amicos Dei nos esse. Qui enim inimicos diffidentes invicem conciliare volet, gratus & acceptus sit oportet illi, cujus mediatorem agere, & quem alteri reconciliare studet, aliàs oleum operámque ludet. Tantùm porrò ad bonum proximi promovendum valet bona & Sancta vita, ut, quamvis aliam orationem pro eo non faceremus, quàm quòd insigniter Sancti & boni esse studeamus, hoc unum illi multùm prodesset. Hinc registratur in libro *Genesis* c. 18. ℣. 20. Deum voluisse *Sodomæ & Gomorrhæ* parcere, si decem Justi in eisdem inventi fuissent, sed cùm ne decem quidem invenirentur, quinque illas civitates igne

sulphu-

sulphureo Deus delevit. Unde sole meridiano clariùs patet, quanti ad alios juvandos momenti sit, probitas, & Sancta vita Justorum. Quàm enim Sodomitis profuisset, si decem saltem justi inter eos reperti fuissent! Aliàs cùm vellet Dominus Jerusalem castigare, & regnum Judæ in manus Chaldæorum tradere, qui ipsum everterent, & omnes incolas ejus in ore gladii absumerent, idque ob enormia scelera, quæ in Divinam ejus Majestatem admiserant; antè per *Jeremiam 5.* ait: *Circuite vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem* (qui nimirum in Deum æquè ac proximum fidelis sit) *& propitius ero ei*; id est, illius unius ob causam parcam civitati ac regno, & flagellum, & exterminium, quod ei intentavi, auferam. Unde non sine ratione exclamat S. *Hieronymus* in eum locum scribens: Vide, quanti Deus faciat unum virum justum; cùm non solùm pro decē justis, qui in civitate reperirentur, sicut olim ad *Abraham* dixit, sed si vel unum inter innumeros impios invenerit, misserturum se dicat eorum, & flagellum, quod promerentur, aversurum. Quisquis ergo suos subditos, aut quoquo modo ad se pertinentes, ad pietatem inflammare, eorúmque salutem promovere volet, justus sit, oportet; sic enim haud dubiè quidquid voluerit, faciliùs eisdem persuadebit simplici instructione, quàm aliàs magnâ eloquentiâ, aut doctissimâ concione.

# PARS QUARTA.

25. VErum enim verò, cùm nihil magis eos, qui proximo se impendere, ejúsque salutem promovere student, dejicere & exanimare soleat, quàm quòd omnibus concionibus & exhortationibus suis, reliquísque, quæ ad hunc finem usurpant, mediis parùm se fructificare, & nihil dum proficere, comperiunt. Unde interdum sic querendo expostulant: *Quàm pauci convertuntur, quàm pauci proficiunt, vitámque priorem corrigunt, quàm denique pauci & rari sunt, qui perseverent?* Quæ quia communis est querela & tentatio, hinc ei in præsens respondebimus, quæ responsio efficax nobis medium erit, ad virilem in ministeriis nostris vigorem, & constantiam induendam. Egregiè punctum hoc pertractat S. P. *August.* ac querelæ huic Redemptoris nostri exemplo respondet, ac satisfacit. Putas, inquit, Dei Filium solis discipulis, aut iis, qui in ipsum credituri erant, prædicasse? Etenim videmus eum etiam suis prædicasse inimicis, qui tamen ad ipsum tentandum, quærendúmque, num quo in verbo calumniam illi struere possent, ad eum veniebant. Imò interdum eos ipse ultrò interrogabat, ut responsionibus eorum propriis eos convinceret: aliàs ad eorum postulata respondebat, tametsi sui tentandi causâ ea ab ipsis proponi sciret. Quod cùm faceret, nullum ex his legitur ad eum sequendum fuisse conversum. Non erat utique illi ignotum, quàm parùm fructus hinc esset secuturum: attamen ut suo nobis exemplo præiret, concionari quoque voluit iis, quos noverat doctrinâ suâ nec conversum iri, nec utilitatem aliquam ex illa capturos, forsan etiam deteriores fore: ut videlicet discamus nos, qui prorsus ignoramus, utrùm illi, quibuscum agimus, convertendi

sint, necne: à prædicando, confessionibus audiendis, & ab aliis, quæ officii nostri sunt, exequendis nequaquam desistere, nec animum propterea despondere, quòd non statim aliquis ad oculum fructus appareat.

26. Etenim si agricola protinus ab agricolatione resiliat, quòd semel atque iterum acciderit aëris inæqualitas, fame brevi periremus omnes. Ita si mox à prædicatione Verbi DEI cessaramus, eò quòd exiguum sæpè fructum in auditoribus faciamus, quid tandem fieret de genere humano? Certò longè plura & enormiora scelera Christiani perpetrarent. Præterea quamvis illi auditâ exhortatione non videantur statim converti, nec fructum inde capere; forsan postmodum convertentur, & hoc verbi Divini semen, quod in cor eorum cecidit, postea (uti fieri amat) suum fructum dabit. S. *Jacobus Major* cùm in Hispaniam Evangelii prædicandi gratiâ profectus esset, tam exiguum fructum collegit, ut de eo scribat S. *Antoninus* 1. p. hist. tit. 6. c. 7. Hic post adventum Spiritûs Sancti ad Hispaniam accessit ad prædicandum, & cùm videret gentem illam agrestem doctrinam ejus non accipere, tantùm novem, secundùm alios, duos tantùm ad fidem convertit, illos secum ducens reversus est Jerosolymam. Quis ergo non dicet S. *Apostolum* parùm profecisse in salute animabus conferenda? Et ecce, post obitum ejus, semen illud Evangelicum, quod sparserat, fructum tam abundantem produxit, sicque germinavit, ut tota deinde Hispania Christi fidem susceperit. Nunquam proinde, quidquid à parte nostra ad subveniendum proximo afferre ipsi possumus, omittamus. Porrò, quòd nostris exhortationibus sæpè nihil penitùs in proximo efficiamus, scire oportet, non rarò nos ipsos esse in causa, vel ob nimiam in propriis viribus confidentiam, vel ob detestabilem de divina gratia diffidentiam; ratione cujus multis evenit, quod *Moysi* & *Aaroni* Deus dixit: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram Filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Num. 20. ℣. 12. Cui proinde malo, ut occurratur, magna de vocatione divina æstimatio concipienda est, illúdque pro certo habendum, quòd DEUS, qui aliquem pro instrumento elegit, possit etiam & velit id per eum efficere, quod ad majorem suam gloriam facere decrevit.

27. S. *Petrus* teste S. *Luca* 5. per totam noctem in piscatione multùm desudavit, neque tamen vel unicum cepit pisciculum: & quare hoc? quia *Petrus* in labore proprio fiduciam habuit, ideo incassum laboravit. Ast quàmprimum Redemptori Domino dixit: *In verbo tuo laxabo rete*: & ecce, ingentem mox piscium multitudinem uno tractu conclusit. S. *Ambrosius* textum hunc declarans, exclamat: O *non vacua præsumptio! O humilitas fructuosa! qui nihil antè ceperant, magnam in verbo Domini concludunt piscium multitudinem.* Itaque si hactenus omnibus conatibus tuis incassùm laborasse arbitraris, noli propterea animo concidere, sed præsume de gratia, & non vacuam futuram præsumptionem experieris; si usq; modò oleum & operam perdidisti, accinge te operi denuò, Divino auxilio nixus exhortationis rete iterum jacias, & videbis te minimè in vanum laborasse. Et si porrò minimam etiam utilitatem uni tantùm animæ attu-

leris

leris, credas labores tuos optimè impensos esse. S. *Ignatius* Lojol. ut proditum est in ejus vita l. 3. c. 9. strenuam operam navavit, ut Romæ Monasterium, S Marthæ erigeretur, in quo illæ susciperentur fœminæ, quæ mundanâ vitâ, turpique lucro relicto, eò concedere vellent agendæ pœnitentiæ gratiâ; & ille ipse, cùm Generalatûs officio fungeretur, sæpiùs similis farinæ mulierculas ad cœnobium illud duxit. Cùm vero ei aliquando diceretur, quòd tempus frustra in hoc insumeret, vanúsque esset ipsius labor, cùm paulò pòst minimâ oblatâ occasione ad vomitum redire viderentur, hæc memoranda verba Sanctus vir reposuit: *Minimè sane, sed si omnibus vitæ meæ curis atque laboribus id possim efficere, ut vel unam noctem peccato vacuam transigere proponeret istarum aliqua, omnes ego quidem nervos contendam, ut vel illo exiguo tempore Deus & Dominus noster non offendatur, esto alioquin certò scirem, eam quamprimum ad obscœnam libidinis suæ consuetudinem reversuram.* Hinc quamvis certi essemus nostris admonitionibus, exhortationibus, & concionibus in proximo parùm fructificare, nihilominus tamen, si omnis hic nòster labor, quem toto vitæ tempore suscipere possemus, vel unum duntaxat lethale scelus impediet, benè impensus dici debet. Atque hic est verus honoris & gloriæ Divinæ zelus.

28. Verùm, ut pergamus ulterius, demus nullum penitus converti, neminem peccatata deserere ne ad horam quidem, non propterea à prædicando, aut iis, quæ à parte nostra ad proximum juvandum adhibere possumus, exequendis cessare nos oportet, quia magnus satis fructus est, satis facere officio suo, & Dei voluntatem implere; uti S. *Chrysostomus* conc. 1. de Lazaro pulchrè indicat dicens: Utinam oratio nostra aliquid profectûs adferat. Quòd si post longam admonitionem in iisdem vitiis perseverarint, ne sic quidem nos desistemus illis, quòd rectum est, consulere, quandoquidem & aquarum venæ, etsi nullus veniat aquatum, manant tamen: & fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt: & amnes, etsi nemo bibat, nihilo secius fluunt: oportet & illum, qui concionatur, quamvis nullus auscultat, tamen præstare, quidquid in ipso situm est. Si quidem hæc lex nobis, qui sacri sermonis administrationem suscepimus, à benigno præscripta est Deo. In doctrinæ hujus confirmationem S. *Ignatius Lojola* hortabatur suos, ut exemplum Angelorum Tutelarium ob oculos semper haberent, qui, quos à Deo sibi commissos habent, monent quoad possunt, defendunt, regunt, urgent, ad bonum juvant; & si voluntatis libertate abutantur illi, & inobsequentes ac obstinati sint, propterea tamen nullo anguntur mœrore, nullâ afficiuntur molestiâ dicentes: *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Jerem. 51. 9.

29. Considerare etiam oportet, quòd labor noster, tametsi omni fructu destituatur, præmio suo non sit cariturus. Egregiè id ostendit S. *Bernardus* l. 4. de consider. c. 2. scribens ad Eugenium Pontificem, suum olim discipulum: Eum ergo cùm esset exhortatus ad populi & curiæ Romanæ reformationem, hanc tandem sibi objectionem ab illo oggeri fingit: Ridebis fortasse me, dicens, frustra in populo Romano ordinando, & ad meliora provocando laborari, utpotè protervo, superbo, tumultibus, bello, dissidiis, assueto; immiti, intractabili, indomito, in pace vivere nescio, ac proinde nullam emendationis ejus spem affulgere, & ope-

ram, quæ ei impenditur, omnem ludi. Eleganter porrò ad hanc respondens *Bernardus*: Noli, inquit, diffidere, curam exigeris, non curationem. Audisti, quid dicat Spiritus Sanctus per os *Ecclesiast.* 32. *Rectorem te posuerunt, curam illorum habe.* Non ait, cura, vel sana illos. Verum dixit quidam: *Non est in Medico semper relevetur ut æger.* Animarum es Medicus: ad Medicum spectat, diligentiam & industriam adhibere, ut æger sanitatem recuperet; de cætero non semper in ejus potestate est, ut morbo emergat. Fac quod scis & potes, & tuas explevisti partes. Unde quamvis fructum nullum pareres, sed ipsi indurati persisterent, & converti nollent, nihil tamen de tuo decederet merito. Planta ergo, riga, fer curam, cole vineam Domini, & tuas explevisti partes. Incrementum sanè & fructus non est tuus; eum dabit Deus, ubi voluerit; ubi fortè noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura: *Sap.* 10. v. 17. *Reddet justis mercedem laborum suorum,* non ait, *fructuum suorum*, sed *laborum suorum* DEUS reddet meritum. Quia præmium & mercedem unicuique persolvit secundùm opera ejus & labores, non juxta successum & fructum, qui inde sequitur.

30. Auream hanc *Melliflui Doctoris* doctrinam confirmat S. P. *Aug.* l. 1. contra *Cresconium* c. 5. hac similitudine. *Sicut,* inquit, *malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, meritò deceptionis pœnam incurrit: Ita fidelis Justitiæ Prædicator, etiamsi ab hominibus respuatur, absit, ut apud Deum officii mercede fraudetur.* Quod ipsum etiam B. Virgo S. *Birgittæ* l. 4. revel. c. 21. sequentibus verbis insinuavit: *Amici Dei non habent attædiari in servitio Dei, sed laborare, ut homo malus fiat melior, & homo bonus veniat ad perfectiora. Nam quicunque voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeuntium, quòd JESUS Christus esset verè Dei Filius, ac faciendo conaretur, quantùm posset, ad aliorum conversionem, licèt nulli vel pauci converterentur, nihilominus eandem mercedem obtineret, ac si omnes converterentur. Sicut per exemplum dico tibi: Si duo mercenarii ex præcepto Domini foderent montem durissimum, & unus inveniret aurum electum, alter verò nihil: Isti propter laborem & voluntatem digni essent æquali mercede.*

31. Quacunque ergo ex parte, & quocunque modo rem hanc intueamur, semper videbimus, nunquam esse nobis intermittendum id, quod à parte nostra ad proximi juvamen & conversionem conferre valemus, esto se ille convertat ac proficiat, vel non. Unde S. P. *August.* l. de fide & operibus c. 17. parabolam illam de invitatis explicans, & de servo, qui ab hero suo ad invitandum ad cœnam convivas abire jussus fuerat, loquens ait: An servum hunc inter pigros & inertes computabimus, quòd invitati ad cœnam venire noluerint? Minimè sanè, sed inter diligentes & sedulos, ipse enim promptè est executus, quod sibi fuerat imperatum: illos invitavit, rogavit, & quod suum fuit, abundè præstitit, ut ad cœnam venirent. Quia verò illi adesse noluerunt, ideo castigabuntur: Servus verò ob suam diligentiam non minùs, quàm si omnes cœnæ interfuissent, præmium accipiet. Ita quoque Deus aliam rationem à nobis non exiget, quàm, num, quidquid ad proximi conversionem potuimus & debuimus facere, studiosè fecerimus; quod verò nihilominus ille se ad meliorem frugem convertere noluerit, strictissimam & satis rigidam Deo Judici rationem reddere cogetur. Item quod nos ulteriùs ad fortiter & perseveranter pro proxi-

proxi-

proximi salute laborandum animare, & suaviter allicere debet, est, quòd non duntaxat merces & præmium, hisce nostris laboribus debitum, non minuetur eò, quòd forsan in aliis parùm aut nihil fructificemus; verùm etiam quodammodo dicere fas est, quòd plura faciamus, & promereamur, dum nullum planè fructum nasci ex omnibus nostris sudoribus & conatibus cernimus, quàm si multa & copiosa inde seges succresceret. Quemadmodum enim, dum de oratione loquimur, dicere solemus, plus præstare eum, qui in ea non habitâ devotione perseverat, quàm qui mirâ consolatione & devotionis sensu delibutus, in ea perseveranter perstat.

32. Concionatori quippe summo est gaudio, cùm videt se gratis auribus passim audiri, copiosum habere auditorium, & multos concionum suarum operâ ad meliorem frugem redire, atque inde proficere; hócque illi animos, robur & vigorem addit, efficitque, ut molestia & labor non sentiatur, uti egregiè notat *S. Gregorius* l. 35. Moral. cap. 11. Contrà maximopere is contristatur, languet, animóque concidit, cùm auditores suos nihil proficere, nullúmque è concionibus suis fructum sequi videt. Proinde magnæ perfectionis in Concionatore, & operatore Evangelico indicium est, cúmque sua purè propter Deum facere, dum videlicet perseverat, & in labore suo non minùs naviter pergit, quàm si à toto mundo audiretur, magnámque utilitatem omnes è laboribus suis caperent. Cum hac ergo intentionis puritate & perfectione nostra nos ministeria obire par est; non tam in fructum, & bonum laborum nostrorum successum oculos conjiciendo, quàm ut in ipsis Dei voluntatem faciamus, & ea, quàm possumus optimè, obeamus, ut sic Deo placeamus. Hoc quippe Divina ejus Majestas à nobis exigit & requirit. Itaque nec labor nos impediet, nec exiguus fructus, aut sinister successus animum nos despondere faciet; nec nos turbabit, nec pacem aut gaudium nostrum imminuet: quemadmodum fieri solet iis, qui suos oculos non tam in fructum & fœlicem operis sucessum, quàm in Sanctissimum Dei beneplacitum conjiciunt. Hæc de animarum zelo pro nostra eruditione sufficiant, plura qui volet, consulat *Alphonsum Rodriquez*, qui parte tertiâ tract. 1. fusiùs hanc materiam prosequitur, à quo etiam, quæ hìc attulimus, quædam desumpsimus.



SER-

# SERMO XXV.

## DE BONA INTENTIONE.

*Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in Gloriam DEI facite.* 1. Cor. 10. vers. 31.

## PARS PRIMA.

1. MIratione dignum est, quod Naturalistæ de aquila produnt; hæc scire volens, an pulli spurii sint, an verò legitimi, eos ex ungue suspensos in aëre tenere, & solaribus radiis opponere consuevit: tunc quicunque oculo irretorto solem intuentur, eos ùt legitimos agnoscit, in nidum reponit, educat, & escâ conquisitâ nutrit: at quos ad solare jubar connivere perspicit, eos ùt degeneres ex alto præcipites dejicit. Pari modo si scire discupimus, verine & legitimi Dei filii simus, videamus, an solem Justitiæ, qui Deus est, fixè intueamur, ad ipsum scilicet, quidquid agimus, per rectam intentionem dirigendo. Sed si quæras, quid sit bona Intentio? respondeo, *esse actum voluntatis, quo actiones hominis ad finem supernaturalem diriguntur.* Ipsa virtutum omnium finis, initium, decus, & ornamentum est. De qua locutus est Sponsus *Cant.* 4. dicens: *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum,* id est (ut *Honorius* explicat) in una intentione, quando unam tantùm rem anima petit à Domino, *ut inhabitet in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ,* Psal. 26. *& in uno crine colli tui,* hoc est, in una cogitatione intellectûs, quâ intelligit Deum esse summum Bonum. Porrò, Intentio bona ad virtutes congregandas, conservandas, & augendas adeò necessaria est, ut sine hac ne una quidem virtus haberi possit. Nam ut D. *Gregorius* in Moral. docet: *Sicut fabrica columnis, columnæ autem basi innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt.* Hinc Salvator noster apud S. *Matth.* 6. v. 22. ait: *Lucerna corporis tui est oculus tuus: Si oculus tuus fuerit simplex,* id est, Intentio tua recta & bona, *totum corpus tuum erit lucidum,* id est, actiones tuæ virtuosæ, & Deo gratæ erunt. *Si autem oculus tuus fuerit nequam* per pravam scilicet & perversam intentionem, *totum corpus tuum tenebrosum erit,* hoc est, actiones tuæ; quantumvis appareant bonæ & honestæ, malæ tamen & peccaminosæ erunt. Hinc ortum commune axioma: *Quidquid agant homines, Intentio judicat omnes;* hæc si defuerit, opera nostra mortua erunt, ùt docet *Richardus* de statu interiori hominis cap. 7. dicens: *Quod est corpus sine anima, hoc est opus sine intentione bona.*

2. Quæ

2. Quæ cùm ita sint, ideo jure merito *Tarsensis Præco* omnibus Christi fidelibus hanc magnâ energiâ tradit parænesin: ( 1. *Cor.* 10. 31.) *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in Dei Gloriam facite*, eâ nimirum intentione, ut Deus laudetur, & glorificetur. Idipsum repetit (*Coloss.* 3. 17.) *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini JESU* agite, id est, referte formaliter aut virtualiter ad Gloriam Dei. Eleganter Doctorum gravissimus, *Augustinus*: *Cùm manducas* (inquit in *Psal.* 34.) *& bibis, psalle: non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas; sed modestè & frugaliter, & temperanter manducando, & bibendo, gratias agens ei, qui tibi præbuit mortali & fragili ista supplementorum solatia: & cibus tuus, & potus tuus laudat Deum.* Is ergo Deum laudare censetur, qui comestionem, & potum refert ad laudem Dei; non quærens cibi voluptatem, sed ordinans eam & offerens ad Dei Gloriam, quod sanè facere & practicare deberent, non solùm Religiosi, sed & cuncti Christiani, verique Dei cultores. Nam ( ut ait *Augustinus* loco citato) *si hæc rectè fiunt, laudes Dei sunt.*

3. In Revelationibus *S. Birgittæ* lib. 4. cap. 94. legimus hoc documentum ab ipsomet æternæ Veritatis Magistro, Christo Domino traditum fuisse huic *Sanctæ Matronæ*: Cùm ad mensam accedis, dicito: *O Domine Deus, si velles, sicut potes, me sine cibo subsistere; libenter rogarem te; nunc autem quia præcipis, nos cibum sumere cum discretione, rogo te, da mihi continentiam in cibo, ut per gratiam tuam possim comedere secundùm naturæ necessitatem, & non sicut cupiditas carnis petit.* Et lib. 3. cap. 1. idem Dominus eadem tradit hortamenta cuidam Episcopo, qualiter nimirum se habere debeat circa corporis refectionem. Hinc per *Divam Birgittam* hæc formalia eidem dici curavit: Cùm verò accedit ad mensam, cogitationem habeat talem: *O Domine JESU Christe, qui corpus, quod corrumpitur, cibo corporali sustentari præcipis, da mihi auxilium, sic corpori meo dare necessaria, ut non improbè contra animam insolescat caro ex ciborum superfluitate, nec lentescat in servitio tuo ex indiscreta parcitate. Sed inspira moderantiam congruam, ut cùm terra de terrenis sustentatur, Dominus terræ à terra sua ad iram non provocetur.* Hæc & tibi, qui Religiosus, ac Dei servus audis, dicta & commendata esse crede; quæ si piè & religiosè observare studueris, non dubium, quin per hujusmodi bonæ & optimæ intentionis exercitium, in spiritu plurimùm proficies, ac corporalem etiam refectionem tibi vel maximè meritoriam reddes.

4. Ut autem in hac spirituali exercitatione forti passu procedere valeas, neque segnities quædam te invadens ab hoc inito perfectionis calle abducat, oculos fige, & considera, qualiter in mensa se gesserit *B. Henricus Suso*, de quo *Laurentius Surius* in ejus vita cap. 10. notat: Solebat *Henricus* intensâ in Deum mentis recollectione, corporali cibo se reficere; unde, priùsquam mensam accederet, in conspectu æternæ & divinæ Sapientiæ se prosternebat, & intimo cordis affectu invitabat, ut mensæ socia esse dignaretur, dicebátque: *O suavissime JESU mi! summo cordis desideriô te invito; & precor, ut, sicuti benignissimè servum tuum nutris, ita etiam hodie in mensa præsens esse velis.* Cùm sedebat, imaginabatur sibi Christum Dominum, tanquam divinum hospitem, ex summa gratia secum discumbere, unde mentis oculos

oculos semper in eum figebat, & aliquoties caput humiliter curvans, quiescebat, vulnerati cordis lateri innixus. Ad omnem cibum oculos in cælum levabat, & illum Deo offerebat, rogabátque, ut divina Sapientia benedicere dignaretur. *Amantissime Domine mi JESU*, inquiebat, *simul reficiamur, sed prius cibum benedicas, & mecum degustes.* Similiter faciebat, quando potum sumere volebat, semper memor quinque plagarum Redemptoris nostri. Tali mentis exercitatione sub refectione corporali utens, tam insignis & præclarus Ecclesiæ Dei heros evasit.

5. Sancta Virgo *Gertrudis* (ut habetur lib. 1. Insin. divin. cap. 12.) sive dormiret, sive manducaret, sive aliud quid commodi suo corpori impenderet, non alia intentione id faciebat, quàm si Christo id fecisset; nam Dominum in se, & rursus se in illo intuebatur. Ideo in se quoque illi, & sibi propter illum servire & benefacere gaudebat, quò impleret Dominicum illud: *Quod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis*; se etenim existimabat minimam omnium. Ideo quicquid sibi impendit, minimo, qui ad Deum pertineret, arbitrabatur se impendisse. Hinc cùm vice quadam esset debilitata, accepit uvam, eámque comedit tali intentione, quâ ipsum Dominum in seipsa reficeret. Quod Dominus acceptans, ait: *Modò fateor, mihi recompensatam amaritudinem illam, quam de spongia in Cruce pro amore tuo bibi; quoniam pro ipsa jam de corde tuo indicibilem dulcedinem sugo, & quantò tu puriùs ad laudem meam corpus recreaveris, eò suaviùs ego me profiteor in anima tua refectum.* Ex quibus Domini JESU verbis clarè intelligimus, qualiter Deum laudare, & glorificare possimus etiam in iis, quæ ad corporis commoda pertinent, si nimirum illa piâ quâdam, & erectâ in Deum intentione suscipiantur, & fiant. Denique quomodò refectionem corporalem nobis summè meritoriam reddere possimus, infra serm. 46. num. 8. pius lector videre poterit.

6. Interim notandum occurrit, quòd actiones nostræ non solùm bonæ, sed etiam indifferentes duobus modis possint fieri meritoriæ, Deoque gratæ, videlicet, aut per *intentionem actualem*, quæ est, dum hic & nunc actu aliquod opus ad Dei Gloriam refertur; aut per *intentionem virtualem*, quæ virtute præcedentis actus aliquod opus ad finem supernaturalem ordinet. Licèt autem, ut opera nostra sint meritoria, sufficiat intentio virtualis; nihilominus tamen nobis semper connitendum erit, ut actualiter omnia nostra opera ad Deum referamus & dirigamus. Principio quidem manè totius diei cogitata, verba, & opera Deo offerenda sunt; deinde etiam assuescamus oportet, ut quodlibet opus per diem auspicandum in particulari, & singillatim per intentionem actualem ad majorem DEI Gloriam referamus. Sicut enim faber murarius, & latomus, dum aliquid construunt, semper regulam, amussim, & perpendiculum ad manum habent, & ad singulos penè lapides, quos collocant, ipsum consulunt; pari modo nos, quidquid agimus, ad voluntatis Dei normam dirigere debemus. Item sicut illis satis non est semel initiò regulam adhibere, sed tamdiu eam applicant, donec tandem saxum rectè locetur: Sic & nobis sufficere non debet, semel sub initium opera, quæ facimus, Deo dedicasse; sed allaborandum nobis quoque erit, ut sub ipso labore, ea quæ agimus, Deo offeramus dicendo:

Propter

*Propter te, Domine, istud ago, quia tu mihi id præcipis, quia hæc est voluntas tua.* Sic operari Christus S. *Gertrudem* docuit, teste *Blosio* instit. spirit. c. 9. ut scilicet omnia sua opera minutatim offerret usque ad characteres, quos lectura, aut scriptura, & bolos, quos sumptura, & anhelitus, quos vigilans, vel dormiens ductura esset. Sanctæ verò *Mechtildi* (ut idem *Author* in monil. c. 9. refert) hæc dixit: *Quando quis somnum capere vult, meditetur aliquid de me, aut mecum loquatur. Ita enim licèt corpore dormiat, mente tamen vigilabit ad me. Et si dormiturus quisque desideret, ut singulas respirationes, quas nocte illâ faciet, tanquam eximiam mei laudem suscipiam, & ego qui sanctis votis piæ amantisque animæ deesse non possum, in veritate desiderium ejus implebō.*

7. Videat ergo nunc aliquis, quantum meritorum, & cælestium præmiorum cumulum sibi congerere poterit, non solùm ex magnis & heroicis exercitiis, verùm etiam ex commodis corporalibus, per bonæ intentionis sedulam frequentationem in Deum relatis. Quomodo verò opera nostra purissimâ quadam bonæ intentionis formâ nobilitare possimus, docent Vitæ Spiritualis Magistri hâc similitudine. Sicut, inquiunt, Mathematici numerorum, mensurarum, & ponderum tractatores semper abstrahunt à materia, id est materiam ipsam, seu naturam rerum numerandarum &c. parùm curant, sed de solis corporum quantitatibus & figuris laborant; de materia, ex qua nimirum illa constant, sive aurum ea sit, sive argentum, nihil disputant, quòd horum consideratio ad eos nequaquam pertineat; Ita Dei famulus in omnibus suis operibus id potissimum spectare debet, ut unius Dei voluntatem faciat, ab omni materia præscindendo, hoc est, non respiciendo, an huic officio applicetur, an illi; utrùm hoc ei mandetur, an aliud: in eo námque profectus noster situs non est, sed in solo Dei beneplacito exequendo. Igitur dum studemus, libros legimus; dum confitentibus aures præbemus, seu ad populum verba facimus; dum orationi incumbimus, seu quidpiam laboramus; dum comedimus, bibimus, seu dormimus; omnia hæc & alia peragere nos minimè oportet eò, quòd in his aliquem gustum vel voluptatem capiamus, seu quòd ad hæc naturali inclinatione propendeamus, sed in omnibus istis rebus, quas acturi sumus, spectare duntaxat debemus, & hæc nostra voluptas & delectatio esse debet, quòd in his Dei voluntatem exsequamur cupientis ut isthæc faciamus. Et hæc est vera alchymia, mediante quâ arte ex ære & ferro conflatur aurum; licèt enim opera nostra ex se sint vilissima, hoc tamen modo fiunt sublimissima & maximi valoris.

8. Hinc inferre licet, quòd Religiosus huic frequentandæ Intentionis exercitio sedulò vacans, plus vel per unum duntaxat diem, aut hebdomadam apud Deum mereri poterit, quàm alius negligens & tepidus per totius, aut fortassis etiam plurium annorum cursum. Quemadmodum enim (ut S. *Laurentius Justin.* de discipl. mor. c. 24. col. 3. docet) exigua massa auri magnum superexcedit cumulum vilis cujusque metalli; ita pauca opera peracta cum incendio puræ charitatis, in conspectu Conditoris magis fulgent, & gratiora fiunt, quàm multorum exercitia laborum prodeuntia ex radice negligentiæ, & de fonte intentionis incultæ. Unde ulteriùs consequitur, quòd opera eo, quo dictum est, modo facta, dicantur opera plena: Quique sic vivunt, dicuntur in Scriptura Sacra (ut

(ùt SS. *Hieronymus* & *Gregorius* docent) vivere dies plenos, & pleni dierum esse, juxta illud *Psalmistæ*: *& dies pleni invenientur in eis.* Psal. 72. v. 10. Hinc etsi vitæ suæ curriculum citò finiant, & juvenes demoriantur, nihilominus tamen diu vixisse tales, Sacra refert Scriptura *Sap.* 4. v. 13. his verbis: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Quomodò verò quis parvo tempore simul diu vivere, & multos explere annos queat, jam intelligimus, faciendo scilicet opera plena, & dies plenos vivendo. Ab extortu diei in vesperam usque, & à vespera in auroram diei sequentis bonus Religiosus & Dei servus, plenum viginti quatuor horarum diem vivit, quòd eum totum divinæ voluntati adimplendæ impendat. Comedere quippe, inter quiescere, necessarium corpori somnum indulgere, non sunt illi instar operum, quibus non mereatur: cùm similia hac solùm de causa obeat, quòd hæc Deus ab ipso fieri velit; neque enim comedit ad voluptatem ex cibo captandam, & tantùm abest, ut suam in hisce rebus consolationem & recreationem quærat, ut iis etiam carere vellet, si vellet Deus, ejúsque foret beneplacitum. Porrò si hoc modo opera nostra in Deum semper referre studuerimus, certi esse possumus tantum nos apud Divinum Numen promerituros, quantum alius per magnum vitæ rigorem & austeritatem.

# PARS SECUNDA.

9. *Laurentius Surius* Tom. 5. die 23. Octobris in vita *S. Severini* Episcopi Coloniensis, qui floruit Anno 400. refert, quòd illius ævo vixerit Anachoreta, principali oriundus stemate, ac ab incunabulis in omni deliciarum genere enutritus, & educatus. Huic, dum maturus conjugio visus, Parentes nobilem, divitem, dignámque tali Sponso Sponsam conquisierunt. Dúmque omnia jam parata essent, quæ ad hanc solennitatem celebrandam exigebantur, & palatium jamjam in hoc nuptiali resonaret jubilo, ventúmque jam esset, ut hi novi conjuges ad thalamum comitarentur. Et ecce, Juvenis Princeps fortuitò perterrefactus, vidit formosissimum juvenem sibi astantem, qui dixit: Si tibi uberiorem promitterem honorem, majoráque gaudia, vellesne me sequi? Volo sequi, ait Princeps, si ita rei est. Cui personatus Angelus; polliceor tibi, & oppignero gaudia cælestia, æternámque gloriam, si heroico animo te his terrenis voluptatibus privaveris. Quo audito desponsatus Princeps ait: Ecce, sequor te, duc me, quo velis, à te non recedam, móxque de omnibus suis thesauris ac divitiis nihil præter poculum ligneum accipiens, cum gaudio præeuntem Angelum comitabatur, qui eum in horridam, ac procul ab arbitris remotam solitudinem perduxit, dixítque: hìc mane, ac Deo, animæque tuæ saluti incumbe, de reliquo noli esse solicitus. Quibus dictis ex oculis novi Eremitæ disparuit. Hinc vitam mox rigidissimam, cælitum magìs quàm mortalium similiorem auspicatus est: precibus enim continuis, jejuniis, ac vigiliis, in longam noctem protractis, sese totum emaciabat. Tandem desiderio tactus, scire efflictim discupiit, quisnam sibi in præmio æterno assimila-

milabitur, cùm non communem sed rigidum omnino austerumque vitæ tenorem tot jam annis observaret. Et dum propterea multis Deum precibus & suspiriis sollicitaret, denique audiit, Episcopum Coloniæ Agrippinæ in gloria parem futurum. Porrò hæc intelligens obstupuit, quòd scilicet Episcopus, multis delitiis affluens, in gloria cælesti sibi æquaretur, causámque pernosse desiderans Divinum supplicavit Numen, quatenus hunc sibi monstrare dignaretur Episcopum. Audiit Deus supplicem, eique Angelum, à quo ad desertum ductus erat, submisit, qui Eremitam Coloniam Agrippinam deduxit quodam festivo die, peractísque Missarum solenniis (quibus Anachoreta devotè intererat) eum Angelus ad Episcopale palatium prosecutus est, ubi cum reliquis aliis ad conclave, in quo Episcopus Primatibus Civitatis convivium instruxerat, admissus est. Vidit ergo ibi tot votis desideratum Episcopum, cum suis convivis ad tabulam, omni ciborum opiparè apparatorum genere refertam, confidentem. Quamobrem eremi cultor sublatis in cælum oculis non sine gemitu hæc & similia mente volvebat, & revolvebat: O me infelicem! ergone non plùs profeci, nec majorem in oculis Dei inveni gratiam, qui nihil præter ligneum poculum ex cunctis mundi facultatibus possideo, qui mucido panis crustulo, insulsísque herbis famem placo, ac continuis me precibus, vigiliis, aliísque pœnitentiæ operibus exerceo, qui tam promptè insuper omnibus mundi gaudiis, ac delitiarum cupediis valere jussis ad montium, nemorúmque deserta profugi; & tamen his omnibus meis laboribus non majorem exspectandam habeo gloriam, quàm iste Episcopus, qui medias inter voluptates vitam jucundè transigit? Ad quid sunt mei labores, si non plùs, quàm hic dives Præsul promereor? Hæc & alia dum Eremita intra se ruminaret, denique cælestis Genius ei ait: Iste Episcopus, quem vides, non habet tantum gaudium ac oblectamentum in hac pompa ac lautis epulis, quàm tu in vili tuo vasculo. Hinc aperti sunt oculi *Anachoretæ*, didicitque, quemadmodum Deus non ad opera secundùm se, magnáne an parva sint, sed ad operantium duntaxat intentionem attendat. Hic enim S. *Præsul* omnia, quæcunque demum agebat, per erectam ad Deum intentionem fecit, neque aliud, sive comederet, sive quiesceret, sive aliud quidpiam operaretur, spectabat, quàm in singulis Divinæ satisfacere voluntati & beneplacito; ex quo non minorem gloriæ coronam meruit, quàm præfatus Anachoreta suâ etsi rigidissimâ vitâ.

10. Cùm ergo ita res se habeat, quòd videlicet bona intentio instar alchymiæ ex vili ære purum conflet aurum, ex contemptibilibus, inquam, & abjectis actionibus nostris præstantia valdè & Deo gratissima faciat opera; idcirco operæ pretium fuerit, nos omni contentione, & sedulitate conniti, quò singulis actionibus, & exercitiis nostris semper, quantùm fieri potest, bonam intentionem præfigamus, inque his omnibus, quomodo videlicet Dei voluntatem implere valeamus, solùm spectemus. Nam profectò (ut loquitur *Drexelius in amussi. l. 1. c. 1. § 3.*) Si quis virgam haberet, quæ lapides in aurum converteret, omnem diligentiam in hac virga custodienda & usurpanda adhiberet; Ita cùm similem effectum bona intentio habeat, omnésque actiones nostras aureas & meritorias efficiat, meritò ad singulas aut potiores ejusmodi actiones extendenda est. Ad hoc porrò faciendum suo nos

exemplo provocat quidam è priscis illis eremi cultoribus, qui quotiescunque operis aliquid erat aggressurus, subsistebat aliquantisper cogitanti similis. Rogatus verò quid ageret? respondit: Opera nostra ex se nulla sunt, velut informis trabs, nisi recto fine, sinceráque intentione velentur ac vestiantur. Et sicut, qui sagittis ad scopum ejaculandis certant, non emittunt antè sagittam, quàm oculo collineârint ad metam: Sic & ego quidquid demum acturus sim, ad Deum, finem nostrum ultimum, intentionem meam dirigo, & hoc est, quod ago illo tempore, quo ante opus me quietum videtis subsistere, id enim Deus à nobis exigit. Hoc & nos agere par est; nam ut *Mellifluus Bernardus* ait: *Sicut decor corporis in facie; ita decor totius operationis animæ consistit in intentione.* Hinc *Psalmographus* Ps. 44. ℣. 14. dicit: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.*

11. *S. Magdalena de Pazzis* dicere solebat: Si crederem, me uno solo verbo dicto ob alium finem, quàm ob amorem DEI, etiamsi non esset ejus offensa, posse evadere Seraphinum, nunquam illud dicerem. Hinc etiam assiduò inculcabat suis Monialibus, ut omnes etiam minimas actiones purissimè referrent ad Deum; & ne hæc doctrina excideret, crebrò inopinatò quærebat ex illis, cur hoc illúdque facerent? Quod si audiret, casu aut ex consuetudine factum aliquid sine intentione supernaturali, dicere solebat: *Non videtis vos meritum perdere? Deus talibus operibus non pascitur.* Porrò, hæcce pia intentio, singulis nostris actionibus præfixa, non solùm deservit ad cumulandum meritum; verùm etiam mirum in modum conducit ad evitandas purgatorii pœnas. Quemadmodum Christus ipse nunc præfatæ *S. Magdalenæ Virgini* revelavit. Unde assiduò inculcabat suis Sororibus, ut, si fieri posset, etiam ictus oculorum, & minimos motus membrorum ad Dei gloriam dirigerent; sic enim rectà ad cælum ituras.

12. Ast prô Deum! Quot vel ex ipso Religiosorum cœtu non reperire licet, qui auream nunc traditam doctrinam parvi pendentes, eam negligant, & vix unquam in die actionibus suis rectam, ut par est, intentionem præmittant, sed vel ex vana gloria, vel (ut frequentiùs fieri solet) ex consuetudine, & inconsideratione, cæcóque impetu suos aggrediuntur labores. Qui profectò bellè assimilari queunt equis cæcis, qui in fullonica licèt currant toto die, vesperi tamen in eodem sunt loco, quia in orbem acti sunt. Pari modo tales, quoniam rectâ carent intentione, cæci sunt, & ideo tametsi variis in laboribus desudent, séque delassent, nullum tamē in virtutibus faciunt progressum, nec ullum proinde consequentur in altera vita præmium. Hi, quando ipsis magnus æternitatis dies orietur, oculos suos sed tardè levabunt, suámque infelicitatem, ac cæcitatem incassum gemebundi deplorabunt, dicentes: Heu miseri nos! laboravimus quidem per totum vitæ nostræ cursum, & nonnunquam præ fatigatione sudavimus, afflictiones innumeras toleravimus, sed quia semper in nocturnis tenebris, id est absque supernaturali pia intentione operati sumus, ideo omnibus hisce nostris laboribus nihil vitæ æternæ dignum cepimus, portavimus quidem crucem, sed non ut Christus suam, sed ut *Simon Cyrenæus* alienam, quia omni requisitâ intentione destituti nostras tulimus ærumnas; ideo cuncta, vel quæ passi, vel

operati sumus, in auram abierunt. Quamobrem ne & nos quondam cum irreparabili nostro damno in hæc & similia incidamus lamenta, & ne cum S. *Petro* cogamur exclamare: *totâ nocte laborantes nihil cepimus*; ducamus nunc, ut Christus eidem Apostolo imperavit, rete nostrum, Intentionem, inquam, in altum, ad Superna & cælestia, ac ad ipsummet DEUM, & magnam haud dubiè capturam piscium, æternorum scilicet præmiorum comprehendemus.

13. Cæterùm cùm notum sit, diabolum semper laborare, quò scilicet opera nostra bona per intentionem malam pervertat, & vanâ gloriâ inficiat, hoc tamen vel inprimis efficere conatur, dum aliqua pia & religiosa exercitia, aliis præsentibus, obimus. Quare nostrum tunc quoque erit, vel maximè diabolo resistere, videlicet intentionem nostram rectificando, & ad Deum purè sustollendo; cùmque nihilominus stygius tenebrio per vanam gloriam opus inceptum destruere, aut interturbare conabitur, dicamus ei, ut suadet *Joannes Avila*: *Serius venis; jam opus totum Deo dedicatum, & transcriptum est.* Neque enim ob vanæ gloriæ metum bona opera sunt intermittenda; id námque gravissimus foret error, & mera deceptio diabolica, sed aures nobis sunt ad laudum humanarum præconia obturandæ, ut eas nec audire, nec curare videamur. Proinde ut hac in parte S. *Bernardum* studiosè imitemur, oportet: Cùm enim aliquando S. *Abbas* ad frequentissimam, juxtáque attentissimam concionem cum omnium applausu, & admiratione peroraret, subiit ejus animum nonnulla vanæ gloriæ tentatio, & audire quodammodo sibi videbatur hæc: Ecce, quanta mortalium concio; quámque auribus atque animis attentis astat tibi peroranti! Hæsit hîc nonnihil Vir Sanctus animi pendulus, incertúsque quid ageret, an porrò dicere pergeret, an sermonem cœptum subitò abrumperet; Sed enim simul ac stygii anguis sibilos esse cognovit, ad eum tantisper conversus: neque (inquit) propter te incepi, neque propter te desinam. Itaque cœptum sermonem feliciter pertexuit. Sic & nos diligenter cavere debemus, ne aliqua pia exercitia prætermittamus eò, quòd forsan inde dæmon ansam arripiet, nos circa vanam gloriam tentandi, vel quòd propterea ab aliis laudabimur, aut vituperabimur; Similia enim flocci facienda sunt. Dicamus proinde hosti tartareo; quia neque incepi propter te, neque propter hominem, me forsan inde laudaturum, vel vituperaturum, sed purè propter Deum incepi, ideo & propter Deum finiam. Nihil enim officit, etiamsi videantur ab aliis; Nam (ut loquitur S. P. *August.* tom. 9. tr. 8. in ep. Joan.) *Si timemus spectatores, non habebimus imitatores: videri debemus, sed non ad hoc facere, ut videamur: Opus publicum, intentio Secreta.* Cui astipulatur Romanus Pontifex D. *Gregorius* hom. 11. in Evang. dicens: *Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ soli DEO placere quærimus, semper optemus secretum.*



# PARS TERTIA.

14. Porrò quod ulteriùs circa præsentem materiam benè notandum occurrit, est, ut videlicet intentio nostra recta & pura sit, requiritur, ut, quando v. g. cum proximo agimus, ejusdémque salutem, & bona spiritualia avidè procurare satagimus, tunc non tam in fructum, nostris laboribus inde colligendum in proximo, quàm in divinam voluntatem, à nobis explendam, mentis obtutum reflectamus, oportet. Estque hæc doctrina communis SS. Patrum, *Hieronymi, Gregorii*, & *Chrysostomi* docentium: Si quando opus auspicaris, ut ex eo aliquod commodum tum generale tum privatum proximo sequatur, oculos tuos non tam in fructum & bonum operis successum præcipuè intendas oportet, quàm ut per ipsum Dei, Optimi Maximi voluntatem perficias. Doctrinam hanc fusius jam declaravimus Sermone præcedenti num. 31. & sequent. Quam Christus Salvator noster etiam confirmat. Cùm enim Discipuli (ùt refert S. *Lucas* cap. 10) à prædicatione læto hilarique animo redirent, eò quòd miracula patrassent, & dæmonia expulissent, ait illis Redemptor: *In hoc nolite gaudere: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sint in cœlis*; quasi diceret: A successu rei (etsi æquè prospero atque hic Apostolorum) gaudium tuum pendere non debet Christiane; vide potiùs, num tales sint operationes tuæ in se, ut ob eas nomen tuum libro vitæ inscribi mereatur, vide, num in officio tuo facias ea, quæ te facere oportet; & in hoc solùm, non verò in felici successu, gaudium ac consolationem tuam constitue. Tametsi itaque ex omnibus laboribus tuis nullus omnino hominum convertatur, non propterea minus tuum futurum est præmium. Nam profectò infelix esset *Apostolus Jacobus*, si ab hac re ipsius præmium dependisset, suúmque ipse in eo gaudium collocasset; quia nonnisi novem in universum in tota Hispania Christo asseruisse dicitur. At non propterea minùs reliquis Apostolis promeruit, nec minùs iis Deo placuit filius tonitrui.

15. Ad hæc, aliam non parvam consolationem, quæ ex dictis consequitur, habemus; videlicèt quòd non solùm à à nobis rationem non reposcet Deus, an multùm fructûs fecerimus, an parvum; verùm nequidem, an prolixam v. g. concionem seu exhortationem habuerimus. Hoc quippe Deus nobis non præcipit, sed solùm jubet, ut faciamus à parte nostra, quod possumus secundùm talentum, quod ab eo accepimus, ut, si parùm receperim, parùm præstem; si multum, multum. Atque hoc ipsi sufficit. Hinc, ut in Evangelio *Matth. 25.* refertur, servo, qui ex duobus talentis acceptis alia duntaxat duo lucratus est, iisdem verbis Paterfamilias respondit, quibus affabatur illum, qui ex quinque talentis quinque superlucratus est, aitque ad utrumque: *Euge Serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Cur verò servus, qui quinque talenta lucratus est, à Patre familias non majoribus extollatur encomiis, ac uberiori afficiatur præmio, quàm qui duo tantùm talenta lucratus est? dat rationem *S. Chrysostomus* homil. 41. sup. Gen.: *Nam*, inquit, *quoad diligentiam ambo pares fuerunt, proinde & eandem dignitatem & mercedem nacti sunt.*

16. Est

16. Est ergo hoc inprimis utile, & maximæ nobis consolationis punctum, quod omnibus in rebus, officiis & ministeriis adaptari possit: si enim hic tantundem laboret, & eandem in re sibi commissa diligentiam adhibeat, quam ille in sibi commissa; tantum haud dubiè promereri potest, quantum ille, etsi tantum reipsa non præstet. v. g. Si tantum ego laboris, conatúsque non optimæ, & parùm ad plausum factæ concioni impendam, quantum tu plausibili & elaboratæ; fieri potest, ut tantum ego meâ, quantum tu tuâ, & fortassè etiam amplius, promerear. Quod etiam locum habet in omnibus aliis negotiis, & officiis manualibus: nam etsi ego meum ministerium tam exquisitè non expleam, quàm tu tuum; virésque ac talentum meum eò non pertingant, quò tuæ; fieri tamen potest, ut plus ego isto pauxillo promerear, quàm tu tuo multo. Hæc consideratio conducet, ut nec illi vanâ gloriâ insolescant, nec hi animum despondeant, ac deficiant. Idem quoque sentit *S. Hieronymus* in eandem parabolam scribens: Illum, qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, Dominus simili recipit gaudio: neque enim considerat lucri magnitudinem, sed studii voluntatem, diligentiam & charitatem, quâ opus peragitur. Unde *Salvianus*, *Oblata Deo*, inquit, *non pretio, sed affectu placent.* Atque hoc est, quod significat paucis his verbis *S. Gregorius*; *Deus cor, & non substantiam pensat, nec respicit quantum, sed ex quanto quis operatur.* Cernere id ad oculum est in duobus nummulis, quos vidua illa Evangelica in gazophylacium templi conjecit. Cùm enim haud procul ab eo Redemptor JESUS sederet, videbat Pharisæos & Opulentos sua donaria in id mittentes, quorum hic argenteum, ille aureum forsan obtulerit; veniente verò paupercula quâdam viduâ, & duo minuta æra in arcam dimittente, ad suos discipulos Redemptor palàm ait: *Marc. 12. v. 43. Luc. 21. v. 3.* *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit: omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt:* (& quidem non tantum quantum possent) *hæc verò de penuria sua omnia, quæ habuit, misit, totum victum suum.* Jam, quod, inquit *S. Chrysostomus*, in vidua fecit, idem in docentibus, prædicantibus, & studentibus aliáque ministeria & officia obeuntibus operabitur. Neque enim tam in his respiciet, quid agant, quàm voluntatem, affectum, & diligentiam, quâ agunt.

17. Ex omnibus nunc simul dictis non obscurè colligitur, opera nostra tantò gratiora Deo fieri, quantò majori animi affectu, & flagrantiori charitate in cunctis nostris exercitiis Divinam voluntatem explere studuerimus. Pro majori tamen dictorum notitia consultum fore censeo, tria generaliora signa, ad quæ facilè reliqua reduci poterunt, huc apponere, è quibus colligatur, utrum quis purè propter Deum sua agat, an verò seipsum in iis quærat. Quantum attinet ad exercitia Sancta, quæ immediatè tendunt in utilitatem propriam, qualia sunt; orationi tum mentali, tum vocali vacare, Christum in SS. Sacramento latentem interdiu visitare, frequenter ad Sacram Synaxim accedere, &c. Signum bonum est, nos in his purè Dei laudem, & Sanctissimam ejus voluntatem, non verò nos ipsos quærere; si videlicet in his frequentandis constantes perseveramus, neque ea ob irruentes tentationes, afflictiones & ariditates prætermittimus, tametsi nullâ inde ani-

mi consolatione perfundamur, sed etiamnum internis desolationibus affligamur. Quòd si verò quis similia pietatis exercitia consolationis duntaxat, & non desolationis tempore obeat, signum est, eum non tam Dei honorem, quàm seipsum in his quærere. Hinc Christus (ut Ven. *Blosius* in Monil. Spir. c. 3. refert,) S. Gertrudi dicebat: *Vellem Electis meis persuasum esse, quòd eorum bona exercitia & opera mihi omnino placeant, quando mihi serviunt expensis suis. Illi autem serviunt expensis suis, qui, licèt saporem devotionis minimè sentiant, fideliter tamen, ut possunt, orationes, & alia pia exercitia sua peragunt, confidentes de pietate mea, quòd ego illa libenter & gratè suscipiam.*

18. Meritò ergo monet *Pius Asceta* l. 3. de imit. Christi. c. 11. dum Redemptorem nostrum his verbis fidelem suum servum alloquentem introducit: *Fili, oportet te adhuc multa addiscere, quæ necdum benè didicisti: ut desiderium tuum ponas totaliter secundùm beneplacitum meum, & tuiipsius amator non sis, sed meæ voluntatis cupidus æmulator.* Non enim in orationibus tuis, aliisque piis exercitiis quærere debes consolationem propriam, sed laudem Dei spectare, & ut Dei voluntas fiat. Si itaque in spiritualibus hisce functionibus recto procedere calle velimus, Deóque placere quæramus, imitemur, oportet, quendam Dei famulum, de quo scribit *Eusebius Nierenb.* c. 20. vit. divin. Deum ei oranti multa etiam occulta pandisse, & mirabiles futurorum eventus revelasse; cúmque crebris etiam consolationibus à Deo recrearetur, indignum se illis arbitratus, Deóque ampliùs placendi percupidus, eum ferventer instantérque orabat, ut, si ei videretur, ac foret gratius, hujusmodi à se gratiam auferret. Audiit supplicantem Deus, & per quinque continuò annos ei gratiam subtraxit, eum interea plurimis tentationibus, angustiis, ac desolationibus spiritûs obrui sinens. Qui cùm propterea die quadam amarè fleret, Deus ipsius misertus, duos Angelos eum solaturos misit, quorum tamen ille solatium respuens, dixit: Non peto, Domine, ullum solatium, sed satis mihi est, custodire locum, ubi in anima habitas, ut in eum præter Te nihil introeat, & ut voluntas tua in me semper fiat, hoc meum solatium est. Qui affectus adeò Deo placuit, ut ad eum illas voces dixerit: *Tu es filius meus, in quo mihi complacui.* Hinc ergo liquet, quantoperè Numini placeat intentio illa, quâ omnia nostra opera ad voluntatis divinæ, & majoris ejusdem gloriæ normam & regulam dirigimus, & componimus.

19. Secundum Signum proponit *S. Gregorius* lib. 22. Moral. c. 24. è quo quis perspiciat, utrum in iis ministeriis, quæ circa proximum peragit, purè Dei gloriam, an verò seipsum quærat. Vide, inquit S. Pontifex, num, dum alius quispiam egregiè concionando, omnes ad se pertrahit, multúmque in animabus fructum facit, non minùs gaudeas, quàm si ipse hoc ageres; si enim non gaudeas, sed nescio quam displicentiam, tristitiam, & invidiam inde contractam præferas: evidens argumentum est, te purè Dei gloriam non quærere. Hæc *Gregorius.* Nam si Dei gloriam & non tuam spectares, gauderes utique multos id genus operarios inveniri; cuperésque id, quod ipse non potes & nosti facere, per alios confici. Luculentum hoc in genere exemplum de P. Magistro *Joanne* de *Avila* narratur. Is Societatem Jesu

Jesu à Deo per *S. Ignatium* primùm excitatam audiens, & institutum finémque ejus intelligens, lætus ajebat: hoc ipsum esse, quod tanto per tot annos desiderio ac conatu perficere ipse studuisset, sed huc se pertingere non potuisse. Hinc ipse hoc opere per Ignatium perfecto tam est gavisus, quàm si suis auspiciis Societas fuisset excitata. Nihil enim in hoc ipse aliud desiderabat, quàm puram Dei gloriam, & animarum salutem. Quod qui faciunt, næ illi boni & fideles sunt Dei Ministri, qui, ut ait *Paulus* Phil. 2. 21. *Non quærunt quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi.* Verus quippe Dei Servus tam sincerè solam Dei gloriam ac honorem, & animarum salutem optare debet, ut, quando hæc per alios procurari volet Deus, tam ipse gaudeat, & contentus sit, quàm si operâ & auspiciis suis ista fierent. Idem & de spirituali tum nostro, tum fratrum nostrorum profectu dicendum est. Dum enim quis fratrem magis magísque in spiritu proficere, se verò in postremis hærere videt, & propterea contristatur, & animo dejicitur; is purè Dei gloriam non quærit. Si enim sincerè majorem Dei honorem quæreret, & propter eum ei servire cuperet; certum est magnam ei lætitiæ & gaudii occasionem fore, cùm alios in virtutum studio multùm & continuò progredi animadvertit, etsi ipse alia ex parte doleat, & erubescat, quòd tanto fervore & zelo se Divino obsequio non dedicet.

20. Tertiò, quando ita Religiosus suum officium, résque à Superioribus injunctas exequitur, ut perinde ipsi sit, sive hoc, sive illud sibi præcipiatur, utrum huic officio applicetur, an illi; sed tam hoc, quàm illud sibi complaceat: minimè fallax id argumentum est, ipsum purè propter Deum sua exequi. Propterea námque hanc æqualitatem & indifferentiam omnibus in rebus habere studet, quòd unam Dei voluntatem implere cupiat, nec in exteriori operum materia sistat. Sin autem tam libenter humilia & laboriosa ministeria non obeat, quàm honorifica & facilia, signum evidens id est, ipsum non purè propter Deum id facere, sed seipsum, & consolationem, & commoda propria suo qualicunque zelo, ac studio sectari. Aliud signum non sincerè propter Deum, sed ob respectus aliquos sua Religiosum agere, est, quando ea, quæ agit, laborémque suum omnem à Superiore vult comprobari, ratúmque haberi, ut is nimirum vel verbo significet, benè suo eum officio functum esse; vel signo saltem aliquo illud sibi placere ostendat: & si nihil horum contingat, animum despondet & abjicit. Si purè tua propter Deum ageres, parum hæc inania solatia curares, imò ne quidem sustineres intueri. Imitare proinde Abbatem *Joannem* Juniorem Thebæum Abbatis Ammonis discipulum, qui, ùt in *Prato Spirituali* traditur, duodecim continuò annis ægro Magistro suo præstitit obsequium: qui etsi opus suum sedulò & naviter exequeretur, quotidiéque ingentem laborem susciperet; ne ullo tamen est blando aut suavi à Sene verbo compellatus, sed semper asperiùs habitus. Ergo cùm Senex jam ad vitæ extrema redactus, multos Eremitas, qui se inviserant, circumstantes sibi cerneret, humilem ac patientem discipulum suum ad se evocat, ejúsque manu apprehensâ, tertiò verba hæc iterat: *Dominus maneat tecum, Dominus maneat tecum, Dominus maneat tecum*: ac Patribus ipsum de meliore nota commendans,

dans, atque in filium tradens dixit: Non est hic homo, sed Angelus: quia etsi toto illo duodecennio, quo mihi ægrotanti servivit, nullum unquam ex me amicum verbum acceperit, mihi nihilominus semper & libentissimè, & diligentissimè servivit.

21. Diximus hactenus, quemadmodum Deum in omnibus nostris operibus purè quærere, ejúsque voluntatem spectare nos oporteat; nunc æquitas postulare videtur, ut breviter differamus de motivis seu modis, quibus eum quærere, illique servire debeamus. Hi porrò trifariàm dividuntur. 1. Dum quis Dei voluntatem implere studet pœnæ æternæ formidine. 2. Si spe præmii æterni benè agit. 3. Si Deo propter suam Bonitatem quis servit, seu puram Dei gloriam quærit. De quibus sic S. *Dorotheus* loquitur: *Tres sunt conditiones & status, quibus Deo grati esse possumus: Si enim pœnam formidamus, in servili statu sumus. Si verò mercedis lucra consectantes, utilitatis & proprii commodi gratiâ divina mandata peragimus, mercenariis assimilamur. Sin autem bono & honesto propter seipsum adhæreamus, in filiorum genere sumus.* Ut redeamus ad primum, servire Deo metu pœnarum, est Deum quærere, & quidem bonum; quia etiam servilis timor bonus est, & Dei donum: Unde ipsum etiam à Deo Propheta *Psal.* 118. v. 120. postulabat: *Confige timore tuo carnes meas.* Fatendum tamen cum Theologis est, quòd si quis diceret, aut animo cogitaret: Si non esset infernus, aut nisi castigari metuerem, Deum offenderem; hunc timorem malum & peccatum esse; nam sic comparatus ostendit perversam suam voluntatem, excludendo alia motiva bona. At timore pœnarum, mortis, & rigidi Judicii, Deo servire, & à peccando abstinere, non excludendo alia bona motiva Deo serviendi, laudabile est & salutare. Idcirco etiam hæc timoris incentiva nobis Scriptura Sacra ob oculos ponit, & comminatur. Secundò, ob præmium gloriæ, quam speramus, Deo servire, est etiam eum quærere, & bonum; meliùs quoque quàm primum, quandoquidem Dei præmiatrix bonitas hìc involvitur, quæ Deo est quodammodò magis propria. Et ideò meliùs est, spe præmii & gloriæ sua agere, quàm solo supplicii infernalis metu. Atque ita fecisse Davidem, ipsemet testatur, dum de se *Psal.* 118. v. 121. ajebat: *Inclinavi cor meum Domine ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.*

22. Motiva hæc bona sunt, unde his etiam juvari nos oportet: connitendum tamen nobis semper est ad altiora aspirare; & ut Deo more filiorum serviamus, non timore pœnæ, aut spe præmii, sed quia Deus infinitè bonus in se est, & ut ipsi placeamus. Quanti porrò ducendum sit placere Deo, indicat S. *Chrysostomus* l. 2. de compunct. cord. his verbis: *Si omnino dignus fueris agere aliquid, quod Deo placeat, & aliam adhuc præter hoc ipsum, quòd placere meruisti, mercedem requiris; verè ignoras, quantum boni sit, placere Deo, si enim scires, nunquam aliud aliquid extrinsecùs mercedis, aut muneris expeteres.* Porrò ulteriùs notandum, quòd, tametsi servire Deo, eique in omnibus obedire non quidem metu gehennæ, aut spe gloriæ cælestis, sed ideo duntaxat, ut eidem placeamus, intentio pura, seu amor perfectus sit, non tamen est purissima, seu amor perfectissimus; quia servire Deo ideo solùm, ut ipsi placeamus,

mus, adhuc nescio quid humani & amoris proprii etiamnum retinet, teste *Drexelio* l. 1. de rect. int. c. 7. §. 3. Quamobrem quisquis Deo perfectiùs conjungi affectat, quisquis ad maximam intentionis puritatem anhelat, & ad perfectissimum Dei amorem pertingere optat, contendere oportet omnes nervos in hoc, quò se tanto affectu Deo conjungat, ut paratus sit ipsi etiam cum periculo omnis mali perpetiendi obedire in omnibus, ubique & semper, non ob mercedem, non ut ipsi placeat, sed ideo, aut solùm, aut certè præcipuè, quòd sibi sic servienti placeat Deus, seu quòd ipse delectetur, volupe afficiatur, & quodammodo ei melius sit, quando facimus, quæ præcipit facienda, adeóque propter ipsius infinitam Bonitatem. De quo gradu *S. Bernardus* de dilig. Deo sic exclamat: *O Amor sanctus & castus! O dulcis & suavis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis! eò certè defæcatior & purior, quò in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur: eò suavior & dulcior, quò totum divinum est, quod sentitur. Sic affici, deificari est.* Hactenus *Bernardus.*

23. Porrò dici satis nequit, quantoperè hæc pia & defæcata Deo serviendi intentio conducat ad reprimenda stygii hostis tentamenta, dum suggerit, nos fore ex numero reproborum, ideóque incassum in Dei servitio nos exercere. Hic enim purus ac sincerus erga Deum amor omnes certò inimicorum dolos, & malas suggestiones protinùs eludet, ac dissipabit; & è contra magnam nobis animi quietem, ac in Dei servitio perseverantiam conciliabit. Sic diabolum vicit, profligavitque quidam Dei servus, de quo *Gerson* scribit, quòd, cùm esset singulari vitæ austeritate, & in oratione assiduus, dæmon tot bona opera illi invidens, ut ab his eum retraheret, ei persuadere conatus est, illum de prædestinatorum numero non esse, dixitque: Quid te tantoperè affligis & emaceras? frustra est; neque enim salvaberis, nec gloriâ donaberis. Tum ille; Equidem propter gloriam Deo non servio, sed quia ipse est, qui est, omníque laude ac honore dignissimus. Quo responso velut acutissimo telo retrusus dæmon, illicò confusus cum tentatione recessit. Sic etiam victoriam ab Orco reportavit cujusdam Anachoretæ discipulus, de quo *Drexelius* l. 1. de rect. int. c. 7. §. 6. Hæc, Amice frater, de Intentione bona pro directione tum tua, tum mea pleraque ex *Rodericio* p. 1. tr. 3. c. 7. annotâsse sufficiat, nunc passum faciamus de bona intentione ad bonam voluntatem. Sit ergo



# SERMO XXVI.
## DE BONA VOLUNTATE ET SANCTIS DESIDERIIS.

*Beati qui esuriunt & sitiunt Justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Matth. 5. v. 6.

1. PRiusquam de Justitiæ fame sitique agamus, de Bona Voluntate velut eorum origine & fonte aliqua dicamus, oportet. Quàm porrò Voluntas Bona Divinæ Majestati sit grata, declarat S. *Chrysostomus* hac similitudine; *Quemadmodum*, inquit, *boni odoris flores apud homines, sic bonæ voluntates suaves sunt apud Deum.* Et S. *Bernardus* ait: *Bona voluntas in animo est origo omnium bonorum, & mater omnium Virtutum, quam qui habet secum, habet quidquid ei ad bene vivendum opus est.* Hanc melliflui Doctoris sententiam confirmat ipsemet Dominus, dum S. Gertrudi ait: *Ego unicuique fidelium auream dedi fistulam, per quam è Deifico corde meo quidquid expetit, exsugat, & in se attrahat*: háncque ipse fistulam esse dixit bonam cujusque voluntatem & desiderium. Consistit autem bona voluntas in hoc, si sincerè & gnaviter omnia peccata studeamus declinare, & si quandoque in aliquos defectus labamur, ut mox resurgere conemur cum firmo proposito, hos illósque imposterum defectus studiosiùs devitandi. Porrò dici sat nequit, quantoperè hoc studium, hique vitam emendandi conatus Deo placeant. *Ludovicus Blosius* c. 4. monil. spirit. memorat; cùm S. *Gertrudis* propter minutiorem defectum sese multùm arguens, ac reprehendens desideraret, & peteret à Domino, ut illum penitùs in ipsa emendaret, atque ab ipsa auferret, Dominus blandè illi respondit: Et quare velles, ut ego magno honore privarer, & tu ingenti præmio careres? nam grande nimis præmium lucraris, quotiescunque illum vel similem defectum recognoscens, proponis de cætero eum vitare: & quandocunque homo studet pro amore meo defectus devincere, tantum mihi honoris ac fidelitatis exhibet, quantùm miles strenuus Duci suo exhiberet, si strenuè seipsum in bello inimicis opponeret, eósque viriliter expugnaret, atque prosterneret.

2. Hinc scitè & eleganter *Joannes Taulerus* apud *Blosium* in Consol. pusillan. c. 19. §. 2. sic ad nostram consolationem ait: Nullâ ratione homo bonæ voluntatis vel ob defectus quosdam minores, vel ob naturæ imbecillitatem, vel quia forinsecus asperiorem vivendi modum servare nequit, vel ob inæqualitatem quam in servitio Dei, & virtutum exercitio sentit, à Deo se remotiorem æstimare debet. Hoc autem summo curabit studio, ut vitia graviora, majorésque defectus suos ita radicitus evellat, ut pro nulla re, neque pro vita, neque

pro morte quidquam facere adversùs præcepta Dei consentiat. Quæ voluntas quamdiu in ipso perseverat, non est, unde se à Domino longiùs abesse suspicetur. Ita prædictus pius Scriptor. Imò quod amplius est: homo bonæ voluntatis, etiamsi nonnunquam ex humana potiùs fragilitate, quàm peccandi libidine in graviora etiam prolaberetur peccata, non tamen propterea animo concidere debet, sed viriliter protinus resurgere, ac vitam posthàc in meliorem commutare studeat, & si hoc semper post quemlibet lapsum fideliter & sincerè præstiterit, concipere securè poterit magnam spem de æternæ beatitudinis bravio capiendo, tametsi nescio quoties in peccata ex naturæ infirmitate relaberetur. Est enim Deus adeò benignus & clemens, ut non possit non misereri hominibus bonæ voluntatis, eisque auxiliarem porrigere manum, quæ omnia comprobare licet sequenti historiâ.

3. *Birgitta* Suedica, sanctissima Vidua (ùt *Drexelius* in Trib. Christi l. 2. c. 8. §. 1. refert) in Palæstinam iter susceperat unà cum filio suo Carolo. Filius in via mortem obiit Neapoli. Mater Birgitta Hierosolymam pervenit, ubi assiduis precibus arcanam cum Christo familiaritatem iniit. Quare hæc vidua Salvatori, ejúsque Matri devotissima filii sui jam mortui statum quàm maximè nôsse desiderabat; quapropter ei vigilanti ac precanti objecta est species inter has voces: Licebit tibi, Birgitta, divinæ bonitatis munere videre jam, & audire, quid circa filium tuum in arcano judicio sit constitutum. Et quamvis illud puncto temporis peractum sit, per intervalla tamen, certásque periodos tota rei series tibi proponetur, ut eam tantò rectiùs animo & cogitatione comprehendas. Hìc Birgitta sibi visa est videre Dominum JESUM pro tribunali sedentem innumerabili Angelorum exercitu stipatum. Ad cujus Judicis latus astabat Mater Virgo æterna, peragendo judicio intenta. Ante Judicem Caroli defuncti anima erat, timoris & pavoris plena, sententiam decretoriam expectans. Dextrum animæ latus claudebat tutelaris Angelus, lævam accusator diabolus, nec ille tamen, nec iste animam tangebat. Initium dicendi faciens accusator: Æquissime Judex (ajebat) injuriam queror: hæc anima fuerat mea, Ideóque corpore soluta in meum regnum trahenda erat; sed Mater tua eam mihi præripiens, tutelâ suâ defensam judicio stitit. Huic accusationi Mater Judicis respondens: Originis tuæ, Spiritus maligne, memineris. Elegantiæ miraculum creavit te optimus Deus. Sed nequitia tua omnem tibi venustatem abstulit. Liberum tibi erat Conditori te submittere, sed rebellis esse maluisti; eris æternùm è Cælo proscriptus. Quid justum sit, intelligis, sed detestaris. Hanc autem animam deferre Judici meum potiùs erat quàm tuum. Etenim hic homo dum vixit, me uti Matrem filius, amavit, illud sæpiùs expendens, quanto me Deus honore sit dignatus. Hinc tantus in ejus pectore in me amor exarsit, ut paratus fuerit potiùs æternis ignibus torqueri, quàm committere, ut aliquid honori meo suâ culpâ demeretur. Hoc in me animo diem suum obiit. Num igitur iniquum fuit, in meam illum tutelam asseruisse? Hìc accusator: non nego (ajebat) homo iste Matrem sui Judicis magis quàm se ipsum amavit: sed aliæ ipsius actiones inspiciantur, & nemo illum negaverit

meum

meum esse. Quocirco tuam, Judex, appello justitiam. Et en acta hominis istius in tabulas relata, en peccatorum catalogum ingentem! En molem & acervum infinitarum cogitationum malarum, è quibus, si solùm obscœnæ aut superbæ puniantur, meus erit. Decalogi præceptum sextum non nesciit, sed illud millies, iterùmque millies transgressus est. Tacebo cætera. Nec ille horum quidquam negare potest: convictus est, convictissimus: testes produco mille propriam ipsius conscientiam. Hîc Angelus: quamprimùm (inquit) mater ipsius observavit, filiolum in vitia flecti cereum esse, prolixis precibus, innumeris lacrymis, & variis misericordiæ operibus eam illi gratiam à Deo impetravit, ut etiamnum puer timere Deum cœperit, & lapsus illicò ad pœnitentiæ asylum properârit, ingemuerit, doluerit, emendationis propositum innovârit. Contrà diabolus plurima objicere, Angelus objecta diluere, ac dicere: Hæc & hæc, & ista & illa deliquit, fateor, sed delicta expiavit, nunquam non bonæ voluntatis fuit, & quod ipsius causæ jam plurimùm patrocinatur, eò demum Carolus se redegit, ut unicam vivendi causam statuerit, *Dei voluntatem exequi, divinæ voluntati voluntariè se conformando*; sunt verba formalia. Auditis partibus Judex accusatorem jubens facessere, sententiam pronunciavit istam: *Meus hic Servus æternùm vivat.* Ubi hæc Caroli Mater audiit & vidit, gaudiis perfusa: O æterna Veritas (inquit) ô Domine JESU! ô Judex æquissime! tu Sanctas cogitationes mentibus infundis: tu nostras preces & lacrymas tuâ gratiâ, & æterno præmio remuneraris. Tibi laus, honor & gloria, tibi gratiarum actio à rebus creatis omnibus. Tu mi amantissime Deus, mihi me ipsâ longè charior es, tibi vivere, tibi mori unicè desidero. Hîc Angelus loco Judicis respondens: Scias, inquit, hæc tibi monstrata non tuo duntaxat bono ac solatio, sed ut Dei amici omnes nôrint, quantarum virium sit bonæ voluntatis perseverantia, quæ labores, lacrymas, preces, eleëmosynas ad supremum usque halitum perducit, ac perpetuat. Scias etiam in hunc militem, filium tuum, sententiam tam mitem non fuisse pronuntiandam, nisi à puero tam bonæ ac promptæ fuisset voluntatis, quâ Deum, & Dei Amicos amare, & nævos suos emendare studuit.

4. Itaque non immeritò pius quidam Scriptor (teste *Blosio* Consolat. pusillan. c. 39.) per hæc excurrit verba: Ubi Deus bonam voluntatem tibi præstiterit, ita ut jam relictis omnino peccatis, meliùs vivere statuas, Deóque placere desideres, atque coneris: si contingat te crebrò quotidie ex humana fragilitate offendere Deum, ac in peccatum labi, toties resurge, quoties laberis, neque unquam desperes de Dei misericordia, quæ immensa est. Sanè in hoc valde laudabilis & amabilis est Deus, quòd tam benignè peccatores pœnitentes recipit. Id maximè eum decet, cùm ei proprium sit misereri semper & parcere. Quemadmodum B. Pater *Bernardus* docet, Electi à reprobis in hoc discernuntur, quòd reprobi, cùm ceciderint, non adjiciunt, ut resurgant: electi verò mox resurgere & proficere nituntur. Igitur quando te in aliquo lapsum esse advertis, statim mentem tuam humiliter & confidenter converte ad clementissimum Dominum Deum tuum, ejúsque dulcissimam manum (quæ te resurgentem suscipere semper parata est) amplectere, &

& osculare, ac bono sis animo. Vide, ne propter frequentes lapsus tuos tædio victus, deseras bona opera atque exercitia tua. Resume vires, innova propositum, & dic animæ tuæ: Age jam anima mea, rursùm ita demus operam virtutibus & Sanctitati, quasi non offendissemus Deum: id enim ipsi Domino gratum est. Vitia etiam, quæ adhuc in te vivunt, & propter quæ videris tibi deficere magis quà proficere, non te nimium conturbent, sed certa strenuè adversùs pravas propensiones tuas. Quamvis sentias in te malum, si malo non consentis, si peccato viriliter reluctaris, nihil inde detrimenti, sed plurimum emolumenti accipis. Nonnullos invenire est, qui tam inordinato metu laborant, ut omnia, quæ piè agunt, Deo displicere credant. Sed hujusmodi cogitatio atque persuasio diligenter propellenda ac vitanda est. Ita Ven. *Blosius*. Quibus adde infra Serm. 31. num. 27. dicenda.

5. Ex his facilè colligitur, quantum sit Dei donum bona voluntas: sed nosse porrò debemus, bonam voluntatem non esse vacuam seu otiosam, sed, qui eâ à Deo donati sunt, jugiter Dei mandata implere, eíque sedulò servire efflictim desiderant. Hinc semper bonæ voluntatis homines Justitiæ fame, sitíque torquentur; quàm porrò tales felices esse censendi sint, indicat Salvator noster his verbis: *Beati qui esuriunt, & sitiunt Justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Ecce, eos qui esuriunt, sitiúntque Justitiam, Dominus beatos & saturandos appellat, quòd hæc justitiæ fames, atque sitis spirituales parit, parátque divitias, quibus homo & beatus est, & affatim saturatur. Etenim nullum tam efficax medium est ad virtutes congregandas, perfectionémque nanciscendam, ùt justitiæ fames, ùt testatur *S. Ambrosius* Ser. 3. sup. Ps. 118. dicens: *Desiderium profectûs, nec non conatus in virtute & perfectione semper crescendi, tantoperè Deo placet, ut bonis charismatibus & gratiis suis hunc assiduè locupletet.* Atque huc trahunt illa è Beatissimæ Virginis Cantico verba, *Esurientes implevit bonis.* Idipsum & Propheta multò antè dixerat, *Quia satiavit*, inquit Ps. 106. *animam inanem*, id est, sitibundam, & *animam esurientem satiavit bonis.* Illos, inquam, qui tanto virtutis ac perfectionis desiderio flagrant, ut ipsam esurire & sitire videantur, Dominus multis replet, & ditat donis spiritualibus; quia summoperè illi ardens & bonum cordis nostri desiderium placet. Danieli apparens Angelus Gabriel, ideo ejus preces à principio nuntiat exauditas, *Quia vir desideriorum erat. Dan.* 9. Davidi Regi regnum ideo Deus pro omni ejus posteritate confirmavit, quòd desiderium voluntatémque haberet templum Domino ædificandi: ac licèt ab ipso construi illud nollet, sed à filio ejus Salomone, hoc tamen desiderium habuit ratum, nec minùs est remuneratus, quàm si re ipsa præstitisset. 2. *Reg.* 7. v. 12. Zachæus quoque (ùt *S. Lucas* c. 19. refert) desideravit tantùm videre JESUM, & ecce priùs à Domino videri meruit, qui & ultrò illi se convivam addixit, ejúsque domum ingredi dignatus est.

6. In Vitis PP. l. 6. §. 17. refertur. Cùm *S. Macarii* animum desiderium subiisset cognoscendi, ad quantam perfectionem pervenisset, hanc è cælo vocem audivit: Nondum, ô Macari, attigisti perfectionem duarum mulierum Alexandriæ degentium. Abiens ergo Alexandriam, cùm reperisset duas illas mulieres, & quem

quem vitæ modum tenerent, indagâsset, post longas preces, tandem ab iis extorsit, quòd undecim annis in eadem domo summa cum pace cohabitassent, & sæpiùs enixè petierint, ut vitam cælibem agere per maritos liceret; id verò cùm impetrare nequirent, Deo puritatem cordis obtulisse. Insuper summo semper studio invigilasse, ne verbo vel opere Deum offenderent. Hoc audiens Vir Sanctus exclamare cœpit: verè in quocunque statu puritas cordis Deo placet, ita ut quandóque puritas Conjugatorum puritatem Virginum, & Monachorum excedat. Hinc ergo manifestè liquet, quantæ sit perfectionis & efficaciæ bona voluntas, & sincerum desiderium Deo placendi, ejúsque præcepta implendi. Cùm videamus has duas mulieres Deo ob desiderium vitam cælibem ducendi, ac ob conatum, & studium obtemperandi divinis mandatis, tantoperè placuisse, ut etiam hac in parte *S. Macarium*, virum omnino perfectissimum, superârint. Conemur proinde & nos ardentia concipere desideria, sic enim haud dubiè capaces reddemur magna à Deo recipiendi dona.

2. Verùm enim verò, studiosè hîc observandum est, quod notat *S. Bonaventura* process. 4 Relig. c. 3. Sunt quidam (inquit) qui plurima faciunt proposita, sanctáque desideria multa habent, at nunquam seipsos vincunt, aut aliquam sibi vim inferunt, ad eadem opere ipso exequenda. Unde advertendum est, hæc sæpenumerò vera proposita, aut desideria non esse, sed nonnisi velleitates, & imperfectæ volitiones, quæ quidem vellent, non tamen volunt. Uti piger, qui vult, & non vult: neque enim manum operi vult admovere, de quo Sapiens *Prov.* 21. v. 25. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari: totâ die concupiscit & desiderat.* Hinc (ùt auctor est *S. Hieronymus*) in desideriis est omnis otiosus. Unde non incongruè hujusmodi homines assimilantur militibus in tabella pictis; quemadmodum enim hi semper stricto mucrone hostem ferire, ictúmque jam jam intentare videntur, nunquam tamen illum inferunt: Ita nonnullis vita omnis abit in ictu, semper minitando, nullum tamen infligendo. Tales *Isaias* c. 37. comparat mulieri parturienti, & præ dolore clamitanti, nullum tamen fœtum in lucem edenti: *Venerunt*, inquit, *filii usque ad partum, & virtus non erat pariendi.* Quæ verba Glossa interlinearis sic accipit: *Venerunt consilia nostra usque ad partum, & non erat virtus explendi.* Hujusmodi animæ sunt illæ prægnantes, quibus Dominus apud *Matth.* 24. mortem minatur: *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*: ubi *S. Hieronymus* ita commentatur: *Væ illis animabus, quæ non perduxerunt sua genimina.* (id est, bona desideria) *in virum perfectum.* Væ, inquam, iis, quorum vita omnis desideriis meris consumitur, & quos ingruens inexspectatò mors omni prorsus opere destitutos reperit. Pòst quippe non solùm concepta olim desideria illis non proderunt, verùm etiam ideo castigabuntur, quòd bonas, à Patre luminum datas inspirationes, executioni non mandârint. Hinc eveniet illis, quod accidit Absoloni, cui (ùt legere est 2. *Reg.* 18.) fulva & super aurum rutilans cæsaries laquei vice fuit; ita similiter multi tempore mortis è bonis auratísque suis desideriis suspensi interibunt.

8. Quamobrem ne tam infausta nobis sors obtingat, sed potiùs, ut juxta Christi

sti promissum æternùm saturari, & beari mereamur, desideria nostra acria sint & efficacia, oportet, quæ opere ipso vim suam & efficacitatem testentur: nam ille verè famem ac sitim habet, qui potui, atque cibo quærendo diligenter incumbit. Sic fecit filius prodigus, qui durâ fame pressus paternæ domûs panes vehementer expetebat. Quid inde? in se reversus dixit: *Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccavi &c. Luc.* 15. 18. Ubi *S. Ambrosius* ait: Hæc apud se dixit; sed satis non est dicere, nisi ad Patrem venias. Similiter ille veram habet sitim, qui re ipsa quærit fontem; hanc sitim exposcit Christus, cùm ait: *Apoc.* c. 21. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Quam sitim expertus Regius Vates dicebat. *Ps.* 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Cervus námque non utcunque, sed celerrimi cursûs impetu fontem quærit. Ita explicat *S. Bernardus* verba illa *Isaiæ* 21. *Si quæritis, quærite,* id est, si quæritis vero desiderio, quærite simul & opere. Sic quærebat Sponsa, cùm dicebat, *Cant.* 3. *Surgam, & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Quemadmodum ergo Sponsa non solùm desiderio anhelabat ad amantissimi Sponsi sui amplexus, sed etiam reapse magnâ eum solicitudine ac diligentiâ quærebat, *Surgam* ait, *& circuibo civitatem.* Pari modo si veraciter virtutem quampiam desideremus, magnâ contentione omnes vires, omnémque industriam, quò eam assequamur, applicemus oportet. Si itaque hoc ardore & affectu Virtutes, ac religiosam perfectionem esurimus, & sitimus, securè confidere nobis fas erit, in saturandorum numero nos collocatum iri, sortémque habituros cum illis, quibus Cælestium Spirituum exercitus in Christi Nativitate pacem promiserunt, dicentes, musicéque concinentes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. 14.

# SERMO XXVII.

## DE BONI EXEMPLI EFFICACIA.

*Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Matth. 5. v. 16.

1. QUemadmodum non rarò inter scholares quæstio circumvolare solet, quisnam videlicet cæteros in doctrina, & litterarum studio antecellat? Pari modo percontari libet, ecquis è Christi Discipulis, in virtutum schola sese exercentibus, primatum tenere, reliquísque melior & perfectior esse censeatur? Huic quæstioni respondet Philosophorum Princeps

*Aristoteles* 5. Ethic. dicens: *Optimus est ille, qui non utitur bonitate ad se solùm, sed etiam ad alios.* Optima sanè responsio, utpotè SS. Patrum doctrinæ conformis: *Bonum enim* (ùt *S. Dionysius* c. 4. de divin. nomin. docet) *est sui diffusivum; unde quò magis res aliqua se ipsam diffundit, séque aliis participat, tanto melior erit.* Ex qua doctrina palàm patet, illum optimum fore Religiosum, qui non tantùm sibi, sed etiam aliis bonus esse studet, quomodo hoc autem fieri queat, retulimus de animarum zelo, ubi breviter num. 24. declaravimus, quantum aliis emolumentum vel unius hominis Sanctimonia conferat, quod nunc parùm fusiùs dilucidare volumus, de bono exemplo, quo Dei famulo aliis prælucere convenit, disserendo.

2. De quo Magnus Ecclesiæ Doctor *D. Gregorius* l. 10. Moral. sic loquitur: *Nullum ego consilium melius arbitror, quàm si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat fieri, provocans eum ad meliora, & consulens ei, neque verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.* Cui adstipulans *Leo* Papa dicit: *Validiora sunt exempla, quàm verba; & pleniùs docemur opere, quàm voce.* Hoc ipsum etiam censuit *S. Pambo*, dum *Theophilum* Episcopum suo silentio magìs, quàm exculto sermone ædificare studuit, ùt infra serm. 28. num. 13. fusiùs recensebimus. Considerare præterea lubet, per qualenam stratagema *S. Abrahamus* Eremita tot paganos omnino efferos cicurârit, Christóque subjugârit, & videbimus, eum suæ patientiæ exemplo, precationibus, & orationibus, non verborum adhortationibus id præstitisse, utì patebit, qui ejus vitam legerit. Hinc non malè dixit *Seneca*: *Multum dabit filiolo Pater, aut ejus institutor, etiamsi nihil dederit præter exemplum.*

3. Præcepit olim Deus *Noë* (ùt registratur in libro *Genesi* c. 6.) *Fac tibi arcam de lignis lævigatis.* Ille statim paret, & operi se accingit. Omnes in hoc conveniunt, quòd *Noë* fuerit Divini Verbi Præco, omnibus enim annuntiaverat imminentem universæ terræ ruinam, si non resipiscerent, & pœnitentiam agendo offensum Deum placarent. Sed evolvamus Sacras paginas, & nullibi reperiemus eum populis prædicâsse. Quomodo ergo diluvii & pœnitentiæ Præco dicitur? Respondetur optimè prædicâsse ipso opere, & arcæ constructione: Satìs eloquenter conscionatus est vitæ Sanctimoniâ, exactâ legis naturalis observantiâ, lacrymis, suspiriis; licèt siluerit linguâ, nec ullum verbulum protulerit. Egregiè hoc pertractans *S. P. August.* Ser. 69. de temp. *Noë*, inquit, *etsi tacebat voce, opere loquebatur, silebat linguâ, fabricatione clamabat.* Idipsum etiam asserit Magister Angelicus: *Fuit Noë* (inquit 2. Pet. 2. §. 2.) *justitiæ præco; Et si non verbo, tamen exemplo; quia justus erat, ùt dicitur Gen. 5. Quia justitiæ opera faciens, qualiter vivendum esset coram Deo, ostendit. Item per hoc, quod fabricabat arcam, eos ad justitiam monebat.* *Noë* ergo satìs eloquenter est concionatus, & proinde meritò divini verbi Præco dicitur; is enim melior prædicator censendus est, qui operibus magìs quàm verbis prædicat.

4. Sic prædicavit *S. Pachomius* suæ Sorori, eíque mundi contemptum persuasit; nam cùm fortè illa eum salutatum venisset, & ille eam nec alloquio, nec aspectu dignatus esset, sed ei per janitorem renuntiari jussisset, se jam dicisse, quòd advenisset incolumis, se quoque rectè valere, posse jam domum repetere, nisi fortè vellet mundo valedicere

dicere, suóque exemplo reliquas etiam ad idem facinus invitare; tunc enim ei cellam libenter in solitudine assignaturum, ubi remotis arbitris in silentio precibus attenderet, Deóque serviret, præter quem nullum denique in mundo solatium, nullúmque solidum gaudium esset reperire. Hæc erat tota concio, quâ *Pachomius* suam Sororem ad pessundandas sæculi cupedias invitabat. Sed qualem effectum habuerit, videamus. Illa his verbis admonita, sed multò magìs fratris sui exemplo commota, denique se ad serviendum Deo obtulit, cui vir Sanctus à suo asceterio monasterium construi curavit, ad quod mox aliæ quoque fœminæ confluxerunt opinione Sanctitatis inclitæ, quibus Antistita præfecta est *S. Pachomii* Soror, monasticæ regulæ observantissima, religiosæque perfectionis studiosissima.

5. Inter alios, qui se *Pachomio* erudiendos commisére, fuit etiam *Theodorus* juvenculus non nisi 14. natus annos, illustri stemmate oriundus: Hic, repudiatis mundi voluptatibus, Asceterium S. Pachomii accessit, infimisque ab eo precibus admitti rogavit, & impetravit. Sed infelix *Theodori* Mater duplicem Mariti, filiique orbitatem non ferens, ad monasterium advolavit, Episcopi armata literis, quibus Pachomio, ut Matri filium redderet, imperabatur. Ergo S. Abbas Theodoro præcepit, ut ad colloquium Matris progrederetur. Cui juvenis: Mi Pater (inquit) visne in illo decretorio supremóque die pro me culpam præstare, quam contrahere videor, si minùs bonum reliquis Monachis sim daturus exemplum, dum genitricem meam alloquar? Cui Pachomius: Fili, si nolis (inquit) haud equidem urgeo, ut Matri colloquaris: quin imò fateor ea, quæ dixisti, ad majorem pertinere perfectionem. Quare Theodorus conspectum Matris horruit; sed quo effectu? Ecce illa fortitudine filii sic commota est, ut vestigia ejus æmulari, mundúmque aspernari etiam ipsa decreverit. Itaque ad illud aliud Monacharum monasterium admissa est. Quis hîc non clarè videt, quantæ sit efficaciæ boni exempli vis? Quis denique inficiabitur non fore validiora exempla ad quidvis persuadendum quàm verba; Optimè proinde nos monet æterna Veritas, dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ubi singulariter notandum, non dixisse Salvatorem, sic luceat lux vestra *ut audiant verba vestra*, sed *ut videant opera vestra*, tanquam magìs efficacia ad impios convertendos, quàm politus sermo.

6. Hanc porrò Veritatem minimè ignorabat Seraphicus Pater *S. Franciscus*, hinc suis in hæc verba præscripsit documentum (Tom. 3. op. S. Franc. coll. 2.) *Considerate Fratres, vocationem vestram, quâ vocavit vos misericors Deus, non tantùm pro vestra, sed etiam pro multorum salute, ut eatis per mundum exhortando omnes plùs exemplo quàm verbo.* *Lyranus* in cap. 2. Ruth. eundem S. Patriarcham verba illa *Cantici* S. Annæ 1. *Reg.* 2. 5. *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est*; ita declarare solitum fuisse, scribit: sterilem dicebat, fratrem simplicem, officium prædicandi non habentem, per quem generantur filii, id est Ecclesia Dei juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 4. *In Christo JESU per Evangelium ego vos genui*, & talis frater simplex exemplari suâ vitâ plùs haud dubiè proficit & sibi, & aliis, quàm prædicator verbosus.

7. Hinc cùm ipsi magnus æternitatis dies elucescet, non sine ingenti tripudio mirabitur tantis se filiorum manipulis vallari, dicétque cum *Isaia* 49. 21. in corde suo: *Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens*: ego non fui Prædicator, non Confessor, non doctus: *& istos quis enutrivit?* quis mihi dedit? Dicam: Oratio, suspiria, lacrymæ & gemitus tui, vitæque probitas. *Deus enim*, ùt loquitur Regius Psaltes *Ps.* 144. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Et hoc est, quòd Deus tam multos filios dat ei, qui videbatur sterilis, & patris nomine non appellabatur. Peraptè huc quadrat *S. Francisci* factum, imitatione dignissimum. Vocaverat aliquando Vir Sanctus suum socium; veni (inquiebat) eamus, & concionemur. Ambulabant per omnes urbis plateas, capite inclinato, oculis in terram defixis, toto corpore ad modestiam composito, humili & devoto gressu; ita ut omnes, qui eos sic incedere videbant, compungerentur, & ad detestanda peccata, ad mundum deserendum, ad obsequendum Deo accenderentur. Quo peracto mox ad Conventum denuò rediit, cui Socius ait: Ergone Sancte Pater non prædicabimus? cui Sanctus subintulit, jam defactò prædicationem nostram perfecimus. Cui Socius: quâ ratione? ne unicum quidem verbum proferentem te audivi. Ah frater! replicabat S. Patriarcha. Facta est concio, & optima quidem ac fructuosa. Scis, quænam fuerit? Bonum Exemplum quod exhibuimus. Et profectò eventus probavit hanc miram concionandi methodum efficacem fuisse, nam paulò pòst multi confluxerunt, qui habitu Religionis indui postulârunt. Quàm rectè itaque ad hanc exteriorem compositionem & modestiam nos adhortatur D. Pater *Augustinus* in aurea sua Regula dicens: *In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat Sanctitatem.*

8. Verùm enim verò, Religiosi exemplares perbenè assimilantur cœlis; quemadmodum enim cœli (ùt loquitur os aureum *Chrysost.* hom. 3. in *Gen.*) licèt taceant, solo suo aspectu homines ad laudem Dei invitant, maximè cùm noctu stellis illustres apparent; ita & homines perfecti, & virtutum stellis conspicui, Deum etiam silentes laudari faciunt. Cujus rei veritas narratione sequentis historiæ comprobata manet. Cœnobiarcha quispiam (ùt proditum in *Specul. Exemplor.* dist. 9. exemp. 46.) famâ Sanctitatis præstans, cùm sæpiùs audivisset in loco quodam creberrima perpetrari homicidia, nec quemquam tutò illuc transire viatorem: & verò etiam inibi immanissimum omnium latronum principem, & antesignanum habitare. Quare pretiosas vestes Abbas induit, ac præstantem equum conscendit, & ad locum, in quo latrocinia exercebantur, properavit. Vix ad locum venit Vir Religiosus, illicò adsunt prædones, qui captum hospitem ad principem suum adducunt. In cujus conspectum ubi venit Abbas, interrogavit, quid vellet, & ob quam causam manus sibi injectæ essent? Cui latro, equum se ejus, vestésque habere velle dixit, & ni promptus esset in dando, etiam cum his vitam erepturum. Abbas, ut erat ingenio liberali ac faceto; rem æquam à me petis, inquit, quia hæc non solùm Dei sunt, verùm etiam reipsâ communia. Igitur quoniam ego illis usus jam multis

multis annis, æquissimum mihi videtur, ut jam tu quoque utaris. Sic enim verè fient communia, per vices usurpata. Cæterùm illud oppidò libenter scirem, quonam pacto usurus sis veste istâ? cùm nequaquam conveniat te ejusmodi habitu incedere. Risit ad hanc simplicem quæstionem latro: & verò ait, vendi possunt, quæ gestari non possunt. Ita me, familiámque meam alo. Ingemuit ad hæc Abbas, & suspirio altissimè ducto, ait: Fili, quid agis? cur obsecro, tanto cum labore aliud nihil nisi cibum & potum, & pannos pauculos quæris, quibus vestiaris? si de victu, & amictu tantùm agitur, en invito, in domum meam te ducam, & omnia hæc gratìs tibi suppeditabo. At latro, se gratias agere, dixit, suum nempe stomachum non assuetum esse fabis. Cui rursùs Abbas, veni mecum, ait, promitto sanctè, tibi carnium, pisciúmque electissima fercula me appositurum, panem delicatum, & vina generosa ministraturum, neque lectum tibi mollissimis instratum plumis defuturum. Hisce latro victus, Cœnobiarcham velut agnum lupus secutus est. Hinc Abbas latronem ad spatiosum deduxit conclave, ac ei certum è Religiosis suis assignavit, qui vernulam agens more servili, quàm diligentissimè omnia administraret: nam & lectum sternebat, & humum verrebat, & statis horis vinum, cibúmque admodum opiparè instructum ferebat. Cæterùm latrone genialiter se farciente, Religiosus ille jussu Abbatis juxtim in terra assidebat, atque suum obsonium in præsentia hospitis sumebat. Quod totum nihil erat, nisi modicum panis & pauxillum aquæ. Quod tam asperè accumbendi, atque parcè edendi genus, ubi vidit latro, non abstinuit interrogare, quænam causa esset, ob quam se tantoperè affligaret? Et fortè, ait, etiam tu aliquando hominem occidisti? Fortè impuras libidines sectatus, aut adulteriis delectatus, alienos toros, conjugiáque contaminasti, ut nunc vili tritico, imò lolio cogaris victitare? Cui modestè Cœnobita: Superi, inquit, prohibeant, ut talium criminum mihi sim conscius, hâc autem pœnitentiâ, & corporis castigatione me ideo exerceo, ut Deum in morte propitium habeam. Hoc verbo transfossus latro, in seipsum descendens, atque altè suspirans dixit: Ego verò hominum sceleratissimus, qui tot furta, tot rapinas, tot adulteria, & homicidia perpetravi, ut numerari nequeant, nunquam à cibis abstinui, nec scio, quid sit esurire, aut inediâ se macerare, semper sumptuosis dapibus me saginavi, quo ergo pacto Deum, tot atrocibus injuriis offensum, propitium habebo? Væ mihi miserrimo! Hæc cùm dixisset, ad Abbatem cucurrit, ad cujus pedes provolutus, multísque lacrymis irroratus, supplicavit, ne de cætero aliter, quàm reliqui Monachi, tractaretur, quin imò paulò pòst corpus suum adeò afflictavit, ut cæteros omnes abstinentiâ superaret, jámque exemplo correctus, factus est exemplum corrigendorum.

9. Hinc ergo colligere pronum est, quantæ sit efficaciæ boni exempli vis; sed ut hæcce veritas magis stabiliatur, aliud addere exemplum lubet. Cùm aliquando *S. Narcissus* (ùt *Surius* in ejus vita recenset) ad Affram meretricem fortè divertisset, illa existimans turpitudinis ergo advenisse, illicò cœnâ opiparè instructâ, fuco meretricio de more ornata, ad flagitiosos actus sese composuit. Porrò S. Episcopus cùm ad sumendum cibum ac-

accessisset, & primùm toto corpore, vultu, oculisque ad orationem se componeret; Pellex hoc exemplo adeò commota est, ut protinus se ad ejus pedes abjecerit, ac impudentiæ suæ labem confessa sit, sanctéque posthàc vivens Martyrii laureâ cum tribus puellis coronata est. Certum igitur est, majori pollere efficaciâ bonum exemplum ad quidvis persuadendum, quàm, nescio, qui Ciceronianus sermo; dubitari etiam haud potest, quin multi æternùm perirent aliàs, ni aliorum exemplari vitâ compuncti ad meliorem redirent frugem. Unde Romanus Pontifex *D. Gregorius* ait: *Nunquam peccatores ad lacrum pœnitentiæ redirent, si nulla essent bonorum exempla, quæ mentem eorum à malo retraherent.*

10. Cæterùm quàm felices olim ac beatos fore eos, qui nunc sedulò alios sanctæ conversationis exemplo ad meliora provocare laborant, colligitur ex argumento opposito, ubi æterna Veritas homini scandaloso æternum Væ ingeminat, ait enim apud *S. Matth.* 18. *Væ mundo à scandalis. Necesse est enim, ut veniant scandala, veruntamen Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Itáque cùm benignissimus Salvator noster non sit minùs pius & liberalis in dandis præmiis, quàm justus & severus in plectendis delictis, sequitur benè, quòd, sicut puniat scandalosos *æterno Væ*, ita remuneret exemplares *sempiterno vale.* Hinc exclamat *D. Chrysostomus*: *Beata, & benedicta anima illius, cujus humilitas confundit alterius superbiam, cujus patientia proximi extinguit invidiam.* Cui astipulatur *S. P. August.* Serm. 163. in hæc verba: *Quantoscunque aliquis exemplo sanctæ vitæ ædificaverit, cum tantis & pro tantis mercedem retributionis beatæ vitæ accipiet; & quantiscunque exemplum malæ conversationis, etiamsi illi non sequantur, præbuit, pro tantis se malis rationem noverit redditurum.* O reverà aurea doctrina, super mel & favum dulcis omnibus illis, qui sincero mentis affectu, pulsatâ procul omni simulatione ac hypocrysi, alios virtuosâ suâ conversatione ædificare, ac ad serviendum Deo strenuè provocare satagunt. Quemadmodum enim (ùt *S. Præsul* docet) impii & scandalosi homines in tantum pœnis subjicientur, in quantum ea perpetraverint mala, è quibus aptum natum fuit sequi scandalum, aliorúmque spiritualem ruinam, quamvis nullus pravum eorum exemplum secutus sit; ita pariter, tametsi nemo piam, honestam, religiosámque tuam vivendi methodum ex confratribus tuis (quod tamen concesserim nunquam) sequatur, nullúsque inde aliquem emendationis fructum reportet, nihilominus tamen tantam expectandam habebis remunerationem, quantam consequi sperares, si conspiceres omnes bonæ tuæ conversationis exemplo commotos, meliora & perfectiora sectari. Ut porrò huic doctrinæ firmiùs assentiri valeas, applica ei cuncta, quæ sermone 19. num. 27. usque ad finem memoravimus, quia hæc se paria habent. Quamobrem nil aliud restat, quàm ut manum operi admoveas, & ea, quæ diximus, in ipsam praxim redigas, & quomodo id fieri debeat, sat perspectum habes ex Sermonibus hactenus jam specificatis, uti etiam ex sequentibus asserendis intelliges.

# SERMO XXVIII.

# DE VIRTUTE PATIENTIÆ.

*Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Hebr. 10. 36.

## PARS PRIMA.

### De Patientia in Communi.

1. QUoniam Religiosorum Asceteria scholæ sunt patientiæ, in quibus à manè ad vesperam Religiosus nihil aliud expectare debet, quàm vexationes & molestias; Hinc *Apostolus*, qui immediatè ab Incarnata Sapientia in Paradiso edoctus fuit, patientiæ virtutem, non tanquam utilem, convenientem & delectabilem, sed tanquam necessariam nobis proponit, inquiens: *Patientia vobis necessaria est.* Quantoperè verò hæc virtus omnibus, Religiosis præcipuè, necessaria sit, indicat id brevibus sed nervosis verbis *S. Joannes Climacus* grad. 37. n. 31. dicens: *Non tantopere cibo suo, quam patientiâ, indiget Religiosus.* Quocircò ne quis ob varia adventantia mala animo concidat, specialiter se in hac patientiæ schola, contra quævis adversa fortiter toleranda, præparare debet, sic ut initio cuncta adversantia toleranter sustineat; postea satagere Religiosus debet, ut promptè, facilè, ac libenter quaslibet tum corporis tum animi adversitates toleret. Et tandem, ut gaudenter & hilariter cum *S. Andrea* Crucem duabus ulnis amplectatur, cum dicto: *O bona Crux diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & jam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te; suscipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.*

2. Definitur porrò patientia, quòd sit virtus, quâ mala hujus sæculi æquo animo sustinemus; ita ut propter illa nec interiùs immoderatè turbemur & contristemur, nec exteriùs aliquid minùs honestum aut decorum admittamus. Dividitur autem patientia in quinque potissimùm species. *Primò* quidem patientia *in damnis fortunæ*, puta divitiis, pecoribus, fundis, alíisque similibus possessionibus, in quibus, undecunque oriantur, illud *S. Jobi* effatum repeti oportet: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* *Secundò*: Patientia *in malis corporis*: qualia sunt fames, sitis, frigus & æstus, morbi aut tormenta, sive à seipso per voluntarias castigationes, sive ab aliis justè, sive injustè illata: quæ omnia velut à divina Providentia, sive ad paternam castigationem, sive ad amorosam probationem, sive ad copiosiorem præmiationem immissa, cum summa promptitu-

dine & æquanimitate accipi debent, ne alioqui, si queramur, illud audire cogamur, quod Deus olim *B. Mariæ Diaziæ* ob nimium frigus querenti dixit: *Ego sum causa hujus frigoris, & tu quereris?* *Tertiò*: Patientia *in malis famæ*; qualia sunt, quæ vel fiunt cogitatione tantùm, ùt contemptus, suspiciones, judicia temeraria, aversiones, odia: vel verbo duntaxat, ùt reprehensiones, susurrationes, accusationes, delationes, infamationes: &c. vel ipso opere; ùt irrisiones, illusiones, castigationes, humiliationes, negationes favorum, honorum, petitionum, persecutiones, &c. *Quartò*: Patientia *in malis animi*; ùt sunt ariditates & desolationes spiritûs, scrupuli, & anxietates, distractiones & obscuritates, dejectiones, imperfectiones, tentationes, exiguus profectus in spiritu, lapsus in peccata: Cùm enim verissimum sit, quòd teste Salomone *Prov.* 24. 16. *Septies cadat justus* (addunt communiter Sacri Interpretes, *in die*) ac proinde quoque non semel sed septies per diem pariter necessaria erit patientia, ut se opponat peccatis, vel eadem, si commissa sint, aboleat, & ideo cùm ad peccatum adeò proclives simus, Deus nobis quoque de hoc antidoto, & Theriaca patientiæ paternè prospexit. *Quintò*: Patientia *in malis proximi*. Quæ vel oriuntur ex aliorum pravis moribus & factis, nec emendari aut averti à nobis possunt: vel certè ex casibus sinistris amicorum, putà infortuniis, infamationibus, morbis, mortibus, aliisve similibus afflictionibus. In his ergo omnibus juxta Apostolicum effatum *patientia nobis necessaria est, ut voluntatem Dei adimplentes, reportemus promissionem*, æternæ scilicet gloriæ bravium.

3. Actus porrò patientiæ sunt varii ac multiplices. Primus est: *Suis peccatis imputare, quæ quis patitur.* Ita Christus *S. Birgittam* docuit dicens: l. 6. revel. c. 65. *Si quis vituperatur, non contristetur, sed respondeat sic: Dignum est, quia toties in conspectu Domini peccavi, & non pœnitui, majoribus enim afflictionibus dignus sum; ideo rogate pro me, ut tolerando temporalia, effugiam sempiterna.* Inter alia *Jeremiæ* lamenta hoc quoque legitur: *Thren.* 3. 39. *Quid murmurat homo vivens vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras.* Etenim si peccata à nobis commissa nonnihil examinaverimus, inveniemus utique, quam mitis sit manus, quæ per ærumnas momentaneas nos percutit in vicem tormentorum æternorum & infernalium. Quomodo igitur tam impudentes erimus, ut de malis nostris dolere præsumamus? Mala enim quæ patimur, peccata nostra meruerunt. Quod si verò nonnunquam contingat, quòd, dum adversitatibus castigamur, planè innocentes simus, ac proinde percussio aspera nobis videatur, necessum est, ut recordemur transgressionum præteritarum, quæ nondum expiatæ sunt. Fratres Josephi sine ulla data causa tanquam exploratores habebantur, qui in Ægyptum eo fine venissent, ut munitiones illius explorarent, & fortalitia Regionis destruerent; injustè quoque arguebantur furti tanquam latrones. Ipsi verò interiùs à Deo illuminati pacati erant, séque illas injurias justè promeruisse ingenuè fatebantur, revocando nimirum in memoriam venditionem fratris sui, & exercitam adversus ipsum crudelitatem; ideóque dicebant: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. Gen.* 42. 21.

4. De S. *Ephremo Syro* legitur, quòd dum adhuc juvenis esset adolescens, alterius

terius viri buculam fœtu gravidam ex insolentia juvenili crebrâ lapidum insectatione eò usque persequebatur, donec onere ventris, & cursu fatigata concideret. Mortua feris per noctem in prædam cessit. Mensis autem spatio evoluto cùm in aliorum pastorum societate in agro dormiret, illisque aliqua animalium suorum surrepta fuissent; opiliones illi, seu magistri pecoris Ephremum furibus ducem fuisse rati, eundem vinctum Prætori sistunt, qui custodiæ mandatum duobus reis adjunxit, quorum uterque exors criminis, cujus affinis putabatur; occultâ tamen vindictâ Numinis utrumque persequente, in suspicionem alter cædis, alter adulterii inciderat. Interim Ephrem pædore & squalore carceris diu vexatus, suamque incarcerationem deplorans, & ob eandem coram Deo lamentans Angelum quendam cælitùs ad se missum vidit, qui causam incarcerationis ab eo sciscitabatur, cui cùm ille se innocentem, omnísque culpæ expertem esse responderet, dixit ei Angelus: Scio equidem te hac in re omni culpâ carere, at verò recordare prævaricationis diebus superioribus à te commissæ, quando ludens vaccam occidisti; si ad hoc te reflexeris, videbis, quòd ex parte Dei justè sis incarceratus, justissimáque sint judicia ejus. Monuit eum insuper, quod licèt reliqui duo ob non commissa delicta, quorum rei habebantur, in carcerem conjecti fuerint, hi tamen alios excessus sine dubio commiserint, ob quos pœnam illam justè merebantur.

5. Hanc historiam fusè recenset *Georgius Stengelius* par. 3. cap. 38. in cujus fine sequentem subjungit doctrinam, dicens: Quæ clarè demonstrant, homines sæpe seipsos fallere, dum putant se innocentes. Etsi enim in ea re non deliquerint, ob quam carceri addicuntur, aut alio pacto accusantur, damnantur, puniuntúrve; tamen Deus scit, vidétque eos aliunde pœnam commeruisse, quâ proinde illos sinit plecti. Itaque si cui malè aliquid succedit, si mittitur in lapicidinas, si venit ad Charontis januam, si fit vel hosti miserandus, si malis mala succedunt; non dicat se innocentem pati. Esto non fecerit, quod fecisse dicitur; tamen aliquid patravit, ob quod nefastum diem est meritus. In titulo homines errant, non errat Deus in supplicio. Imò sæpe, ubi culpam vel nullam, vel nonnisi exiguam agnoscit quispiam, ibi divina statera scelus reperit. Proinde, ùt rectè monet *S. Chrysostomus* hom. 5. ad popul. *Cùm rebus adversis premimur, gaudeamus, hoc est enim peccatorum expiatio.* Attentam hîc etiam merentur reflexionem verba à *S. Laurent. Justin.* prolata: *Humilis*, ait, *semper arbitratur, se deteriora mereri, quam patiatur, quamobrem pátienter aspera sustinet, gratias in tentationibus agit. Nec valet quis humano explicare ingenio, quantæ sit utilitatis, quanti meriti, & quàm Deo gratum, non altum sapere, tribulationes irruentes perferre fortiter, illatas contumelias tranquillâ mente pati, & humiliter adversantia quæque adversa propriis peccatis adscribere.*

6. Secundus patientiæ actus est, *à lacrymis nimiáque tristitia abstinere.* Ita Christus *Susonem* docuit, dum ipsum propter dicteria & irrisiones aliorum flentem corripuit, his verbis: *Prô pudor! vísne in fœminæ morem lachrymari? Certè tibi ipsi apud omnes cæli cives ignominiæ notam inures. Terge oculos, & hilarem vultum exhibe, ut neque dæmones, neque homines animadvertant afflictionis causâ*

*te plorare.* l. 2. c. 11. vitæ. Tertius actus est, *non petere ut auferatur tribulatio.* Sic *S. Catharina Senensis*, cùm esset iniquè accusata & infamata, quasi impura virginitatis jacturam fecisset, & hanc ipsam suam infamiam Christo offerret, non petiit, ut innocentiam suam declararet, sed tantùm ne à dæmone superaretur, & à divino obsequio abstraheretur. Quem in finem *Epictetus* l. 2. Ench. c. 7. saluberrimam doctrinam offert his verbis: Quemadmodum viator ab obvio sciscitatur, quânam viâ sit incedendum, eam quæ ad dexteram est, non magis appetens, quàm eam, quæ ad lævam dirigitur, utpote cùm non velit alterutrâ istarum ingredi, sed eâ tantùm, quâ poterit pervenire ad destinatum locum; ita sanè conveniebat nos quoque accedere ad Deum, ùt solent facere viatores, scilicet non magis eligendo dexteram consolationum, quàm sinistram afflictionum.

7. Quartus actus Patientiæ, & inter cæteros omnes princeps est, *Desiderare afflictiones*, exemplo Jobi dicentis: *Job.* 6. 8. *Quis det ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? & qui cœpit, ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me: Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Porrò utilitatem & excellentiam hujus desiderii egregiè depinxit *S. Laurentius Justin.* de discip. monast. c. 6. in hæc verba: *Quis hujus Sancti desiderii valet profectum explicare? Animo quippe vires subministrat, & pœnam exhibet leviorem, perseverantiam præbet, sanctitatem adducit, coæquat Martyribus, & cælesti Patriâ dignum suum effecit possessorem.* Enimverò ad hos & similes alios patientiæ actus facilè suavitérque exercendos, quamplurimum conducit pia & affectuosa Passionis Dominicæ meditatio; quomodò enim inficiari potêst, illum non inflammari ad ardua quæque perpetienda, qui seriò & pensiculatè animo revolvit, Ducem suum, ac Magistrum Christum Salvatorem nostrum tanta, támque atrocia amore nostri sustinuisse tormenta, eúmque in monte Golgotha in patibulo Crucis suspensum fuisse? de quo Apostolus ait: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Hebr.* 12. 3.

8. Porrò, Venerabilis *Blosius* in Conclaviani. c. 10. hominem quendam impatientiâ tentatum interrogat, inquiens: Cur, quæso, turbaris, quòd iste, vel ille, multa quæ nec cogitasti quidem, tibi objicit, & malum de te loquitur? Recordare Domini tui Jesu Christi, qui maledicta sine causa in se congesta patientissimè tulit. Vide ne pax cordis tui dependeat ex lingua vel arbitrio hominum. Hinc aliquando Christus, ut idem pius Scriptor in Monili c. 4. testatur, leniter reprehendens *Sanctam Birgittam* propter impatientiam, & iram, quâ perturbata fuerat, ait: *Ego Creator & Sponsus tuus pro te sustinui verbera; tu vero ita impatiens fuisti, ut portare non potueris verba.* Ego stans ante Judicem tacui, & non aperui os meum; sed tu acerbiùs respondendo & exprobrando vocem tuam nimis exaltasti: tu debueras omnia patienter tolerare propter me, qui clavis affixus fui pro te; debueras per patientiam tuam eum, qui erravit, ad meliora provocare. Sis ergo post hàc cautior, & ubi ab aliquo ad iram provocata fueris, non

non facilè loquaris, donec ira ab animo tuo semota fuerit. Transactâ autem animi commotione, & causâ ipsius diligenter pensatâ poteris loqui cum mansuetudine. Quod si loquendo nihil proficeres, & tacendo non peccares, meliùs tunc faceres, & majus meritum acquireres, si sileres. Ita Christus ad S. Birgittam. Quæ verba tibi quoque à Salvatore tuo suggesta esse certò credas, & quantum proin in virtute Patientiæ profectum capies, quotidiana te edocebit experientia.

9. Verùm enim verò, quò altiores hac in virtute radices agas, verba illa, quæ idem Salvator olim in cruce pendulus *S. Petro Martyri* apparens dixit, in intimum cordis tui penetrale demitte, animóque tuo insculpe. Legitur ergo in hujus Sancti vita, quòd sæpe cælestibus visionibus, & aspectabili Divorum præsentiâ fruebatur. Cúmque aliquando pro more precibus in cellula sua ardenter vacaret, ecce tibi cælo delapsæ sunt sanctæ Virgines, *Agnes*, *Cæcilia*, *& Catharina*, quæ conspicuâ sese formâ ei objecerunt, adeóque familiari ac clarâ voce eidem precanti collocutæ sunt, ut earum sermones à fratribus transeuntibus audirentur, qui fœminas ex urbe ad Monasterium admissas rati, Petrum apud Cœnobii Moderatorem accusarunt, multísque verbis hoc exaggerarunt. Interrogatus de mulierum conditione, noluit secreta pandere, nec cælestes favores manifestare, personarum qualitatem proinde non explicavit, nec cælestes virgines fuisse asseruit, attamen fœminas in cellâ suâ fuisse non dixit, sed tacuit, & ad pedes Superioris provolutus, séque peccatorem esse, multísque lapsibus obnoxium confessus, utque ignosceret, humillimè petiit. Tunc Monasterii Præses coram omnibus acriter Petrum perstrinxit, & quòd offendiculo aliis fuisset, eum quasi captivum in aliquo remoto Monasterio attineri jussit. Petrus etsi fortiter eam ignominiam sustineret, tamen post menses aliquot in captivitate & carcere traductos cœpit persentiscere ærumnam suam.

10. Cæterùm quodam die Ecclesiam ingressus, mœstitiâque oppletus coram Christi Crucifixi imagine se prostravit, & amanter conqueri cœpit, ecquid meruisset, ut tam atroci calumniæ tamdiu subjaceret? & nemo è cælo Patronus suæ innocentiæ causam ageret? & ego, respondit è cruce Christus, ô Petre, quid sceleris admisi, ut in hanc crucem agerer? Patientiam in meo exemplo disce. Nimis modica sunt, quæ toleras, si cum meis ærumnis & doloribus comparentur. Ad hæc verba Petrus partim solatio, partim rubore suffusus cœpit habere in desiderio ærumnas, quibus exonerari flagitabat, jámque amore Christi imitandi succensus id suspirare non dubitavit: *Ampliùs Domine, ampliùs auge calumniam, augebis & coronam.* Discamus ergo hinc & nos in nostris afflictionibus exemplo Salvatoris nostri habere patientiam, firmitérque animo concipiamus hæc ipsa Christi verba ad nos derivari; sic enim haud dubiè cum glorioso hoc Christi Martyre & nos clamabimus: *Ampliùs Domine, amplius, auge ærumnas, auge & cruces &c.*

# PARS SECUNDA.

## De Patientia eorum, cum quibus vivimus.

11. S. *Paulus* Apostolus sciens suos Corinthios in medio nationis pravæ versari, ideo ne propterea animis conciderent, eosdem exhortatur ad Patientiam dicens: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos in multa patientia.* Nam quemadmodum aurum ut purum fiat, per ignem purificari debet; ita pariter boni Christiani per malos mirabili Dei ordinatione frequenter erudiri, & ad perfectionis gradum provehi solent; ac proin si quis se in medio pravorum hominum constitutum esse cernat, non propterea se minùs felicem esse putet, quàm sit ille, qui inter Sanctos viros versatur, imò verò longè fortunatior erit, si illud Apostolicum impleverit præceptum, quod S. *Paulus* ad Philippenses cap. 2. transcripsit, dicens: *Omnia facite sine murmurationibus* (sine impatientia) *ut sitis sine querela, & simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Et alibi idem S. Apostolus omnibus Christi sequacibus, inter malos & filios tenebrarum constitutis sequens inculcat monitum: 1. *Theff.* 3. 3. *Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus*, ut nimirum patiamur, & in patientia nos exerceamus. *Mutius Scævola* sententiosa olim hæc protulit verba: *Agere & pati fortia, Romanum est*, quod longè verius de Christianorum conditione asserere licet; *Pati enim fortia verè Christianum est.*

12. Proinde rectè omnes spiritualis vitæ Magistri hanc auream tradunt regulam, nimirum: *Non discedere à locis, & personis, à quibus quis patitur.* Ita enim olim antiqui Eremi Patres suadebant dicentes: l. 5. libell. 7. n. 32. vit. PP. Si contigerit tentatio in loco, in quo habitas, non deseras locum in tempore tentationis, quia si deserueris, quocunque perrexeris, ante te invenies quod fugiebas: sed patiens esto, donec tentatio transeat, ne discessio tua aliis scandalum faciat: & ne fortè aliis, qui circa ipsum locum habitant, tribulationem ingerat discessio tua. Quam doctrinam studiosè Socii *S. Francisci* observabant; utpotè quos amor Evangelii adeò patientes fecerat, ut quærerent potiùs ibi esse, ubi persecutionem paterentur in corpore, quàm ubi, cognitâ eorum sanctitate, mundano possent gaudere favore. De *S. Philippo Nerio* refertur in ejus vita l. 1. c. 18, quòd per triginta annos multa in domicilio *S. Hieronymi* à quibusdam domesticis perpessus, nunquam adduci potuerit, ut ad domicilium Patrum Congregationis Oratorii à se fundati transiret, donec authoritate summi Pontificis ad hoc coactus est.

13. Peraptè ad præsens quadrat propositum sequens historia. Monachus quidam stomachabundus ob iracundiam & bilem, quam comprimere non poterat, Monasterio Abbatis *Euthymii*, in quo commorabatur, excedere, & in solitudinem concedere constituit, ratus, cessante cum fratribus agendi necessitate, etiam iram cessaturam, quòd nulla in solitudine bilis concitandæ occasio occurreret. Statutum factum; perrexit ergo in solitudinis deserta: & ecce cùm quoddam vas

cum aqua juxta se posuisset, subitò dæmone allaborante corruit, unde aqua effusa, ipsum denuò replet, sed labitur & secundò. Tertiò igitur ipsum aquâ adimplet, sed dæmon iterum in terram dejicit, totámque aquam effundit. Ergo irâ percitus, solo sublatum vas terræ allidit ac confringit. Quo facto animadvertens non aliorum fratrum consortium impatientiæ & bilis hujus causam esse, sed exiguam suam mortificationem. Hinc dixit: Revertar ad Monasterium, quia ubique patientiâ & Dei auxilio opus est. In te ergo, Religiose, inquietudinis & impatientiæ causa residet, non in fratribus tuis. Tu, tu tibi impera, passiones tuas mortifica, & sic (ait *Cassianus*) non dicam cum hominibus, sed etiam cum feris & belluis optimè tibi conveniet, juxta illud *Jobi* cap. 5. *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.*

14. Ex quo apparet, quàm graviter in Religione errent nonnulli, qui proprium secuti arbitrium dicunt: Si tali in loco essem, si tali officio aut ministerio applicarer, quietus forem, meliúsque Deo servirem; in hoc verò cœnobio, hoc in ministerio planè inquietus sum: imò videor, si diutiùs in eo maneam, nullum omnino profectum facturus. O intolerabilem errorem & illusionem! exclamat peritissimus ille vitæ spiritualis Magister, *Alphonsus Rodriquez*, p. 3. tr. 1. c. 7. *Quid? eóne in loco benè tibi putas fore, in quem tu te cupis ingerere? ibi verò malè tibi erit & pessimè. Utinam verò, quæ hinc secuta sunt mala, non reipsa jam sæpè essemus experti.* Certè breviter quidem sed nervosè *S. Gregorius* ad nostrum propositum sic loquitur: *Sæpè mutare locum conamur, & secretum vitæ remotioris eligere, nescientes, quia si desit spiritus, non adjuvat locus.* Quis locus sanctior fuit paradiso? & tamen in cælo empyreo innumerabiles spiritus Angelici lapsi fuerunt adeò turpiter, ut in horrendos transmutati fuerint dæmones. Paradisus terrestris esto fuerit centrum innocentiæ & justitiæ originalis, esto etiam Protoparentes nostri cælestibus ditati fuerint thesauris, attamen serpens infernalis pestilens suum in eos evomuit venenum. Collegium Apostolicum perfectionis & Sanctitatis fuit schola, ab ipsa præsentia & doctrina Christi consecrata, prophanatum tamen fuit ab uno Juda, pessimo & sacrilego homine.

15. Quamobrem pro cautela illius, qui è re sua esse existimat loci mutationem, & priùs non mutat mores, consideratione digna est hæc *Eusebii Emisseni* hom. 3. ad Monach. doctrina: *Quid prodest* (inquit) *quòd discedis, qui undique astrictus es vinculis passionum, quem hinc atque inde circumvallant vitia tua; Quid inquam, prodest, quòd discedis, qui, quocunque locorum vadis, te tecum portas. Dignè aliquis discessit, si illò ire possit, ubi illum diabolus invenire non possit. Nemo se fallat, non fugiet adversarium de loco ad locum, sed de vitio ad virtutem, de passione ad emendationem.* Tritum illud proverbium: *Habitus non facit Monachum,* sic nec locus. Audiamus *S. Hieronymum*: ep. 13. *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse laudabile est; singuli quique credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur, & veri adoratores neque Jerosolymis neque in monte Garizin adorant Patrem, quia Deus Spiritus est; Spiritus autem ubi vult, spirat, & de Jerosolymis & Britannia patet aula cælestis; regnum Dei intra nos est.* Hactenus *S. Hieronymus.*

16. Porrò, hâc nunc allatâ doctrinâ efficaciter etiam perstringuntur illi, qui

arbi-

arbitrantur se faciliùs animæ suæ salutem potuisse consequi, si aliam Religionem intrâssent, quàm in ea ubi de factò morantur. Quæ stygii hostis deceptio tam altas quandoque in nonnullorum Religiosorum cordibus agit radices, ut reipsa nonnunquam transitum ad aliam Religionem affectent; sed his objici potest illud, quod ante pauculos annos quidam Venerabilis Senex ex ordine Carthusiensi alteri cuidam ex *D. Francisci* familia Religioso, ad Carthusiam aspiranti respondit; Num S. Franciscus rectam ad Cælum viam docuisset? haud dubiè. Proinde ut in ea ad finem usque constanter persistat, suaviter & magna cum charitate eidem suggessit. Quod ipsum confirmat *S. Bernardus*, qui similem ad aliam Religionem transitum dissuadet sequenti sermocinatione: Illud, fili dulcis, tanquam dæmonium meridianum fuge præ aliis hostis antiqui astutiis, quod cavendum tibi summoperè denuntio, ut ex eo tempore, quo Religionem intraveris, nunquam cogitationem illam suscipias, foveas, aut ei credas, quâ suggeritur te minùs utilem in Religione manere susceptâ, & in alio statu vel habitu magìs tibi vel aliis proficere. Nam si cordis aurem hujusmodi phantasiis inclinaveris, divident & distendent animum tuum, ita ut nullum saporis spiritualis condimentum possis retinere, erítque cor tuum quasi vas confractum, quod omnem Sapientiam non tenebit. Indéque non solùm tædium, sed horrorem desperationémque boni operis præconcepti imminere necesse est, dum animus tuus circa multas Professiones, studiáque diversa dividitur. Unde quidam Patrum in *Collationibus*: Solent animi leves miniméque fundati, cùm audierint quosdam in diversis virtutibus ac studiis bonis magnificè prædicari, ita eorum laude succendi, ut eorum imitari statum protinùs desiderent, at frustra. Nam ex hujusmodi mutatione ac varietate propositi dispendium capiunt, non profectum. Quia, qui multum sequitur, nihil integrè consequetur. Ideo hoc unicuique expediens est, ut secundùm propositum, quod elegit, & gratiam quam accepit, summo studio ac diligentiâ ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet: aliorum laudes amet, & admiretur virtutes, at nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat. Multis námque viis ad Deum tenditur; & ideo unusquisque viam semel arreptam irrevocabili cursûs sui intentione conficiat, ut sit saltem aliquâ professione perfectus. Hucusque Abbas mellifluus in *Speculo Monachorum*.

17. Cæterùm, quamvis juxta omnium Doctorum sententiam Religioso, qui nimirum in Religione minùs austera, aut ubi disciplina claustralis jam penitùs collapsa est, moratur, ad aliam strictiorem, & ubi observantia religiosa in vigore est, Religionem transire fas sit, rarissimè tamen id expedit; quia in quocunque statu Religioso, quamvis aliàs laxo, adipisci potest perfectio religiosa, quæ in charitate consistit, ùt fatentur omnes. Enimverò ut hac in parte nos magìs fundemus, audire lubet *S. Bernardinum*, qui in hæc verba scribit Tom. 3. ser. de Purific. art. 2. c. 1. Regula firma est in sacra Theologia, quòd, quandocunque Deus per gratiam aliquem elegit ad aliquem statum, omnia dona illi dispensat, atque largitur, quæ illi statui necessaria sunt, & illum copiosè decorant. Quod verò multi reperiantur, qui hac singulari Dei gratiâ abutentes, Reli-

gionem non paucis scandalis, & fœdis moribus suis quandoque contaminant, eique gravem ignominiæ notam inurunt, propterea Deus bonos & morigeros non privat suâ gratiâ & auxilio; quia certissima sunt verba, quæ *S. Petrus*, quando jussu Dei Cornelium Centurionem baptizavit, protulit, dicens: *Actor.* 10.34. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente* (in omni statu, & ordine) *qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Hinc Christus aliquando *S. Francisco*, magnâ tristitiâ obruto, ex eo quòd multi ex suo Ordine fratres deficerent, apparens dixit: *Noli turbari, Francisce, Ego enim illis cadentibus, alios erigam, & si unus ad vomitum redeat, ego in ejus locum alterum excitabo. Quòd si tres tantùm in ea permanserint, eos ipse nunquam deseram, sed erit hæc semper familia mea.* Ita *S. Bonavent.* apud Cornel. à Lapide in c. 3. *Apocal.* v. 11.

18. *S. Paulus* dum aliquando raptus fuit in tertium cælum, haud dubiè multas ibidem animas beatificatas videre potuit, quæ in præsenti vita Deo servierunt non solùm in diverso statu religioso, sed etiam vitam ducentes sæcularem. Unde omnibus Christi imitatoribus consulit, ut quilibet in suo persistat statu, in quo Deus ipsum collocavit: *Unusquisque*, inquit, *in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* 1. *Cor.* 7. 20. Infallibilis quædam securitas est, quam nobis subministrat idem Apostolus scribens Thessalonicensibus: 1. *Thess.* 5. 24. *Fidelis est, qui vocavit vos.* Quasi diceret (commentatur *Josephus Mansi* tr. 96. disc. 2.) cùm Deus vocaverit vos ad certum quendam statum, scitote eum esse fidelem, nec vos decipere, nec errare posse: *Ipse enim sciebat quid esset in homine*, ait *S. Joannes*; multò melius novit quàm nos, quæ vocatio saluti nostræ expediat, ideóque unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat; si Deus velit, ut quis eam commutet, talia ei dabit signa, ut de divina illius voluntate dubitare nequeat. Memoratu digna hic est responsio à *S. Joanne* Anachoreta data; hic enim postquam triginta annos in Monasterio exegisset, ad intimam eremum concedens viginti alios in magna sanctitate explevit annos, quibus expletis ad Cœnobium rursùs reversus est. De causa interrogatus, inter reliquas etiam hanc, nostro proposito accommodam, retulit dicens: Quia melius est devotum in minoribus, quàm indevotum in majoribus professionibus inveniri. Miserum namque est cujuslibet artis ac studii disciplinam quempiam profiteri, & ad perfectionem ejus minimè pervenire. Ita refert *Cassianus* collat. 19. cap. 3.

# PARS TERTIA.

## De Patientia in Infirmitate.

19. QUemadmodum tria sunt, quæ passim homines deperire, & avido quodammodò ore haurire solent, nimirum carnis voluptates, divitias & opes terrenas, ac honorum & dignitatum fasces, de quibus S. Joannes dicit: 1. *Joan.* 2. 16. *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Ob quæ tria innumeram hominum turbam ad tar-

tara devolvi quis inficiabitur! Ita è contrario alia tria sunt præcedentibus ex diametro opposita, videlicet, prolixior seu molestior corporis ægritudo, aliáque carnis afflictiva; temporalium bonorum jactura, & aliorum contemptus & depressio, ob quæ similiter non pauci in querulosas prorumpunt voces, inque diffidentiæ ac malæ tristitiæ laqueum incidunt, miseréquepereunt; ideo operæ pretium fuerit de his singillatim, de primo in præsenti paragrapho, de aliis duobus verò in sequentibus, tractare, egregiáque patientiæ exempla, à viris Sanctis nobis imitanda relicta, in medium afferre, ne sustinentiam abjicientes in mœroris animi scopulum impingamus, animæque naufragium faciamus.

20. Ne ergo ob carnis molestias, & dolores corporis in impatientiæ vitium prolabamur, ponderanda nobis sunt illa Ecclesiastici verba: *Eccli.* 31.2. *Infirmitas gravis sobriam facit animam.* Si ergo te molestat ægritudo, respice ad emolumentum, quod inde in te redundabit, nimirum sobrietas & salus animæ. Hinc rectè nobis consulit *S. Isidorus* l. 2. Synon. c. 6. dicens: In infirmitatibus tuis non contristeris, in languoribus tuis gratias age Deo. Valere te magis animo opta quàm corpore, valere te magis mente quàm carne; adversa corporis sunt animæ remedia. Ægritudo corporis vulnerat carnem, mentem tamen curat, languor vitia excoquit, vires libidinis frangit. Adhuc clariùs hunc infirmitatum effectum attestatur *S. Laurentius Justin.* l. 2. de Spir. anim. resurr. cùm ait: *Optimum medicamentum ad salvandum animas ægritudo corporis esse comprobatur.* Cujus efficacem reddit rationem: *Nempe innumera aufert incitamenta peccandi.* *S. Paulus* Apostolus de seipso loquens 2. *Cor.* 12. 10. fatetur: *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Quæ propositio primâ fronte videtur esse contradictoria; etenim quâ ratione infirmus & debilis eodem tempore potest esse fortis, potens & vegetus? pro cujus dubii resolutione advertendum, vitam humanam esse continuam pugnam ac bellum, & tres individuos secum habere comites adversarios: mundum, dæmonem, & carnem, & hunc ultimum omnium difficillimè superari, quia est domesticus, eúmque fovemus, & nutrimus: *nemo carnem suam odio habet, sed nutrit & fovet eam.* Verùm cùm obruitur ab infirmitate, non tam facilè in rebellionem declinabit, veluti vigente sanitate; domatur, reprimitur, nec quicquam potest contra nos efficere, ideóque tempore infirmitatis sumus fortiores, quia unus ex tribus hisce inimicis nos impugnare & infestare nequit, ac per consequens validiores fortiorésque sumus ad debellandos, expugnandósque alios duos superstites.

21. Enim verò cùm constet longè ægriùs molestiúsque aliquem suam perferre corporis afflictationem, dum arbitratur se solum hâc premi & vexari. Leviùs verò eandem supportat, dum socios numerat, juxta tritum illud adagium: *Solatium est miseris, socios habere pœnarum.* Ideóque ut quis suâ in infirmitate roboretur, animetur, & consoletur, Sanctorum virorum, qui summâ cum animi æquitate, & cordis gaudio quasvis ægritudines subierunt, exempla ante mentis obtutum collocet, oportet. *S. Franciscus Seraphicus* cùm fortè aliquando in tolerandis doloribus premeretur, simplex quidam frater ad eum dixit: ora Pater, ut Deus mitiùs tecum agat: ejus enim manus te nimiùm gravat. Ad quæ S. Pater lamentans exclamavit: nisi tua

pura simplicitas mihi cognita esset, ex nunc te à mea fraternitate abjicerem, eò quòd judicia Dei circa me sugilles. Cúmque à morbo graviùs urgeretur, debilia membra ad terram allisit, quam osculans dixit: Gratias tibi Deus & Domine, pro cunctis doloribus, & obsecro, centuplica illos, si ita placet: hoc enim mihi gratum erit, si me doloribus afficiens, non parcis mihi; quoniam impletio voluntatis tuæ ineffabile meum gaudium est. Sic multi alii in corporis doloribus summas Deo grates rependerunt non nescientes, non fore magis convincens argumentũ, quòd quis à Deo diligitur, quàm si adversis, corporisque ægritudinibus probetur. Hinc quicunque dolores maximas illis causarunt delitias. Inter hos etiam censendus est senex ille, de quo refertur, quòd, cùm singulis annis infirmaretur, & anno quodam liber ab omni morbo fuisset, graviter ingemiscens, ajebat: *Dereliquit me Deus, & non me visitavit.* lib. 5. libell. 7. n. 41. Vitæ PP.

22. Hâc de causâ afflictum fuisse Ven. N. *Joannem à S. Guilelmo*, ejus vita prodit. Singulis quippe annis graviter ægrotabat, & si aliquando sinè ulla infirmitate annum transegisset, quasi à Deo derelictus amarè plangebat, nec consolari poterat. Infirmitates verò, quibus sæpissimè affligebatur, incredibili patientiâ sustinebat, eásque exquisitâ occultabat industriâ, ne remedia aliqua recipere cogeretur. Rediens aliquando monte-Orgiali Bittinianum, montem-Curlianum transgrediens, cùm equus (quem necessitate cogente ascenderat) & ipse in foveam sub illo incidissent, tam graviter in pede vulneratus est, ut ab extremitate pedum ad genua usque pellis detracta esset. Sensibilem hunc dolorem mirabili patientiâ & fortitudine sustinuit, cúmque statim accurrissent comites, ut illum sub equo jacentem elevarent; Sinite me, inquit, aliquid pro Christo pati, qui pro me tanta passus est. Extractus verò ex hac fovea mox ad illum lapidem, ad quem offenderat equus, accessit, eúmque osculatus est. Ut verò Bittinianum rediit, nunquam à Chirurgo curari voluit, nisi per meritum salutaris obedientiæ id ei præcepisset socius ejus. Sic etiam cùm in via Saccifortini ad lapidem offendisset, illiúsque digiti ungula non sinè ingenti sanguinis effusione eradicata fuisset, hunc lapidem in manibus tenens, post plurima oscula summas Deo gratias egit, quòd sibi hanc patiendi occasionem præbuisset. In febribus similiter pestiferis, vertigine, diarrhæa, stomachi dolore, aliisque infirmitatibus, quibus utplurimùm afficiebatur, primò de iis summas Deo agebat gratias, deinde instanter eum deprecabatur, ut in iis diutiùs vexaretur.

23. Porrò, quàm plurima alia Sanctorum exempla, quibus ad corporales ægritudines æquanimiter ferendas incitemur, passim in Sanctorum vitis obvia habemus. *Servulus* Mendicus toto vitæ suæ tempore paralysi laborabat, ita ut movere se non posset, semper tamen in novis morbi accessionibus gratias Deo agebat, unde & Angelorum cantus in morte audivit, & odore suavissimo fragravit. *S. Antoninus* p. 3. tit. 23. c. 4. §. 10. refert factum quoddam memorabile de fœmina quadam magni spiritûs & sanctitatis, nomine *Bona*, quæ Pœnitens *S. Dominici* existens in turri quadam juxta portam *S. Joannis Lateranensis* solitaria agebat; cùm enim hæc per infirmitatem quandam à Deo visitata esset, quæ totum pectus in conti-

nuum quasi vulnus redegerat, indéque scaturirent vermes, eosdem tanto cum cordis jubilo excipiebat, adeóque charos & gratos habebat, ut si fortuitò aliquis horum vermium in terram cecidisset, ipsa subitò magna cum diligentia illum recolligere, & in vulnus pectoris cum aliis reponere solita fuerit. Accidit etiam, quòd cùm ad illam accedens S. *Dominicus*, vermes illos videret, unum ex illis sibi donari magna cum instantia petierit; & verò postqam id ei sæpiùs denegâsset, tandem repetitis instantiis superata, unum ex vermibus ei consignavit; cum hoc tamen pacto, ut eum mox sibi restitueret; quem cùm S. Dominicus vix manibus attigisset, in lapidem pretiosum conversum vidit. Cúmque Sancti viri comites eum multa cum efficacia obtestarentur, ne illum ei restitueret, eámque ob causam B. *Bona* amarè plangens, promissionis adimpletionem exigeret, tandem gemma illa præfatæ mulieri restituta in speciem vermis denuò rediit, sicut priùs fuerat.

24. De S. *Lydvvina* refert *Surius*, quòd cùm per spatium 38. annorum pænosissimam quandam sustinuisset infirmitatem, martyriíque arderet desiderio, in ecstasi ei corona quædam exhibita fuerit inæstimabilis valoris, cujus circulus nondum erat totaliter perfectus, quia igitur coronam hanc sibi præparari intellexerat, eandem nondum finitam esse videns, à cælesti Sponso suo sibi dari hanc petiit gratiam, ut longè plura & atrociora, quàm hactenus experta fuerat, pateretur dolorum tormenta. Quam supplicationem Sponsus ejus exaudiens, permisit, ut multi milites ad eam ingrederentur, eámque verbis injuriosis, ac insuper verberibus divexârunt, eámque in lecto nudatam turpiter contrectârunt, aliísque contumeliis affecerunt. Quibus omnibus per invictam patientiam toleratis, cælestis quidam nuntius, Solis instar luminosus, coram ea apparuit, eique dixit: Salve charissima Soror, ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti, propter inverecundos contactus virorum illorum, noveris te positam fuisse in vestigiis Salvatoris. Ludibria & vulnera corpori tuo imposita fuére gemmæ, quas in illa corona & adesse vidisti, & deesse.

25. In *Prato spirituali* de quadam nobilissimæ prosapiæ raræque pulchritudinis fœmina legitur, quòd cùm adeò facta fuisset leprosa, ut omnibus eam aspicientibus horrori esset, eámque dum Episcopus quidam visitaret, & ex compassione ejus etiam lacrymas funderet, illa tota hilaris & jucunda dixit ad Præsulem: Cur hoc in me donum & speciálem gratiam, quam dilectus meus JESUS Christus mihi præstitit, admiraris? Dic, sodes, si aliquis tali cum conditione carceri esset inclusus, ut inde egredi nunquam posset, donec carceris muri & parietes è fundamentis corruerent, in hunc verò carcerem condemnatus videret, quòd prædicti muri paulatim corruerent, & totalem minarentur ruinam pro ejus liberatione, nunquid meritò talis lætificaretur? Ita quoque anima Christiana in mortalis corporis carcere constituta, videns corporis sui vitam paulatim terminari, séque ex captivitate carnis mortalis brevi liberandam esse, justam habet lætandi causam.

26. Ex his facilè liquet, quantum Dei munus & beneficium sit corporis infirmitas, dummodo hæc æquo animo propter Deum toleretur. Fatui proinde esse comprobantur, qui Deo,

hanc aut illam ægritudinem misericorditer ipsis immittenti, obmurmurant & de hoc conqueruntur. Ne ergo in talem incidamus fatuitatem, saluberrimum dat monitum S. *Gregorius* dicens: *Admonendi sunt ægri, ut considerent, quanti sit muneris ægritudo corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant, compescit.* *Ruffinus Aquil.* narrat, Monachum quendam, tertianâ febri cruciatum, rogâsse S. *Joannem* Abbatem, ut pro se preces effunderet, & à Deo sanitatem impetraret. Cui vir Sanctus respondit: rem tibi necessariam cupis abjicere? Febris, fili mi, quâ torqueris, diverso est, hanc te vult pati Deus, ut te aliis gravibus periculis tibi imminentibus eripiat; febribus, doloribus, & similibus suppliciis mundantur animæ; ùt enim sapone panni lavantur, sic mentem morbi eluunt. Corporis morbus animæ salus. Virtus in infirmitate perficitur. Alius quidam de priscis illis Patribus discipulo suo ægrotanti dicebat: Noli, fili mi, ob hanc infirmitatem contristari, ingentes potiùs Deo gratias age; si enim ferrum sis, per hunc ignem rubiginem & scoriam pones; si aurum, per eundem purgaberis, & purior redderis. Magna virtus, inquit, & insignis Religio, in infirmitate Deo gratias agere.

27. Sed dices, si sanus forem, plura pietatis & Religionis opera obire possem, quæ nunc lecto affixus intermittere cogor, nec tantum Deo servire possum, quantum benè valens. Sed audi, quidnam hac in re sentiat Magister *Joannes Avila*, vir Apostolicus, qui superiori sæculo sacrum in Hispaniis fuit oraculum: hic, ùt refert *Rodriquez* p. 1. tr. 8. c. 16. Sacerdoti cuidam ægroto scribens: Ne quæso, ait, respicias id quod faceres, si sanus esses, sed cogita potiùs, quàm placiturus sis Deo, si in morbo tuo cum Dei voluntate te conformes. Et si purè (ùt equidem reor) Dei voluntatem quæras, quid ampliùs tibi confert sanum esse, quàm ægrum, cùm ejus voluntas omne nostrum sit bonum? S. *Joannes Chrysostomus* plus *Jobum* meruisse, & magis Deo placuisse ait, dicendo: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*, illius voluntati se in illis ærumnis, & ulceribus ab eo immissis, conformando, quàm eleëmosynis & bonis, quæ faciebat sanus & opulentus. Pari modo magis Deo placebis, illius voluntati te in ægritudine accommodando, quàm bonum quodcunque in bona valetudine faciendo. Cui astipulatur S. *Bonaventura* in hæc verba: *Perfectius est adversa tolerare patienter, quàm bonis operibus insudare; quia Deus nostris operibus non indiget attestante Psalmista: Ego dixi, inquit, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Psal. 15.

# PARS QUARTA.

## De Patientia in ariditate ac desolatione animi.

28. INter alias cruces, ac tribulationes, quas Deus illis, qui divino se obsequio ac servituti mancipârunt, immittere amat, locum etiam obtinet animi ariditas, ac desolatio spiritûs; proinde ad hanc crucem ferendam quilibet, qui Servus Dei audit, aut esse cupit, se paret oportet; vult enim Deus suos athletas cum ariditate luctari, quia victores cupit majoribus gratiis,

& suavioribus donis postea consolari. Et hoc contingit in via purgativa, in via illuminativa, & in via unitiva; quemadmodum testatur Ascetarum facilè Princeps, *Thomas de Kempis* lib. 2. de Imitatione Christi cap. 9. sic scribens: *Nunquam inveni aliquem tam religiosum & devotum, qui non habuerit interdum gratiæ subtractionem, & non senserit ferveris diminutionem. Nullus Sanctus fuit tam altè raptus & illuminatus, qui priùs vel postea non fuerit tentatus. Non enim dignus est altâ Dei contemplatione, qui pro Deo non est exercitatus aliquâ tribulatione.* Ita accidit etiam ipsis Sanctis; sicut enim magnas & raras à Deo accipere solebant animi consolationes, ita similiter amarum desolationis & ariditatis calicem bibere debuerunt. Expertus est id S. Paulus; nam 2. *Cor.* 7. de se scribit: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Vicibus aliis tam graviter tribulationes sensit, ut apertè fateretur 2. *Cor.* 1. *Quoniam supra modum gravati sumus, ita ut tæderet nos etiam vivere.*

29. Pro sexcentis aliis Sanctorum virorum, mulierúmque exemplis serviat illud, quod Seraphica Virgo, *S. Theresia* de seipsa suo annotavit calamo, dum capite quadragesimo vitæ suæ ita scribit: Aliquando ita comparata sum, ut ad aliud me vivere debere non existimem, quàm ut adversi quid patiar, & hoc est, quod ex totis visceribus meis maximè à Deo efflagito. Unde subinde ex toto corde meo ad Dominum dico: *Aut mori, Domine, aut pati; aliud mihi dari à te nolo*; Simul etiam, dum horæ signum dari audio, gestio, quòd paulò reddita Deo vicinior ad eum videndum, horâ illâ vitæ meæ elapsâ videar. Aliàs ita comparata sum, ut nec ullum vitæ meum censum, nec moriendi desiderium habeam; sed me torpore ac caligine in omnibus rebus, ob ingentes quas sæpe patior afflictiones, obsessam comperiam. Ita de se veraciter *S. Theresia.* Unde discamus: Si Sancti, ac intimi Dei amici non possunt semper manere in eodem statu, amore, ac fervore, & nos, qui miselli & infirmi sumus, inæqualitates, quæ nobis passim accidunt, miramur, & stupemus? An non centiès, aut fors millies audiverimus, quod in *Jobo* cap. 14. de homine scriptum est; *Quia nunquam in eodem statu permanet.* Neque addubitandum, quin Sapientia Divina hæc cuncta in nostrum ordinârit bonum & salutem. Nam istæ ariditatis, & desolationis tenebræ micantissima lumina sunt, quorum ductu ex errorum labyrinthis ducimur, atque à plurimis, eísque periculosis liberamur deceptionibus. Quando minimâ aliquâ fruimur spiritûs consolatione, sensibilique devotione, jam nos Deo gratissimos fore arbitramur, magnósque fecisse in perfectione progressus, at frequenter fallimur; non enim sensibilis devotio, sed rationabilis vera est & secura, quæ animam reddit sanctam, quemadmodum docet *D. Bonaventura* lib. 2. cap. 13. de Prof. Rel.

30. Nosse cupis, quid rei sit devotio rationabilis, seu quæ vera, quæque falsa sit devotio? Respondet Asceticorum Magistrorum gemma *S. Franciscus Salesius*, dum lib. 4. Introduct. ad vitam interiorem cap. 13. ita differit: Dico devotionem in sensibili quadam cordis dulcedine, suavitate, & consolatione, quæ lacrymas & gemitus eliciat, & nescio, quem gratum & sapidum in exercitiis quibusdam spiritualibus gustum nobis det, non consistere. Neque enim

hæc

hæc, & devotio unum sunt: siquidem multæ sunt animæ, quæ has quidem consolationes habent; interim tamen valde vitiosæ sunt; ac proinde verum Dei amorem, seu veram aliquam devotionem minimè habent. Saul miserum Davidem, quò eum neci daret, qui proinde per deserta Engaddi à facie ejus fugiebat, persequens, solus in eam speluncam, in qua David cum sociis suis (ùt habetur lib. 1. *Reg.* cap. 24.) latebat, ingressus est. David qui millies eum hìc interficere potuisset, ejus vitæ pepercit, eúmque liberum abire passus, postea ei inclamavit, quò suam ei sinceritatem ostenderet, & vitam ipsius in sua potestate fuisse declararet. Quid non deinde fecit Saul, quò animum suum erga Davidem jam mitiorem esse factum ostenderet? Filium eum vocat, & in lacrymas, & in fletum elatiorem prorumpit: *Et levavit Saul vocem suam, & flevit.* Pòst illius clementiam & mansuetudinem celebrat, Deum pro ipso rogat, futuram ipsius magnitudinem præsagit: denique quos post se relicturus erat filios & nepotes ei, commendat. Majorémne Saul lenitatem, & animi affectum testari poterat? Attamen animum, & mentem suam non mutaverat, tam intentè & atrociter postea Davidem persequens, quàm persecutus erat priùs, ùt habetur loco citato cap. 26. Consimili modo quidam sunt, qui, cùm Dei bonitatem, & passionem Domini considerant, insigni commiseratione permoventur, quæ ipsos suspirare, lacrymari, orare, & in valde sensibiles gratiarum actiones prorumpere facit; adeò magnâ cor eorum devotione æstuare quis diceret. Sed accedente tentatione facilè videre est, quòd sicut transitorius æstatis cujusdam æstuantissimæ imber, magnis guttis in terram decidens, ipsam non penetrat, & non nisi ad fungos producendos conducit; sic hasce lacrymas, & hos miserationis sensus, in animum vitiosum delabentes, nec ipsum penetrantes, prorsus ei inutiles esse, nec ad aliquid boni conducere. Siquidem ne minimam partem restituere eorum, quæ iniquè possident; pravis suis affectibus non renuntiare, & ne vel minimum propter Dominum Jesum, cujus causâ antè paulò lacrymati sunt, subire incommodum vellent. Adeo ut boni illi quos habuère motus, nonnisi velut fungi quidam spirituales sint, qui non solùm vera non sunt devotio, sed sæpe insignis cacodæmonis impostura. Hic enim animas parvis hisce consolatiunculis demulcens, & illiciens facit, ut iis prorsus contentæ maneant, maximéque sibi in iis complaceant. Idque, ne veræ & solidæ devotioni (quæ in constanti, firma, & prompta faciendi, quidquid Deo placere novimus, voluntate consistit) quærendæ insistant. Hucusque *S. Franciscus de Sales.*

31. Ex quibus colligere pronum est, veram devotionem, vitæque perfectionem non consistere in multitudine aut quantitate consolationum, nec in solis affectionibus, sed in charitate operante, quâ quis præcepta universa servare omni studio connititur: & hoc, scilicet perfectionis substantiam non in affectibus, sed in effectibus constitutam esse, Christus docuit, (*Joan.* 14. 23.) dicens: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & qui non diligit me, sermones meos non servat.* Devotio itaque propriè & strictè sumpta nihil est aliud (ùt asserit *Doctor Angelicus* 2. 2. q. 82. a. 1. in corp.) quàm efficax voluntas, seu promptitudo voluntatis, quâ aliquis est promptus & pa-

& paratus ad ea, quæ pertinent ad Dei obsequium, seu quo se divinis obsequiis devovet, & consecrat; ubi notandum Ly *propriè*; nam impropriè communiter, & juxta vulgus sumitur devotio pro sola consolatione, & refectione illa spirituali mentis, ac dulci recreatione, quæ provenit & ab ipsa oratione, & ab ipsa devotione vera & propria.

32. Hoc ut meliùs intelligatur, sciendum est, quòd Consolatio spiritualis duplex sit, una *rationalis*, & purè spiritualis, in animæ parte superiori sedem habens; altera *sensibilis*, ac simul corporalis, in animæ parte inferiore resultans. Suavitas seu consolatio purè spiritualis est omnis animi motus, per quem interiùs anima incenditur in amorem Creatoris, nec quid in creaturis quærit, nisi propter Deum. Hinc etiam animam afficit secundùm ejus triplicem potentiam, scilicet secundùm memoriam, intellectum, & voluntatem: Memoriam sanctis cogitationibus replet; intellectum peculiari lumine illuminat, Dei beneplacitum illi patefacit, inter virtutes & vitia discernere docet. Voluntatem sanctis ac devotis affectionibus perficit, fiduciam excitat, charitatem adauget, desiderium Deo in omnibus placendi, & bonam voluntatem immittit, mentis alacritatem præbet, spem remissionis peccatorum, & assequendæ salutis erigit; hos & alios effectus in animæ potentiis causare solet consolatio rationalis, & purè spiritualis, quæ solam mentem, seu animæ partem superiorem afficit, & non corpus; & sine ulla prorsus corporis immutatione contingit. Altera consolatio spiritualis quidem, quoniam de rebus spiritualibus & divinis habetur, sensibilis tamen dicitur, & est, quia non est solius voluntatis, sed appetitûs sensitivi, seu partis animæ inferioris, & non contingit, seu non percipitur sine corporis immutatione aliqua, dilatatione cordis, ac diffusione sanguinis & spirituum sanguineorum, ùt docet *S. Thomas* prima secundæ, q. 31. a. 4. in Corpore.

33. Porrò, consolatio hæc sensibilis aliquando oritur ex abundantia prioris consolationis purè spiritualis, quæ quandoque ita solet excrescere, ut nequaquam in mente seu parte superiori animæ se contineat, sed hinc etiam se transfundat in inferiorem, atque adeo in appetitum sensibilem, ac in ipsum etiam corpus, Psalmistâ attestante (*Psal.* 83.) *Cor meum*, id est, voluntas, seu spiritus meus, *& caro mea exultaverunt in Deum vivum*; scilicet ratione utriusque appetitûs, rationalis & sensibilis conspirantis; unde naturali sequela & sympathia sequitur perfectior consolatio; & ita hæc consolatio sensibilis priori purè spirituali pretiosior est, quia illam continet, & aliquid ampliùs, quod vehementiùs ad virtutem allicit, includit, scilicet redundantiam ejusdem ex mente in appetitum sensibilem & corpus. Ita docet *S. Thomas* 1. 2. q. 24. a. 3. in Corp. ubi subdit: *Sicut enim melius est, quod homo & velit bonum, & faciat exteriori actu; ita etiam ad perfectionem boni moralis pertinet, quòd homo ad bonum moveatur, non solùm secundùm voluntatem, seu spiritum, sed etiam secundùm appetitum sensitivum, seu corpus.*

34. Notandum ulteriùs, quòd consolatio spiritualis purè sensibilis non semper ex abundantia consolationis rationalis, & portionis animæ superioris (ùt proximè dictum) proveniat, sed eam Deus ex sua benignitate animabus teneris & imperfectis, scilicet recenter

ad

ad se conversis impertiri solet, quatenus ipsas ad suum obsequium vehementiùs alliciat, de qua scribit *Richardus* in cap. 6. Cant. *Visitatione gratiæ consolatur Deus pusillanimitatem nostram, juvat infirmitatem, excitat voluntatem. Aliquando autem in viris imperfectis, & recenter ad Deum conversis de rerum, quas meditantur, & nunquam antè consideraverunt, novitate procedit.* Ex quo apparet, quòd hanc sensibilem consolationem magis experiantur animæ imperfectæ, quàm perfectæ; proinde *S. Theresia* illos, qui in Dei servitio perfectiores & ferventiores sunt, admonitos esse voluit, ne querantur, aut indignè ferant, si sensibilis devotio, aut consolatio sensualis ipsis defuerit, sed potiùs ut Deo propterea grates referant; ita enim in vita sua cap. 11. scribit: *Gratias Divinæ Majestati agite, & in bonitate ejus fidite, qui amicos suos nunquam deseruit. Nolite dicere aut cogitare, cur huic tam pauco tempore in Dei servitute transacto devotionem elargitur, mihi verò post tot annos elapsos adhuc eam neget? Credamus, hæc omnia nonnisi ad majus bonum nostrum esse.* Paulò infra eadem Seraphica Mater subjungit: Certum est, (inquit) amorem Dei, vitæque perfectionem non in effusione lacrymarum, non in his dulcedinibus & teneritudine situm esse; sed in eo, ut illi cum justitia, animi robore, & humilitate serviamus. In illis quippe potiùs quid accipimus, quàm demus. Mulierculis quidem infirmis, qualis ego sum, arbitror expedire, ut cum suavitate quadam & blandè conducantur; sed dum illustres Servos Dei, viros magnæ & authoritatis & doctrinæ ægrè ferre video, quòd nullam à Domino sensualem devotionem accipiant, grave mihi id est audire. Non dico autem, ut eam non accipiant, si quando illam Deus elargitur, aut non magni faciant; sed ne, dum eâ carent, sese discrucient, & affligant. Hactenus *S. Theresia.*

35. Cæterùm, rationem, cur Deus ab illustribus suis servis quandóque auferat hunc gustum, ac internas consolationes, assignat *Doctor Seraphicus* lib. 2. cap. 76. de Prof. Rel. hanc, videlicet meritum majoris gratiæ & gloriæ, dum patientia desolationis, & humilis sufferentia mœroris, quasi lima reddit animam clariorem, & magis susceptibilem splendoris divini, amplioris gratiæ, gloriæque capacem. Est & alia ratio, cur subinde Deus se occultet, nósque illâ privet dulcedine, quâ, cùm nobis præsens aderat, fruebamur; nimirum ut humiles esse, & cristas ponere addiscamus. Audiamus iterum hac super re egregiè philosophantem citatum *D. Bonaventuram*; *Quia magis* (inquit ille) *humiliatur homo, dum non habet devotionem, quàm alio tempore, & magis confunditur in seipso. Si consolatio spiritualis aliquando homini non subtraheretur, nimis extelleretur, & gratiam perderet, & periret.* Et ideo disponit Deus, ut ipsius servi non semper experiantur internam consolationem, sed ariditatem, desolationem, & tentationem, ne videlicet se supra alios extollant, & vanè sibi complaceant, hæcque divina solatia suis præcedentibus meritis adscribant, sicque gratiæ Dei jacturam incurrant.

36. Denique, qui interno destituti sunt solatio, cogitare etiam debent, ac credere, quòd Deus justè consolationis spiritualis dulcedinem illis abstulerit, in pœnam scilicet alicujus peccati, uti *S. Laurentius Justin.* de cast. connub. c. 24. indicavit, dicens; *Quoniam nullus est, qui non saltem in multis venialibus offendat, equidem nemo invenitur, cui sæpe divinus non subtrahatur gustus.* Oportet proinde se

se profundè humiliare, omniqúe se consolatione indignum reputare, divinámque pietatem obsecrare, ut noxarum suarum multitudinem non attendat; sed infinitam bonitatem suam inspiciat; denique Deum roget cum Davide, & dicat: *Ne projicias me à facie tua: Redde mihi lætitiam salutaris tui*, securus de cætero, quòd *cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Psal.* 50. Similiter in hac mentis sterilitate, seu desolatione spiritûs expectare oportet cælestis consolationis imbrem magnâ cum patientia, & divinæ misericordiæ non præfigere terminum, sed magnâ fide credere oraculo Vatis dicentis: *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Habacuc.* cap. 2. v. 3. Memores item simus in hac afflictione positi trium Magorum, qui licèt sui itineris ducem stellam, dum Judæam attigerunt, perdiderant, ab inquirendo tamen Judæorum Rege non desistebant, sed quidquid ad eum investigandum, & reperiendum facere censebant, minimè negligebant; unde & factum, quòd stella denuò illis apparuerit, eósque ineffabili gaudio perfuderit, Evangelistâ teste: *Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Matth.* 2. Simili modo, dum stella, seu divinæ consolationis jubar ad tempus nos deserit, animum non despondeamus, sed quantùm è nostris est partibus, in via Dei constanter pergamus, virtutis studium prosequamur, Christum investigare, ac suspirare nunquam desinamus; sic facientes audiemus aliquando à Christo Domino nobis dici: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Luc 22. *Nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Joan. 16.

37. In præsenti similiter animadvertendum est, quòd hæc consolatio spiritualis purè sensualis oriri etiam quandoque potest à dæmone (uti Doctores Ascetici perhibent) qui, Deo permittente, consolationes, gustus, & sentimenta (ùt quidam vocant) immittit; Id quod agit inimicus deceptor, non ùt consoletur hominem, quem implacabili odio persequitur, sed ut illum decipiat; nempe ut eâ enutritus rapiatur in vanam complacentiam, in elationem, & superbiam, se sanctum existimans, & alios contemnens. Facit huc, quòd *Angelus Paciuchellius* tract. de patient. l. 5. c. 17. ex *Hieronymo Cracoviensi* memorat, fuisse scilicet ævo suo Hebræum quendam celeberrimum, qui magno spiritu fidem Christianam amplexus erat. Is, quo tempore in Hebræismo vixit, orans plerumque in dulcissimos resolvebatur affectus, & suavissimos fletus: sed sacro latice tinctus, factus Christianus, unà simul hac orbatus est teneritudine, nec majorem in suis sensit orationibus dulcedinem, quàm statua exanimis. Ex quo apparet, illam priorem consolationem spiritualem, quam præfatus Hebræus in sua oratione percepit, non à Deo, sed potiùs à dæmone fuisse procuratam & suggestam. Ex quo etiam docemur, devotionem non esse commensurandam consolationibus; cùm ipsâ luce meridianâ clariùs pateat, primam illam nec solidam, nec germanam, verámque fuisse devotionem. I nunc, ac sensibili illi devotioni ac lacrymis fidas. Nemo igitur, qui Deo servire conatur, debet turbari, si advertat illud sibi deesse, quod haud multis prodesse ex dictis liquet.

38. Ex

38. Ex hucuſque dictis docemur pro praxi, quòd licèt conſolatio ſpiritualis ſenſualis non ſit argumentum, quòd quis ſit perfectus, ut ex ſuperioribus dictis num. 31. conſtat; nihilominus tamen, quia plurimùm in Dei ſervitute nos adjuvant hæ divinæ conſolationes, ideò non ſunt contemnendæ, ſed humiliter à Deo poſtulandæ, & laborandum eſt, ut eas habeamus, non ut in iis quieſcamus, & nihil aliud quæramus; ſed ut ſint nobis adjumento ad proficiendum in omni virtute, ad perficiendam Dei voluntatem, & ad quærendam Dei gloriam & honorem. Sic David cupiebat, dum *Pſal.* 62. dicebat: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*; id eſt, repleatur adipe & pinguedine ſpiritualis conſolationis. Proinde non eſt hominis delicati (ùt aliqui putant) & habentis cor effœminatum, pro hac etiam conſolatione ſuſpirare, eámque à Deo petere; ſed ſapientis & humilis, qui fragilitatis & imbecillitatis ſuæ conſcius debet potiùs judicare, conſolationem quoque ſenſibilem ſibi ad ſpiritualis profectûs augmentum, & ad perſeverantiam in bono neceſſariam eſſe quaſi virtutis illecebram, quâ ſi vir, etſi jam in virtute provectus & perfectus, per tempus aliquod deſtituatur, vix novit pro eo tempore abſque multiplici imperfectione virtutum vacare operibus. Quando igitur Deus hac conſolatione ſpirituali nos perfundit, nos ipſos humiliare oportet, cavereque, ne hâc abutamur, quod fit, ſi eam propter ipſam capiamus, non verò quatenus eſt virtutis adjumentum, & in ea finem conſtituamus, nec per illius guſtum veram virtutem quæramus, nec in via Dei proficere conemur, ſed in ea tanquam fine quieſcamus; & hoc dicitur abuti conſolationibus ſpiritualibus. Quòd ſi autem ex divina permiſſione, vel ordinatione ſpirituali conſolatione privamur, nóſque derelictos & deſolatos Deus relinquit, cavendum eſt, ne animum abjiciamus, ſed in memoriam revocemus extremas animi deſolationes, quas Chriſtus Salvator noſter paſſus eſt, ſacratiſſimæ præſertim Paſſionis ſuæ tempore. Nam Evangeliſtâ teſtante: *Cœpit pavere & tædere*: Hinc præ vehementia triſtitiæ dixit Diſcipulis: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Marc.* 14. Et in cruce pendens, hanc graviſſimam deſolationis & derelictionis pœnam indicavit, dum dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*? Si tantos tamque immenſos cordis angores ferre debuit, & libenter patientérque etiam tulit pro te Dominus, quidni & tu propter illius amorem, & honorem, modicum quendam cordis dolorem libens, volens tolerabis? An non millies audiſti? *Non eſt diſcipulus major Magiſtro ſuo, nec ſervus Domino ſuo.*

# PARS QUINTA.

## De Patientia in temporalium rerum damnis.

39. NOn eſt dubium, quin multi in damnis fortunæ à Deo, & virtutum ſemita longiùs devient, & in viam perditionis declinent. Proinde ut hac in parte animo non dejiciamur, nec in malæ triſtitiæ caſſes incidamus, conſideranda nobis ſunt Sanctorum exempla, aliáque inde ex hac rerum tempo-

ralium jactura provenientia spiritûs emolumenta. Et inprimìs quidem ad hanc patientiam nos adhortatur Incarnata Sapientia, dicens: *Luc. 6. Ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Hanc Evangelicam doctrinam ad unguem implevit quidam ex Sanctis illis eremi Patribus. Nam cùm aliquando latrones ad eum venissent, dixisséntque ei, quæ in tua cella sunt, tollere venimus, ille nihil perturbatus ait: Quantum vobis videtur, filii, tollite. Tulerunt ergo quæcunque invenerunt in cella, & abiêrunt; obliti sunt autem sacculum, qui tunc abscònditus erat in cellula. Unde Eremita secutus est eos clamans post ipsos dicens: Filii, tollite, quod obliti estis. At illi admirantes ejus patientiam, revocati ad pœnitentiam, restituerunt ei omnia dicentes: *Hic est verè homo Dei.*

40. Simile patientiæ exemplum habemus etiam in Venerab. P. N. *Joanne à S. Guilelmo*; cùm enim se Prioratu abdicasset, ut magis Deo vacaret, vitam solitariam & eremiticam est amplexus. Salutatis igitur amicis suis, rectà tendit in Etruriæ partes, assumptis secum tantummodo scriptis suis, quæ asinus in via portabat: & ecce post aliquot itineris milliaria duo latrones occurrerunt ei dicentes, se velle asinum ejus habere, quo audito, verus Dei servus absque ulla animi commotione suos accipiens libros, quos humeris suis imposuit, lubenter asinum illis concessit; justum est, inquit, ut vos eo utamini, sufficienter enim usum ex illo jam habui; sic librorum suorum pondere onustus ad optatum locum remeavit. De alio quodam Sene legitur in vitis Patrum, quòd in morte apprehendens manum fratris, victum sibi furantis, dixerit: Gratias ago manibus istis, quia per illas arbitror me nunc in regnum cælorum intraturum. Vitæ Patrum lib. 3. num. 74.

41. Ulteriùs ad nostrum propositum refert *Ruffinus* heroicum duorum fratrum factum, qui pariter in cellula commorantes, adeò sanctimoniæ suæ specimen ediderunt, ut etiam multi de Sanctis Patribus eorum humilitatem, & patientiam deprædicarent. Audiens autem hoc quidam Sanctus Vir, volens probare, si veram perfectámque charitatem, ac humilitatem haberent, venit ad visitandum eos. Cúmque magno cum gaudio suscepissent eum, & ex more complessent orationes, & Psalmodiam, egressus stipatus fratribus cellulam, foris vidit parvum hortum, ubi sibi olera plantabant; apprehensóque baculo magno impetu cœpit omnia olera cædendo confringere, ita ut nihil omnino remaneret. Videntes autem supradicti fratres, nihil penitùs dixerunt, sed nec vultum tristem nec turbatum habentes. Rursus ingressi cellulam vespertinas orationes compleverunt, & adorantes hospitem dixerunt: Si præcipis Pater, ibimus, & eum, qui remansit caulem coquentes gustabimus, quia jam hora est, ut cibum sumamus. Tunc Senior adoravit eos dicens: Gratias ago Salvatori nostro Jesu Christo, quia video Spiritum Sanctum requiescere in vobis. Etiam hortor, ac moneo vos, fratres charissimi, ut usque in finem perseveretis in patientiæ virtute, ut ipsa in regno Cælorum vos sublimes in conspectu Domini faciat apparere.

42. *S. Remigius*, cùm secuturam annonæ caritatem prævidens, ingentem frumenti copiam in pauperum subsidium collegisset, eámque malevoli aliquot

igne absumpsissent, audito nuntio equum conscendit, & ut inimicorum insaniam compesceret, accurrit. Sed cùm omnia jam ardere videret, de equo descendit, & quia tum ob ætatem, tum ob frigus vespertinum frigebat, nonnihil ad ignem se calefaciens, tranquillo corde & ore dixit: *Semper bonus est focus.* *Thomas Morus* Summus Angliæ Cancellarius, ille anteacti sæculi Martyr illustrissimus, cùm aliquando in ultra marinis regionibus Legati Regii munere functus esset, ac in patriam reversus, Regem negotiorum suorum expeditionem edoceret, nuntium recepit, majorem palatii sui partem flammis absumptam, & omnia granaria pariter incendio deleta esse. Uxor ipsius *Ludovica* eum tantæ ruinæ certiorem fecerat. Testantur, qui vitam ejus scripsere, conjugi hæc ferè rescripsisse. Intellexi ex tua epistola incendium unà cum damnis exortis. Quia verò divinæ Majestati sic placuit, nedum patiente, libero & composito animo perferre debemus, sed & lubenti. Agnoscamus, quòd Dominus Deus manum suam contra nos extenderit. Ille dedit, ille abstulit, sit nomen ejus Sanctissimum benedictum. Infinitæ illius bonitati maximas rependamus gratias, & fiat dulcissima ipsius voluntas, quòd si & id, quod adhuc superest, auferre voluerit, fiat; Dominus enim est. Ad Ecclesiam proinde unà cum familia te conferas, & Domino gratias referas. Quid enim saluti nostræ faciat, Deo magis, quàm nobis perspectum est. Hæc omnia, nósque omnes in manu Dei sumus, à Dei voluntate pendeamus toti, nec ullum unquam damnum nocere nobis poterit. *S. Bernardus* Claravallensis Abbas cùm ducenta argenti pondo sibi ad impensas construendi monasterii missa, à grassatoribus intercepta fuissent, gratias Deo agens dixit: *Benedictus Deus, qui tanto nos onere liberavit.*

43. Quantum porrò hæcce pro amissis fortunæ bonis gratiarum actio ad virtutis accessionem faciat, docemur ex eo, quòd Monachus quidam, purè ideo, quòd in similibus sinistris eventibus animum serenum retinens, Deo gratias referre consueverit, ad tantum sanctitatis gradum pervenerit, ut ad solum vestium, aut cinguli ejus contactum ægri sanarentur, ùt infra 24. §. 3. n. 4. fusiùs explicabitur. *S. Petrus Damiani* l. 6. ep. 25. narrat virum quendam è Lombardia oriundum, unà cum Conjuge sua ex devotionis instinctu Romam ad loca sancta venerando proficiscentem, cùm ad lacum pervenisset, ingressum fuisse navim pro comparando sibi pisce, serotino tempore manducando; pisce autem comparato è navi egressus, marsupium sibi cecidisse deprehendit; unde conjux ejus graviter afflicta fuit, ipse verò divinæ se voluntati conformans non dolebat; porrò remanserant ei in sacculo sex libræ monetæ Lucensis; unde omnem suam confidentiam in Deum reponens largiflué ab eodem fuit remuneratus, juxta illud Apostoli: *Hebr.* 10. 35. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Etenim cùm circa vesperam hospitium suum non procul à lacu illo accepisset, itineris sui comites affatus dixit: Quia hic lacus damnum notabile nobis intulit, convenit omnino, ut pro nostro solatio cænâ solito lautiori potiamur. Et conversus ad accolas, quis (ait) mihi extracturus est duodecim numismatum piscem? Cui piscator assistens præstò, respondit, venalem profectò piscem optimum habeo, sed quindecim procul dubio mihi

denarios numerabis, si eum tibi vendicare volueris. Quam ille summam non cunctatus exsolvit, emptúmque piscem uxori, ut esculentiùs pararet, injunxit, quem mulier, ut exenteravit, in intestino ejus folliculum cum viginti quatuor Papiensis monetæ solidis reperit. Tunc omnes, qui aderant, in commune gratias conferunt, & in succedentibus sibi jacturis semper in Deo spem esse ponendam indubitanter agnoscunt. Ut ergo & nos hujus viri vestigiis insistamus, neque in talibus rerum damnis confidentiam amittamus, sed Deo potiùs pro his gratias referamus, firmiter credamus oportet, similes opum jacturas non casu (ùt non pauci falsò arbitrantur) sed divinâ sic ordinante Providentiâ evenire, quò nempe per talia infortunia divinâ gratiâ digni capacésque efficiamur, ac olim in cælesti Patria copiosiùs remuneremur.

44. *Pierius Valerianus* apud *Josephum Mansi* tom. 2. tr. 30. disc. 16. refert, quòd dum rustici in agro quodam simul laboribus insisterent, unus illorum qui pro haurienda ex vicino fonte aquâ abierat, aquilam quandam ab ingenti quodam serpente circumflexam conspexerit, mortem ei comminantem, ac proinde correptâ falce eandem in minutas partes conscindens, aquilam liberavit, haustámque aquam laboris consortibus attulit, qui cùm ex ea bibissent, in eodem momento, quo & ipse os hydriæ ad extinguendam sitim applicare voluit, aquila pernici volatu ad eum properans, hydriam è manibus dejecit, omnémque aquam effudit, móxque rusticus hoc refrigerio se privatum conspiciens, aquilæ tanquam ingratæ vehementer indignatus fuit. At verò postquam è sociis aliquis post potatam aquam in terram mortuus corrueret, reliquósque atrocibus doloribus cruciari cerneret, aquam illam veneni toxico infectam fuisse intelligens, aquilæ gratitudinem erga se agnovit. Quid hâc historiâ innuere velim, haud dubiè suboderas, nimirum quòd sæpenumerò Deus nobis bona temporalia auferendo, mirum in modum saluti nostræ prospiciat, ne scilicet his malè utendo æternùm periremus.

45. Sanè ad propositum nostrum optimè quadrat illud, quod *S. Theresia* prædiviti Mercatori, qui petierat illius precibus commendari, in terris adhuc existens rescripsit: Domine cùm intellexerim, quantoperè meas sorores juves, desiderésque meis vicissim precibus juvari, quantâ potui animi mei contentione id feci. Quare scire te velim, cælitùs cognovisse me, nomen tuum scriptum esse in libro vitæ. In signum autem, quòd tibi vera scribam, scias ab hac hora, quâ literas has accipies, nihil in hac vita prosperè tibi successurum. Et ita evenit, nam exiguo pòst tempore ob navium jacturam foro cedere coactus fuit. Quod cùm amici rescivissent, sortem ejus miserati, suis eum pecuniis juvârunt, ut de novo fortunam tentaret, sed cum alterâ vice res ei malè successisset, acceptis secum rationum libris, carcerem sponte ingressus est, & vinculis se tradidit, quod mercatores intelligentes, cognitâ viri probitate, noluerunt illi molestiam ciere. Pauper itaque, & rebus suis exutus, solo Deo contentus finivit vitam. Ita refert *Lyræus* axiom. 3. S. Ign.

46. Enim verò ut ad hanc & similem temporalium bonorum jacturam æquanimiter ferendam, nos animaret *P. Drexelius* in Rof. p. 1. c. 14. v. 6. hâc scitâ utitur

utitur similitudine & exemplo. Rex quispiam suis in mari convivium instruens, finitâ mensâ, omnia vasa & mappas in mare projici jussit; cúmque convivæ omnia haud dubiè perdita putarent, gemeréntque, subitò contractis quæ occultè expansa fuerant, retibus, cum magno piscium multorum fœnore recuperata viderunt. Idem contingit illis, qui rerum suarum jacturam propter Deum libenter faciunt, aut patiuntur. Hinc magnus ille vitæ spiritualis Magister, Ven. *Blosius* in Sacello ani. c. 12. n. 3. illos, qui ob fortunæ damna, & suarum rerum jacturam affliguntur, hisce verbis notatu dignissimis consolatur: *Profectò qui Deo permittente agros, facultates, domósque suas perdidit, si exemplo Jobi hanc rei jacturam humili resignatóque animo de manu Dei accipit, & ei gratias agit, eúmque laudat, qui prohibere potuit, & non prohibuit, tantam ab ipso Domino mercedem accipiet (ut quidam Sanctorum ait) quantam reciperet, si omnia illa, quæ perdidit, egenis & peregrinis propter Deum erogasset.* Denique ut his in afflictionibus magìs consolemur, consideremus etiam exempla primorum Christianorum, de quibus S. Paulus *Hebr.* 10. 34. loquens ait: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Meritò reverà jacturam hanc gaudenti potiùs quàm subtristi sustinuerunt animo, quia certissimum est, quòd nostra tellus non habeat, quod vel visu dignum sit, in comparatione æternorum bonorum, ùt S. Abbas *Silvanus* olim dicere solebat. Si ergo in terra nostra visu solo nihil dignum sit, qualis proin fatuitas aut cæcitas censeri debet, propter terrenarum rerum damna animo dejici, præsertim cùm Doctor gentium *D. Paulus* ad *Philippenses* cap. 2. scribens *omnia hæc ùt stercora arbitretur.* Quamobrem si divinæ placuerit Bonitati te omnibus tuis fortunis spoliari & orbari, dic fidenter cum S. Jobo: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum &c.*

# PARS SEXTA.

## De Patientia in injuriis.

47. ARtis humanæ solers industria ad eum usque pervenit artificii apicem, ut ex rudi ferro pretiosissimum elicere, seu producere aurum queat; sæpiùs enim ipsâmet experientiâ teste, Alchimiam chalybem in aurum transmutasse compertum fuit. Virtus autem Patientiæ pariter species quædam est spiritualis Alchimiæ, siquidem hæc ardente intus in anima igne charitatis, & amoris erga Deum, & proximum, ex injuriis & contumeliis, ab aliis nobis illatis, cælestis gratiæ, meritorum, virtuosorúmque ac heroicorum actuum novit educere thesauros. *Maledicimur*, inquit Apostolus 1. *Cor.* 4. ecce ferrum, *& benedicimus.* Ecce tibi aurum. *Persecutionem patimur*, ecce tibi chalybem: *& sustinemus*, en purissimum & defœcatissimum aurum. *Et quis est qui vobis noceat*, interrogat S. *Petrus*, *si boni æmulatores fueritis?* Enim verò, ut in hac spiritualis Alchimiæ arte nos benè fundemus, scire debemus, quòd perfrequens sit, Dei famulos per varias injurias probari; proin quilibet

verus

verus Religiosus, ne tentationis tempore deficiat, animóque concidat, contra hanc injuriarum tempestatem se se solidè munire debet. Ante omnia autem satagere debet, ut injurias à suismet Superioribus, vel probationis causâ, vel ob præcedentem culpam illatas, fortiter sustinere assuescat.

48. Aurea doctrina *Martini Dumiensis* est: *Admoneberis libenter; reprehenderis patienter; si meritò objurgavit aliquis, scito, quia profuit; si immeritò, scito, quia prodesse voluit.* Et S. *Climacus* ait: *Beatus qui propter Deum quotidie maledictis & convitiis lacessitus vim sibi fecerit; hic enim cum Martyribus tripudiabit, & Angelis parem confidentiam & gloriam merebitur*: Hinc idem Vir Sanctus ulteriùs hortatur nos ad patientiam dicens: *Bibe summa alacritate objurgationes, atque irrisiones à quocunque homine tibi propinatas, non aliter quam aquam vitæ, potare enim te quærit salubri potione, & per quam omnis animi lascivia, & luxuria purgetur: nam revera hujusmodi haustu orietur intima & profunda castitas in anima tua, lúxque Dei candidissima ex corde tuo non deficiet.* Et iterum gradu 9. hæc habet: *Laboribus se quidam ac doloribus, ut veniam peccatorum suorum mererentur, exposuerunt; hos tamen vir, qui injuriarum obliviscitur, facilè anticipavit.*

49. Hinc veteres Eremi Patres suos discipulos, sive per adversa, sive per contumelias & increpationes, sive per objectiones & ludibria probare, purgare, & ad omnimodam perfectionem dirigere nunquam omittebant. Inter hos numeratur Abbas ille, de quo scribit *S. Climacus* grad. 4. qui Monachum, nomine Mennam, aliquando probare volens, reversum ad monasterium, sibíque prostratum, ut benedictionem de more acciperet, à vespera usque ad collectæ tempus humi jacere permisit. Tunc illum benedicens, & velutij ostentationis causâ cuncta facientem, atque impatientissimum objurgans tandem erexit. Quippe jam cognita erat Abbati patientia Mennæ; hoc ergo spectaculum ad aliorum ædificationem edere voluit. Quid autem putamus Mennam inter hoc tempus cogitâsse? Totum Psalterium recitando absolvit. Nobis, opinor, intestina ex rancore rupta fuissent. Quid mirum itaque, si ex defuncti Mennæ pedibus duo fontes pretiosissimi olei postmodum emanârunt? *S. Romualdus*, cùm sub *Marino* Eremicola Psalterium disceret, & sæpiùs erraret, virgâ Magistri ad aurem sinistram identidem percussus est; Quod ille diutissimè toleravit. Tandem Marinum respiciens: obsecro, inquit, si placet, ad dexteram deinceps me feri, lævæ namque auris auditus funditus periit. Unde Marinus hâc sui discipuli patientiâ, ac comitate ita afficiebatur, ut porrò eum non ùt tyronem & novitium, sed ùt veteranum suspexerit, ac dilexerit.

50. Fuerunt præterea, qui alta mente cunctas injurias magnanimiter despicere potuerunt. Horum non postremus fuit *S. Dorotheus*, qui à fratre æmulo multis quotidie convitiis & contumeliis proscissus, nunquam verbum contra ipsum dixit; quin & cùm id rescisset Abbas, nescio quo referente, decrevissétque illum objurgare, procidi ego (inquit ipse B. Dorotheus) ad pedes Patris obsecrans per Jesum Christum, id ne faceret, quòd videlicet meum fuisset peccatum, & non fratris. Alii quoque fratres

fratres convenêre per diem, ut psiathia sua excuterent ante cellam meam, quo facto tanta cimicum multitudo in eam commigravit, quantam ego nullo modo satis fuissem interficere: erant enim infiniti præ æstu. Cùm ego igitur cubitum concessissem, in me omnes, facto agmine, irruêre, cúmque diutiùs dormivissem præ labore, ut eram fessus admodum in die, tandem excitatus à somno offendi meum corpusculum omne depastum. Neque tamen illorum cuiquam verbum aliquando ullum feci, aut, ut id amodò non facerent, aut quod malè fecerint. Et ut prædicta repetam, me nunquam memini quidquam aliquando locutum, quod vel molestiam, vel afflictionem ulli afferret. An non hoc egregium Patientiæ Religiosæ exemplum? ab omnibúsque juxta cujuslibet possibilitatem imitandum?

51. Aliud patientiæ exemplum habemus in *S. Bernardo* Claravallensium Abbate, qui à Monacho quodam summâ injuriâ affectus, studiosè curavit, ut ab aliis etiam bene haberetur, prout supra Serm. 7. num. 11. pluscülùm dictum fuit. De Venerabili Patre nostro *Joanne a S. Guilelmo* similiter refertur; cùm à suis sæpe Eremitis opprobriis malè tractaretur, & injuriis afficeretur, nihil dicens omnia patienter tolerabat, & cùm eos corrigere potuisset, hoc tantummodo respondebat: Meritò hæc dicitis, & horum multa majora vera sunt. Cúmque à quibusdam apud Provincialem diffamatus, & falsò accusatus fuisset, nullas unquam voluit adhibere defensiones, imò cognitâ ejus innocentiâ, cùm falsi accusatores à Patre Provinciali rigidè puniri deberent, innocentissimus Pater pro suis calumniatoribus veniam petiit, & impetravit. Aliàs etiam cùm à quibusdam non solùm injuriis, verùm etiam pugnis & colaphis percuteretur, quia eos de flagitiosa vita, & publicis arguisset peccatis, statim genua flectens pro suis persecutoribus oravit. Quare non mirum, si hæ sanctæ manus, ullam nescientes vindictam, tot miracula patrârint, utì legitur in vitâ ejus.

52. Verùm enimverò, quò faciliori modo similia Sanctorum Virorum exempla imitari valeamus, fructum ex tali heroica patientia promanantem ante oculos mentis collocemus oportet; hunc verò brevibus quidem, tamen nervosis depingit verbis Magnus Ecclesiæ Doctor, *D. Gregorius*, dum in hæc excurrit verba: *Mori à persequente, Martyrium in aperto opere est, ferre verò contumelias, & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.* Denique ut solidiores hac in parte agamus radices, perscrutari consultum est rationes & causas, cur nimirum plerumque devoti Dei famuli pessimis ab aliis habeantur modis, præsertim cùm omni laude & honore digni sint? Sententia *Sancti Laurentii Justiniani* est: *Intelligamus, quantò studiosiores pro nostra salute fuerimus, tantò vehementius ab adversariis impetendos*; hinc *Psalmo* tertio dicitur: *Detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.* Quòd scitâ exemplificat similitudine *S. Vincentius Justinianus*: *Sicut lilium* (inquit,) *effundit odorem acutum, qui non placet omnibus, sed debilibus vehementem odore capitibus dolorem affert: ita boni bonitate ordinariâ placent omnibus, qui verò excellunt sanctitate, non sanctis etsi bonis non placent.* Quisquis proinde instar lilii virtutum fragrantiam coram Deo,

& beatis cæleſtibus emittere parat, nil morari debet, ſi forſan propterea apud aliquos in disguſtum incurrat, memor illorum verborum ab Incarnata Sapientia prolatorum: *Non eſt Servus major Domino ſuo; ſi me* (propter bona opera) *perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Joan.* 15.

53. B. Virgo Maria hanc aliquando S. *Birgittæ* tradidiſſe doctrinam refertur l. 1. revel. S. Birgitt. c. 22. *Quemadmodum vinum nunquam ſervatur in bonitate ſua, niſi in fæce; ita nec boni & juſti ſtare in virtutibus, & proficere poſſunt, niſi probentur in tribulationibus, & iniquorum perſecutionibus.* Quod confirmat eadem Regina Cælitum, dum præfatæ S. Matronæ rursùs ait: *Sicut roſa eminus ſuaviter redolet, pulchra eſt viſu, lenis tactu, & tamen non creſcit niſi inter ſpinas, quæ ſunt aſperæ tactu, deformes viſu, nihil redolentes; ſic etiam boni, & juſti homines, licèt lenes ſint patientiâ, pulchri moribus, ſuaves exemplo bono, non tamen probantur, neque proficiunt niſi inter malos.* Unde rectè concludit S. *Gregorius*: *quòd videlicet nullus ſit perfectus, qui inter mala proximorum patiens non eſt; qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipſe ſibi per impatientiam teſtis eſt, quia ab omni plenitudine longè diſtat. Abel quippe renuit eſſe, quem Cain malitia non exercet.* Sanctiſſimo itaque planè conſilio permittit Deus ſubinde paucos, quandoque plures malos inter bonos degere, ut per hos boni exerceantur, & ad Deum avidiùs currere compellantur. Sicuti enim (ùt Chriſtus S. *Gertrudem* l. 3. Inſin. c. 63. eſt allocutus) Mater habens puerulum, tenerrimè ſibi dilectum, quem ſemper ſibi deſiderat adeſſe, cùm puer ad contubernales gratiâ colludendi vult diſcurrere, circa quælibet loca vicina larvas, vel aliqua apponit horrenda, unde puer territus currat in ſinum ſuum: ſic ego deſiderans te lateri meo nunquam deeſſe, permitto, ut amici tibi in aliquo contrarientur, ut, dum in nulla creatura fidelitatem reperis, eò ardentiùs ad me recurras, quantò apud me omnium delectationum & fidelitatum abundantiam ſtabiliorem recognoſcas. Hæc ſi benè & ſolidè animo tuo impreſſeris, procul dubio magnum tuis in miſeriis, & afflictionibus, quas ab hominibus pateris, conſolationis argumentum & augmentum capies, quod porrò augebis lectione ſubſequentis paragraphi.

# PARS SEPTIMA.

## De Patientia in Infamia.

54. IN dubium revocari nequit, quòd ſcilicet viro ingenuo longè charior ſit boni nominis exiſtimatio, quàm quæcunque opes terrenæ; unde Sapiens monet: *Curam habe de bono nomine, melius eſt enim bonum nomen, quàm divitiæ multæ, & unguenta pretioſa. Eccli.* 21. Unde qui hoc amittit, multum profectò amittit; hinc multi vitæ potiùs, quàm famæ diſpendium incurrerent; currunt nimirum vita & fama pari paſſu. Quamobrem ne (dum forſan ab aliquibus perverſis hominibus bonum noſtrum nomen denigratur) ideo patientiam amittentes, in reciproca odia, & maledictiones adverſus

versus eosdem prorumpamus, eósque diris devoveamus, contemplemur oportet hac in parte exemplum Salvatoris nostri, qui quamvis summa & substantialis erat Sanctitas, nihilominus tamen *blasphemus*, *potator vini*, *seductor populi*, *malefactor*, *& dæmonium habens*, &c. appellatus fuit, turpissiméque inter duos latrones in Crucem actus. Oportet ergo illius exemplo omnes calumnias, & infamias patienter & heroico sufferre animo, ille enim dicit: *Exemplum reliqui vobis, ut quemadmodum ego feci*, patientiam & mansuetudinem semper retinendo, *ita & vos faciatis.* Siquidem *non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum; sufficit discipulo, si sit sicut Magister ejus, & servo sicut Dominus ejus. Si Patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus? Matth. 10.*

55. Certò experti hoc sunt omnes Sancti, quis enim eorum est, cujus fama non aliquando à malis lacerata, aut saltem diminuta fuit? Cacodæmon enim tum per se, tum per suos ministros nullam negligit operam & conatum, quo Dei famulos apud alios denigret. Hinc rectè dixit *S. Gregorius*: *Habet hoc proprium invidia antiqui hostis, ut quos in perpetratione pravorum actuum decipere non valet, famam eorum dilaceret, falsa ad tempus fingendo.* In vita *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis* refertur, cacodæmonem quodam die habitum & speciem hujus integerrimæ Virginis assumpsisse, & dum aliæ Moniales in choro orarent, visum esse dæmonem è cacabo culinæ carnes furtivè subducere. Unde factum, quòd culinæ præfecta putaret id fecisse B. Magdalenam, cum magna S. Virginis nota. Re evulgatâ ne verbulo quidem, se id minimè fecisse, defendit, sed tacens omnia patienter sustinuit, donec è Monialibus una sanctè testata est, eam illo tempore in sacro Odæo fuisse, & à se visam esse. Ita tandem fraus diaboli detecta, & manifestata est. De *S. Cunegunde* refertur, quòd dæmon sæpiùs cujusdam Ephebi speciem mentitus, è conclavi S. hujus Imperatricis egredi fuerit conspicatus, quod cùm ad S. Henrici aures emanasset, tantùm diaboli dolus apud S. Imperatorem evicit, ut hic de Cunegunde, quasi datam mutuam fidem fregisset, suæque virgineæ integritatis jacturam fecisset, graviter suspicatus sit, & ideo purissima Imperatrix suam innocentiam probare volens, super ignitos vomeres nudis pedibus incedere coacta fuit.

56. De *S. Joanne Chrysostomo* refert *Nicolaus Lanciz.* opusc. 9. num. 97. quòd à Theophilo, Alexandrino Episcopo, adjuto ab aliis triginta ex Episcopis, ad Concilium Chalcedone coactum citatus, ob falsas accusationes (inter quas erant, quòd adversus Clerum librum edidisset, Sycophantiis & calumniis plenum; quòd mulieres reciperet, solúsque cum illis ageret, vitam cyclopis turpiter ac voluptuosè duceret, reditus Ecclesiæ in malos usus impenderet, blasphemias varias commiserit in Christum, populum seduxerit, & adversus Synodum concitârit, alienas Ecclesias invaserit,) & similes, ob quas etiam *S. Cyrillus* eum Judæ, Christi proditori, comparârat, & post mortem in Episcoporum Catholicorum album referri vetuerat (donec ab hac mente

visione cælesti abductus est, qualis hæc visio fuerit, refertur in vita *Sancti Cyrilli*) non semel damnatus, & in exilium pulsus, & in eodem denique omnino mortuus, omnia admirandâ constantiâ tulit. *Sanctus Basilius* Episcopus factus à multis tanquam hæreticus, & hæreticorum consortio pollutus vitabatur; ideóque coactus fuit nemini propemodum se credere, omnésque pariter vereri. Imò & apud *Sanctum Damasum* Papam ob ejusmodi accusationes parùm gratiosus effectus est, ita, ut ne respondere quidem ad ejus epistolas dignaretur.

57. Instituta fuit tempore *S. Bernardi* expeditio ad Palæstinam (quam suis ipse vestigiis noster Salvator olim consecravit, quámque Saraceni Paganique tunc armis infestam habebant) recuperandam. Hinc *Eugenius* III. olim Monachus, & in Claravalle *S. Bernardi* Discipulus, imperaverat ei Crucis Sacrarum indulgentiarum prædicationem, cunctis illis concedendarum, qui sua nomina ad prædictam expeditionem dedissent, suósque fratres è dira Paganorum servitute liberâssent, aut pro redimendis illis suásmet animas cum sanguine profudissent. Itaque vir Sanctus hanc expeditionem prædicavit, & ut hujus expeditionis authorem se divinitùs institutum significaret, multa miracula patravit, quibus adeò regna, provinciásque ad arma sacra capessenda concitavit, ut Rex Galliæ *Ludovicus*, & *Conradus* Imperator contractis undique maximis militum copiis, in Palæstinam tetenderint. Sed enim justo secretóque Dei judicio id omne bellum malè vertit. Nam noster exercitus, multis militum cæsis, in fugam datus, Paganis opulentam prædam, insolentémque victoriam concessit. Fuit hæc infelicis pugnæ Catastropha orbi Christiano tragica omnino prorsúmque luctuosa. Itaque cùm *S. Bernardus* fuisset hujus omnis belli præcipuus author ac incentor, utpotè qui Christianos populos ad hanc expeditionem suscipiendam in arma concitâsset, ingens adversùs eum procella fuit exorta. Vocitabatur passim seductor, impostor, Pseudo-propheta, reipublicæ pestis, orbis Christiani ruina. Quæ tamen omnia Beatus Dei famulus constanti pertulit patientiâ. Denique adeò commune est Sanctis pati linguas detrahentium, ut *S. P. Augustinus* non dubitaverit dicere: *Cùm cæperit homo Christianus cogitare & disponere, ut perfectè proficiat in virtutibus, & sui ipsius mortificatione, statim incipit pati linguas adversantium. Quicunque illas nondum passus est, nondum profecit. Quicunque illas non patitur, nondum conatur proficere.*

58. Porrò, quò altiùs jaciamus fundamentum in præsenti proposito, præter jam allata adhuc alia considerare lubet exempla. *S. Franciscus Seraphicus* à proprio Generali Fratre *Elia* tanquam turbator & destructor ordinis habitus, maléque tractatus, imò & libris impressis infamatus est, quasi in adolescentia lasciviæ juvenilis ardoribus deditus, multorum gravium peccatorum sordibus corpus, animúmque maculâsset. *S. Romualdus* Fundator Ordinis sui accusatùs ab impuro Juvene, disciplinam ejus non ferente, quasi nefandum scelus secum perpetrâsset, à suis subditis in publico Conventu damnatus est tanquam laqueo & igne dignus, adeóque & sacra celebrare Mysteria prohibitus est, quæ

omnia licèt jam centenarius æquissimo tulit animo. *S. Theresia* incredibilia passa est ab omni genere hominum, etiam bonorum & valde spiritualium. Habebatur enim à multis pro illusa à diabolo, ejus oratio & revelationes irridebantur: aliqui tanquam obsessam à dæmone exorcismis curare volebant: alii eam ad tribunal inquisitionis detulerunt, præter illas adversitates, quas passa est à propriis Superioribus in propriorum Monasteriorum fundatione.

59. *Marina* Virgo cùm vestibus virilibus induta, & in virorum Monasterium recepta fuisset, ibidem accusata à muliere quapiam, quòd eam impraegnâsset, patientissimè pœnam & infamiam exclusionis à Monasterio tulit, donec post mortem ejus innocentia detecta est. Quod similiter etiam contigit *S. Theodoræ* Pœnitenti. Pater *Balthasar Alvarez* ex Societate JESU eximiæ Sanctimoniæ & doctrinæ vir, cùm in Congregatione Provinciali grave aliquod, licèt falsò, dictum de eo fuisset, ideóque graviter ibi in publico consessu reprehenderetur, nec publicè nec privatim se defendit, & ob id tam heroicum silentium magnos à Deo favores est consecutus. Aliàs cùm in Hispania & Romæ graviter fuisset infamatus, & quidam hoc ei retulisset, subrisit editis singularis lætitiæ signis. Cujus rei causam quæsitus, respondit: Quia nunc video Deum mihi benè velle, quoniam per amicorum suorum viam me deducit, nam diu solicitus fui, quòd videretur mei Dominus oblitus. Et reverà non aliter est, quò enim plus Deus aliquos amat, eò copiosiùs illis suæ crucis infamiam communicat, quò sic magìs sibi assimilentur; nam ùt loquitur Apostolus *Rom.* 8. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit Primogenitus in multis fratribus.* Id est (ùt *Vasquez* 1. p. c. 23. & *Cornelius à Lapide* interpretantur) quos Deus præscivit sibi amicos, & dilectos per gratiam suam futuros, hos etiam prædestinavit ad hoc, ut paterentur, & fierent conformes Filio suo in patientia, utpotè qui pro nobis tot labores & ærumnas sustinuit. Porrò, ne quis injurias & calumnias, sibi ab altero illatas stomachetur, auream *Divi Chrysostomi* sententiam cordi suo insculpat necessum est; eos quippe, qui persequuntur bonos, vocat eorum agricolas, eò quòd illos suis persecutionibus velut aratro proscindant, & fertiles faciant.

60. Ex his & aliis, quæ de Patientiæ virtute passim tradunt Doctores, procul dubio intelliges, quàm sit virtutum studioso patientia necessaria; sed percontaberis forsan, quæ optima patiendi materia censeri debeat? Respondet *S. Franciscus Salesius*: *Illa est*, inquit, *quæ tota à Deo est, nihilque continet nostri; qui enim se voluntariis afflictionibus castigat, ille sub Christi vexillo pedester est: qui autem à Deo immissa patienter tolerat, eques est.* Id quod per visionem, *B. Henrico Susoni* factam, confirmatum manet; huic enim Sancto viro quondam Juvenis à Deo missus ocreas, scutum, & hastam offerebat, dicens: Noveris hactenus te inter pedites meruisse, modò verò ad equestrem ordinem vocari, priùs enim, ùt libuit, te castigasti, nunc flagello iniquæ linguæ cæderis. Hactenus uberibus Christi lactatus, nunc felle potaberis. Hactenus ho-

minibus gratus eras, licèt tibi inimicus, nunc homines contra te calcaneum levabunt. Cúmque hæc postridie à Sacrificio Missæ secum tacitus ruminaret, jubetur per fenestram prospicere, paret, & videt canem, per aream Cœnobii lacerum panni segmentum ore spumeo raptantem & lacerantem. Tum vox eadem cælitùs missa ei prædixit, fore, ut deinceps instar illius sordidi panniculi aliorum dentibus laceretur. Assensus est statim *Suso*, & mox è cubiculo descendit, & segmentum illud velut crucis suæ tesseram tulit, ac diu secum servavit. Et initiò quidem præ infirmitate humana titubare visus est; verùm die Purificatæ Virgini sacro per Christum infantem edoctus, non tantùm ferendam crucem fortiter, sed aliam atque aliam expectandam esse didicit. Perstitit ergo, & deinceps inter mille cruces constans perseveravit.

61. Quamobrem ut & nos pariter patientiam in omnibus nostris pressuris & adversitatibus, undecunque demum eventuris, inamissibiliter teneamus, necessum est, ut in tabulis cordis nostri inscribamus auream sententiam excellentis vitæ spiritualis Præceptoris Venerab. *Blosii* dicentis: *Etiam exigua molestia propter Deum æquanimiter tolerata incomparabiliter præstantior est, quàm sint multa & grandia bonorum operum exercitia.* Similiter lucrum utilissimum, quod ex patientia acquiritur sequenti declarat similitudine eruditissimus *Idiota.* Debemus, inquit, insuper tribulationes patienter sustinere propter magnitudinem valoris & utilitatis. Sicut enim agricola patienter sustinet labores propter spem fructûs, quem expectat, sic quia propter mundi labores, & tribulationes fructus æternæ gloriæ ex tuæ Providentiæ solâ benignitate expectamus, ipsas tribulationes patienter sustinere debemus, sicut scribitur: *Jacob.* 5. 7. *Patientes estote usque ad adventum Domini. Ecce enim agricola patienter expectat pretiosum terræ fructum, patienter ferens, donec accipiat.* Hæc si attentè perpenderis, dubio procul copiosissimum Patientiæ fructum metes, quo per perpetuas æternitates fruêris. Porrò quò magis te in hac virtute fundes, pensiculatè, quæ in sequenti referemus sermone, perpendas oportet.



SERMO

# SERMO XXIX.

## DE CRUCIS, ET TRIBULATIONIS EXCELLENTIA.

*Ego, quos amo, arguo, & castigo.* Apocal. 3. 19.

## PARS PRIMA.

1. VEriſſimum eſt illud Prophetæ *Jer.12.* oraculum *deſolatione deſolata eſt terra*, id eſt, pleríque ſuis in anguſtiis, tribulationibus, & preſſuris deficiunt, & nunc contra cælum, nunc contra terram linguam ſuam in varias laxant querimonias, ſuasque cruces intolerabiles eſſe autumant. Sed quæ ratio? *Quia nullus eſt, qui recogitat corde*, quantus valor, & pretium in cruce, à bonitate Divina humeris noſtris impoſitâ, reconditus ſit. Tantus quippe in ea latet theſaurus, ut *B. Henricus Suſo* lib. dial. c. 10. dicere non dubitarit: *Si centum annis, & flexis genibus oremus Deum, non erimus digni, ut crucem unicam accipiamus.* Conſideratione digna eſt ſententia illa *Bloſii* de Conſ. puſillan. c. 24. quando pro afflictorum conſolatione ait: *Afflictio tutiſſimum atque compendioſiſſimum iter eſt.* Et in alio loco Idem Marg. ſpirit. c. 19. §. 10. ſcribit: *Neque enim aliquid utilias homini accidere poteſt, quàm tribulatio, ſive ſit externa, ſive interna, & nullum certius ſignum divinæ electionis habetur, quàm ſi quis tribulationem humiliter, patientérque propter Dei amorem ſuſtineat.* Ubi etiam tractans de conſolatione puſillanimium, introducit Salvatorem loquentem hoc modo: *Pati adverſa, regia via eſt, quæ hominem ad regnum cælorum perducit. Ambula igitur in ea gaudens, mihíque gratias age, quòd te tanto digner honore, ut tibi aliquid, quod pati debeas, offeram & donem.* Benè propterea *S. Thomas de Villanova* ſermone de *SS. Coſma & Damiano* ſermocinabatur: *Deus electos ſuos non vult ab iſtis vanitatibus detineri, ſed quod eis omnia amara ſint, & malè ſuccedant, ut dum ab omnibus repelluntur, ad Deum recurrant, & dum iſte mundus adverſatur, æternam vitam requirant: Et hæc grandis miſericordia Dei eſt.* Hæc Sanctus *Præſul.*

2. Et hæc eſt ratio, cur nimirum Viri Sancti, divinóque ſpiritu pleni ambobus brachiis quaslibet exultanti corde ampleCtuntur afflictiones, quia nempe excellentiam in Cruce, pro Chriſto ſuſceptâ, abſconditam mentis oculis probè conſiderant. Inter hos primatum facilè obtinet Doctor Gentium S. *Paulus*, qui de ſeipſo 2. *Cor.* 12. 10. ſic ſcribit: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cùm enim infirmor, tunc potens ſum. Libenter*

*benter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* De S. *Catharina Senensi* refertur, quòd adeò delectata sit afflictionibus, ut nihil ei in hac vita tantum solatii ac refrigerii afferret, quantum afflictiones & cruces, sine quibus (ùt ipse ajebat) vita hæc ei molesta foret; propter eas autem libenter ferret beatitudinis dilationem, non ignorans, illam afflictionibus non parùm augeri. Hinc fœminam cancro laborantem, & horridam sui infamatricem nunquam domo, etsi ad id urgeretur à Matre, expellere voluit, sed omnia obsequia instar ancillæ promptissimè exhibuit. *S. Maria Magd. de Pazzis* dicere solebat, non desiderare se brevem vitam, aut celerem mortem, cùm in cælis nulla sit cruciatuum perpessio; *Desidero*, inquiebat, *vivere diu, quia desidero amore Sponsi, ac Domini mei diu pati, non tantùm breve aliquod martyrium, sed & morborum examina, calumnias, infortunia, & quæcunque in me assurgere possunt adversa.*

3. Enim verò, quòd quam plurimi alii Sancti avido ore hauserint quaslibet tribulationes, non adeò mirari debemus, noverant enim optimè, quòd afflictio sit signum specialis amoris, quo Deus suos prosequitur: Quemadmodum enim (ùt *S. Gertrudis* à cælesti suo edocta est sponso) annulus est signum desponsationis: sic adversitas tàm corporalis, quàm spiritualis verissimum signum est electionis divinæ, & quasi desponsatio animæ cum Deo, in tantum, ut gravatus quisque veraciter, imò confidenter dicere possit illud: *Annulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus.* Hinc *Beatæ Baptistæ Veranæ* (quæ regulam *S. Francisci* profitebatur) Christum apparuisse, dixisséque referunt, qui scribunt ejus vitam: *Recordare magis me tibi ostendisse signum amoris, dum te afflixi, quàm dum te tenerem arctissimè in dulcissimis brachiis meis. Magnum beneficium est non peccare; majus, posse benefacere; maximum, & in superlativo gradu, pati malum.*

4. Cujus oraculi veritas comprobata manet mysterioso facto Patriarchæ *Josephi*, qui sedens in throno regio Ægypti manifestabat se suis fratribus. Verùm majori is ferebatur amore in Benjamin quàm in alios fratres, & quo modo ostendit hunc affectum? *Scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit, tritici, pone in ore sacci junioris, factúmque est ita. Gen. 44.* Hoc mandatum impositum dispensatori domûs in eum collimabat finem, ut redire cogeretur frater tanquam furti reus, quasi non solùm frumenti pretium, verùm etiam scyphum summi valoris surripuisset. Nihilominus omnia hæc Joseph eò direxerat, ut teneriorem in fratrem suum Benjamin contestaretur affectum, veluti eventus rei postea demonstravit. Hunc etiam stylum frequenter servat Salvator noster, calicem tribulationis eorum imponit sacco, quos magis diligit, *quos amo, arguo & castigo.* Imponendo ergo & abscondendo in hoc corporis nostri sacco calicem amarum morborum & adversitatum ostendit, nos suos esse Benjaminos, cogitque ne ab eo recedamus, vel ut nos revocet recedentes.

5. Bellè ad hoc nostrum quadrat propositum illud, quod quondam Christus per *Catharinam* quandam Ordinis Carmelitarum Monialem, vitæ sanctitate celebrem, ad Venerabilem *Annam à S. Bartholomæo* ejusdem Ordinis gravissimos dolores magnâ constantiâ patientem scribi jussit, inter alia etiam sequentia:

tia: *Quò quisque de meis mihi unquam fuit gratior amiciorque, huic majorem crucis meæ partem ex singulari fervore imposui ferendam; ita Apostoli mei, ita ipsa Mater mea experta est, cujus animam doloris gladius in tantum pertransivit, ut merito suo Martyrum Martyr & Regina nuncupetur.* Ergo verissimum: *Ego quos amo, arguo & castigo.* Sed quæres quo fructu? quo commodo, & utilitate? ut nimirum cum illis continuò maneat, eósque ab inimicorum incursibus defensitet, in virtutibus erudiat, ac in omnis perfectionis semitam dirigat & ducat. *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde,* ut rectè cecinit Psaltes Regius. *Psal.* 33. Quis ergo hæc perpendens, non pariter cum *S. Bernardo* exclamet: *Deus nobiscum est in tribulatione, & ego aliud quæram, quam tribulationem?* Et *S. Thomas de Villanova* Dom. 4. Adven. in illud Psalmistæ: *Ad te Domine clamabo, ne quando sileas & taceas*, differens ait: Volo affligas, volo arguas. Hoc enim magis amoris signum est, sicut ipse ait: *Ego quos amo, arguo & castigo*; unde Pater filium suum legitimum hæredem delinquentem arguit & increpat, sed spurium abire sinit. Magni amoris, & electionis æternæ signum est, quando hominem redarguit, increpat, neque sinit quiescere, donec exeat peccator.

6. Non incongruè Ascetarum nonnullus hominem cuidam herbæ, nomine Acantui assimilat. Naturalistæ quippe de hac herba referunt, eam inter cæteras proprietates illâ notatu dignâ gaudere, quòd ipsa, quò gravius ei pondus superponitur, eò altiùs in aërem sese extollat, magísque assurgat; sic homo virtuosus & patiens quamvis videatur penitùs adversitatis pondere nonnunquam conteri, attamen si patienter eam tolerat, altiùs assurgit, & in perfectionis semita mirificè proficit. Quod cùm ita sit, quid ô frater, ô Religiose, ô Christiane, tribulationes & adversitates patienter tolerare detrectas? Quid Deo tibi paterni amoris sagittas immittenti obmurmuras? Cur miseriis, & sinistræ fortunæ adeò obluctaris? Sagittæ ejus, consolationes ejus sunt, & tribulationis individuus est comes divina præsentia & assistentia juxta illud Davidicum: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Psal.* 90. 15.

7. Et reverà ita esse, manifestè conspicere licet, in Patriarcha *Josepho* sic contigisse, qui, nisi suis à fratribus venundatus, & in carcerem missus esset, nunquam in totius Ægypti Dominum exaltatus fuisset. Egregiè hoc exaggerat *Sanctus Chrysostomus* dicens; Neque Josephus tantum honorem est consecutus in paterna domo habitans, quantum venundatus, & in domo barbarica educatus. Per ipsos enim insidiatores ei contexebatur diadema, & comparabatur purpura, & ab infamiæ occasione honoris & regni causa processit. Rectè proinde ait *S. Gregorius Nazianzen. Electi in tentatione proficiunt, & quod eis diabolus præparat ad ruinam, hoc Deus vertit eis in gloriam.* Cum ardenti itaque amore, grandíque animi affectu Religiosum decet salubres has tribulationum sagittas, è cælo dilapsis acceptare, iisque ultrò caput objicere. Verùm enim verò, ut uberiorem hac in parte colligamus fructum, servire etiam nobis poterit ad hunc finem, quod quondam Christus *S. Therèsiæ* apparens, dixit: *Ille Patri meo cælesti omnium est gratissimus, qui quam plurimis, maximisque afflictionibus exercetur. Et vide*

*filia mea, vide, & animitùs perpende vulnera mea, & fatere, quoniam nulli tui dolores cum meis vel conferri possint.* A quo tempore tantum illa desiderium patiendi concepit, ut semper dicere soleret: *Aut pati, aut mori.* Ita habetur lib. 4. vitæ cap. 17. Certò non inconvenienter dixit *B. Angela de Fulginio*: *Scio filioli mei, quòd nobilitas & valor, qui exit de tribulatione, non est nobis cognitus, alioqui esset de illa magna rapina, & quilibet raperet de alio, de quo tribulari posset.* Afflictio quippe nihil est aliud, quàm annus Jubilæi, in quo quamplurimæ, singularésque nobis à Deo conferri solent gratiæ. Afflictio est autumnus frugiferus, in quo ingentes spiritualium bonorum fructus colligere fas est. Afflictio est tempus messis, in eo enim uberrimi cælestium charismatum manipuli metuntur; etenim (teste *Joanne Avilâ*, eximio vitæ spiritualis Magistro) plus valet tempore tribulationis unum *Deo gratias*, quàm sex millia in prosperitate. Ita docet Tom. 2. ep. 20.

8. Quid proin devoto Christi Servo, in variis afflictionibus constituto, hâc tanti viri sententiâ consolabilius? dum intelligit, quantoperè sibi per iteratam hujus brevissimi verbuli *Deo gratias* repetitionem, cælestem possit coacervare gloriam. Hinc rectè Siracides *Eccli.* 35. 26. exclamat: *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Etsi enim verus Dei amator instar vineæ dulcissimos identidem bonorum operum botros afferat, copiosiores tamen, divinóque conspectui gratiores haud dubiè progerminat tempore adversitatis. Unde Christus dicit: *Joan.* 15. *Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit, ut fructum plùs afferat.* In cujus Evangelici textûs consideratione scribit de tribulatione *Sanctus Laurentius Justin.* sequentia: *Hæc hominem purgat, ideo Dominus omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit, ut fructum plus afferat; omnipotens enim Deus electorum suorum adversarios temporaliter permittit excrescere, ut per malorum sævitiam expurgetur vita bonorum; nunquam quippe Dominus adversùs bonos permitteret malos sævire, nisi etiam quantum proficerent, videret.* Ita Venetorum Patriarcha tr. de Patient. cap. 3.

9. Et sanè haud secùs contingit Justis in tribulatione positis, quàm quod olim Arcæ Noë, quæ (ùt notat *Gerson* p. 2. ser. de omn. Sanctis.) quò magis abundârunt aquæ diluvii, tantò altiùs ferebatur; ita mansuetus animus, quò majores erunt tribulationis aquæ, tantò erit excelsior. Cujus rei veritas multis exemplis, è Sacra Scriptura depromptis, confirmatur. Joseph enim plus crevit & prosperatus est in exilio, quàm si fuisset inter fratres suos in domo. Quantò magis Pharao filios Israël affligebat, tantò magis multiplicabantur. *Ezechiel* in medio captivorum vidit mirabiles Dei visiones. Pueri in camino ignis exceperunt Angelicam consolationem, cum quibus *Nabuchodonosor* vidit similem Filio Dei, ut appareret Deum esse cum tribulatis. Rex Nabuchodonosor per septem annos in bestiam commutatus, recuperat sensum, & laudat Deum, quem anteà blasphemaverat. Ab adventu Spiritûs Sancti usque ad persecutionem S. Joannis Evangelistæ sub *Domitiano* Imperatore fluxerunt anni circiter 50. & toto illo tempore non habuit ille Apostolus tot &

tantas revelationes, nec tantum Ecclesiæ profuit, quantum eo tempore, quo fuit in exilio, ùt scribit *Irenæus* lib. 5.

10. Hinc ergo liquet, quanti intersit pro Deo, & propter Deum affligi. Etsi porrò fructus, ex tribulationibus prognasci solitus, non continuò appareat, non tamen propterea animum despondere debemus: quemadmodum enim qui seminat, non continuò metit, sed post aliquod temporis intervallum; sic etiam (ùt Hebræus Psaltes *Ps.* 125. canit) *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Hinc *S. P. Augustinus* in hunc locum ait: Ipse agricola quando procedit, & portat semen, nonne aliquando frigus est, ventus & imber deterret, attendit cælum, videt tristem diem, attendit & exspectat diem lætum, ne tempus transeat, & non inveniat quod metat: seminate & vos in hyeme, seminate bona opera. Ne verò quis hac in parte vacillet, perpendere oportet (ùt agricola facere amat) tempus messis, id est vitam æternam, tanquam fructum in adversitatibus colligendum, qui tantus est, ut (attestante Apostolo *Rom.* 8.) *non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Unde *S. Chrysostomus*, & *D. P. N. Augustinus* super hunc Apostoli textum inquiunt: *Si quotidie oporteret nos tormenta sufferre, & ipsam gehennam parvo tempore tolerare pro eo, ut ipsum Christum possemus videre in gloria, & Sanctorum ejus numero sociari, non erit dignum omne pati, quod triste est modò.* Eja ergo frater amice, cùm certò per tribulationes cælum lucreris, ideo non oportet te contristari, si divina pietas quasdam tibi immiserit afflictiones, sed potiùs eas magno oportet te excipere cordis jubilo, Deóque gratias summas referre, quòd dignus inventus fueris cum Apostolis pro nomine JESU, ejúsque gloria contumeliam, seu quamcunque aliam adversitatem pati.

# PARS SECUNDA.

11. PErantiquum & usitatum est in Academiis, quòd studiosi, antequam in Matriculam seu Album Studiosorum referantur, variis sannis, verberibus, & ludibriis (quæ nomine communi *Depositio* vocatur) exerceri soleant. Similem morem Sapientissimus Deus observare consuevit, nullum quippe in cælum, velut cælestem Academiam admittit, nisi variis priùs tribulationibus exercitum, idque ob easdem ferè causas, ob quas Academiæ dictæ Depositionem instituerunt: scilicet *primò*: Ut ad virtutem disponantur. *Secundò*, ut probentur. *Tertiò*, ut Sanctis conformentur. *Quartò*, ut digni fiant Privilegiis. *Quintò*, ne extollantur super alios. Quàm æquum ergo est libenter velle subire hanc depositionem, quæ per breve duntaxat durat spatium, præsertim cùm per hanc in nùmerum discipulorum Christi admittamur, & consequenter etiam in Sanctorum Album referamur: non est enim possibile in schola Christi agere discipulum, nisi per similem depositionem, id est

per continuas cruces exerceatur. Nam (ùt Incarnata Sapientia ait) *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Luc.14.26.

12. Porrò actiones seu lectiones, quæ in hac Christi schola præscribuntur, sunt adversa quæque patienti sufferre animo; nam ùt Sanctus Paulus 2.*Timoth.* 3.12. testatur: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Quæ verba expendens S.P. *Augustin. in Psal.* 55. Nemo sibi dicat, inquit, fuerunt tribulationes apud Patres nostros, apud nos non sunt. Si putas te nondum habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Et ubi est vox *Apostoli*: *Omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur.* Si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide, ne nondum cœperis in Christo piè vivere. Huic doctrinæ consentiunt, & alia ab eodem Apostolo prolata verba: *Hebr.* 12.6. *Quem diligit Dominus, castigat. Flagellat autem omnem filium, quem recipit.* In quæ verba sic iterùm *Augustinus*: *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit, & tu fortè exceptus eris? si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Quamobrem omnes Sancti semper magis elegerunt pro Christo affligi, quàm gaudere; magis contemni & humiliari, quàm exaltari; magis vilipendi, & vituperari, quàm prædicari & laudari, non nescientes non esse aliam viam planiorem ad cælum, quàm viam S. Crucis, & non fore possibile (quemadmodum rectè docuit S. *Hieronymus*) ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, & hìc ventrem, & ibi mentem repleat, & de delitiis transeat ad delitias.

13. Hoc ipsum præstantissimæ Virgini *Catharinæ Senensi* ipse Dominus præclaro viso demonstrasse videtur, cùm ei aliquando apparuit, binas manibus coronas gestans; alteram auro & gemmis micantem; alteram verò spinis horrentem. Offerebat autem optionem illi, utram mallet? sed hac conditione, ut, alterutram in hac vita elegisset, sciret se in futura vita alteram ei contrariam habituram: Si hìc auream, illic spineam; si hìc spineam, illic contrà auream: quibus auditis, Sapiens Virgo horridam illam coronam adeò prætulit, ut utrâque arreptam manu ipsamet suo capiti impresserit, & quidem ita acriter, ut post etiam aliquantò vulnerum sensus perduraret. Hanc Sanctam Virginem imitemur oportet, cum ea non auream, id est, hujus mundi delitias, sed spineam coronam, scilicet afflictiones præeligendo, si cupimus vitam possidere æternam. Certissimum namque est illud S. Lucæ: *Act.* 14.21. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

14. Optimè ad nostrum propositum doctrinam hanc notatu dignam tradit *Gerson* Tom. 4. cùm ait: *Tribulatio animam hominis ad Deum perducit, & est certior & securior via Deum adeundi.* Orationes (subjungit *Josephus Mansi* tr. 94. disc. 5. num. 9.) eleemosynæ, jejunia, Sacramentorum frequentatio, lectio librorum spiritualium, verbum Dei, opera misericordiæ, tum spiritualia, tum corporalia, omnia ista sunt efficacissima media, quibus homo Deo conjungi, & uniri potest; at certior & securior via, ait hic magnus vir, *Joannes Gerson*, est tribulatio, quia in hac infalli-

infallibiliter Deum invenimus: *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Quamvis devotio sit actus Religionis respiciens Deum, nihilominus minimus gradus tribulationis, propter amorem Dei toleratæ, pluris æstimatur, quàm quævis fervens devotio. Audiamus adhuc insignem vitæ spiritualis & perfectionis Magistrum Venerab. *Blosium*: *Gratior* (inquit,) *illi est humilis internarum derelictionum tolerantia, quàm ingens devotionis dulcedo.* Proinde rectè nos ad tolerantiam passionum adhortatur *S. Jacob.* dum ait: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes* (& tribulationes) *varias incideritis, scientes, quòd probatio fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Jacob. cap. 1.

15. Denique ulteriùs viam securissimam ad cælum esse tribulationem, iterùm docet præfatus pius Abbas, *Ludovicus Blosius*, instit. spirit. c. 8. dum ait: Nullum certius signum electionis divinæ habetur, quàm si quis tribulationem, humiliter patientérque propter Dei amorem sustineat; illa enim est pretiosus annulus, quo Deus animam sibi desponsat. Optimè sanè *S. Gregorius* lib. 21. moral. c. 4 ad nostrum propositum stabiliendum per hæc excurrit verba: Sicut vitulus ad laboris usum victùrus, sub jugo retinetur; mactandus autem in liberis pastibus saginatur; & sicut arbores fructiferæ in colligendis fructibus vexantur, lacerantur, spoliantur, diutissimè tamen vivere permittuntur: infrugiferæ verò intactæ stant, sed citius exciduntur, ut in ignem mittantur: Et sicut ægris desperatis omnia conceduntur, iis verò, quibus spes salutis subest, amara medicamenta applicantur: sic reprobi bonis hujus mundi saginantur, & a tribulationibus immunes, aut minùs saltem obnoxii manent; Electi verò laboribus & ærumnis exercentur. Hactenus *S. Pontifex.* Meritò proinde ait *S. Leo* Papa: *Certa atque secura est expectatio futuræ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis.*

16. Ex his palàm liquet, quare nimirum *S. Paulus* nimioperè gavisus, & gloriatus sit suis in persecutionibus & tribulationibus, ut apertè dicat: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Gal. 6. 14. Poterat quidem Apostolus, (ait *S. P. Augustin.* ser. 20. de verb. Apost.) gloriari in Sapientia Christi, & verum diceret; poterat in Majestate, poterat in potestate, & verum diceret; sed dixit in cruce; ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit. Ineffabiles etiam in cruce latentes divitias benè contemplatus est *S. Ignatius Loyola*, & ideò tanti æstimabat carceres, probra, persecutiones, ut apertè diceret; Si hæc una in parte stateræ collocarentur, & in altera quidquid à Deo creatum est, appenderetur, vix hoc omne præ prioribus momentum aliquod apud se habiturum.

17. Verùm enimverò, quò sanctos hos Viros majori efficaciâ imitemur, & cum iisdem in nostris afflictionibus gaudeamus, nobis ulteriùs expendendum est, emolumentum & utilitas ex adversitatibus emanans, hæc autem ex eo capite liquet, quòd nimirum nos stimulent ad currendam, quæ ducit ad cælum, viam, juxta *D. Gregorium* in hæc verba differentem: *Electis suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit, ne, dum quisque præsentis* vitæ

*vitæ requie, quasi viæ amœnitate pascitur, magis enim diu pergere, quàm citiùs pervenire delectet, ne, dum oblectatur in via, obliviscatur, quod desiderabat in patria.* Hinc Psalmographus ait: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt*; *Ps.* 15. quasi diceret: permulti in prosperitate viam mandatorum Dei non currunt; at dum diversimodis subjiciuntur pressuris, velociter perfectionis Christianæ semitam inambulant. In exemplum nobis est *S. Guilelmus*, Dux Aquitaniæ, qui vitam omni plenam scelere duxit, sed quid illum ad tam eminentem Sanctitatis gradum provexit? Tribulatio certè. Nam quamvis à *S. Bernardo* ad meliorem fuerit revocatus frugem, viróque Sancto in aliquibus obtemperaret, ex potiore tamen parte suis in sceleribus inveteratus perstitit. Itaque anno circiter peracto, quo *S. Bernardus* eum convenit, & ut pœniteret, monuit, magnas copias contraxit, Normanniámque bello vastavit. Sed manifestâ Dei ultione, nam per alvi profluvium exercitus penè universus deletus est; unde horrore perculsus de pœnitentia agenda seriò cogitare cœpit. Hinc solus Sanctum quendam Eremicolam conveniens, induit loricam ferream, austerissimámque posthac egit vitam, adeò sanctam & innocentem, ut sæpiùs meruerit Angelorum præsentiâ, & solatio recreari. An non igitur verissimum est illud *Isaiæ* 26. *Domine in angustia quæsiêrunt te.* Id est, ùt exponit *Hugo* Cardinalis, *requirent te*, quasi dicat, percute eos, & flagella, quia aliter non requirent te; unde Psalmista: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine*, Psal. 82. 17.

18. *Bessæus* ait: Instrumenta musica priùs manibus percuti debent, quàm sonitum edant, & quò feriuntur viviaciùs, eò & sonant jucundiùs. Hoc quidam emblemate tribulationes expressit, varia námque instrumenta musica, testudines, tibias, citharas, cymbala, psalteria, & sistra simul congessit, & hanc Epigraphen addidit: *Non percussa silent.* Sic profectò res se habet cum plurimis Christianis, qui dum nullas sentiunt adversitates, velut alto oppressi lethargo, à divina laude silent; ast dum tribulationis virgâ percutiuntur, suavissimum & divinis auribus gratissimum emittunt sonum, videmus enim, quòd tunc vel maximè crebris suspiriis, ignitis desideriis, repetitis affectibus, continuâ precatione, identidem divinam implorent clementiam, quòd haud dubiè, nisi tribulationis prælo premerentur, prætermitterent. Hoc jam dudum vaticinatus est Propheta *Jeremias*, dicens: *In tempore afflictionis suæ dicent: surge & libera nos. Jere.* 2.

19. Rectè proin *S. P. Aug.* loquitur: En deses equus scuticâ excitatur, en vestis à pulveribus inter verbera purgatur; en arbor percussa copiosiorem nucum segetem proferre solet: haud sanè dissimili modo & nos ad frugem erudimur verberibus. Plagæ jubent sapere, & quæ nocent, docent. Gaudeat ergo Christianus adversis, quia aut probatur, si justus est, aut si peccator est, emendatur. Timeat, quem Deus corrigere non vult in sæculo, quia eum supplicio destinavit post sæculum. Hæc S. P. cui in hæc verba concinit *Sanctus Gregorius*: *Sicut ignis, inquit, flatu premitur, ut crescat, & unde quasi extingui cernitur,*

inde

*inde roboratur*, *ita Electorum desideria*, *dum premuntur adversitate*, *proficiunt.* Et rursùs idem S. D. ait; *Mala*, *quæ nos hic premunt*, *ad Deum ire compellunt.* Refert *Drexelius* Gym. Patien. p. 3. c. 2. de *VVenceslao*, Rege Bohemiæ: quòd, profligato suo exercitu, ductus & ipse captivus, ac in potestatem hostis redactus, interrogatus fuerit, quo animo ferret sinistrum hunc fortunæ casum, miserámque suæ captivitatis sortem? respondit: nunquam meliori, cujus & subdidit rationem, quia priùs regni mei confidens viribus, raro de Deo, æternáque salute meâ cogitabam, at quia nunc omni humano video me destitutum subsidio, benè contentus sum, & totus confido in auxilio divino. Manet ergo verum quòd tribulatio faciat viam planam ad æterna gaudia.

# PARS TERTIA.

20. INter cætera ingentia bona, quæ tribulatio fructificare solet, etiam numerari potest illud, quòd nimirum animum nostrum à peccatis expurget, nósque à reatu pœnæ, in futuro sæculo exsolvendæ, absolvat, juxta illud *Tobiæ* 3. *In tempore tribulationis peccata dimittis.* Unde pœnæ, & afflictiones (inquit *Lyranus*) sunt quædam peccatorum medicinæ. Amaræ quidem sunt medicinæ; at purgant nos à malis humoribus, sanitati nocivis; eundem prorsùs operantur effectum tribulationes in animabus, purgant illas ab inordinatis affectibus, à peccatis, à pravis inclinationibus, à malis habitibus antea contractis. Unde *S. Bernardus* c. 43. de modo benè vivendi. sequens tradit monitum: *O sponsa Christi*, *vis à peccatis tuis purgari? in pœna te accusa*, *& Dei justitiam lauda. Ad purgatorium tuum sufficit*, *si ea*, *quæ pateris*, *ad justitiam Dei retuleris.* Hinc etiam ait *S. Gaudentius* Episcopus Brixiæ in præfat. ad suos tract. *Idcirco pudicè conversantem Dominus nunc tribulationum*, *& ægritudinum flagello castigat*, *ne in illo sordium aliquid futurus ignis inveniat*; *sed ut per exiguas plagas brevissimi temporis ab omnibus purgatus maculis*, *securior ad æternam migrare requiem mereatur.*

21. *S. Thomas de Villanova* ser. de SS. Cosma & Dami. sermocinaturus de hac materia, hunc instituit sermonem: *Tribulatio purgat impios non solùm à peccatis*, *sed & ab affectibus mundanorum.* Prosequitur deinde: Est tribulatio sicut ignis purificans electos, & auferens ab eis omnem scoriam, & pulverem, & excoquens eos velut argentum & aurum, ùt per *Isaiam* dicitur: *Ego convertam manum meam ad te*, *& excoquam ad purum scoriam tuam*, *& auferam omne stannum tuum &c.* Proinde patiens, ùt benè advertit *S. Laurentius Justin.* l. de Patien. c. 2. sapienter agit, ut debita sua solvat. Nihil enim de suo in solvendo expendit, sed facit ut hostes sui pro se solvant; illatis quippe ab iis injuriis ditatur abundè, sicque fit, ut contumeliis magis gratia, quàm ira debeatur, cùm earum interventu, Deo Judice, & pœna gravior decli-

declinari posse confidatur, & ingentes thesauri in conscientia per patientiam recondantur. Hinc *B. Baptistæ Veranæ* Christus dixit: *Cognosce te magis obligatam esse illi, qui tibi malum fecit, quam ei, qui bonum. Illæ enim personæ sunt, quæ purgant animam tuam, & pulchram faciunt, gratiosam & acceptam in conspectu meo.*

22. Qui pannos lineos lavat, eos verberat, concutit, trahit, extendit, jam calcem adhibet, jam bullienti eos intingit lixivio, mox omni vi aquam exprimit; non aliter Deus cum suis servis facit; quos enim albos, id est, omni virtutum genere expolitos, & à peccatorum sordibus mundatos, conspectui suo præsentari decernit, omni afflictionum genere instar fullonum exercet, & probat. Quæ exercitatio non solùm ad virtutis accessionem plurimùm juvat, verùm etiam ad pœnas Purgatorii evitandas conducit, ùt liquet de *Lazaro* Mendico, qui (teste Incarnatâ Sapientiâ) ut primum exspiravit, mox ejus anima ab Angelis in sinum *Abrahæ* portata est, ita ut à Purgatorio minimè tangeretur. Quin *Lazarus* in vita multas contraxerit peccatorum maculas, dubitari haud debet; non enim erat Sanctior *Abrahamo*, *Apostolis*, *Joanne Baptistâ*, quorùm ex his nullus omni leviori culpâ immunis fuit; quia dicit S. Joannes: *Si quis dixerit, se non habere peccatum, mendax est.* Cur ergo non ad flammas purgantes priùs, in quibus ab illis nævis defæcaretur, collocatus est, sed cur mox in sinum Abrahæ delatus? cupis nosse causam? Hæc est, quia Lazarus contractas levium noxarum maculas miseriis, quas passus est, expunxit, ac proinde opus non habebat, ut purgaretur ulteriùs; ita sentit *S. Gregorius* hom. 40. in Evang. inquiens: *Mala Lazari purgavit ignis inopiæ, & bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitæ.*

23. *Thomas Cantipratanus* l. 1. apum c. 17. refert, quòd anno 1242. Juvenis quidam valde dyscolus & licentiosus à Senioribus Con-Canonicis, & Decano ab ingressu Ecclesiæ prohibitus, & in Monasterio reclusus fuerit, ut ibi tanquam in hoc loco deputato de suis erroribus pœnitentiam ageret. Dum ergo inibi ita moraretur, flagris subindè & asperis à Decano verbis exceptus, accidit, ut nocte quâdam ab uno illorum Canonicorum occideretur. Revelatum postea fuit alii ejusdem instituti, & præclaræ Sanctitatis viro, quòd pro purgatorio cesserit ei mors innocens, quam ipse sustinuit. Optimè sanè de tribulationis effectibus dixit *Blosius* in Parad. anim. c. 9. n. 7. *Purgat, expolit animam ab omni macula, & dum Deus tibi immittit afflictiones, probat te, non deserit. Juxta est enim Dominus iis, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. Nescis tu fortassis modò, quare te jam castiget, & conterat; sed ubi ad eum perveneris, tunc agnosces flagella ista, quibus nunc te exercet, ex mero suo amore fuisse profecta.* Hoc idem punctum tetigit quoque *S. Laurentius Justin.* cùm agit de resurrectione spirituali animæ: *Pius námque Pater* (verba ejus sunt) *de emendatione nostri solicitus, nunc peccandi occasiones amovet, nunc per flagellorum irrogationem facinora perpetrata detergit, quatenus Regni illius mereamur expeditius esse consortes.*

24. *S. Anastasius Sinaita*, & *Heribertus Rosvveid.* in vitis PP. l. 6. recensent, Sanctum quendam Anachoretam in spelunca aliqua delituisse, ut inde nunquam egressus in perpetua oratione, ac duræ pœnitentiæ asperitate vitam transigeret. Unicus ei discipulus erat, quem comparandi victûs gratiâ hinc inde mittebat. Hic cùm die quâdam in Civitatem pergeret, ut pro S. viro exigua alimonia colligeret, in primo urbis ingressu divitem quendam conspexit, solemni fastu, magnáque populi multitudine funus stipante, ac pluribus luminibus, facibúsque, ipso etiam urbis Episcopo comitante, ad sepulchrum deferri. Ille necessariam interim pro monacho annonam, aliósque cibos quærit, quibus comparatis eremum repetiit. Quid ei occurrit? Magistrum suum vidit, prô dolor! ab hyæna occisum, quem eadem fera horrendum in modum devorabat. Quantum horrorem miserandum hoc spectaculum bono illi discipulo incusserit, imaginari sibi quisque facilè poterit. Dolore oppressus & in lacrymas effusus; in terram se abjecit, exclamavítque, O Domine! ô Deus! Quid hoc rei? quid video. Dives ille, qui nullâ aliâ, quàm cumulandarum opum, curâ tenebatur, qui semper tui oblitus vixit, tali morte defungitur? in propriis ædibus, in cubiculo, in lecto, à charissimis circumseptus? exanimatus deinde tam honorificâ & splendidâ sepulturâ donatur? & venerando huic Seni, cui nihil aliud cordi fuit, nisi ut tibi serviret, te amaret, te adoraret, talis mors obtigit? & pro tumulo horrendum ventrem sævæ belluæ nanciscitur? Cùm hunc in modum conquereretur, & lamentis finem imponere nesciret, ecce delapsus è cælis Angelus adfuit, qui eum sic allocutus est: Fili ne scandalizeris, ne turberis, ne cogitatio quædam contra Deum minùs decens pectori tuo se ingerat. Scias, quòd hic sit ordo divinæ Justitiæ, non permittere, ut ullum bonum sinè præmio, nec malum aliquod, etsi minimum, sinè pœna remaneat. Dives ille, quem vidisti, aliqua bona opera præstitit in vivis, pauca tamen, & quia peccator, adeóque futuræ vitæ præmio indignus erat; voluit eum Deus in hac remunerari, amplissimas opes, felicissimos rerum eventus, mortem denique & sepulturam tam honorificam, ùt vidisti, in præsenti vita ei largiendo. Hoc ipsi pro suis bonis operibus præmium cessit, modò nihil restat, nisi ut pro suis peccatis plectatur, quapropter nunc ardet, & perpetuò in flammis infernalibus arsurus est. Magister verò tuus, etsi Sanctus vir, habebat tamen & ipse, ùt homo, aliquid culpæ, & quantumvis leves fuerint ipsius labes, remanere tamen non debebant impunitæ & absque supplicio; quare Deus in præsenti vita ipsum punire voluit; superest proinde nihil aliud, nisi æternæ gloriæ præmium, sanctis suis operibus, & fidelissimæ suæ servituti debitum, unde nunc eo in cœlo fruitur, & in omnem fruetur æternitatem.

25. Similiter & plures alii Anachoretæ à bestiis sunt devorati, sed hinc & purgati sunt, uberior meritorum cumulus, coronæque splendidiores ipsis accesserunt. *S. Simeon Stilita* junior, stupenda pœnitentiæ idea, clarissimum Sanctitatis speculum, & fidelissimus Dei servus (teste *S. Sophronio*) fulgure percussus interiit.

Eodem etiam momento *Abbas Julianus*, qui viginti quatuor milliaria distabat, discipulos suos convocavit. Heus, inquiebat, afferte incensum cum thuribulo, quia modò frater meus Simeon à fulgure dejectus interiit, & ecce transiit anima ejus cum tripudio & exultatione.

26. *B. Jordanus*, qui S. *Dominico* in Generalatu successit, dum ad sanctam terram navigare volebat, tam gravis tempestas exorta est, ut navis, in qua vehebatur, collisa unà cum vectoribus interierit: (ùt refert *S. Antoninus*) Quod cùm quidam Religiosus Carmelitanus intellexit, gravissimum scandalum passus est; cogitabat enim intra se: aut *Jordanus* non fuit talis, qualem ipsum orbis suspexit, aut Deum non præmiare, ùt cujuslibet merita exigunt. Si enim reverà sanctus fuit, quomodò tam infausta mors ei obviare potuit? Quòd si autem suâ sanctitate cælum promeritus non est, & tamen vitam tam severam duxit, quis nostrûm sperare poterit salutem? Denique tentatio hæc adeò serpsit, ut jam de sancto Ordinis habitu deserendo agere cœperit. Nocte quadam cùm hisce tentationibus pulsatus titubaret, apparuit ei Vir magno splendore cinctus, qui eum blandis verbis sic est allocutus: *Ne turberis, frater charissime, quia ego sum Frater Jordanus, de quo tu hæsitas, & salvus erit omnis, qui servit Domino Jesu Christo, quacunque tandem morte pereat. Verissimum est enim illud Sapientis dictum: Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

27. *Beatus Joannes Taulerus* Doctor ex eodem S. Dominici Ordine; cùm non diu ab obitu viro cuidam, qui jussu Dei illum ad insignem vitæ sanctimoniam adduxerat, & eidem morienti astiterat, apparuisset, roganti quæ causa fuisset, cur post longam viginti septimanarum ingenti cum dolore toleratam paralysim, vitam tam horribili fine clausisset, qui multos de salute ipsius anxios dubiósque fecisset? respondit: id ideo factum, ut ab igne purgatorio liber in cælum evaderet. Cæterùm ajebat, se in mortis agone à dæmonibus in eas fuisse conjectum angustias, ut propè desperârit; tandem tamen bonitate Dei factum, ut in ipso mortis articulo adfuerint Angeli, ac in cæli atrium deportârint, jussum ibi dies quinque exspectare, non alio doloris sensu, quàm qui ex desiderio videndi Dei oriebatur.

28. Ex quibus palàm liquet, quàm incomparabile sit bonum, quod ex tribulatione oritur, videlicet peccatorum remissio, & purgatorii ignis evasio. Extra controversiam est apud Sacros Doctores, quòd omnes vitæ hujus adversitates, & pœnæ instar unius scintillæ sint comparatione purgatorii, cujus pœnæ non distinguuntur ab igne infernali, nisi solùm, quo ad æternitatem: *Duriorem esse*, (ait *S. P. Augustin.* de igne purgante) *quàm quicquid pœnarum possit in hoc sæculo aut videri, aut sentiri, aut etiam, quod est maximum, cogitari.* An non igitur inæstimabile donum hoc est, quod nobis benignissimus Deus exhibet, cum pœnas aliàs debitas commutat in tribulationes & adversitates hujus vitæ? Certò si quis ad patibulum condemnatus hanc acciperet gratiam, ut pro pœna mortis sustineret unum colaphum, an non cum gaudio illud sustineret? Pari ratione cùm afflictiones præ-

sentis

ſentis vitæ nos liberent ab intolerabilibus & ineffabilibus illis flammis, quibus animæ purgantes ſubjiciuntur, meritò eas ridenti ore excipere, Deóque pro iisdem gratias agere debemus.

# PARS QUARTA.

29. QUòd Deus ſuos nunquam quieſcere ſinat, ſed unam tribulationem poſt alteram eisdem immittat ex ſingulari erga illos amore, jam olim perſpectum habebat *Apoſtolus*; unde in prima Epiſtola *ad Theſſalonicenſes* data omnes Chriſti ſervos monet, inquiens: *Nemo moveatur in tribulationibus iſtis, ſcientes*, quòd per tribulationem patienter toleratam patiens aſſimiletur Chriſto Redemptori ſuo, quod eſt glorioſiſſimum. Quemadmodum enim glorioſum militi eſt, deferre arma Regis; ſic eſt Chriſtiano portare ſtigmata Chriſti. Quanta eſt gloria Sponſæ aſſimilari Sponſo? nihil glorioſiùs reputat, quam Chriſti portare opprobrium. Hinc (ùt *B. Angela de Fulginio* dixit) quod Deus Pater dilexit, & elegit, & dedit Filio ſuo Unigenito, hoc Unigenitus diligit, & infligit, & dat chariſſimis ſuis filiis. Elegit autem Deus Pater ſuo filio paupertatem, deſpectum, dolorem, perſecutiones, afflictiones, exterius & interius tædium, pavorem, timorem, anguſtiam, agoniam, quæ ſuſtinuit Dei Filius innumerabilia. Satagamus itáque & nos exemplo Salvatoris noſtri ſuſtinere quaslibet ærumnas temporales cum patientia, fortitudine, & gaudio interno. Id quod *D. Bonaventura* obſervavit, dicens: *Nolo eſſe ſine vulnere, ô bone Jeſu, cùm te ſic vulneratum videam. Non convenit Domine, ut ego gregarius miles cuticulâ non ſauciâ, & bene curatâ triumphem, tu verò Dux in oculis meis penè unum ſed grande & lacrymabile vulnus pendeas, & expires.* Ita refert *P. Drexel.* in Roſis p. 2. c. 5. §. 1.

30. *Nemo moveatur in tribulationibus iſtis.* Siquidem afflictiones, patienter & cum plenaria reſignatione toleratæ, ſummum Deo guſtum & voluptatem creant, atque adeò & nobis, quibus (ſi Deum ſincerè amamus) potior & jucundior debet eſſe Dei quàm proprius guſtus; ita enim S. *Gertrudi* l. 1. Inſin. c. 4. revelavit, dicens; Hæc pro qua tu oras, eſt mihi lilium electum, quod manibus meis portare affecto, ſuprema namque mihi eſt voluptas, in anima hujuſmodi caſta ac pura morari. Ipſa roſa denique eſt mea ſuaviter olens; patientia námque illius, & in cunctis adverſis gratiarum actio ſuaviſſimum inferunt mihi odorem. Aliàs eidem *Ibid.* l. 3. c. 12. dixit: *Ille mihi offert ſimplicem nummum aureum ſine gemma, qui ſine adverſitate eſt, & tamen de voluntate divina in omnibus operibus ſuis Deo intendit; ſed ille, qui in ſingulis operibus ſuis premitur adverſitate, & tamen de divina voluntate non diſcordat, ille offert Deo aureum nummum cum probatiſſima gemma.* Quod etiam liquet ex eo, quod Chriſtus quondam Virgini cuidam devotæ de patientia *S. Gertrudis* dixit: Tantâ hujus animæ delectatione afficior, ut ſæpenumerò, dum ab aliis hominibus offendor, me ipſum in ea quieturus inſinuem, atque preſſuram cordis, aliámve moleſtiam eidem tunc temporis deſtinem, quam dum tantâ, ùt ſolet, gratiarum actione ſuſcipit, tantâ ſuffert humilitate ac patientiâ, tantâ denique devotione, in

unione passionis meæ mihi offert, omnino me reddit placatum, facitque, ut innumeris sæpe hominibus ejus amore parcam. Ita habet ejus vita l. 1. c. 4.

31. In *Speculo Exemplorum* sequens refertur historia, quæ proposito nostro apprimè accommodatur. Cùm aliquando Matrona quædam Missam audiret, post elevationem vidit tres Moniales ad Altare flectentes, & ad eas pulcherrimum puerulum de Altari currentem, qui primam quidem amorosè amplexus est, & desuaviavit. Secundam blandis oculis, remoto velo, aspexit. Tertiam verò pugnis percussit, & pedibus trusit, iterúmque ad Altare abiit. Cùm verò Matrona factum hoc summopere mirata, causam illius rogâsset, audiit primam Monialem valde nutare in proposito, statimque ad sæculum redituram, nisi consolationibus cælestibus in proposito firmaretur. Alteram constantiorem esse, & contentam, modò aliquid saporis cælestis interdum deguſtare detur. Tertiam verò adeò in amore Dei firmam esse, ut nullis se adversitatibus ab eo separari sinat, & hanc sibi ex omnibus illis tribus gratissimam esse.

32. *Nemo moveatur in tribulationibus istis*; ad has quippe æquanimiter ferendas æquitas nos exstimulare & movere debet; cùm enim Christus Salvator & caput nostrum, & naturalis Dei filius, cui debebatur gloria æterna titulo hæreditatis, nihilominus tamen per tribulationum & Crucis januam gloriam propriam intrare voluerit. *Nonne hæc* (ait ipse apud *S. Lucam*) *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* An non æquissimum est, ut per eandem etiam membra, & filii duntaxat adoptivi ingrediantur? Per hanc ingressi sunt Apostoli, & omnes SS. Martyres, de quibus *S. Paulus* ad *Hebræos* scribens, ait: *Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ.* Hebr. 11. Hæc omnia attentissimè commeditans sanctus ille Vir *Thomas de Kempis*, ita lib. 1. de imitatione Christi cap. 18. scribit: *Intuere Sanctorum Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit & religio, & videbis, quod modicum sit, & penè nihil quod nos agimus. Heu! quid est vita nostra, si illis fuerit comparata? Sancti & amici Christo Domino servierunt in fame & siti, in frigore & nuditate, in labore & defatigatione, in vigiliis & jejuniis, in orationibus & meditationibus, in persecutionibus & opprobriis multis.*

33. Et certò, si à Cruce quispiam immunis ad æternam admitteretur beatitudinem, id indulgendum fuisset Sanctissimæ Virgini Mariæ. Sed stat, sempérque stabit æterni Patris decretum: *Quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. Act.* 14. 21. Id quod inprimis experiebatur Christi Mater, quæ licèt innocentissima & castissima esset, non tamen aliter cæli palatia subire potuit, quàm intrando per portam Crucis; ipsa enim de se testabatur *S. Brigittæ*, lib. 6. Revel. cap. 93. *Quòd nullam horam sine tribulatione cordis transierit in terris.* Et libro citato cap. 57. dixit ad eandem sanctam Matronam: *Licèt sciebam, Filium meum ex inspiratione divina passurum, tamen ex verbis Simeonis, quibus dixit gladium pertransiturum animam meam, dolor iste, usque dum assumpta fui corpore & anima in cælum, nunquam defuit*

fuit

*fuit à corde meo, licèt ex consolatione Spiritûs Dei temperabatur.* Quàm verò acuti Dei Matris fuerint dolores, quos in tota vita sua, præcipuè tamen tempore Passionis Filii sui, patiebatur, id partim à SS. Patribus, partim ab ipsiusmet virgineo ore discernus. *S. Anselmus* de Excellent. Virg. c. 5. hæc scribit: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil, comparatione tuæ passionis.* Plùs asserit *D. Bernardinus* tom. 2. serm. 61. a. 3. c. 2. *Tantus fuit dolor Virginis, quòd, si in omnes creaturas divideretur, omnes subitò interirent.*

34. Hinc de sanctissima hac Virgine prophetavit *Jeremias* dicens: *Cui comparabo te, filia Jerusalem? Magna est velut mare contritio tua. Thren. 2. 13.* Quapropter nec lingua exprimere, nec intellectus capere sufficit Virginis Matris pœnas, & dolores; ùt ipsa postea apud *B. Henricum Susonem* testata est dicens: Ubi primùm conspexi Filium meum cædi, percuti, malè tractari, planè fui viribus destituta, donec subsecuta essem ipsum usque ad Crucem: neque enim quisquam hominum unquam editus est in hunc mundum, qui id posset perfectè perscrutari. Nam quàm nihil est guttula una aquæ ad vastissimum oceanum, tam non possunt comparari dolores omnes cujuslibet hominis, immensis illis animæ meæ angustiis & cruciamentis, quibus tum maternum pectus meum confectum fuit. Ita habetur in Dialogo B. *Henr. Suson.* cap. 17. Unde omnes hominum dolores cum Virginis Matris doloribus comparati, sunt veluti aquæ gutta ad immensum pelagus: *Velut mare contritio tua.*

35. Rursùs, de tribulationibus, quas Dei Mater per totum vitæ suæ decursum sustinuit, hoc testimonium etiam habemus ab ore Angelico prolatum in *Sermone Angelico* cap. 16. quem Angelus dictavit S. *Birgittæ* ex præcepto Dei, & ipsa ex eodem mandato devotè conscripsit; verba Angeli sunt hæc; Gloriosa Virgo Maria congruè nuncupari potest florens Rosa; nam sicut rosa crescere solet inter spinas, ita hæc venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes. Et quemadmodum quantò rosa in crescendo se plùs dilatat, tantò fortior & acutior spina efficitur; ita & hæc electissima rosa Maria, quantò plus ætate crescebat, tantò fortiorum tribulationum spinis acutiùs pungebatur. Verè indubitanter credendum est, quòd sicut rosa constanter in suo loco stare cernitur, quamvis spinæ circumstantes, fortiores & acutiores effectæ fuerint; ita hæc benedicta Rosa Maria tam constantem gerebat animum, quòd quantumcunque tribulationum spinæ cor ipsius stimulabant, voluntatem tamen suam nequaquam variabant, sed ad sufferendum ac faciendum quicquid Deo placeret, se promptissimam exhibebat. Ita *Angelus* de Excellentia Virginis.

36. Porrò, ut magis adhuc intelligamus, quantas habuerit in vita sua tribulationes B. Virgo Maria, audire lubet quod idem *Angelus* cap. 17. eidem S. *Birgittæ* ulteriùs dictavit, dicens: Nullus dubitet, quin Virgo benedicta, quam ante sæcula sibi Deus prærordinavit in Matrem, sicut omnium matrum erat lætissima, quando Dei Filium jam de se natum videbat, quem verè sciebat, verum Deum & hominem existere, mortalem quidem in humanitate, sed in Deitate immortalem; ita etiam omnium matrum erat mœstissima ex ipsius Passionis præscientia. Intelligebat enim Prophetarum Vaticinia olim prædi-

 xisse,

xisse, quòd oportebat suum prædulcem Filium multas & graves pœnas sustinere, & etiam ille justus Simeon, non quasi à longè ùt Prophetæ, sed in faciem Virginis prædixit, quòd ipsius animam debebat gladius pertransire. Unde verè notandum est, quòd sicut vires animæ ad sentiendum bonum, vel malum, corporis viribus fortiores & sensibiliores existunt; ita & benedicta Virginis anima, quam gladius ille pertransiturus erat, gravioribus torquebatur languoribus, antequam suus Filius pateretur, quàm alicujus matris corpus sustinere valeret, antequam suam prolem parturiret. Ille námque doloris gladius cordi Virginis omni horâ tantò se propiùs approximabat, quantò suus dilectus Filius passionis tempori magis appropinquabat. Unde sine dubio credendum est, quòd ille piissimus Dei Filius innocentissimæ suæ Matri filialiter compatiens, dolores ejus frequentibus consolationibus temperabat, alioquin ejus vita usque ad Filii mortem illos sustinere minimè valuisset. Hucusque *Angelus* ad *S. Birgittam.* Hos Virginis Sanctissimæ dolores probè contemplatus religiosus quidam *Poeta*, hinc pro omnium Christianorum documento sic egregiè carmine ludit:

Si crucis haud expers sit Virgo criminis expers;
Noxia quid dubitas subdere colla Cruci?

37. Proinde considerare oportet, quæ Christus, quæ innocentissima ejus Mater, quæ alii Sancti omnes pati debuerunt, ut sic, dum aliorum graviora ad mentem reducimus, leviùs feramus nostra minima; simúlque cogitemus, & firmiter teneamus, quòd Crux sit unica cæli portæ clavis; & quis, amabò, non gauderet, si clavim thesaurariam Principis haberet in sua potestate? Ergò à fortiori lætandum & exultandum, si tribulationem velut certissimam clavem ad aperiendum regnum cælorum possideat. Quocirco S. *Thomas de Villanova* virtutem crucis & tribulationis exaggerans, in hæc illius erumpit encomia: *O Crucem amabilem! ô crucem jucundam! ô crucem desiderabilem! per quam patet ingressus ad regnum. O potentissima clavis David! quæ aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit. Aperis cùm ades, claudis cùm abes. Quis ergo audeat de te conqueri, in qua omnis nostra salus & vita consistit? aut quæ potest esse asperitas in te, quam non deleat tanta utilitas intellecta?* Et Christianum ad cruces viriliter tolerandas strenuè adhortans ait: Quid fugis ô Christiane, ô Religiose! quid times à facie crucis? Non est serpens devorans, sed virga sustentans. O pusille! apprehende, & videbis, quamdiu enim eam non apprehenderis, experiri non poteris, serpens videbitur extra manum, sed in manu virga est. Hactenus *S. Thomas.*

38. Hæc cùm ita sint, ne vites, obsecro, multò minùs detrectes tribulationes, obviásque hujus vitæ angustias, sed eas benigno amplexu ambobus etiam brachiis amplectere, has enim tibi benignissimus Salvator tuus, dum totus mœstus in horto sanguinem sudavit, promeruit; pro his cælestem Patrem obnixè rogavit, clamans: *Pater transeat à me calix iste.* Ac si diceret: Ah Pater! rogo, ne bibam illum totum, sed transeat ad meos, ad electos; spinæ, flagra, sputa, clavi, crux, & omnia tormenta transeant ad meos; ut sicut ego, per calicis

calicis amaritudinem ad cæleſtem perveniant thronum. Quid igitur Religioſe, calicem à Chriſto propinatum bibere recuſas? Apprehende hunc, & dic cum *Pſalmiſta*: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*, quo nempe mediante hoc tribulationum calice, ad præparatum ab origine mundi tibi regnum, pervenire, æternúmque cum omnibus Sanctis de cruce triumphum referre merearis. Interim pro dictorum coronide videre lubet, quantum nobis inferat præjudicium, & ſalutis detrimentum proſperitas, & fælicitas temporalis. Sit ergo

# PARS QUINTA.

39. PRoſpero fortunæ ſtatu uti, & libertate intemperanter abuti punitio Dei hæc eſt; unde huic propopoſito conformiter obſervat *D. Chryſoſtomus* hom. 54. ad Pop. de populo Hebræo loquens: *Cùm tribulabantur Iſraëlitæ, tanto plures fiebant, poſtquam autem eos dimiſerunt, omnes periêrunt.* Equi ſine fræno, ſuæ relicti libertati, in multa ruunt præcipitia, idem contingit, qui ſui appetitûs explent deſideria, nec ullis in præſenti vita impetuntur contradictionibus, & adverſitatibus. *D. P. Auguſtinus* ſermone 105. de tempore allegans hunc textum: *Cùm tribulamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Subdit, monens nos hiſce verbis: *Magis timere debemus, ſi aut nullas, aut parvas tribulationes in hoc ſæculo patimur, quia ſi Deus flagellat omnem filium, quem recipit, ſine dubio quem non flagellat, non recipit.* Ideo Deus minatur populo ſuo apud *Iſaiam* 5. 6. *Dimittam vineam meam, & non putabitur, nec fodietur.* Ut adeò non immeritò dixerit *S. Ambroſius*: *Fortaſſe cùm perſecutionem non patimur, tanquam condemnati habemur.*

40. Scimus quòd Pater nutriens ſuum filium, quem non continet in fræno timoris, & diſciplinæ paternæ, eum nutriat ad laqueum & patibulum. *S. Laurentius Juſtinian.* Lig. vit. c. 3. de patien. ſub metaphora fræni ſcribit de impio: *Injuſtus ad æternam mortem currens effrænatis voluptatibus utitur, quia & vituli, qui mactandi ſunt, in liberis paſcuis relinquuntur.* Addit poſtea brevem & nervoſam ſententiam: *Nihil infælicius fælicitate peccantium.* Hujus rei typum ſacra pagina nobis refert; in libro enim *Levitico* c. 16. regiſtratur, quòd ad expianda populi peccata juſſus fuerat ſummus Sacerdos duos hircos accipere, & ſuper utrumque ſortem mittere, ita ut is, quem ſors Deo deſignârit, ſtatim pro peccato populi mactetur; alter verò liber in ſolitudinem dimittatur. *Omnia in figura contingebant illis.* Per horum priorem námque Electi ſignificantur, utpotè qui hoc ipſo, quòd in ſortem Domino obtigerint, in Sacrificium mactandi ſunt; per poſteriorem verò reprobi indicantur, qui in deſertum mundi abire, ibique liberè vagari ſinuntur. *Non audivit populus meus vocem meam, & Iſraël non intendit, & dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum.* Pſal. 80. 13.

41. Verùm quàm grave Numinis flagellum ſit, dum nos dimittit ſecundùm deſideria cordis noſtri liberè exſpatiari, omni-

omnique mundi licentiâ & prosperitate affatim frui, docemur hoc tragico casu. Postquam *Sanctus Ambrosius*, Ecclesiæ Doctor, aliquot annos suam moderatus esset Ecclesiam, Romam proficisci coactus est. Quo in itinere mirissimum quod ei fertur accidisse. Diverterat apud hospitium cujusdam divitis, & omnibus fortunæ muneribus cumulati. Quem cùm vir sanctus esset percontatus, ùt ei res domestica succederet, ùt se filii haberent, & quænam bona possideret? Audiit ab eo, rectè sibi atque ex animi sententia fluere omnia, illibatam semper retinuisse corporis sanitatem, nullâ prorsus ægritudine temeratam; complures numerare liberos, pollere divitiis, ac omni bonorum copiâ adeò circumfluere, ut quid esset infelicitas, penitùs ignoraret. Quæ simul S. Episcopus audiit, recordatus verborum illorum *S. Jobi: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*; instinctus à Deo discessit, suisque comitibus dixit: Citò procul hinc fugiamus, imminet enim his ædibus Justi Numinis ira, ne fortè nos deprehensos involvat. Itáque festinus effugit, neque procul abierat, cùm ecce tellus ingenti discedens hiatu, domum, domesticósque illos omnes vivos absorpsit. Discimus hinc felicitatem mali hominis ignotum esse Numinis irati flagellum.

42. Propheta Regius, qui in domo *Isai*, Patris sui, pauperculus ovium pastor existens, privatum & laboriosum statum degustârat, ac demum in throno Israëlitico conditionem regiam, & felicitatem humanam expertus fuerat; is, inquam, à sinistris mille, à dexteris verò decem millia corruere dicit: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis.* Ps. 90. Ubi S. *Bonaventura* in diæt. sal. tr. 10. c. 5. ait: *Plures vincuntur in prosperitate delitiarum, quàm in adversitate tentationum, & plures, qui labuntur in temporalibus abundantiis.* Hæc ille. *Mascardus* apud *Mansi* tr. 8. disc. 10. quandam inventionem poëticam, nostro proposito mirabiliter deservientem adducit. Refert enim, quòd *Timon* homo quondam dives, sed per continuum virtutis liberalitatis exercitium in summam paupertatem dejectus, ad agriculturam deinceps exercendam coactus fuerit, at verò quot è fronte ejus stillæ sudoris decidebant, totidem lamenta & suspiria in cælum emittebat; tandem verò Jupiter compassione erga ipsum commotus, Plutoni (qui præterquam quòd Deus sit divitiarum, etiam juxta eosdem gentiles Poëtas inferni quoque dominium habere dicitur) præcepit, ut sumpto secum sufficienti thesauro in terram descenderet, & *Timonem* locupletem, & copiosè divitem efficeret. Cui præcepto Pluto post varias reluctantias tandem obedivit, Mercurio sibi in comitem adscito, itineri se quidem accinxit, sed tardo adeò & lento gressu, ut tarditatem ejus admirans Mercurius, de ejus causa eum sciscitatus fuerit: cui Pluto respondit: Quotiescunque à Jove ad virum aliquem probum & virtuosum locupletandum destinor, continuò nervos mihi contractos, & ex callo pedes dolentes experior: è contra verò dum à me locupletandus jubetur vir aliquis sceleratus, cum ipsis ventorum turbinibus de velocitate contendere & certare soleo. Ex qua fabula clarè satis deducitur, quàm verum sit, quod Psalmista ait: *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias.* Ps. 72.

43. Pul-

43. Pulchrum ad dicta confirmanda conceptum refert *Josephus Mansi* loco citato: Salvator noster, (inquit) in Testamento in lecto crucis à se condito animam & spiritum suum æterno Patri suo, Ecclesiam Petro, Matrem suam Joanni, Joannem Matri, Nicodemo corpus suum, denique bursam seu ærarium, in quo eleëmosynæ seu pecuniæ recondebantur, quibuscum Collegium Apostolicum sustentandum erat, in manus Judæ traditoris, viri scelerati & improbi commendavit, adeò divitias viles & indignas esse censuit, ut illis ex probis neminem onerandum esse judicaret: Idémque ut plurimum etiamnum fieri videmus, quod scilicet bonis temporalibus præsciti seu reprobi potiùs, quam electi abundant. Quonam, obsecro, titulo Sapientia Incarnata dæmonem apud S. *Joannem* cap. 12. appellat? *Principem mundi* eum vocat: *Nunc Princeps hujus mundi.* Et Apostolus *Ephes.* 6. dæmones appellat: *Mundi rectores*; At vero nunquid veritas est fidei, quod *Domini est terra & plenitudo ejus Orbis Terrarum* &c. Quâ igitur ratione dæmon *mundi hujus princeps* vocari poterit? & in quo ejus principatus præcipuè consistit? Respondet *Josephus Mansi*: Nimirum in hujus mundi scabie, sanie, & sordibus, id est, in voluptatibus, delitiis, divitiis, & prosperitatibus, quorum dæmon, Justo Dei judicio, & per altissimam ejus providentiam, ùt plurimùm distributor est ordinatus, per hæc enim innumeros sub suum vexillum milites conscribit, efficiendo ut Christo rebelles & obstreperi fiant, Sanctámque Evangelii doctrinam (quæ homines ad falsas mundi delitias & divitias aspernandas, sicut & ad cælestia amanda & desideranda docet) contemnant. Per prosperitatem ergo dæmon plurimos homines, à virtutum semita abstractos & divulsos, vitiis turpiter succumbere facit. Audiamus S. *Thomam de Villanova*, qui mala ex prosperitate emanantia sequentibus, non sine gemitu, depingit verbis: *Quanta mala fecit prosperitas & abundantia? Prosperitas facit hominem oblivisci Dei sui, facit eum superbum, facit eum levissimum & mundanum, prosperitas facit vitiosum & inertem, contemptorem proximorum, prosperitas replet hominem vitiis & peccatis usque ad summum.* Hactenus S. *Præsul* in Conc. Funebr.

44. Et quòd hæc ita se habeant, probatum manet narratione subsequentis historiæ. Tempore *Justini* Imperatoris erat in Ægypto lapicida quidam, *Eulogius* nomine, qui operam suam findendis saxis elocabat. Conditione plebejus & pauper; nobilis animo & virtute, multísque virtutum meritis cumulatus; nam quidquid labore manuum conquisitum, supra tenuem victum sibi supererat, id omne in egenos distribuebat. Interea accidit, quod quidam Eremi cultor, Daniel nomine, per devia capessens iter, incideret in Eulogium, ab eóque per summam benevolentiam, noctem cum ipso transacturus in humilem quandam casam deduceretur: Ibi pro viri conditione, victu quidem tenui, sed omni humanitate condîto, liberalissimè est exceptus. Placuit Danieli admodùm Eulogii in re humili præclara virtus, déque hospitis sui vivendi methodo satis edoctus, non potuit capere Dei parcitatem. Abituriens verò Eulogio promisit, se pro eo ad Deum preces fusurum, quò ejus inopia sublevaretur, & quò pauperibus & peregrinis liberaliorem erogare posset stipem. Daniel in suam casam redux, Deum obnixè rogat, opulentiorem fortunam huic Eulogio concederet; certum

se esse, qui in tenui fortuna in pauperes profusus erat, liberalissimum fore, ubi opibus abundaret. Precanti sic hæc vox accidit: *Noli orare pro Eulogio, ut ditescat, divitiæ enim non sunt pro illius salute.* Daniel verò huic voci non acquiescens, iterum iterúmque preces repetit, dictitans fieri non posse, ut Eulogius, qui adeò altè & solidè in virtutibus fundatus esset; divitiis abuteretur; unde imprudenti zelo se vadem pro ejus anima stitit, impetravítque Eulogio quod desiderabat, sed suo malo. Etenim Eulogius, dum antra excavat, en tibi ingentem auri thesaurum improvisò reperit. Unde subitò dives fit Eulogius, & (quod videbatur incredibile) subitò Eulogius esse desiit, aliúsque à se ipso fieri cœpit. Non jam preces solitas Deo fundere, non hospites conquirere, non stipem erogare, non saxa diffindere, ei jam est animus: alias mente tractat curas, totus in auro est, & qui miris heri incedebat gaudiis, jam tristi progreditur vultu, solicitus ubi thesaurum tam ingentem recondat, eúmque demum expendat, neque eum amittat. Itaque convasatis omnibus, proùt res ferebat, procul à patria fugam meditatur, Constantinopolim adit, militaribus priùs, aulicísque, quæ nobilem virum decent, exercitiis sese informandum tradit; & ùt erat ingenio acri, & ad percipiendum facili, brevi rusticitatem omnem exuit. Itaque jam totus alius, nescio quos natales fingit, in aulam tandem *Justini* Imperatoris se insinuat, ubi tantam init gratiam (quid enim aurum non potest) ut per plures evectus honorum, militiæque gradus, tandem Prætorianis militibus, corporísque custodiæ à *Justino* I. seu Seniore fuerit præfectus. Interea miser Eulogius sui & Dei oblitus, omnigenis vitiis in prædam cessit, & qui anteà, dum pauper erat, exemplum fuit probitatis, jam est princeps & antesignanus in malitia, cœpit enim templa spoliare, ebrietate ac scortis vitam terere. Daniel de his omnibus nihil sciens, arbitrabatur Eulogium adhuc suam pietatem continuare. Quadam nocte dum precibus vacaret, ecstasim passus, conspexit Christum, magnâ Angelorum coronâ circumdatum, pro tribunali sedere, séque à cacodæmonibus ad terribile hoc tribunal abripi, ad quem Judex severo vultu; ubi est, inquit, lapicida Eulogius, pro quo tam ferventer & obstinatè intercessisti? Quâ ratione utitur nunc divitiis, quas ei propter indiscretam tuam instantiam largitus sum? Obmutuit ad hanc quæstionem tam horrificam Anachoreta; Cui Judex: Pro ejus anima rationem reddes in novissimo die, quia tu causa es, quod ad hunc pessimum devolutus sit statum. Móxque à diabolis à Judice jussis acriter reus obses vapulat, ille vero inter verbera misericordiam Judicis identidem interpellat, cælum terrámque contestans, se nullum prætermissurum laborem, quo Eulogium longè aberrantem ad virtutis orbitam reducere denuò posset. Nec mora; Constantinopolim pergit Daniel, Eulogium ad frugem revocaturus. Reperit quem quærebat, sed agendis in aula rebus ita impeditum, ut mensem integrum lacernoso Eremitæ ad salutandum Eulogium aditus non patuerit, sed nec superbissimus Eulogius eum unquam admittere voluit. Ast Daniel divini honoris æstu accensus, violenter in conclave Eulogii irrumpit, & liberâ voce hominem aggreditur imperterritus, primò ei prætéritæ fortunæ memoriam repræsentat, natales humiles, malleum, trullámque

in faciem objicit, ac insignem deinde, nec tolerandam pro tot acceptis Dei beneficiis ingrati animi duritiem, non sine stomacho exprobrat. Hanc tam liberam Eremitæ reprehensionem scelestus homo non ferens, iratâ voce servos inclamat: accurrunt illi: stomachatur Eulogius, & cur insanum ceritúmque caput in conclave intromiserint, exclamat. Involatur ad has voces in Danielem undique, vi multâ protractus, baculis etiam crudelem in modum excipitur, semianimísque & sanguine undique perfusus è domo tandem tumultuosè expellitur.

Daniel hâc affectus contumeliâ rectà Ecclesiam petit, ubi coram Altari Beatæ Virginis Mariæ prostratus, multis irroratus lacrymis Deum supplex orat, ut superbum Eulogium humiliare vellet. Cúmque paululùm obdormisset, Christus ei Sanctissimâ suâ Matre stipatus apparuit, dicens: Nonne dixi, divitias lapicidæ non prodesse ad salutem; tu autem sapientior me esse voluisti, nunc verò damno proprio experire, quam malè egeris, dum pro Eulogio divitias postulaveris, & vel nunc disce à talibus abstinere petitis; divitiæ enim pluribus obsunt quam prosunt; simúlque Eulogium ad pristinam redactum iri pauperiem Danieli indicavit. Interea moritur Imperator Justinus, succedit in Imperio Justinianus Anno Christi 527. Justini ex Sorore Nepos. Hic novos obsequiis clientes præficit, Eulogium exauctorat. Verum Hypatius & Pompejus, Anastasii ante Justinum imperantis Nepotes, nescio quo jure imperium ambiunt, & rebellionem commovent, quibus se adjungit Eulogius. Verum cæsis 30000 ex rebellibus, capiuntur Hypatius & Pompejus, & in vincula abripiuntur, decretáque in eos mortis sententiâ, tota penitus conjuratio dissipatur. Eulogius porrò, ne cum reliquis caperetur, omnibus suis fortunæ bonis relictis, fugâ sibi consulit, jámque profugus omnis auxilii & consilii impos, tandem subit veterem suam casam, & in pristinas latomias dilapsus, non sine summo animi mœrore veteres etiam repetit artes, quò miseram vitam sustentaret. Hic eum insudantem vili operæ ubi convenit Daniel renitendo, ecquid hoc rei est? inquit, Tune es Eulogius? Quid tibi cum saxis, quid tibi cum malleo, fortunæ fabricator egregie? Erubuit ad isthæc dicta Eulogius, altúmque ingemuit, fatetur imprudentiam, & ingratitudinem suam, rogátque Danielem, ut pro se Deum exoret, quò laboris tam duri aliquod præberet levamentum. Risit ad hæc Daniel, aitque: Vade, & quod es, hoc certè sis. Dura paupertas necessaria tibi est, ne extra gyrum exorbites: Jam te invenisti: ubi opes, & cum his ambitionem amisisti; dabit iterum latomia, quod abstulit aula. Eulogius ubi ad inopiam, simul etiam ad mentem rediit; priora liberalitatis in egenos ac pietatis studia repetivit, expiavítque in lacerna, quidquid peccaverat in purpura. Ita refert *Petrus de Natal.* in *Vitis Sanctorum* cap. 132.

45. Ex hac historia palàm patet, quam verùm sit, quod prosperitas mundi multis sit ruina animæ, & è contrà afflictio, salus ejusdem. Hinc, ne in tribulatione positi animo deficiamus, sequentem proposito nostro aptam refert doctrinam *Sanctus Thomas de Villanova* Conc. 2. de S. Jacobo, in hæc nos admonens verba: Jam ex hoc fratres, agnoscite nostrum errorem, qui per delitias & divitias ad cæleste reg-

num ire putamus. Quid enim minùs hæc quærit Christianus, quam paganus, ut abundet omnibus sæculi delitiis & gaudiis? O stulte, dilectissimis Discipulis, & Cognatis Christus non dat regnum sine calice. Quis unquam Sanctorum sine calice tribulationis venit ad regnum? Vide Apostolos, vide Martyres, vide Virgines, vide Anachoretas, omnes per magnas tribulationes introierunt in regnum Dei. Unde cùm Joannes Apostolus eos in gloria vidisset, & interrogasset Angelum: *Qui sunt isti, & unde venerunt?* Dictum ei est: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione.* Et tu putas, quod tibi soli dabitur privilegium, ut in delitiis vivens, regnum cælorum possideas? non credas, erras, erras, non fiet istud. Non potes hîc & illic gaudia possidere, non potes duplicem paradisum obtinere. Audi, quid Dominus dicat divitibus: *Luc. 6. Væ vobis divites, qui habetis consolationem vestram, quia non habebitis ibi*: Unde & alteri dictum est. *Luc. 16. Recordare fili, quia accepisti &c.* O quanta deceptio filiorum hominum, & heu non sentitur usque in finem, omnes quærimus prosperitates, & favores, & gaudia sæculi ad nostram perniciem. Attende, quid dicat *Gregorius*: *Continuus successus rerum temporalium æternæ damnationis indicium est.* Hucusque S. *Præsul.* Quando Mater filiorum *Zebedæi* ad Christum accesserat, hanc eidem supplicam offerens: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Matth. 20.* Quod ut Salvator percepit, non ad Matrem, sed ad filios conversus, proposuit illis difficultatem suæ petitionis dicens: *Potestis bibere calicem?* quasi diceret, ait *S. Thomas Villanovanus*, mecum regnare vultis, poteritis mecum quoque calicem passionis bibere? Si vultis participes esse gloriæ, oportet, ut sitis & participes pœnæ; nam regnum sine calice non dabitur. *Ego* (inquit *Luc. 22.*) *dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater*, non facio vobis injuriam, nec enim plus vos amo, quam me diligit Pater. Et quomodo Domine, disposuit tibi Pater? *Oportet*, inquit *Luc. 24. pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*, per mortem, per crucem, per passionem. Unde *S. Bernardus*: *Christus non intrat in gloriam suam, nisi per passionem, & tu intrabis in gloriam alienam sine cruce?* Hæc ille.



SER-

# SERMO XXX.

# DE TENTATIONE.

*Fili accedens ad ſervitium DEI, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccleſ. 2. verſ. 1.

## PARS PRIMA.

### Quàm varia ſit tentatio, & quàm multipliciter ſervi DEI tententur, indagatur.

1. SI quid ſcitu neceſſarium in virtutum ſtadio currenti eſt, hoc profectò cenſeri debet, ut ſolidè ſe ad pugnam armet, tentationésque, curſum hunc impedire aut retardare volentes, dignoſcat, iiſdémque opportunis remediis obviam eat, quibus eas profligare & pellere poſſit. Apprimè igitur credere oportet, quod quamdiu anima corpori huic mortali eſt conjuncta, à tentationibus nunquam ſit quies, ſed propulsâ unâ, altera adveniat neceſſe eſt; quia teſte *S. Jobo 7. militia* ſeu tentatio (ùt habetur in textu græco) *eſt vita hominis ſuper terram. S. Hieronymus* l. 4. in *Matth.* c. 26. in expoſitione horum verborum: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*, profert hanc doctrinam: Impoſſibile eſt humanam animam non tentari, unde in oratione dominica dicitur: Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non poſſimus, non tentationem penitùs recuſantes, ſed vires ſuſtinendi in tentationibus precantes. *Petrus Bleſenſis* ſerm. 8. de S. Vincentio ſic ad noſtrum ſcribit propoſitum. Tres hoſtes habemus, carnem, mundum, diabolum. Caro eſt hoſtis domeſticus, & ideo magis timendus: Mundus hoſtis ſophiſticus, & ideo cavendus; diabolus hoſtis antiquus, & ideo magis odiendus. Caro ſuadet ſuavia, mundus inania, diabolus iniqua. Caro ligat, mundus nos ſuggillat, diabolus nos necat. Caro ſuggerit luxuriam, mundus avaritiam, diabolus ſuperbiam. Caro deprimit nos infra nos per luxuriam; mundus trahit nos extra nos per avaritiam; diabolus erigit nos ſupra nos per ſuperbiam. Omnes hi inimici, quamdiu reſpiramus, lateri noſtro adhærent, indefeſſéque nos comitantur, ac propterea ſine ulla intermiſſione eos vincamus, expugnemúſque, neceſſe eſt. Interior pugna, de qua ſcribit *Apoſtolus: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, nunquam nobis indulget quietem.

2. Enim vero, quamvis Deus vitam humanam deſtinaverit & determinaverit pro palæſtra, ſeu loco pugnæ & certaminis; *Militia eſt vita hominis ſuper terram*

ram; tamen omnibus nos præmunivit armis & remediis, quibus strenuè viriliterque dimicare ac vincere possimus. Sicut diabolus, ait S. *Antoninus* p. 4. tr. 13. c. 3. §. 4. habet multos modos ad tentandum; ita gratia Dei & Ecclesia docet multos modos ad illudendum ei, & superandum. Tametsi ergo plurimæ sint fraudes & astus dæmonis, quibus decipere conatur; ita non pauciora sunt documenta, ab Asceseos Magistris tradi solita, quæ ad easdem evitandas & debellandas observari debent; sed omnia ferè ad tria capita reduci possunt; nimirum, ut benè sciatur, quid ante, quid in, & quid post tentationem observandum sit. Ante tentationem ergo tria observanda sunt: nimirum primò; ut certò sibi persuadeat, postquam accessit ad servitutem Dei, animum ad tentationem parandum esse, imò quò plus in sanctitate profecerit, tantò vehementiùs oppugnatum iri: *Cùm*, teste S. *Gregorio* l. 29. moral c. 12. *hostis noster in hac vita positos, quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò amplius expugnare contendat, eos verò pulsare negligit, quos quieto jure se possidere sentit.* Sicut ergo piscator (est similitudo S. *Thomæ de Villanova*) avidus & peritus, grandiores pisces, minoribus contemptis, attentiùs inescat; ita diabolus perfectis quibusdam avidiùs insidiatur, ut pereant. Et D. *Chrysologus* serm. 96. inquit: *Plus Ducem, quàm militem petit; nec obsidet mortuos, sed impugnat viventes: sic diabolus non peccatores quærit capere quos possidet subjugatos, sed ut Justos capiat, sic laborat.* Cui astipulatur S. *Chrysost.* hom. 3. de verbis Isaiæ dicens: Quemadmodum piratæ, qui mare navigiis infestant, non naves è portu exeuntes, sed redeuntes onustas invadunt; ita dæmon simul atque videt aliquos collegisse multas merces, jejunia videlicet, preces, eleëmosynas, castitatem, reliquasque virtutes omnes, tunc irrumpit, ut in ipsis portûs ostiis scapham demergat. Et alibi idem S. *Doctor* dicit: *Neque miremur, quod spiritualibus instantes multa patiamur adversa; sicut enim latrones non ubi fœnum, & paleæ, & calamus, sed ubi aurum & argentum est, ibi fodiunt, & continuò vigilant, idem diabolus cum Justis facit.* Et S. *Cyprianus* similiter ait: *Diabolus eos cupit dejicere, quos videt stare.*

3. *Divi Gregorii* dictum est: Non solùm unus spiritus malus Electorum singulis; sed innumeri deputantur, & vicissim (quod *Veterum Patrum* paradigmate docetur) unus dæmon contra malos innumeros perdendos sufficit. Anachoretam memorant à Genio Cælesti ductum ad diversa sanè spectacula. Primum quod videndum ei objectum est, Congregatio fuit Monachorum, ad quam innumeri cacodæmones advolârunt. Expavit ad hoc spectaculum homo solitarius. Mox inde in urbem pertractus, unicum vidit diabolum, eúmque otiosum veluti fatigatum canem portæ civitatis incubantem. Admiratus istud Anachoreta: Et quid hoc rei est? inquit, Viri illi Religiosi à tot diabolis obsidentur, hanc urbem totam unicus non infestat, sed per otium tanquam nihil sibi metuens, prospectat. Cui Angelus: Hi civici homines, inquit, devoti satanæ ad ejus leges, & imperium suos mores conformant: Hinc tentationibus & impulsibus non egent, sponte currunt. Ad eos in officio continendos, satis est vel unicus ex inferis custos, uti puerulus magnum gregem ovium ante se agit. At verò illi alii jurati sunt hostes diaboli, cui pro viribus resistunt. Hinc eos Lucifer facto agmine incursat: hos Numini divino devotos in suam nassam per-

pertrahere nititur. Observetur Versus 105. *Psalmi* 118. *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Et post propositum juramento firmatum, quo statuerat S. *David* esse exactus in observanda divina lege, immediatè sequitur: *Humiliatus sum usquequaque.* Ecce subitò insurgunt colluctationes & tentationes. Refert *Martinus Delrius* apud *Josephum Mansi*, tract. 92. disc. 7. quod Anno 1566. nonnulli minus timorati tentarint agere Exorcistas, & ex muliere obsessa ejicere spiritus malignos; At dæmon cunctis audientibus altâ voce clamans dixit: *Nihil mihi à vobis metuo, amici sumus & fœderati.* Bellum dæmoni indicunt & movent servi DEI suis orationibus & operibus perfectionis & spiritûs. Dux belli nunquam pugnat cum militibus sibi subjectis, obedientibus & amicis, bene autem cum hoste suo, ita facit dæmon contra peccatores, qui jam sui sunt obtemperantes famuli, sua mancipia, nullas adhibet artes, vires, & fraudes, bene verò contra servos Dei, sicut quilibet præliator (ait *S. Ambrosius*) non contra eum, quem vinculis peccatorum constrictum tenet, dimicat, sed potius contra eum, qui peccare desistit, & ad Deum totâ mente convertitur.

4. Atque hoc est, quod multi servi Dei queruntur, tentationibus tantò se gravioribus exagitari, quantò in operibus pietatis & misericordiæ ferventiùs incumbunt, corpus affligunt, precationes frequentant, ad Eucharisticam mensam accedunt. Est enim solenne dæmoni, cùm observat hominem propiùs imminere cælo, omnes intendit vires, omnem conatum exerit, ut eum à cœptis avertat. Nam (teste *S. Laurentio Justiniano*) *Nihil æquè infernalem hunc tenebrionem confundit, quam si in carne passibili hominem intuetur, inter tot mundi discrimina Conditoris obedientiam custodire, quam in cælo positus servare ipse neglexit.* Justorum igitur profectibus invidens, eorum ascensus ad gloriam impedire conatur. Hinc nullum non lapidem movet, quo scilicet Dei servos ex alto virtutum culmine dejiciat, eósque in peccati turpioris laqueum pelliciat, magísque gaudet & exultat, si vel unum ex Religiosorum cœtu suis circumveniat præstigiis, quàm si centenos alios minus pios & devotos suo subjuget dominio, quod colligere fas est ex historia quadam, ex *Veterum Patrum Vitis* deprompta, quæ sic se habet. Erat quidam sacrificuli cujusdam filius, qui patrem ad idolorum fanum est secutus. Porrò, cùm ibidem obdormivisset, oculis magis mentis quàm corporis conspexit Luciferum, velut in throno considentem, & inde imperia emissariis suis dantem, eorúmque negotia audientem. Accessit, qui in provincia quadam bella, seditiones, & rebelliones se excitasse dicebat; sed quia ipsos triginta dies ad hoc efficiendum absumpserat, vapulare jussus est. Comparuit alius, qui intra viginti dies gravi commotâ tempestate in mari multas naves submersisse gloriabatur, sed quia parum hoc videbatur Regi inferorum, plagis & ipse mulctatus est. Accessit tertius, qui intra decem dies diversis in nuptiis rixas, discordias, cædes suscitârat, sed hic quoque, tanquam re minùs bene gestâ verberibus castigatus est. Tandem astitit, qui se 40. omnino annis Cœnobitam quendam ad libidinem solicitatum, tandem in scelus impulisse jactabat. Cui è solio consurgens stygius Tyrannus, post cha-

ros amplexus diadema capiti suo detractum imposuit, ac ad dexteram assidere jussit, multísque encomiis exornavit. Qui hæc vidit, audivítque, erat Idolorum sacrificuli filius, ut dictum, indéque occasionem & causam sumpsit, relictâ idolomaniâ, se Deo in Religiosa familia dedicandi; quia inde collegit, quod magnus debeat esse & excellens Monachorum status.

5. Hinc ergo liquet, quantum abjurati nostri hostes conatum in hominibus Deo devotis pervertendis adhibeant; patet etiam, quantis incedant lætitiis, quantísque tripudient gaudiis, dum unum ex his in fœdum aliquod impellunt flagitium. Negandum non est, quò sanctior quis est, eò plerúmque tentationibus gravioribus & molestioribus subjectum esse. Verùm, ut dæmonum astutias & fraudes, quibus nos circumvenire conantur, perspicaciùs videamus, audire lubet, quod *Theodoricus de Appol* in vita S. *Dominici* l. 3. c. 12. recenset; dicit enim, quod quodam tempore vir Sanctus noctu vigilans, & muros Hierusalem custodiens viderit eum, qui circuit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret, per omnia Monasterii loca pervagantem; Unde ad eum dixit: Quid ita hîc circumis cruenta bestia? Ille respondit: propter lucrum, quòd hîc facio. Ait ei vir sanctus: Ecquid lucraris in dormitorio? respondit dæmon: Somnum necessarium eis aufero, quietem interpellando, efficióque, ut cunctabundi surgant, pigritiâ eos retinente, hortorque, ut à divinis officiis se subducant. Præterea verò, si mihi id permittatur, nocturnas corporis inquinationes, & libidinosos motus in dormientibus excito. Inde vir sanctus de templo interrogavit, quid in tam sancto loco lucraris? respondit ille, id ago, ut tardè huc veniant, & citò hinc recedant, suíque immemores sint. De refectorio sciscitanti Beato Patri ait: Hic locus totus est meus, hîc existit risus, hîc vani referuntur rumores, & verba inania proferuntur. Postremò ad locum capitularem à S. Dominico ductus cum horrore refugit: Iste, inquiens, locus mihi tartarus est: si quid enim alibi lucri feci, ejus hîc facio jacturam. Hîc námque admonentur fratres, hîc confitentur, hic accusantur, hîc verberantur, hîc absolvuntur. Qua de causa locum hunc præ cæteris abominor, planéque detestor. Ita miser ille, cogente illum Sancto viro, Altissimi virtute, malitiæ suæ detexit fraudes, ut videant Justi & illum irrideant, sibíque à laqueis ejus caveant, ne irretiti capiantur.

6. Verum enim verò, cùm probi longè plus, quam improbi ab orco tentationibus vexentur, ideo Salvator noster non gratis suos Apostolos, omnésq; alios suos servos & imitatores, præmonitos esse voluit, ne in tentationibus positi hosti terga verterent, sed strenuè & imperterritè dimicarent, dum dixit *Matth.* 10. 34. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium.* Necesse est ergo ad Dei servitutem accedenti gladium arripere, fortitudinem, nimirum, quâ contra tentationes, & malas suggestiones certò certiùs venturas sese præmuniat, ac tueatur, juxta monitum *Siracidis* dicentis: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*

Ecclesi. 2. 1.

PARS

# PARS SECUNDA.

## Docetur turpem voluptatis ſenſum non nocere, dum abeſt conſenſus.

7. INter cætera, quæ Religioſæ vitæ Tyrones quandoque affligere & cruciare ſolent, etiam numerari poteſt illa ignorantia, quâ ſibi perſuadent, peccatum latere in ſenſibilibus carnis motibus; Proinde ut ab his Chriſti Tyrunculis anxietatem animi tollamus, ſcire & firmiſſimè credere oportet, non nocere ſenſum in tentationibus, ſi abſit conſenſus. Nam ſi ſenſus noceret; quis poſſet ſalvari? Nullus enim noſtrûm major eſt S. *Paulo*, utpote de quo ipſe Chriſtus teſtimonium perhibet; *quoniam vas electionis eſt mihi iſte* &c. Sed audiamus quid de ſeipſo ſcribat: *Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod odi malum, hoc ago.* Rom. 7. 18. Ecce tibi, an *Apoſtolus* hic ſanctiſſimus fuit liber à ſenſibilibus voluptatibus? Sed forſan in his peccati labem contraxit? nequaquam. Audi ulteriùs vocem ejus: *Si autem quod odi, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et paulò poſt ſubjungit: *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JESU: qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum.*

8. Enimverò, hac in parte ulteriùs nos conſolatur mellifluis omnino verbis S. P. *Auguſtinus*, de ſpiritûs cum carne lucta ſic ſcribens: Attendite Sancti, quicunque pugnatis. Præliantibus loquor: Intelligunt, qui pugnant, non me intelligit, qui non pugnat. Vult homo caſtus, ut nulla omnino ſurgat in membris ſuis concupiſcentia adverſaria caſtitati. Pacem vult, ſed nondum habet. Quando enim ad illud ventum fuerit, ut nulla omnino exſurgat concupiſcentia adverſaria, nullus erit hoſtis, cum quo luctemur; nec exſpectatur ibi victoria; quia de hoſte jam victo triumphatur. Modò autem, quando caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem, tentatio eſt. Non quod volumus, facimus. Quare? Quia volumus, ut nullæ ſint concupiſcentiæ, ſed non poſſumus. Velimus, nolimus, habemus illas; velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, ſtimulant, infeſtant, ſurgere volunt; premuntur, nondum extinguuntur. *Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem*, ùt loquitur Apoſtolus *Gal.* 5. ut non ea quæcunque vultis, faciatis. Quid enim vultis ô Sancti, ô boni præliatores, ô fortes milites Chriſti, quid vultis? ut non ſint omnino concupiſcentiæ malæ; ſed non poteſtis, exercete bellum, ſperate triumphum. Facite, quod poteſtis, quod ait Apoſtolus ipſe *Rom.* 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſideriis ejus.* Non ait: Non ſit peccatum, ſed, *non regnet.* Quamdiu vivis, peccatum neceſſe eſt in membris tuis, ſaltem illi regnum auferatur, non fiat, quod jubet. Hactenus S. *Pater* ſerm. 43. de verbis Dom.

9. Probatur ulteriùs, ſenſum non inquinare animam, dum abeſt conſenſus; *Tentationem enim* (ut rectè annotavit S. *Anſelmus* apud *Drexel.* in palæſt. p. 2. c. 5. §. 3. in fine) *non ſentire eſt Angelicum: tentationes*

*tationes sentire & vincere, est Christianum: tentationibus consentire, & ex malitia delinquere, diabolicum est.* Verum enim vero, cùm in hac carnis lucta facillimũ sit incurrere saltem venialis noxæ labem, quod non rarò Dei famulos; tyrones præcipuè, & in schola Christi nondum debitè exercitatos, anxios reddit, an non forsan turpi suggestioni assensum præbuerint, culpámque aliquam ex propria incuria, & sui ipsius oblivione contraxerint, hasce scilicet tentationes non statim, ut fieri debuerat, reprimendo, mentémque aliò divertendo. Pro hoc ergo dignoscendo saluberrimam nobis subministrat doctrinam *B. Henricus Suso*, de primis motibus & cogitationibus importunis sic discurrens serm. 1. Dom. 3. Advent. apud *Taulerum*: Veruntamen latet in isto occulta quædam pressura, quæ est subtilissimus quidam & acutissimus funis, qui hìc contingere possit: & hæc est, quando homini aliqua prava cogitatio incidit, & ipse fortassis cum delectatione ei intendit, atque sui ipsius oblitus, non ita celeriter inde se avertit. Et tunc putat se cum voluntate & deliberatione illi intendisse, &, seipso neglecto, peccasse mortaliter. Sed absit, ut hoc ita esse credamus. Consors námque multorum etiam Sanctorum sententia est, rationem sæpe per importunas incidentias & delectationem præveniri, idque satis bonâ morâ & longo tempore, antequam ratio sui ipsius per maturam deliberationem plenè compos fiat. Et tunc ea recipere, vel aversari, peccatum admittere vel respuere potest. Quod cum ita sit, nequaquam in talibus mortale peccatum homines boni metuere debebunt, si sanæ atque Catholicæ doctrinæ fidem adhibere volent. *S. Augustinus* namque adeò voluntarium peccatum esse dicit, ut si voluntarium non est, peccatum nullo modo sit habendum. Ita *Suso*, cujus etiam doctrinam *Ven. Blosius* in Consol. pusil. refert.

10. Hanc porrò veritatem idem *Blosius* in Conf. pusil. c. 40. §. 1. n. 4. stabilit; dum Christum ad fidelem animam sic loquentem introducit. Est fortasse aliud, quod te terret, quia peccatis pressa etiam ea, quæ olim ultrò admiseras, jam invita cogeris tolerare. Persequitur te adversarius, & suas fœditates tecum exercet. Quidquid invita sustines, filia, non te damnabit, nec gratiâ meâ spoliabit. Peccatum námque adeò esse oportet voluntarium, ut si non sit voluntarium, non sit peccatum. Cohibe igitur voluntatem tuam à consensu, & sine deinceps carnem atque diabolum furere. De somniis etiam nihil metuas, quidquid ibi egeris, quidquid passa fueris dormiens, si ante & post somnum (quando rationis compos es) tibi displicet, nequaquam venit tibi imputandum. Et licèt per malè actam vitam atque conversationem priorem tibi occasionem dederis, jam tamen, quia illius conversationis te verè pœnituit, & meliùs vivere studes, non eris rea eorum, quæ pateris, si modò voluntas non consentiat. Quod si quandoque etiam blasphemias, aut execrandas cogitationes contra me, Sanctósque meos in cor tuum diabolus immiserit, noli propterea metuere aut nimium pusillanimis esse. Nam quamdiu consensum animo deliberato non præstas, magis talia pateris, quam agis. Cùm hæc tibi mæstitiam & afflictionem potiùs ingerant, quàm delectationem, nullo modo formidanda, sed nec Sacerdoti confitenda sunt. Permitto autem te illa sentire, eáque tibi molesta esse, ut purgeris, non autem ut inquineris. Idcirco vero illa diabolus excitat, ut, cùm his conaris resistere retarderis

tarderis & impediaris à gustu charitatis meæ, ac nimium consternata non audeas ad me accedere. Gaudet enim ille, dum scrupulis & perturbationibus involveris. Sed tu filia, noli talia timere, noli ad ea respicere, noli respondere, noli repugnare, noli advertere: imo vero quasi nihil senseris, imperturbata perge in tuis excercitiis, prætereundo & contemnendo hujusmodi incidentias velut canum latratus, aut anserum sibilos. Nam si reniti, disputare, formidare, discutereque eas volueris, tu illas magis semper tuæ memoriæ imprimes, grandique te perturbationi involves. Ita *Blosius.*

11. Quæ omnia fusiùs patent ex eo, quod S. *Catharinæ Senensi* contigit. Etsi enim hæc S. Virgo adeò Christo familiaris esset, ut eo tanquam sponso uteretur, qui frequenter etiam sese aspectabisi specie Virginis obtutibus offerebat, nihilominus tamen hanc castissimam Virginem stygiæ commisit luctæ, quo scilicet virtutem magìs exerceret. Quamobrem (verba sunt proximè laudati *Blosii* in Concla. anim. c. 4. n. 10.) Dei permissione pluribus diebus acerrimè divexata fuit carnalibus tentationibus, nam maligni spiritus eam non solùm per obscœnarum cogitationum immissiones, & somniorum illusiones, sed etiam per manifestas apparitiones sese oculis, & auribus ejus ingerebant. Effingebant imagines virorum & mulierum, in conspectu ejus se mutuò turpissimè amplexantium, illámque verbis, gestibus & actibus valde inhonestis provocantium ad libidinem. Ad hunc modum honestissima Virgo cogebatur videre & audire id, quod maximè horrebat, & licèt oculos clauderet, nihilominus durabant spurcissimæ & abominandæ illæ imagines. Inter hæc etiam spiritualibus consolationibus destituta erat, & solitum devotionis fervorem minimè sentiebat.

11. Nunc videamus, quo modo gravissimam hanc tentationem, impetuosúmque dæmonis assultum superaverit, & rejecerit. Id verò idem *Vener. Abbas* indicat verbis mox subsequentibus. Attamen non omisit sua pia exercitia, sed diligentissimè instabat orationibus, sicut poterat, ac seipsam sic alloquebatur: Tu vilissima peccatrix, nullis consolationibus digna es. Quid enim? Nonne tibi fuerit satis, si non damneris, etiamsi toto vitæ tuæ tempore has cruces & tenebras ferre deberes? Certò non ideo elegisti Deo servire, ut hîc consolationes à Deo accipias, sed ut in cælo illo fruaris in æternum. Surge igitur, & consueta exercitia prosequere, Dominóque tuo fidelis permane. Postea cùm unus dæmon proterviter illi diceret: non desistemus, sed ad mortem usque molesti tibi erimus, nisi nobis consentias; respondit illa: Ego afflictionem elegi pro refrigerio, nec difficilè, imò jucundum mihi erit, & has & alias pœnas pro honore Domini mei JESU Christi sustinere, quamdiu ei placuerit. Ad quæ verba tota cohors malignorum spirituum confusa discessit, & lux ingens locum, in quo S. Virgo erat, illustravit, aspectabilique præsentem formâ vidit advenire Christum; ad quem conversa ait: Heu me! ubi eras, mi Domine, cùm tam nefandæ animum meum imagines solicitabant? Cui Christus: in corde tuo spectator aderam, mea Catharina. Cúmque illa ulteriùs diceret: Quomodo fieri potuit ô bone JESU, ut in illo meo esses corde, quod tot impurissimis erat sepultum cogitatibus? & Dominus: Nunquid tibi volupe fuit, Cypriis hisce palpari blandimentis? Cui S *Virgo* ait: Absit, ô Domine, absit, nihil graviùs aut

aut molestiùs mihi accidere potuisset. Et Christus : Hæc igitur est victoriæ tuæ laurea, hæc meriti corona, hæc certaminis tui, cui ego spectator & adjutor adfui, gloria. Nullus incesti Cupidinis vulnera sentit, nisi qui consensit. Quisquis in turpibus cogitationibus expellendis laborat, stygem triumphat. Diu tenuit hæc inhonestarum cogitationum lucta, quæ vel ipsomet orco Virgini visa fuit atrocior.

13. Ex his ergo manifestè liquet, sensū nequaquam nocere, si abest consensus. Nota præterea aliam doctrinam scitu pernecessariam, quam S. *Catharina Senensis* non solùm exemplo ( ut insinuatum ) verùm etiam scripto nobis in hæc ferè verba reliquit apud *Blosium* in Consol. pusil. cap. 39. num. 3. Oro, ne unquam desinatis in benè cœptis progredi, quantumcunque etiam diabolus vos molestiis & tentationibus divexet. Is enim varias movet pugnas, & multas tendit insidias, ut animas vestras possit adducere ad tædium & inordinatam tristitiam confusionémque spiritûs ac desperationem. Sed si etiam peccata omnia simul in uno homine coarervata conglobatáque essent, impedire tamen eum non possent, quò minus fructum Sanguinis Filii Dei in se reciperet, modò vera fides & spes infinitæ Dei misericordiæ in eo remaneret; Cùm peccatum solummodo in mala perversáque voluntate situm sit, homo videns bonam voluntatem sibi à Deo concessam esse, debet omni confusione spiritûs abjectâ perseverare in sanctis operibus & exercitiis, ambularéque in lumine gratiæ, quam invenit in se absconditam munere Dei, qui bonam voluntatem in eo conservat. Debet diabolo confusionem vel desperationem suggerenti respondere : Si gratia Dei in me non esset, etiam bona voluntas non esset in me, & ego pravas suggestiones tuas ac malitiam tuam sequerer : Ergo jam confido in pio ac benigno Domino meo JESU Christo, qui me semper tuebitur, ac salvum faciet propter immensam misericordiam & bonitatem suam. Ex S. *Virginis* doctrina liquet, quanta sit Dei pietas erga hominem bonæ voluntatis; liquet etiam quantum sit DEI donum ipsa bona voluntas Deo in omnibus placendi, ejusque sanctissimam voluntatem ubique & semper exequendi. Tantatus igitur summâ contentione allaborare debet, ut omnem à se procul arceat inordinatum animi mœrorem atque tristitiam, piámque erga Deum semper foveat affectionem, nec non in bonis cœptis hilariter & constanter pergat, hâc enim methodo dubio procul ex tentationum conflictu victoriæ palmam relaturus est.

# PARS TERTIA.

## Tentatio patienter est ferenda, cùm ex illa nobis multa proveniant emolumenta.

14. VErba hæc *Sancti Jacobi Apostoli* mirâ consolatione referta sunt, præcipuè verò illis inserviunt, qui contra voluntatem suam tentantur : *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. Jac.* 1. 2. Magnum emolumentum & lucrum est in præsenti vita

vita

vita tentari ab hostibus invisibilibus, incomparabilia enim nobis conferunt emolumenta: *Sicut enim ab uno fonte* (S. *Laurentius Justinianus* consid. in lig. vitæ de patient. cap. 4.) *plurimi emanant rivuli; ita & à tentationibus multifariæ utilitates proveniunt.* Certè apud omnes Magistros spirituales recepta est doctrina ista, quod multò major sit gratia illa, quâ Deus nos tentari permittit (subministrando tamen nobis auxilia, quibus resistamus) quàm si permitteret nos vivere in magna pace & tranquillitate. Ratio quam reddunt, conveniens est, quia privaret nos aurifodinâ meritorum valde opulentâ; præterea tolleretur nobis occasio exercendi nos in virtute. Sanè ingratus esset lapis rudis & scabrosus, qui priùs omnium conculcabatur pedibus, si pulchrè artificioséque exsculptus, ac transmutatus in statuam Salvatoris, ut in Altari adoretur, lamentaretur de sculptore, qui tam speciosam ei incidit figuram, totam à priori differentem. Quot, & quantos ex hoc fragili luto compositos evexit, & sublimavit tentationis scalprum ad eminentes sanctitatis gradus? Ergo qui recusat, & renuit tentationem, recusat quoque, & non curat esse Sanctus, inquit S. P. *Augustinus.*

15. Hinc idem S. *Doctor* omnem nostrum in virtutum studio profectum adscribit tentationibus, dum ait idem sup. Psal. 60. *Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione, quia profectus noster fit per tentationem, nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus: nec potest coronari, nisi vicerit; nec vincere, nisi certaverit; nec poterit certare, nisi inimicum, & tentationes habuerit.* Hoc non obiter contemplabatur S. *Ephrem* (teste S. *Climaco* in scala Paradisi gradu 29.) & vel ideo, dum in summa animi malacia ac tranquillitate constitutus esset, Deo supplicavit, ut sibi pugnas tentationum pridem pugnatas instauraret, neque materiam meriti ac triumphi denegaret. De alio Asceta memorat *Rodriquez* part. 2. tract. 4. cap. 8. quod Abbatem Pastorem conveniens, dixerit: Pater, ecce, jam tandem pugnas mihi Deus abstulit, optatissimáque pace commutavit. Cui Abbas, ocyus, inquit, ad Dominum redi, pugnásque tibi, ut restituat, ne socors fias, ora. Abiit frater ad Dominum, qui & imperium Senis approbavit, & fratrem pristinis tentationibus subjecit.

16. *Divi Chrysostomi* sententia est, quòd hoc generosæ ac Deum amantis animæ signum sit, afflictiones & adversitates ferre. Cæterùm generosè tolerare tentationem, atque insuper ei gratias agere, qui se tentari permittit, id demum summa fortitudinis meritò videri potest, animæque vigilantis, & quæ omnibus humanis affectibus sit superior. Ex quo S. *Doctoris* effato sat liquet perfectius fore, Deum in actuali tentationum gravamine, non ut pugnam auferat, sed ut robur virésque cum hoste strenuè dimicandi, suppeditet, rogare. Sic devotam Christi Sponsam *Saram Abbatissam* fecisse, refertur in *Vitis Patrum* lib. 5. libell. 5. num. 10. quæ etsi 13. annis à fornicationis spiritu graviter impugnata fuerit, nunquam tamen oravit, ut recederet ab ea hujusmodi pugna, sed hoc solùm dicebat: *Da mihi fortitudinem DEUS.* De alio Asceta memorat *Sanctus Dorotheus* doctr. 13. quod graviter à spiritu fornicationis impugnatus sit; cúmque à spirituali suo Patre & Magistro interrogatus fuisset, an

an luctam hanc à Deo per preces amoveri optaret? respondit: Equidem laboro, Pater, ut vides, conflictórque haud modicè, sentio tamen hoc lucri mihi accidere, quod sæpius ad Deum per orationem, mortificationémque recurro. Quare Deum potiùs oro, ut mihi patientiam & constantiam largiatur, ut incruentam ex hac tentatione victoriam reportem. Recreatus hoc responso senex, nunc demum cognosco, inquit, fili mi, quantas in via virtutis progressiones facias; nam dum quis infesto cuipiam vitio strenuè it obviam, manet humilis, solicitus, anxius; his angustiis laboribúsque sensim ad consummatam animi puritatem pertingit.

17. *Siracides* interrogat; *Qui non est tentatus, quid scit?* subjungit *Ecclesf.* 34. 9. *Vir in multis expertus, cogitabit multa.* Et paulò pòst rursum, addit: *Qui tentatus non est, qualia scit?* Quis Heroicam virtutem unius *Job* admiratus esset, nisi à toto inferno impugnatus & infestatus fuisset? Quis agnovisset magnum illum virum *S. Antonium*, nisi tentationibus generoso ac heroico animo superatis, Deus in annalibus æternitatis gloriosissimum ipsum reddidisset cunctis sæculis? *Virtus languet* (verba sunt S. *Laurentii Justiniani* de casto connub. cap. 6.) *nisi exerceatur, lacessita autem crescit.* Ignis tantò magis ardet, quantò magis ab impetuoso agitatur vento; ad eundem modum eo magis proficit, & crescit amor Dei & virtus, quo vehementiores sunt venti tentationum infernalium. Quid fuisset *Alexander Magnus*, nisi tot, tantósque habuisset hostes subjugandos? Qua ratione nomen, ac heroicam fortitudinem suam celebrem fecisset, si in aula sua regia otio ac negligentiæ deditus fuisset? *Marcet sine adversario virtus*, ait *Seneca* lib. de provid. cap. 1. *tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, polleatque, dum quid possit, patientia ostendit.* Et S. *Gregorius Magnus* lib. 23. moral. cap. 18. *Nemo*, inquit, *vires suas in pace cognoscit; si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt; improvidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. Nemo scit, quantum profecerit, nisi inter adversa, cùm enim adsunt prospera, cerni virium documenta non possunt. Feriamur paternis perturbationibus, ut, quantum proficimus, agnoscamus.*

18. Denique sicut *S. Cunegundis Henrico* conjugi suo virginitatem suam, dum per prunas ardentes illæsa transivit, probavit; ita etiam anima, si per prunas tentationum illæsa transeat, manifestè demonstrabit, se nulli alteri creaturæ, præterquam Sponso suo Christo, per amorem adhæsisse. Quapropter variis tentationibus obvallatus lætitiâ potiùs, quàm tristitiâ affici deberet, partim quia nil jucundiùs amanti Deum, quàm cùm amorem suum monstrare possit; partim etiam, quia (teste *S. Climaco*) nullum certius argumentum est, dæmones victos esse à nobis, quam si nos acerrimè impugnant. Quod præterea nos ad cum hoste viriliter confligendum animare debet, est corona certanti ac vincenti promissa; hæc autem juxta tentationum gravitatem ac numerum crescit, & multiplicatur; tot enim triumphi erunt, quot certamina præcesserunt.

19. Pulcherrimus casus ad hoc propositum in *Vitis Patrum* recensetur: In Thebaide Sanctus quidam senex speluncam incolebat, habebátque discipulum, quem noctu modum Deo serviendi, & in spiritu proficiendi edo-

cere solebat, peractâ deinde oratione cubitum mittere. Accidit fortè; quod Religiosi nonnulli, Senem invisuri, advenerint, ejus sanctitatis famâ permoti; ille cùm prolixiùs cum ipsis conversatus esset, tandem solatio perfusos dimisit. Inde pro more instruxit discipulum, & inter instruendum contigit, ut somno occuparetur. Præstolabatur adolescens, usque dum Magister expergefieret, & peractis precibus, ut solitus erat, benedictionem impertiret. Prosequebatur ille nihilominus somnum, hic vero stimulum sentiebat abeundi, & quietem pariter capiendi, vim tamen sibi inferebat, & persistebat. Sed ecce graviter somno molestatus, nec minùs suis cogitationibus hoc secum evolvebat: Quid hic ago? Magister profundè stertit, &, ut conjicere licet, per multas adhuc horas somnum protrahet. Cur ergo & ego non cubitum eo? jam pedes titubant, caput jam vacillat, labant genua. Eheu! quantus cruciatus? Restitit tamen non unâ aut alterâ, sed septimâ vice. Interim jam media nox elapsa erat, & denique Anachoreta expergefactus est. Hic discipulum videt, & benè, inquit, quid hic agis? Pater, hinc non abii, quia non me dimisisti, nec benedictionem largitus es. Sed cur non me excitasti? quia ausus non fui, respondit adolescens, nec somnum tuum turbare volui. Recitarunt itaque ambo matutinas preces, quibus absolutis abeundi facultatem discipulo dedit, benedixit, & cubitum misit. Pergit Juvenis; & ecce Anachoreta mentis excessu raptus, locum conspexit gloriâ perfusum, ibi sedem, & in sede coronas septem positas. Petiit, cujusnam essent? qui ostenderat, respondit: Discipuli tui. Locum quem vides, & sedem Deus ipsi ob vitæ integritatem dedit, sed has coronas quarum septem intueris, hâc nocte promeruit. Resolutâ ecstasi senex totus attonitus discipulum adesse jubet, interrogátque, quodnam sibi hac nocte negotium fuerit? Ignosce Pater, respondebat discipulus, non memini aliquid boni me præstitisse. Magister, quæso, quid egisti, aut quid cogitasti? Et ille, Pater nescio, quod ultra referam nisi hoc, quod te dormiente septies tentatus fuerim, ut discederem, & cubitum me reciperem, quia vero pro more à te dimissus non fui, permanere volui. Cùm Sanctus hoc intellexisset, statim agnovit, quia quoties restitit cogitationi suæ, toties coronabatur à Deo, ut discamus, quia pro pravis cogitationibus, quibus repugnamus, Deus nobis coronam tribuit. Conficiamus jam argumentum à minori ad majus: Qui non unâ sed cunctis totius vitæ suæ noctibus resistit inordinatis concupiscentiis, quibus posset laxare habenas, & præter actus internos, quibus se opponit spiritui fornicationis, adhibet quoque jejunia, cilicia, disciplinas, orationes, quot non ille lucrabitur, & reportabit coronas?

20. Verum enim vero, cùm virtus semper in medio posita sit; ideo benè oportet etiam scire, quod quamvis plurima secum adferant emolumenta tentationes, ut dictum est, nihilominus tamen has, carnales præcipuè, omni modo fugere & declinare debemus, serióque nobis cavendum est, ne quæramus tentationes, ne fortè Leonis infernalis, qui teste *S. Petro*, ubique circuit, quærens quem devoret, fauces incurramus, sed tentanti & infestanti solùm resistere oportet. Salvator noster

ivit in desertum, non provocaturus dæmonem, sed ex impulsu Spiritûs Sancti, *ductus in desertum à spiritu*; ubi subdit *Theophilactus*: Ducitur à spiritu, nihil enim sine spiritu fecit. Consilium est S. *Thomæ de Villanova* Conc. 2. in Dom. 1. Quadr. *Non est à nobis optanda aut procuranda tentatio. CHRISTUS JESUS, quia Filius DEI erat, & peccare non poterat, per Spiritum Sanctum se obtulit tentatori, nobis caducis & fragilibus alia ratio est; satis est, si viriliter perferamus.* Hujus quoque opinionis est S. *Climacus*, dicens: *Neque detrectanda sunt certamina, neque temerè ad illa prosiliendum; ita enim & victoria nobis illustrior erit, & victi dæmonis ignominia majori risu digna, cùm compulsi & protracti ad pugnam generosè in illa constiterimus.* Ita *Climacus* Grad. 26. Hoc idem monitum etiam dat Os aureum S. *Chrysost.* hom. 67. ad popul. Precemini, inquit, Deum, ne intretis in tentationem, inducti generosè feramus; Nam illud quidem est modestorum virorum se periculis non ingerere: hoc autem generosorum atque sapientum. Nec itaque nos geramus temerariè, audacis enim est, ita ille. Quod S. *Antonius* aliique eminentis sanctitatis, magnæque experientiæ viri ad pugnam provocaverint dæmonem, exempla sunt potiùs miranda, quam imitanda, nisi ab hominibus eminentis & probatæ perfectionis & virtutis. Quamobrem in certamine contra carnis vitium capessere fugam, quantum possumus, debemus, sic enim de victoria obtinenda, & de Dei assistentia securiores erimus. Hinc *Apostolus* monet: 1. Cor. 6. 18. *Fugite fornicationem.* Quod Apostoli consilium, seu ut melius dicamus, præceptum S. *Anselmus* considerans, ad nostram instructionem ita scribit: *Cum aliis vitiis potest exspectari conflictus, hæc fugienda est, quia aliter melius vinci non potest.* Nec est, quod quis hanc fugam ignaviæ, aut effæminato & imbelli animo attribuat, quia sola hæc fuga honorifica est & gloriosa, siquidem per hanc homo infernum vincit & seipsum. Unde *Psalmista* ait: Ps. 59. 6. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcûs.* Ubi *Flaminius Nobilis*, & alii legunt: *Dedisti metuentibus te signum, vexillum ad extollendum*, quasi *Psalmista* diceret: Tunc in hoc carnis prælio victoriosa eriguntur vexilla, quando quis in periculis lasciviæ positus, prælium declinando fugit, & ideo ubi vulgata nostra legit: *Ut fugiant à facie arcûs*, legunt alii: *à facie dæmonum, mundi & carnis.*

# PARS QUARTA.

## Quamvìs dæmon suis tentationibus intendat nostram ruinam, Deus tamen ex his elicit nostram Salutem, si ei resistimus.

21. NEmo dubitare potest, quin dæmon semper inhiet suis tentamentis perditioni nostræ, & quomodò nos in suam nassam pertrahat; Deus tamen, qui novit ex malo elicere bonum, Diaboli malitiâ utitur ad salutem

tem noſtram aſſecurandam; proinde non incongruè cacodæmon alter quodammodo Angelus Cuſtos nuncupari poteſt. Etenim bonum hominis duobus modis curatur à divina Providentia, directè & indirectè. *Directè*, dum homo ad operandum bonum inducitur, & à malo retrahitur, hoc fit mediantibus Angelis bonis. *Indirectè*, quando homo exercitatur & impugnatur adverſariorum moleſtiis. Et hinc eſt, quod dæmonem Deus permittat tentare hominem, ut indirectè Angelum hominis cuſtodem agat, dum eum ſuis impugnationibus ad cælum evehit. Quando diabolus ſervos Dei tentat (eſt ſententia *S. Bernardi* ſerm. 67. de modo bene vivendi) eorum utilitatibus ſervit, cùm eos per tentationes ſuas non decipit, ſed erudit; ſæpè tentationes, quas diabolus commovet ad interitum hominum, Deus convertit eas ad profectum animarum. *S. Petrus Damiani* Epiſt. 119. ad hujus rei declarationem exemplum aſtruit valde aptum. Chirurgus ſanguiſugam infirmo applicat; & quamvis uterque ſanguinem elicere intendat, nihilominus finem longè diverſum ambo habent. Illa ſiquidem nihil aliud geſtit, niſi ut feriat, & ſanguinem ſugat; iſte ad hoc tendit, ut languidus convaleſcat: illa ſatiatur, & moritur, ægrotus autem dum perdit ſanguinem, recuperat ſanitatem. Venit dæmon, ut tentet, & tota ejus cogitatio in damnum & interitum noſtrum tendit. Sed Deus, qui novit ordinare diabolicam malitiam, & eâ ad utilitatem noſtram uti, eam permittit, ut inde proficiamus, & ſalus noſtra foveatur. Dæmon malum nobis ſuggerendo ſibi ipſi cruciatus auget, Chriſtianus autem tentatus merita cumulat, & ſalutem obtinet. Ad oculum id videre licet in *Sancto Jobo*: Permittit Dominus Deus invido ſpiritui, ut pro arbitrio ſuo *Jobum* affligat, & omnibus, quibus poteſt, modis tentet. *Ecce in manu tua eſt. Job.* 2. Sed cum conditione, quænam eſt hæc conditio? *Veruntamen animam ejus ſerva. Abbas Serenus* apud *Caſſianum* collat. 7. cap. 12. legit; *Tantum animam ejus cuſtodi.*

22. Præſentata aliquando fuit S. *Hilarioni* puella quædam ab infernali obſeſſa ſpiritu. Quæſivit Sanctus: Quare auſus es ingredi puellam Dei puram & caſtam? Reſpondit dæmon; ut ſervarem eam Virginem. Ecce ineffabilem DEI bonitatem, dum nos à dæmone tentari & vexari permittit; quis talia audiens in tentationibus conſtitutus non roboretur, animetur, Deoque ſummas, ut par eſt, referat grates, in immenſam Dei clementiam confidens, tentationes haſce in animæ ſuæ emolumentum ceſſuras. Quid amplius? Dixiſſe fertur dæmon S. *Pachomio*, ſe multoties deſiſtere à tentatione, nec ipſum, nec Monachos ſuos infeſtare, videre enim ſe tentationibus ſuis nimiam ipſis afferre utilitatem & profectum. *Si vobiſcum pugnavero, non parva vobis utilitatum commoda miniſtrabo.* Quid nunc de divina Providentia ſentis? nonne egregiè, & ad ſtuporem ex tentationum permiſſione effulget?

23. Ad arma, ad arma, igitur chariſſimi fratres, non enim Chriſtus venit in mundum, ut ipſe teſtatur, *mittere pacem, ſed gladium*, ut eo, egregiè cum hoſte confligentes, eum proſternamus, & tanquam glorioſi triumphatores cæleſtis aulæ capitolium victorioſè ingredi, æternúmque de obtenta certaminis laureâ gaudere mereamur. Regiſtra-

gistratur in Libro *Genesi* 32. 24. mirabilis Patriarchæ *Jacob* cum Angelo lucta. *Et ecce vir luctabatur cum eo usque manè.* Quâ finitâ, & viriliter ex parte Jacob peractâ, ei benedictionem est impertitus, noménque illius commutavit, dicens: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël,* quod interpretatur, *videns Deum.* Verùm cur ante luctam Patriarchæ hoc non præstitit beneficium? Profectò non nisi ut cunctis fidelibus indicaret, neminem æternam benedictionem adepturum, nec beatificâ visione fruiturum, quàm post luctam, legitimúmque in hac vita certamen. *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* 2. *Tim.* 2. 5. Hoc itaque motivum nobis novas quoque suppeditare vires deberet ad strenuè cum hoste confligendum. Si enim nihil jucundiùs generoso militi accidere possit, quàm si frequenter cum hoste congredi, magnúmque sibi nomen, obtentâ victoriâ comparare liceat; quantò magis Christi miles exultare deberet, dum ei offertur occasio suis cum hostibus sæpe certandi, ineffabilémque inde sibi gloriam comparandi? *Vincenti dabo Manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Apocal.* 2. 17. Nam si hostes corporeos, & nondum admodum fortes, vincere in hoc mundo tam gloriosum videtur; quanta gloria dignitásque obtinebitur per victoriam de hostibus invisibilibus, & quidem tantis obtentam? An non igitur quisque dicat meliori jure cum *Azaria & Josepho*: *Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus gentes, quæ in circuitu nostro sunt.* 1. *Mach.* 5. 57.

24. Etsi porrò, teste *Cassiodoro*, bellum sit grave, quia occultum, quia cum fortiore, quia hostis insidiæ non videntur, adversarius nec labore deficit, nec victus aliquando discedit; paratum tamen à Deo copiosum auxilium est, *qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*, inquit S. *Paulus* 1. Cor. 10. 13. *sed faciet etiam cum tentatione proventum*, (id est gratiam copiosam dabit) *ut possitis sustinere.* Syriæ Rex, ut refertur in sacra Regum historia, *Elisæo Prophetæ* vel maximè iratus, eum ubique perquirit, audit fugisse in Dathan, statim milites expedit cum reliquo exercitûs nervo, ut nocturno tempore urbem cingant, & Prophetam illum, aut vivum aut mortuum tradant. Egreditur altero die summo manè Elisæi servus, videt urbem equis, curribus, pedibus circumdatam: citatis passibus revertitur tristia nova Prophetæ laturus *Heu, heu Domine mi! quid faciemus.* 4. *Reg.* 6. 15. Heu miseros nos! de nobis actum est, hostes nos undique cinxerunt. Cui *Elisæus*, *noli*, inquit, *timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Mirus videbatur ministro hic sermo; at *Elisæus* iterum preces fundit, Deúmque rogat, ut discipuli oculos aperire dignetur. Obtinet Propheta gratiam, videt discipulus totum montem equis, & ignitis curribus obsitum, qui undique Elisæum circumdabant, eum ab exercitu Syriæ Regis defensuri. Qui erant isti? Angeli paradisi, militia cælestis ad fidelis servi præsidium & auxilium à Deo missa. Hoc ipsum evenit, quemadmodum Angelicus Doctor S. *Thomas* docet, in conflictu spirituali; multi sunt dæmones aggressores, sed absque comparatione plures Angeli advolant defensores, junguntur nobis exercitus cælestes, unde haud difficile est hostes prosternere.

25. *Ruffinus Aquil.* apud *Heribertum Rosvveid.* scribit, Moysen Abbatem cùm in cellula sua ab immundo spiritu graviſſimè aliquando tentatus eſſet, ne diem amitteret, nova quæsiviſſe subsidia. Acceſſit Abbatem Iſidorum, eique ſic locutum narrat *Ruffinus*: Pater, malè mecum agitur, conſilio & ope indigeo. Totus infernus ſuas vires laxavit, ut me proſternat. Bone Deus, tam graves ſunt inſultus, tam graves pugnæ, tam violentæ tentationes, quas patior, ut quomodo me ultra defendam, aut quid ultra agere debeam, planè ignorem. Conabatur eum ſolari ſanctus vir adductis variis Scripturæ teſtimoniis; inde cellam ſuam repeteret, hortatus eſt. Sed timebat adhuc Moyſes, nec ad ſuam cellam ut rediret, perſuaderi potuit. Tunc *Iſidorus* eum ad altiorem tugurii ſui contignationem duxit, eíque ſic locutus eſt: Occidentem reſpice. Figit oculos, & ecce ingentem dæmonum multitudinem conſpicit, furore & rabie plenam, fremebant omnes, unus alterum incitabat, omnes ad bellum parati erant, & ad pugnam properabant. Pòſt *Iſidorus*: Ad Orientem nunc te convertas. Intendit oculorum aciem, & innumeram multitudinem videt Sanctorum Angelorum, cernítque exercitum ex Cæleſtibus Virtutibus compoſitum, ingenti perfuſum lumine, & luce ſua ſolis ſplendorem longè ſuperantem. Vidiſti? inquiebat *Iſidorus*. Illi quos in Occidente vidiſti, ſunt adverſarii, & Sanctorum impugnatores; Illi quos in Oriente conſpexiſti, ſunt cæleſtes militiæ, miſſæ è Deo ad defendendum eos, qui ipſi ſerviunt. Cognoſce ergo, quia plures ſunt nobiſcum, ſicut dicit *Eliſeus Propheta*. Verum etiam S. *Joannes* dicit: *Major eſt, qui in vobis eſt, quam qui in mundo.* 1. Joan. 4. 4. *Moyſes* hiſce totus animatus, ad ſuam reverſus eſt cellulam, gratias egit, & ſummam Domini noſtri JESU Chriſti bonitatem debitis laudibus celebravit.

26. Verum enim vero, quod nos hac in parte magis animare, & in aſſumpto cum dæmone conflictu roborare deberet, eſt, quod quamvis hic ante adventum Chriſti ſummâ pollebat fortitudine, & fermè totum mundum ſuo dominio ſubjugabat; nunc tamen, poſtquam Filius Dei ad hominem redimendum in mundum advenit, eum ſuâ privavit poteſtate, nulláſque ei vires ad nocendum reliquas reliquit. *Nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras.* Bellè huc quadrat, quod S. *Antonio* accidiſſe fertur. Audierat aliquando hoſtem mortalium ad Monaſterii fores ſtentoreis vocibus horrendè vociferari, quibus clamoribus S. *Abbas* excitus prodiit viſum, quisnam ita clamaret, viditque monſtrum hominis, virum giganteâ mole terribilem, aſpectu fœdum & atrum; hunc vir Sanctus cùm percontatus eſſet, audiit: Ego diabolus ſum, & ſcire pervelim, cur non Monachi tantùm, ſed omnes omnino Chriſtiani maledicant mihi? Nam quoties eis præter animi ſententiam aliquid evenit, mox exclamant: *Maledictus eſt Diabolus.* Cui Vir Sanctus, non immeritò, inquit, maledicunt mortales tibi, quod omnes ad peccatum ſolicites. Ad hæc Satan: Ego vero, inquit, culpâ vaco, cur innocuus reus agor? Ipſimet mortales ſibi nocent, dum nullas non anſas peccandi veſtigant. Nemo læditur, niſi à ſeipſo, cùm Chriſtus omni poteſtate mea me privârit, & me totum exinaniverit. Alìàs etiam à S. *Pachomio* interrogatus, quare nunc non poſſet adverſus Dei famulos

prævalere? respondit: Ex quo mirabilis Incarnatio Christi facta est in terris, nos sine viribus prorsus existere cœpimus, ita ut ab his, qui credunt in nomine ejus, illudamur ut passeres.

27. Dices: Si hæc, quæ memoravimus, vera sunt, cur ergo tot à tentationibus victi, miserrimè se diaboli jugo mancipant? Respondet S. P. *Augustinus* serm. 197. de temp. dum eandem sibi objectionem proponens dicit: Dicit aliquis, si alligatus est diabolus, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, fratres charissimi, quia multum prævalet, sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se ipsi mortiferâ securitate conjunxerit. Jam videte fratres, quam stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates sæculi noli conjungere, & ille ad te non præsumit accedere: latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem; non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Hactenus gloriosus Doctor. Hinc Divinus Spiritus per Os *Sapientis* dicit: *Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & liberabit à malis.* Quamobrem quisquis in prælio fortiter stare discupit, cordi suo Dei timorem pariter & amorem inferat, oportet; his enim duobus velut inexpugnabilibus muris obvallatus, nullum profectò patietur damnum à suis hostibus, tametsi undique circumeuntes quærant, quem devorent.

# PARS QUINTA.

## Differitur de technis & fraudibus dæmonis in Angelum lucis se transfigurantis.

28. INfernalis ac venenosus serpens, qui primò intuitu terribilis est, ac non nisi in damnum nostrum merum evomit & spirat toxicum, novit quoque in resplendentem se transformare Angelum 2. *Cor.* 11. 14. *Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Quando animas, serpentis instar, inficere & damnificare nequit, figuram mutat, & Angeli induit faciem, ut vafritie & astutia sua illas lucretur. Observetur Apostolum de hoc monstro primò dicere: *Satanas*, deinde, *Angelum lucis*; quia ubi nihil ferocitate sua efficere potest, ibi adhibere studet meras astutias, fraudes & dolos. S. *Laurentius Justinianus* de hoc serpente scribit: Quemadmodum si quis stellas cæli, aut pluviæ guttas, seu arenam maris dinumerare voluerit, casso consumitur labore; ita & quicunque varias dæmonum fraudes ad plenum referare conatus fuerit, supervacuè desudabit, nempe ipsorum venenata malitia inscrutabilis est, & prorsus ignota mortalibus: Ita Sanctus & primus Venetorum Patriarcha de Monastica Conversatione cap. 12. Nam quem dejicere non valet pravis suggestionibus, hunc subruere adlaborat sancta ei suggerendo, putà abstinentiam, cilicium, corporis macerationem &c. Ast horum operum labore bonum non intendit, sed malum,

malum, quod inde indirectè consurgere potest; ut nimirum quis debilitetur, corporis sanitas enervetur, & ad alia devotionis opera, quæ majoris sunt momenti & emolumenti, inhabilis reddatur.

29. In historiis *Societatis JESU* lib. 15. num. 14. legere est de quodam Magistro, qui cum humanioribus literis insudaret, dæmon ei in specie S. *Pauli* apparuit, hortatúsque est, ut relicto vano illo literarum studio, suas potius Epistolas pervolveret. Ratus Magister hanc vocem S. Pauli esse, protinus Tullium abjicit, S. Pauli Epistolas arripit, eásque, cùm diu legeret Superioribus omnino inscìis, eò tandem progressus est, ut Societate exierit infelici prorsus eventu. Nimirum imitari conatur aliquos fures, qui holosericis vestibus induti incedunt, ut omnem furti suspicionem amoveant, facilémque ad homines accessum habeant: Sic etiam versutissimus hostis omnem mentitur humanitatem ac pietatem, ut faciliùs admittatur ad hominem, & decipiat. Sic circumventus est quidam Juvenis, qui sex annis sanctè in eremo vixerat, cui dæmon in schemate Anachoretæ cujusdam apparens suasit persuasítque, ut secum ad propius abjunctam iret Ecclesiam, perceptum nempe SS. Eucharistiæ epulum. Quid sanctius hoc consilio? nihilominus fuit huic solitario primordialis occasio suæ ruinæ. Nam licèt agnovisset consilium fuisse diabolicum, tamen vanæ gloriæ motu in semetipso agitari cœpit, eò quod per illum ad nihil mali patrandum inductus fuisset, quin potiùs ad bonum invitasset, ac proinde mirè in eo sibi complacuit. Quia vero fraudulentus inimicus videbat, quod per hoc Monachi lucratus fuisset consensum, progressus est ulteriùs suggerendo illi, quod propter mortem Patris, & relictas ab eo multas facultates, inter pauperes dispertiendas, necessum esset, ut hujus boni operis exequendi causâ ad domum se paternam reciperet, cellæque suæ tantisper valediceret, cui etiam consilio protinus acquievit: Ad quam cùm iret, nunquam rediit ad cellam, & mortuus est in peccato; uti infra serm. 55. num. 13. fusiùs habetur.

30. Enim vero, Sicut novacula apprimè exacuta ita comam abscindit, ut, qui raditur, nihil sentiat; sic etiam diabolus, quâ est calliditate atque versutiâ, dolos ita machinatur, ut animæ gratiam, hoc est virtutem & scientiam detondeat, ut ea sibi hæc ornamenta detrahi non sentiat. Siquidem tanta est ejus versutia, ut homines perfectiores moveat, ut magnis passibus tendant ad perfectionem, & vitæ sanctitatem, ac incessanter excessiváque austeritate affligant sua corpora. At in quem finem? ut nimirum præcipitentur, & prolabantur in vanam gloriam & præsumptionem. Sic circumvenit hic stygius tenebrio, in Angelum lucis transfiguratus, *Heronem* Monachum, qui postquam annos 40. vitam in deserto austerissimam traduxisset, tandem post tantos labores ab insidiatore delusus gravissimo lapsu corruens, cunctos in eremo constitutos luctuoso dolore percussit. Dæmon vultum Angelicum præseferens eidem apparuit, atque semetipsum in puteum præcipitem agere jussit, utpote, qui magnum, ut ajebat, virtutis suæ meritum probaturus esset, cùm inde exiisset illæsus. Quem Monachi semivivum inde extraxerunt, in sua tamen obstinatione mortuus est, à dæmone delusus. Sic & alium Eremitam (ut refert S. *Cli-*

*macus* in ſcala Paradiſi gradu quarto) decepit, inducens eum ad ſanctiſſima quæque opera exercenda. Sed quo fine? ut nimirum poſtmodum ei perſuadere poſſet, ipſum jam eſſe ſanctum, nihilque aliud ei deeſſe quàm aureolam Martyrii, proinde ſuggeſſit ei, ut ſe de rupe præcipitem daret, perſuadens illi hoc pacto fore Martyrem, & mox cælos ingreſſurum. Quàm rectè proin ſcribit de dæmonis aſtutia S. *Gregorius* lib. 32. moral. cap. 17. inquiens: *Hoſtis noſtri malitia tantâ ſe parte palliat, ut plerùmque ante deceptæ mentis oculos, culpas virtutes fingat, & unde quiſque quaſi exſpectet præmia, inde dignus eſt æterna invenire tormenta.*

31. Profectò optimè Zizania inter triticum tam bono ordine ſeminare novit dæmon, ut unum ab alio vix diſcerni queat; unde S. *Laurent. Juſtinian.* de diſcipl. & perf. Monaſt. c. 12. ait: Viros perfectos ad ſpiritualia aſſuetos inter certamina callidè ſemper obſervat, illis námque in lucis Angelum transfigurat ſe, & vitia ſub virtutum ſpecie ſuadere continuò nititur. Nam ſub colore zeli furorem inſerit, ſub juſtitiæ imagine crudelitatem, ſub velamine charitatis carnalem affectionem, ſub prætextu honoris Dei privatam laudem, & ſub deſiderio ſalutis animarum, prælationis officium ſuadet, ut quæratur. Hæc ille. Ac proinde S. *Anſelmus* in citatum Apoſtoli textum monet, ut circumſpecti ſimus. *Cùm ſic ſeſe transfigurat, opus eſt*, inquit, *nobis dijudicare & dignoſcere, ne fallendo ad aliqua perniciosa deducat.*

32. B. *Petrus Damiani* l. 6. ep. 18. de quodam Monacho refert, qui in cella ſua aſſiduus exiſtens, quantum exterius apparebat, vir magnæ ſimplicitatis erat, nomine Martinus; hunc vix dies aliquis præteribat, quin dæmon illi vel appareret viſibiliter, vel illum nocturno tempore in ſomno audiret loquentem, qui unà cum ipſo Pſalterium, aliáſque preces recitabat: aliquando vero (inquit S. *Pater*) tenebrarum author ſe transfiguravit in Angelum lucis, eíque quaſi legem dictando mandavit: *Cave, quia Angelum Dei & aſpicere, & alloqui meruiſti, indignum eſt, ut de cætero cum hominibus loquaris.* Protinus ille tanquam mandatum divinitùs accepiſſet, à Fratrum ſe funditùs collocutione removit séque ſub rigida ſilentii cenſura conſtrinxit. Cúmque tam Abbas Monaſterii, quàm alius quidam Monachus, nomine Romanus, vehementer illum, ut loqueretur, urgeret, ipſe verò Abbati reſpondere pertinaciter abnueret. Hic portas cellæ ejus è cardinibus dejici imperans, obſtinatum hunc ſilentiarium virgis cædi juſſit, donec obſtinati & indiſcreti ſilentii ſui redderet rationem. Tandem vero, cùm nec hâc viâ quidquam ab illo obtinere potuiſſet, his eum verbis Abbas eſt allocutus: Idcirco antiquus adverſarius bonorum ſemper operum inimicus, ſilentium tibi tentavit imponere, ut & fructum fraternæ ædificationis amitteres, & illi, qui à te ſublevandi erant, tuæ conſolationis auxilium non haberent. Sic itaque frater, concludit S. *Petrus Damiani*: quia non ex malitia, ſed ex ſimplicitate peccaverat, ad mentem quantocius rediit, & contemptâ ſuggeſtione diaboli, admonitionibus pii Patris acquievit.

33. Ex quibus proinde liquet, quòd ſæpe verſutiſſimus dæmon nullum ponat obſtaculum, imò plurima promoveat devotionis exercitia, ut decipiat multas animas in ſervitio Dei, ad cauti inſtar venatoris (cui ſatis eſt, quod avi-

culam capiat ungue, etsi toto corpore libera extra laqueum volitet) sufficit ei, unicum duntaxat transgrediamur præceptum, novit etenim: *Qui in uno deficit, factus est omnium reus. Jacob. 2. 10.* Gigas *Goliath* nudam & discoopertam solùm gestabat frontem, & in hac percussit ipsum David, & prostravit. Prudens & providus Bellidux, quamvis noverit urbem esse munitissimam, exploratâ tamen parte ejus debiliori, minimum ei sufficit ostium, per quod ad urbem capiendam pateat aditus. *Pharisæus* frequens erat in templo, faciebat orationem, eleëmosynas, jejunia, à vitiis abstinebat, alienabat se à cursu mundi: *Luc. 18. 11. Non sum sicut cæteri hominum* &c. Nihilominus dæmon suum obtinuit intentum per viam præsumptionis & superbiæ, quâ despiciebat alios, & seipsum extollebat. *Quid prodest, si peccata quis luxuriæ defleat*, ait *Ven. Beda* cap. 15. Luc. *& tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelet? Aut quid prodest, si iræ culpas jam lugeat, tamen adhuc invidiæ facibus tabescat?* Omnibus & singulis notum est Axioma illud: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Virgines illæ, quæ à nuptiis rejectæ fuerunt, attestante Spiritu veritatis, virgines erant, & tamen dæmonis laqueis irretitæ sunt, in ejúsque cesserunt prædam; error earum fuit, quod non habuerint oleum in lampadibus. *Lampades nostræ extinguuntur.* Vas est cor, oleum est Spiritus veritatis, qui nutrit & conservat opera bona, & hic Spiritus ille est, qui operatur in anima contemptum & displicentiam sui ipsius, quod quis se abominabilem æstimet coram Deo. Quando igitur existimamus nos esse acceptos Deo, nostræque satisfacere vocationi & obligationi, scire oportet astutiam esse hujus serpentis, tunc enim in priori statu constituti sumus, propria námque existimatio illa & præsumptio totum illud dissipabit meritum, quod aliàs anima nostra lucraretur per sua bona opera.

# PARS SEXTA.

## De remediis, quibus tentationibus resistere, eásque evincere & superare possimus.

34. QUemadmodum miles pacis tempore in sciamachiis sese exercere solet pugnis umbratilibus, quo nempe ad regendum gladium sensim manum assuefaciat, artémque addiscat, quâ pòst utatur, cùm seriò pugnandum sit; Ita pariter spiritualis Christi miles, sub sanctæ Crucis labaro militans, pacis tempore varia stratagemata excogitare debet, quanam ex parte hostem aggredi oporteat, quibus mediis uti, quò certaminis lauream reportare valeat, pro quo servient documenta sequentia. Primum remedium ad expugnandum nostrum inimicum est, quod nobis suggerit *S. Jac. c. 4.* dicens: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Oportet ergo resistere, & quidem statim sub initium suggestiones diabolicæ sunt repellendæ, priusquam figant pedem. *Nolite locum dare diabolo. Ephes. 4. 27.* Quia, ut bene monet pius *Author* libelli de imitatione Christi; *Facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus introire sinitur, sed extra*

limen

*limen statim, ut pulsaverit, illi obviatur.* Hinc cùm S. *Pachomius* dæmoni apparenti exprobraret, quod homines, à quibus læsus non sit, diu noctúque improbissimè infestet; respondit ille: Nos ad fores pulsamus, dare aditum, aut negare penes vos est: Si aperitis, mox intrò ruimus, & imaginationem occupamus, unde facillimum nobis est, cæcam voluntatem, totúmque hominem expugnare. Quod si resistitis, & mox initiò prohibetis ingressum, & ea, quæ à nobis suggeruntur, non solum non suscipitis, verùm nec libenter attenditis, sicut fumus dissipatur in aëre, sic à vobis pellimur, & fugamur.

35. Oportet ergo tentationibus callidè se insinuantibus aurem minimè præbere, sed has velut rem nullius momenti contemnere & vilipendere. Quemadmodum enim canis ex domo prosiliens, & pertranseuntes allatrans, si ab iisdem saxis petitur, magis furere, latrare, & post viatores cursitare solet; si vero ad furentem canem non attendunt, sed viam suam pergunt, confestim canis à latratibus cessans in domum redibit. Pari modo contingere solet in tentationum conflictu constitutis; si enim has contemnunt, facilè illas superabunt, si vero his intendunt, causam inquiunt, ac nimium formidant, easdem magis magisque semper augebunt, séque non mediocri labendi periculo exponent. Quod probatur *Veterum Patrum* paradigmate. *Smaragdus Abbas* apud *Rodriquez* p. 2. tr. 4. c. 9. narrat, aliquando vidisse Religiosum quempiam duos dæmones inter se fabulantes, quorum alter; Hem, ait, ut tibi successit cum tuo Monacho? Ex sententia, respondit alter; nam quidquid ipsi suggero, arripit, & cogitando fovet, & dum postea relegit, & ortum & occasionem, progressum, morámque inquirit, misero cerebrum perturbo, & ad insaniam propè redigo; At ego inquit alter, cum meo Monacho admodum nihil promoveo, quia quamprimum ipsi cogitationem pravam injicio, mox ad Deum, aut aliam cogitationem recurrit, unde nullus mihi ad eum accessus patet. Non immerito ergo canit *Ovidius* De remedio amoris:

*Principiis obsta, serò medicina paratur.*
*Quum mala per longas invaluêre moras.*

36. Quamobrem si quando te aggreditur Satanas tentationem ingerens, ut cor tuum per peccatum introire possit, tu noli multum cum illo disceptare, sed tantum responde illud Christi: *Matth.* 4. 10. *Vade satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Sic ejus dissipabis suggestiones. Mulier fidelis viro suo, si epistolas aliquas recipiat ab adultero eam solicitante, statim ac illas recipit, & advertit ejus nefandum desiderium non immoratur his literis, imò nec perlegit, nec servat eas, sed igni tradit, ut omnem à se infidelitatis cogitationem, vel occasionem statim propellat. Sic anima, quæ Deo fidelis est, dum à dæmone ad peccatum & spirituale adulterium, tentationibus multis, quasi quibusdam literis solicitatur, nihil debet immorari, sed statim succensere nefandæ suggestioni, illámque amoris fidelis igne succendere, nisi infidelitatis suspicionem aut periculum incurrere velit.

37. Alterum remedium est, meditatio Novissimorum, ut innuit *Sapiens: Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Quemadmodum ergo pro pueris, ut à lacte avellantur, solet ali-

quid

quid sinapis, vel absinthii admoveri uberibus, ita quoque ut carnis tentationibus obnoxius, ab uberibus voluptatis avellatur, cogitet amaritudinem futuram, vermésque carnem rodentes, imò conscientiæ vermem, statim ac peccârit, ipsum transfigentem. Cogitet illud *Job*: *Putredini dixi, Pater meus & Mater mea, & Soror mea vermibus.* Hoc stratagemate carnis insultum generosè vicit quidam Senex in Eremo Scytica commorans. Cùm enim hic venerabilis vir pulchritudine cujusdam mulieris graviter & diu tentaretur, & has immundas cogitationes penitùs abolere per mortis memoriam satageret; submisit ei divina Providentia hominem ex Ægypto, à quo didicit fæminam illam formâ præstantem fato concessisse. Quapropter tugurium suum Deo committit, & ad defunctæ fœminæ sepulchrum properat. Hic ille fædum Cupidinem triumphaturus, rem sic aggreditur. Noctu à tumulo saxum amolitur, terram egerit, & ad cadaver penetrat. Ubi seipsum affatus: En, inquit, thesaurum tuum, en tuas delitias; quin aufers rem tibi charissimam? Pars certè de hoc auro, quod effodisti, asportanda erit. Dixit, & fecit, partémque mortualis velaminis, sanie ac tabo fluentis, abstulit. Regressus in casam suam, benè olentem hanc prædam ante oculos suos posuit assiduè aspiciendam, séque tamdiu fætore hoc cruciavit, donec sordidas cogitationes ab animo extirparet. Ita habetur in *Vitis Patrum* lib. 5. libell. 5. num. 22.

38. Tertium adversus tentationes amuletum est, dum eas viris probis, & in spirituali militia expertis manifestamus. Nam, ut docet S. *Cyprianus*: *facilis est cura, ubi plaga perspicua est, & citò ad sanitatem medelâ subveniente perducitur vulnus, quod videtur.* Uti exemplo proprio didicit *Serapion Abbas*, qui, ut scribit *Cassianus* coll. 11. furtum, & gulæ peccatum Abbati coram aliis aperiens, dæmonem in specie lampadis accensæ è sinu egredientem videre meruit, & deinceps liber ab omni tentatione mansit. Item S. Juvenis, & gloriosus Christi Martyr *Astion* acrem pugnam cum dæmone habebat, quam quoad celavit Magistrum S. *Epictetum* (qui simul cum suo discipulo Astione Martyrii laureâ à Deo donatus est) frustra pugnavit: ut verò immunditiam cordis aperuit, quasi factâ portâ & viâ erupit inimicus de sinu tentati in forma nigri pueri cum ignea facula, vox ejus erat: *Confessio tua, Astion, magnas meas hodie vires confregit, & una oratio vestra me in omnibus inermem ac desolatum fecit.* Sed & alius quidam Senex, cùm Monachus quidam à cogitationibus immundis vehementer impetitus, ad eum pro confortatione recurrisset, respondit: Non concedas diabolo, nec relaxes animum tuum, sed magis quoties molestus est dæmon, veni ad me, & increpatus abscedet: Nihil enim sic extædiat dæmonem fornicationis, quomodo si revelentur stimulationes ejus; & nihil eum sic lætificat, quomodo si abscondantur cogitationes. Hâc piâ adhortatione frater ille animatus, semper ad Senem, quotiescunque molestabatur immundis tentationibus, accurrebat, eidem suas pandens cogitationes. Tandem dixit ad Senem: Abba Pater, exhibe mihi charitatem, & da mihi bonam doctrinam. Cui *Venerabilis Senecio* ait: Crede mihi, fili, si Deus cogitationes malas, quibus ego impugnor, tibi imponeret, earum onus non sufferres, sed miserè iisdem succumberes. Vix

hæc elocutus eſt, mox Deus intuitu hujus humilitatis actûs, à Sene exerciti, fratrem prædictum à carnalibus tentationibus liberavit. Unde patet, quantum Deo placeat vera ſui ipſius ſubmiſſio, quantúmque fructificet diabolicæ ſuggeſtionis humilis manifeſtatio apud Patrem ſuum ſpiritualem, & peritum animæ medicum.

39. Quartum antidotum contra diabolicæ tentationis virus eſt, quod nobis Cæleſtis Medicus Chriſtus præſcripſit in hæc verba *Matth. 26. 41. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Hinc *Joannes Avila* dicere ſolebat: *Tentatio ad te, tu verò ad Deum.* Quemadmodum pueruli perterrefacti ſtatim confugiunt ad ſinum Matris, ſic nos, cùm aliquâ tentatione pulſamur, per preces confugiamus ad Deum, inquit *S. Chryſoſtomus.* Quem in finem *Joannes Abbas*, teſte *Caſſiano*, Verſum *Deus in adjutorium* &c. ſingulariter commendat, quod ſcilicet hic verſus omnibus, infeſtatione dæmonum laborantibus, inexpugnabilis murus ſit, & impenetrabilis lorica, ac munitiſſimus clypeus. *Quemadmodum enim homo ſedens* (eſt ejuſdem S. *Abbatis* ſimilitudo) *ſub arbore grandi & reſpiciens feras diverſas, & ſerpentes venientes ad ſe, cùm non poſſit eis reſiſtere, ſubit in arborem & ſalvatur; Ita & Monachus ſedens in cella, & videns pravas cogitationes, confugit ad Deum per orationem, & ſalvabitur.* Hoc modo ſeipſum ſalvare ſtuduit inclytus Eccleſiæ Doctor, *S. Hieronymus*, qui ſuarum tentationum tempeſtatem, victoriámque inde relatam ad Euſtochium virginem ſcribens in hæc verba depingit: O Quoties ego ipſe in eremo conſtitutus & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum Monachis præſtat habitaculum, putabam me romanis intereſſe delitiis. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſit, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes aquâ frigidâ utantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit. Ille igitur, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuâ jam carne præmortuum ſola libidinum incendia bulliebant. Itáque omni auxilio deſtitutus, ad JESU jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inediâ ſubjugabam. Non depudeſco infidelitatis meæ, quin potiùs plango me non eſſe quod fuerim. Memini me clamantem diem crebro junxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas. Ipſam quoque cellulam meam, quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam. Solus deſerta penetrabam, & ubi concava vallium, aſpera montium, rupium corrupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum, & ut ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnunquam mihi videbar intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudénsque cantabam: *Poſt te in odorem unguentorum tuorum currimus.* Si autem hoc ſuſtinent illi, qui exeſo corpore ſolis cogitationibus oppugnantur, quid patitur, quæ delitiis fruitur? Hactenus S. *Hieron.* Qui

satis abundeque declarat, quantam cum sua carne luctam passus sit, quam rigidus fuerit in suummet corpus censor, quam duris illud modis habuerit, quo denique solatio sit inundatus, postquam victoriam ab hoste reportavit.

40. Verum enim vero, si omnibus prædictis remediis tentatio non pelleretur, sed etiamnum duraret, tunc tentatus summoperè cavere debet, ne propterea pusillanimis fiat, animóque concidat. Ut enim si nauta semel à timore occupatus est, ad navim regendam prorsus ineptus evadit; ita animus tentati, si timori cesserit, manifesto victoriæ amittendæ periculo se exponit. Hinc Magnus Anachoretarum Pater, S. *Antonius* suis extremum vale dicturus dicebat: Vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis, varias dæmonum hostis insidias: vidistis eorum impetus feroces & vires effæminatas. JESUM suspirate, & credulitatem Nominis ejus vestris figite mentibus, & à certa fide universi dæmones fugabuntur. Et paulò pòst subdit. Una est ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ semper cogitantis Dominum jugis recordatio. Quod ejusdem S. *Abbatis* exemplo comprobatur. Nam cùm aliquando diaboli varias bestiarum formas induti ipsum cingerent, & veluti jamjam laceraturi terrerent, impavidus magnáque lætitiâ gestiens ad eos dixit: Ah! ut vestra vis habet, quàm vestri dentes torpent, quam languet impetus? Certè si quid virium haberetis adversus me, unicus sufficeret, quid ergo opus apparatu tanto? En adsum, lacerate me, devorate me, si à Deo permissum est vobis, sin minus, frustra est rabies vestra.

41. Porrò, dici nequit, quantoperè talis animi alacritas stygium Tyrannum affligat, ejúsque vires enervet. S. *Teresia* in itin. perf. cap. 23. dicebat: Non habet dæmon potentiam ad generosas & resolutas animas tentandas, ab illis enim sibi imprimis metuit: Experientiâ quippe jam novit magnum sibi ab illis damnum accidere, & quidquid producit ac dirigit ad nocendum illis, hoc totum tam in ipsarum quàm aliarum commodum cedere, & se damnum referre. Quocirco si victricem palmam de nostris hostibus referre cupimus, fortitudinem, & spiritualem animi lætitiam conservemus necessum est. Siquidem, S. *Climaco* teste, inimici nostri intuentur animarum nostrarum vultus, & si illos viderint formidare, contrahi vel immutari, contra nos acerbiùs armantur; Intelligunt enim versutissimè timorem nostrum. Magno igitur adversus illos animo arma capiamus; contra eum enim, qui alacriter pugnat, nullus oppugnando prævalet. Sic *Climacus* in Scala Parad. grad. 1.

42. Denique sicut quæ ante tentationem, & quæ in illa, præstanda sunt, Religiosus scire debet; ita pariter aliqua notare & servare debet post tentationum conflictum, hæc autem tria sunt: nimirū, *Primò*, ut debitæ Deo pro obtenta victoria gratiæ ferventer persolvantur, dicendo cum S. *Davide*: Ps. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* *Secundò*, ut non putetur debellatum esse, si semel victoria obtenta est; nam ut sapienter advertit *Ven. Beda* sup. *Lucam*. Sæpe antiquus hostis, postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per quietem secura reddidit, repentè rediens, faciliùs inopinatè irrum-

pat. Huc etiam pertinet, ut non abjiciat animum, aut contristetur, si devictis gravioribus hostibus, advertat se adhuc à minoribus infestari. Nam ut sapienter discurrit S. *Gregorius* l. 4. moral. *Hoc divinâ dispensatione agitur, ne ex omni parte virtutibus splendens in elationem sublevetur, &, dum in se parvum quid reprehensibile videt, & tamen hoc subjugare non valet, nequaquam sibi, sed Authori victoriam tribuat in his, quæ subigere fortiter valet.* Ita S. *Gregorius* libro 4. moral.

Advertendum *Tertiò*, ut si quis in tentatione cecidisse ac succubuisse se advertat, animis non concidat, sed potiùs salubrem *Thomæ Kemp.* l. 3. c. 6. doctrinam ac consilium sequatur: *Certa tanquam miles bonus, & si interdum ex fragilitate corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia.* Permittit autem nonnunquam divina Sapientia etiam Electos in peccatum labi, ut hi ex propriis lapsibus in virtutum semita ambulare discant. Nam ut S. *Gregorius* apud *Rodriquez* p. 2. tr. 4. c. 7. docet. Sicut nutrix aut Mater filiolum pedes promovere edocens, aliquantulo subinde spatio à se removet, sed mox ad se retrahit, nec curat, licèt subide pusillus cadat, satiùs hoc esse judicans, quam si omnino ambulare non addiscat; Sic Deus, quasi Nutritius Ephraim, ad lapsus electorum suorum ex infirmitate contingentes connivet, ut securiùs meliúsque in via perfectionis progredi discant.

# SERMO XXXI.

## DE RESIGNATIONE IN DIVINAM VOLUNTATEM.

*Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta.* Rom. 12. vers. 2.

## PARS PRIMA.

Exercitium Resignationis omnibus aliis piis operibus palmam præripere ostenditur.

1. AD plenam hujus virtutis explanationem, opus foret Angelicâ potius quam humanâ linguâ, siquidem ad hanc sat deprædicandam omnium Oratorum encomia vix sufficerent. S. *Bernardus* vocat eam, *Humilitatis Summam.* Alius quidam Vir omnino eruditus & pius, apud *Taulerum* in fine serm. de Sanct. vocitat illam, *Virtutum Summarium, & omnis doctrinæ Breviarium.*

*rsarium.* *Alphonsus Madriliensis* cap. 1. & 2. fusè docet, hoc exercitium alia in tantum superare, quantum sol splendorem candelæ, & mare integrum unicam guttam excedit. *Venerab. Blosius* etiam de hoc ita scribit: Qui seipsum ùt hostiam vivam ad Dei gloriam offert ipsi Domino, ad perferendam pro acceptissima ejus voluntate patienter ex vero amore, omnem languoris acerbitatem; ipsam etiam mortem, & quidquid sibi Dominus in tempore & æternitate immittere voluerit. Hic si (inquam) sese ex pura dilectione cum perfecta sui resignatione ad omnem pœnam, pro honore divinæ Justitiæ tolerandam, animo spontaneo obtulerit, ipse neque infernum, neque purgatorium subibit, etiamsi solus omnia peccata totius mundi commisisset. Cui suffragatur *Joannes Gailer* Apostolicus suo ævo Prædicator; *Si te*, inquit, *quotidie ex integro divinæ voluntati ad omnes illius nutus promptum paratúmque offeras, veniam noxis obtines, tantúmque gratiæ mereris, ut possis non tantum inferorum rogos, sed & piaculares flammas non timere. Sincera hæc tui oblatio ad omnem Dei voluntatem exequendam, pœnitentiarum & indulgentiarum loco est.* Ita dictus *Author* de spirit. peregr. propriet. 7.

2. De hujus virtutis excellentia sic etiam *B. Suso* apud *Blosium* in concl. anim. §. 4. loquitur: Perfecta vita non in eo potissimum sita est, ut consolatione abundes, sed ut voluntatem tuam divinæ permittas ac resignes voluntati, tam in amaris quàm dulcibus. Nulla est perfectior & excellentior resignatio, quam in sui derelictione esse resignatum: neque est, quod quis admodum prægravetur, si parum experiatur spiritualis dulcedinis, cogitet potiùs eâ se indignum: vera in omnibus tam certis quàm incertis rebus resignatio sui in voluntatem DEI, hominem proculdubio extra casus & pericula omnia eripit, atque in omnibus vera eum pace gaudere facit. Ita *Suso*. Cui consonat Sanctus ille Vir *Thomas Kemp.* in persona Christi sic loquens: Non ergo existimes te veram pacem invenisse, si nullam senseris gravitatem: nec tunc totum esse bonum, si neminem pateris adversarium: nec hoc esse perfectum, si cuncta fiant secundùm tuum affectum. Neque tunc aliquid magni te reputes, aut spiritualiter dilectum existimes, si in magna fueris devotione atque dulcedine, quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis: nec in istis consistit profectus & perfectio hominis. In quo ergo Domine? In offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non quærendo quæ tua sunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate: Ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas, inter prospera & contraria, omnia æquâ lance pensando. Si fueris tam fortis & longanimis in spe, ut subtractâ interiori consolatione, etiam ad ampliora sustinenda cor tuum præparaveris, nec te justificaveris, quasi hæc, tantáque pati non deberes; sed me in omnibus dispositionibus justificaveris & sanctum laudaveris, tunc in vera & recta via pacis ambulas, & spes indubitata erit, quod rursus in jubilo faciem meam sis visurus. Sic habet lib. 3. de imitatione Christi, cap. 25.

3. *Sapiens* ait: Prov. c. 12. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Nimirum quamvis Justo, qui videlicet voluntatem divinam, suam reputat, multa adversitatum genera obvient, nihil tamen horum eum movebit, aut perturbabit, sed quandam hic in terra felicitatem ac beatitudinem adeptus erit. Etenim

nim incredibili quadam pace & tranquillitate gaudebit, animáque illius perpetuo quodam gaudio & jucunditate perfundetur. Id quod *Drexelius* confirmat his verbis: Quisquis hanc propriæ voluntatis cum divina conformationem perfectè attigeris, omniáque velut de manu Dei cupidè amplexatus fueris: hæc tua in hoc orbe inferiore beatitudo erit; fruêris perenni quodam gaudio, & lætitiâ non multis notâ, hâc enim felicitate fruuntur homines intimâ familiaritate Deo conjuncti: *Beatus es & bene tibi erit.* Certum siquidem *Paulinum* illud: *Non est Regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Uti autem in cælo nulla est vicissitudo, nullum (ut sic loquar) herì aut hodie, sed continuus quidam sibíque semper simillimus æternæ voluptatis affluxus ísque invariabilis, & nunquam non simul totus: *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præterit*; Ita & ii, qui hanc suæ & divinæ voluntatis unionem adepti sunt, jam penè immutabiles, quicquid ærumnosæ vicissitudinis intercurrit, rationis imperio premunt: Omnis eorum gustus & oblectatio est Dei beneplacitum; exulat hinc inquietudo atque turbatio, quarum alioquin aliæ atque aliæ sine numero quotidie nascuntur: Voluntas illorum à Dei voluntate sic suaviter sopita est, ut cum videant à Deo proficisci universa, Sanctissimámq; ejus voluntatem in omnibus impleri, molestiæ ipsæ, ærumnæque particulam gaudii secum afferant, quia in his ipsis molestiis ærumnísque divinam voluntatem reperiunt, & certiùs quam in rebus secundissimis. Ita quietem illorum altissimam, si fortè quid incurrat, nihil est certè, quod evertat. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.* Hucusque *Drexelius* in *Heliotropio.* l. 3. c. 6.

4. Hactenus dicta pulcherrimo confirmantur exemplo, ut sequitur. *B. Joannes Taulerus* egregius Doctor in suis institutionibus narrat casum profectò stupendum. Integro octo annorum spatio assiduis precibus Deum obsecravit, hominem sibi monstraret, à quo perfectionis & cæli compendiosam viam addiscere posset. Eo igitur die, quo hujus hominis alloquendi desiderio maximo tenebatur, nec aliud mallet, quàm videre Magistrum tam arcanæ veritatis, vocem cælitùs allatam audire sibi visus, quæ sic moneret: Exeas, & ad Ecclesiæ portam te conferas, & ibi quod optas, experieris. Ille è vestigio Ecclesiam petiit, & in loco, de quo præmonitus erat, hominem offendit mendicum, pedibus gravi vulnere obductis, fœtore & squalore confectum, vestibus laceris fermè nudum. Salutat *Taulerus* virum, & bonum faustúmque precatur diem. Cui Medicus: non memini malum à me unquam diem visum. *Taulerus*: Felicem te Deus reddat: Ille, quid adversitas, quid calamitas sit, ignoro. Cui denuò *Taulerus*: Dico, Deus te felicem faciat: Mendicus; & ego respondeo, me infelicem nunquam fuisse. *Taulerus* hominis ut ita loquar, pulsum accuratiùs exploraturus: Opto, ut omnia quæ desideras, eveniant. Ille, omnia pro voto succedunt. *Taulerus*: Ergo tu inter calamitosos solus beatus? in te solo Jobi regula exceptionem patitur dicentis; *Homo natus de muliere repletur multis miseriis?* Mendicus: Sic est, ut jam innui, nunquam enim infelicem diem me expertum recordor. Sorte, quam mihi Deus dedit, contentus sum. Felicitate non indigeo, quia semper felix

felix ſum, habeo enim ſemper quod volo, ideo dico, me nunquam infauſti temporis meminiſſe, quia ſemper votorum meorum ſum compos. Quod ſi fames torqueat, laudo Deum providum Patrem. Si frigus affligit, ſi calor moleſtat, ſi aliis injuriis me cælum petit, pariter Deum laudo. Cùm aliquis me ſpernit & vilipendit, non tamen ob hoc à divinis laudibus deſiſto: Nam certus ſum, non fortunam, non caſum, ſed horum omnium Authorem eſſe Deum, nec poſſe non eſſe optimum, quod Deus facit. Eveniat ergo quidquid velit, id ſemper gratiſſimum eſt, lætóque animo tanquam de manu amantiſſimi & ſapientiſſimi Patris ſuſcipio. Quidquid Deus vult, hoc & ego volo, unde omnia ſuccedunt, uti opto. Ille miſer & infelix eſt, qui fortunam in ſe aliquid poſſe autumat. Hæc vitæ præſentis beatitudo eſt, tenaciter divinæ adhærere voluntati. Dei voluntas optima & Sanctiſſima nunquam melior reddi, neque unquam depravari poteſt, nec mala fieri. Hanc ut ſequar, omnem conatum impendo & ſtudium, hâc curâ totam meam mentem occupo, ut nimirum ſemper id velim, quod Deus vult, & hoc dum volo, me omnino felicem arbitror. Tunc denuo ex homine illo *Taulerus* percunctabatur: Quæſo, idemne ſentires, ſi Deus in infernum te præcipitem agere vellet? Mendicus: A Deo in infernum deturbari? Scias me duobus pollere brachiis ſtupendi roboris, quibus Deum indiſſolubiliter ſtringerem. Unum brachium eſt ſubjectiſſima humilitas, quâ me ipſum offero; alterum eſt ſinceriſſima charitas, quâ Deum ſuper omnia diligo; his ego Deum meum tam ſtrictè & arctè amplecterer, ut eum, quocunque tandem mitterer, mecum traherem. Certum eſt, quod gratiùs foret extra cælum cum Deo eſſe, quam in cælo abſque Deo. Obſtupuit *Taulerus*, intellexitque hanc profectò eſſe compendioſam illam viam, ad Deum tendentem, quam addiſcere tam ſolicitè deſiderabat. Voluit tamen plura petere, & in lucem producere latentem in tam vili tugurio ſapientiam. Quæſivit ergo, unde & à quo miſſus huc veniſſet? Mendicus à Deo ſe miſſum aſſerebat. *Taulerus*, ubi locorum Deum reperiſti? Mendicus, ubi omnia creata deſerui. *Taulerus*, ubi Deum reliquiſti? Ille, in mentibus puris, ac bonæ voluntatis. *Taulerus*, dicas, quæſo, qualis homo es? reſpondit Mendicus: Quiſquis ſim, ſorte meâ tam contentus ſum, ut eam cum omnium Regum opulentiis non commutarem. Rex eſt, quiſquis ſibimet novit imperare. Et *Taulerus*: Ergone te Regem eſſe credam? ubi tuum regnum? illic, ait Mendicus, & ſimul digito cælum monſtravit: Rex eſt, cui Regnum illud in alto certis Chirographis tranſcriptum eſt. Denique *Taulerus* finem facturus quæſtionibus: Quis iſta, inquit, te docuit, quis hunc tibi animum injecit? reſpondit alter, Dicam Domine: Totos ego dies ſileo, & jam vel precibus, vel piis cogitationibus vaco: & hoc unicè curo, ut Deo ſemper ſim conjunctiſſimus. Conjunctio & familiaritas cum Deo, divináque voluntate docet hæc omnia. Plura quærere volebat *Taulerus*, ſed in aliud tempus id differendum ratus, in præſenti valedixit. Dum abiit, multa ſecum cogitans: En, ajebat ipſe ſibi, doctorem reperiſti rectiſſimæ ad Deum viæ. Quàm verè *Auguſtinus*; *Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur in carne & ſanguine.*

5. Quàm rectè proin tales Dei ſervos, qui in omnibus voluntati divinæ acquieſcunt, æquiparat expertus vitæ ſpiritualis Magiſter, *Alphonſus Rodriquez* rubo

ardenti,

ardenti, qui *Moysi* oſtenſus conſumi videbatur, nec tamen conſumptus eſt; ita tametſi hi in medio tribulationum igne verſentur, nihil tamen aduſtionis patiuntur, quoniam eorum animus imperturbatus manet. Aſſimilari etiam debent Monti Olympo, cui hoc ſymbolum attribuitur: *Nubes excedit Olympus.* Montis hujus conſtitutio talis eſt, in vertice ejus ſumma eſt tranquillitas & ſerenitas, ac imperturbabili gaudet quiete, ſolùm in latera ejus ſæviunt venti, & impetû faciunt tempeſtates, & reliquæ aëris injuriæ regnant. Quemadmodum ergo hic mons continuâ gaudet tranquillitate; ſic devoti homines voluntati divinæ acquieſcentes, quamvis videant & experiantur mundi mala, perſecutionum tempeſtates, afflictionum turbines, reliquarúmque miſeriarum procellas, attamen minimè perturbantur, neque his adverſitatibus frangitur eorum animus, quin imò fortiores & alacriores ad currendam virtutis ſemitam evadunt. Huic doctrinæ palam aſtipulatur *D. Chryſoſt.* hom. 11. in Epiſt. 2. ad *Cor.* dum hominem reſignatum cælis comparat dicens: Sicut cælum altius eſt imbribus ac pluviis, & cùm nubibus obducitur, pati quidem putatur, ſed nihil patitur, ſi enim ſupra aërem quis elevaretur, ſolitam cæli pulchritudinem cum ſuis ſplendoribus cerneret; ſic homo juſtus, qui voluntatem divinam reputat ſuam, in adverſitatum fluctibus putatur pati, ſed revera non patitur, cenſetur turbari, ſed non turbatur, exiſtimant alii, quod mœroris obducatur nubibus, qui tamen non triſtatur, ſed jucundam conſervat ſerenitatem.

6. Talis profectò erat Doctor Gentium S. *Paulus*, qui de ſeipſo ſic ſcribit: 2. Cor. 7. 4. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* De S. *Martino Epiſcopo* refertur, quod toto tempore vitæ ſuæ (quamvis innumerabiles calamitates & perſecutiones ſuſtinuerit) nunquam iratus fuerit viſus, aut triſtis, vel perturbatus, eò quod voluntatem ſuam cum divina perfectè conformaſſet. In *Vitis Patrum* lib. 5. n. 6. recenſetur Monachum quendam percunctatum eſſe ex *Theodoro Abbate*: Pater, dum ſtrepitus aliquando repentinus exoritur, aut quidquam ruinâ improvisâ proſternitur, an pavore animus tuus non corripitur? reſpondit *Theodorus*: *Si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat, Deo etenim unitus eſt, ejúſque voluntati omnia permittit.* B. *Jacobonus* dicere ſolebat, ſe à conſcientia ſua quæſiviſſe, cur ſe non ampliùs, ut olim, affligeret? Cui illam reſpondiſſe: hoc ea de cauſa facio, quia te divinæ voluntati penitùs permiſiſti, & in eo, quod illa ſtatuit, abſque omni expoſtulatione acquieſcis. Hinc non ſine ratione monet devotus Aſceta, *Thomas Kemp.* l. 3. c. 37. dicens: *Dixi tibi ſæpiſſimè, & nunc iterum dico; relinque te, reſigna te, & frueris magnâ in terra pace.* Cùm ergo tam excellentes & eximios progerminet fructus virtus reſignationis, ideo profectò operæ pretium fuerit Apoſtoli monitum ſequi: *Nolite*, inquit, *conformari huic ſæculo* (in quo nullum verum gaudium, ſed mera amaritudo, nulla conſtans quies aut pax, ſed bellum continuum & perturbatio maxima reperitur) *ſed reformamini in novitate ſensûs veſtri: ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona*, id eſt, quæ Deus vult, *beneplacens*, id eſt, quo modo Deus vult, *& perfecta*, id eſt, ut id ipſum velimus, quod Deus vult, & nolimus, quod non vult, eo modo & propter eandem rationem, propter quam Deus vult.

* * * *

PARS

# PARS SECUNDA.

## De mediis seu motivis, quibus ad veram resignationem pertingere valeamus, nimirum primùm omnia voluntati divinæ adscribere.

7. QUo illud assequi, & opere implere valeamus, quod olim Machabæi suis fratribus precabantur dicentes: 2. *Mach.* 1. 2. *Benefaciat vobis Deus, & det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem, &c.* Necesse est, ut firmiter credamus, nihil in mundo fieri, si peccatum excipimus, quod non à voluntate Dei dimanat, juxta illud Sapientis: *Eccli. c.* 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt.* Qua de re sequens nobis subministrat documentum *Drexelius* in Heliotrop. l. 1. c. 1. §. 2. sic loquens: Omnia mundi mala (peccato secluso) à Deo esse, hac ratione docent Theologi. In omni peccato duo sunt: culpa & pœna. Deus est Auctor pœnæ, quæ in peccato est, sed neutiquam culpæ. Ideo si demamus culpam, nullum est malum pœnæ, quod non fiat à Deo, aut ipsi non placeat. Sicut autem mala peccati, seu pœnæ, sic & mala naturæ oriuntur à divina voluntate. Naturæ mala vocamus, famem, sitim, morbos, dolores, &c. Quæ sæpissimè nihil habent cum peccato commercii. Itaque Deus reipsa (& ùt in scholis loquuntur, *effectivè positivè*) omnia pœnæ, naturæque mala vult (intentione saltem secundariâ) ob justissimas causas, solum peccatum, seu culpam permittit. Ideo hæc Dei voluntas *Permittens*, illa *Ordinans* vocatur. Id igitur omne, quod nos malum vocamus, à Dei voluntate est. Ita *Theologi*. Hoc fundamentum altissimè in animo jaciendum, maximi enim refert, probè istud capere, ídque semper persuasissimum habere, pœnarum & malorum omnium causam primam esse voluntatem divinam, culpâ tamen ùt monuimus, semper seclusâ. Hæc ille.

8. Veritas hæc magis elucescet aliquibus exemplis, è sacris Paginis depromptis: in libris *Regum* registratur, quòd ex aula *Jeroboam* quidam Propheta ad populum suum redierit, &, quia certum præceptum trangressus erat, leonem in itinere sibi obvium habuerit, qui in Prophetam irruit, & peremit, inde prædæ suæ custos factus. *Et erat cadaver ejus projectum in itinere, asinus autem stabat juxta illum, & leo stabat juxta cadaver.* 3. *Reg.* 13. 24. Ecce mirum quid; leo hominem occidit, & asinum absque læsione reliquit, sed mirabilius est, quòd qui vivum occidit, mortuum non absumat. Cupis nosse causam hujus? Audi *Gregorium*: *Qui occidendi ausum habuit*, ait S. Pontifex, l. 4. dial. c. 24. *de occisi cadavere comedendi licentiam non habuit. Creaturæ id tantùm possunt, quod Deus ipsis permittit, & non plùs.* Agnosce à divina manu & permissione omnes tuas profluere calamitates, veniant undecunque velint, sive à creaturis inferantur rationalibus, sive à rationis incapacibus, sive tuum proprium corpus, aut spiritus te torqueat, id enim duntaxat efficiunt, quod Deus ipsis permittit, & nullum malum nisi Deo sic disponente evenit.

9. Doctrinam hanc Salvator noster sæpe sæpius proprio comprobavit exemplo. Capitur in horto, Petrus gladium stringit, & Pontificis servum ferit: siste, exclamat Magister, siste Petre, quid agis? *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Joan.* 18. 11. Sed quid ais, dulcissime Redemptor? Cur hunc calicem Patri tribuis? Calicem amarissimæ passionis tuæ nonne Judas, Annas, Caiphas, Pilatus & Herodes miscuerunt? Nonne ministri eorum illum impleverunt? cur ergo inquis: *Calicem, quem dedit mihi Pater?* Dicas, quæso, quis medicinam temperat & componit? Pharmacopola. Optimè, sed componitne medicamentum absque ordine & dispositione medici? Nequaquam. Nunc intelligis, quàm bene Dominus locutus fuerit: *Dei Sapientia ostendens*, inquit S. *Chrysostomus*, hom. 82. in *Joan. non illorum potentiæ id adscribendum, sed permissioni suæ.* Hinc idem Salvator Pilato dixit: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi desuper tibi datum esset.* Jo. 19. 11

10. Hanc doctrinam in praxim deduxerunt, & semper intellexerunt Sancti, neminem quidquam contra se posse, nisi à Deo data sit facultas. Præclarum illud patientiæ speculum S. *Job*, cùm rerum omnium jacturam passus esset, se ipsum solabatur dicendo: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Videtur, quòd Job Deo injuriam inferat, dicendo: *Dominus abstulit*, cùm non Deus, sed dæmon abstulerit. Cur ergo non dixit, *Dominus dedit, diabolus abstulit?* & quæ causa, quòd tantum infortunium in Deum retulerit, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit?* Hæc est, sciebat enim, dæmonem non plus irrogare mali posse, quàm illi sit à Domino permissum. Explicat hoc S. P. *August.* in *Psal.* 31. dicens: *Non dixit: diabolus abstulit, ne fortè dicatis: hæc mihi diabolus fecit: prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem, aut ad pœnam, aut ad disciplinam. Ad pœnam impiis, ad disciplinam filiis.*

11. S. *Catharina Senensis* dum vice quadam vehementer cuperet cognoscere viam, quâ posset ad perfectam voluntatis suæ cum divina conformationem pertingere, tunc apparuit ei Christus, idque eidem indicavit his verbis: Volo, ut certâ fide, altâ mente, ac frequenti consideratione mediteris me Deum tuum gloriosissimum, qui te ad beatitudinem fruendam creavi, æternum esse, Summum, Omnipotentem, vobísque omnia, quæ mihi sunt placita, facere, nec esse, qui vel tantillum meæ possit resistere voluntati, nec quicquam sine eadem voluntate mea vobis accidere, nihil prorsùs, nisi me permittente, provenire. *Amos* Propheta c. 3. 6. idipsum affirmat, dum ait: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Quid clariùs ad rem dici potest? Ecce palàm affirmat Vates, omnia mala, nobis provenientia à Deo ortum ducere; si malum pœnæ sit, quâcunque demum viâ, seu modo id evenire solet, illud vult Deus *effectivè positivè*; sin autem malum culpæ fuerit, justè permittit. Ex quo consequitur Deum non esse causam peccati, quia tametsi nobiscum concurrat ad entitatem, non tamen ad malitiam & deformitatem peccati, eâ planè ratione, quâ cælum concurrit ad motum pedis claudicantis, non verò ad defectum; de quo in scholis fusè tractatur.

12. Hinc Reges impios, qui propriâ superbiâ, & crudelitate impellente variis

riis flagellis populum Iſraël atterebant, Scriptura divinæ Juſtitiæ inſtrumenta appellat. Sic legimus *Iſaiæ*. 10. *Væ Aſſur*, *Virga furoris mei*. Ac de *Cyro* Perſarum Rege, per quem Dominus Chaldæos caſtigaturus erat, dicit: *Cujus apprehendi dexteram. Iſa.* 45. Unde præclarè ad hoc propoſitum ſcribit *S. P. Auguſtinus* in Pſ. 73. *Impietas eorum, tanquam ſecuris Dei facta eſt: facit enim Deus, quod plerumque facit & homo; aliquando iratus homo apprehendit virgam jacentem, cædit inde filium ſuum, ac deinde projicit virgam ad ignem, & filio ſervat hæreditatem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos.* Hinc Regius Propheta *David* cùm à *Semei* malediceretur, ac lapidibus impeteretur, iſthanc injuriam ferro vindicare volentibus ait: *Dominus præcepit ei, ut malediceret David, & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit? dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini. 2. Reg.* 19. 10. Ille enim inſtrumentum eſt Dei, exequatur proinde juſſa Dei, quis ſcit, *an non fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna?* Narrat *Joſephus Hebræus* l. 14. antiq. c. 17. Cùm de *Herode Aſcalonita* ad regnum ſuſcipiendo ageretur, & alii multi, quibus *Herodis* futura tyrannitas ex evidentibus prognoſticis ſat perſpecta eſſet, ſtrenuè ſeſe opponerent, *Semeas*, Vir Juſtus & prophetico ſpiritu à Deo donatus, liberè voto ſuo Herodi favit, negans propter peccata eos poſſe dominationem illius effugere, & cùm omnes obſtupeſcerent: *Nolite mirari*, inquiebat, *quòd meam pro Herode ſententiam dicam, eúmque pro viribus Regem exoptem; Deus enim iratus vult impium vobis Regem dominari, Herode autem deteriorem non reperit. Ille divini furoris flagellum eſt, nam peccata veſtra talem exigunt pœnam.*

13. Depopulabatur Hunnorum Rex (ùt Auctor eſt *S.ᵗ Antoninus*) hoſtilibus armis Galliam, & omnia ſanguine, ſtrage, & incendiis delebat, replebátque. Trojam pervenit, cujus urbis Epiſcopus *S. Lupus* erat Sacris indutus veſtibus & pontificalibus indumentis unà cum Clero ei obviam pervenit. Interrogavit *Attilam*; tu quis es, qui terram ita diſſipas & conculcas? Reſpondit Tyrannus: Ego *Attila* ſum, Hunnorum Rex, flagellum Dei. Ad quam vocem juſſit Epiſcopus portas civitatis aperiri ei, & ait: Benè veniat flagellum Dei, lubenti promptóque animo te ſuſcipimus, agnoſcimus enim Omnipotentis Dei brachium, quod tuâ utitur operâ, nec tamen alia attentabis, niſi quod tibi permittet. Attila per medium urbis totum exercitum duxit, nullâ omnino neque hominibus neque eorum facultatibus illatâ injuriâ. Unde etiam conſtat, neminem poſſe nobis injuriam inferre abſque Dei nutu voluntatéque.

14. Hanc veritatem eminentiſſimi quique Philoſophi vel ſolo lumine naturali perſpexerunt, dixerúntque, tametſi reſpectu cauſarum ſecundarum multa fortuitò eveniant, reſpectu tamen primæ cauſæ fortuita ea non eſſe, ſed valde deliberatè, ex propoſito ac deſtinato fieri. Quam rem hâc declarant ſimilitudine: Pone & finge Servum negotii cujuſdam conficiendi cauſâ, quopiam à Domino mitti; mox alium ad alia conficienda, eôdem, ſed aliâ viâ deſtinari, ita tamen, ut alter de alterius adventu nihil planè nôrit, Dominus tamen utrúmque eodem in loco ſimul eſſe velit. Quòd ſi ambo in uno eodémque loco invicem ſe inveniant, illo-

rùm quidem intuitu, fortuitum eſt, Domini tamen id ſtudio intendentis reſpectu minimè eſt fortuitum, ſed præcogitatum, deſtinatóque factum. Ita in hac noſtra materia, eſto reſpectu hominum quædam caſu accidant, quòd hæc ipſi nequaquam intenderint, imò ne cogitârint quidem; reſpectu tamen Dei non fuit fortuitum, ſed illo volente & intendente factum, utpote, qui ob occultos & ſecretos fines, quos ille novit, ita fieri decrevit. Certum itaque eſt, nihil fieri in vaſta hac mundi republica, niſi voluntate, ordinationéque Summi illius Imperatoris & Monarchæ, DEI, qui eam moderatur. Reſpectu Dei caſus nullus eſt, ſed dextera Dei facit omnia. Unus ipſe in numerato habet omnia oſſa corporis, omnes capillos capitis tui, ex quibus nec unus peribit ſinè nutu, permiſſúque Dei. Sed quid dico de homine? nec avicula quidem laqueo venatoris ſinè diſpenſatione Dei implicatur. *Nónne duo paſſeres veniunt dipondio? & unus ex iis non cadet ſuper terram ſinè Patre veſtro?* Sed nec frondes moventur in arbore ſinè Deo.

# PARS TERTIA.

## Alterum medium, quo ad hanc cum divina voluntate unionem pertingere valeamus, eſt, ut firmiter credamus, non ſolùm omnia à voluntate divina promanare, verùm etiam ea evenire juſtiſſimè & ſanctiſſimè.

15. Inter alia, quæ nos commovere deberent ad voluntatem noſtram divinæ penitùs ſubmittendam, non poſtremum eſt motivum, ut nimirum voluntatem Dei in omnibus ùt juſtam & Sanctam agnoſcamus, & veneremur, exemplo *Davidis* Pſal. 144. dicentis: *Juſtus eſt Dominus in omnibus viis ſuis, & Sanctus in omnibus operibus ſuis*; nam (ùt rectè *S. P. Aug.* l. 3. contra Jul. c. 18. annotat) *poteſt Deus aliquos ſinè bonis meritis liberare, quia bonus eſt, non poteſt autem quenquam ſinè malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Unde quæcunque fiunt, ſemper ad divinam juſtitiam mentis aciem reflectere, ac cum Pſalmographo *Pſ.* 118. dicere debemus: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum*; id eſt, ad optimum finem directum, nempe vel ut puniat, vel probet, vel præmiet. Religioſus proinde, perfectioni veraciter ſtudens, cavere debet, ne ob quoſdam ſiniſtros caſus & infortunatos eventus inordinatè contriſtetur, ſed ſuam voluntatem in cunctis etiam adverſitatibus cum divina conformet, ſibíque de hac complaceat, oportet.

16. Et non immeritò; *Omnia quippe*, atteſtante hoc *S. Damaſceno* l. 2. de fide c. 29. *quæ Dei Providentiâ fiunt, pulcherrimè ac diviniſſimè fieri neceſſe eſt, atque ita denique, ut meliori modo exiſtere prorsùs nequeant.* Cui aſtipulatur *S. P. Auguſtinus*, dicens: *Juſtitiâ veri & ſummi Dei factum eſt, ut non modò ſint omnia, ſed etiam ſic ſint, ut omnino meliùs eſſe non poſſint.* Huic aſſertioni robur addit ipſa Scriptura. *Sapiens* 8. 1. ait: *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Et *Job*: *Nihil in*

*in terra sinè causa.* Sed *omnia*, ùt iterum *Salomon* testatur, *in mensura, & numero, & pondere disposuit.* Nec obstat, quòd tot mala & tot defectus in mundo contingant. Nam licèt Deus, ùt Provisor particularis debeat, quantùm potest, vitare & impedire mala, & defectus rerum, quæ illius regimini & Providentiæ subjiciuntur; non tamen ùt Provisor universalis, qui debet permittere mala & defectus in aliquibus propter bonum totius, ad cujus conservationem principaliter tendit. Mala autem & defectus, quos divina Providentia permittit in rebus creatis contingere, ad perfectionem, decorem & pulchritudinem universi conducunt. Sicut picturæ venustas ex umbræ & lucis, diversorúmqe colorum gratâ commixtione & temperamento consurgit: aut sicut Musicæ harmonia ex diversarum vocum consonantia dulciùs concinit.

17. Cùm ergo ita sit, inficiari nequaquam potest, quin stolidè & insipienter agant homines illi, qui contra divinam Providentiam tergiversantur, eò quòd multa contingant in mundo mala, falsò arbitrantes, hæc non à Deo, sed à dæmone, aut perversis hominibus ortum ducere. Disertè proinde ait S. *Chrysost.* homil. 7. in Joan. *Nemo solem dixerit oculis noxium, eò quòd nonnulli visu sint hebetiori, sed quàm accommodatissimum, & ex acutè intuentibus ejus utilitas indicatur. Neque mel quispiam amarum gustu judicaverit, quoniam tale ægrotantibus videatur: Deum autem ex infirmorum aut ignorantium judicio, vel non esse, vel malum esse, aliquando humanis rebus providere, aliquando eas negligere opinari, non sani hominis, sed insani potiùs meritò dixerimus.* Quamobrem Religiosus perfectioni studens, omnem malam tristitiam procul à se abigere debet, dum fortassis ea quæ Religiosos summè dedecet, suis à confratribus perpetrari cerneret, aut aliquod domui, in qua moratur, infortunium accideret, vel ob cujusdam perversi fratris publicum delictum Religioni infamiæ nota inureretur; vel denique etiam hanc non crescere sed decrescere, non florere sed deflorescere animadverteret; siquidem mœror, qui ex similibus sinistris eventibus provenit, sæpè Religiosos tantoperè affligit, ut etiam de facta in tali statu professione doleant, quod pessimum sanè signum & indicium est; nam tales non quærunt ea, quæ JESU Christi sed quæ sua sunt, si enim voluntatem Dei purè respicerent; pacati & quieti permanerent, etsi totus periret mundus. Certò S. *Ignatius* Societatis JESU Fundator tam perfectè suam voluntatem cum divina conformârat, ut totius etiam Societatis, quam tanto labore erexerat, dissolutionem æquo animo laturum se diceret, si sinè culpa sua id accidisset. Ita refert *Ribadeneira* lib. 5. vitæ ejus cap. 1.

18. Verùm enim verò, quò suaviùs idipsum sentire, & opere etiam, dum occasio se offert, similes Resignationis actus exercere valeamus, scire debemus, quòd magna in his lateat perfectio, quemadmodum liquet ex sequenti historia. Erat quidam Monachus Ordinis Cistercienfis, teste *Cæsario* lib. 10. Dial. c. 6. cujus virtute multi sanabantur infirmi, maximè ex contactu vestimentorum ejus. Qui cùm interrogaretur ab Abbate suo, quæ esset causa miraculorum ejus? Respondit: non ampliùs jejuno quàm reliqui, non plura flagella subeo, non graviores austeritates usurpo, non diutiùs orationi insisto, non

denique vigilo magìs quàm cæteri. Unum hoc certè asseverare possum, nec me prosperis extolli, nec adversis dejici; & nullâ re, quæcunque eveniat, turbari aut inquietari. Ad hæc anima mea in quolibet rerum successu, qualiscunque is demum sit, eandem pacem & quietem præfert, sive ea propriè ad me, sive etiam ad alios spectent. Cui Abbas: Nónne te conturbavit, quòd talis miles nuper granarium nostrum incendit? Respondit: nullo modo, nullámque in anima inde turbationem sensi, quia omnia in manu Dei consignavi; hinc tam prospera, quàm adversa, velut è manu Dei venientia, æquali cum gratiarum actione recipio. Unde Abbas cognovit, quòd virtus tantorum miraculorum esset perfecta voluntatis suæ cum divina resignatio. Hinc ergo colligere licet, quantos in virtutibus progressus & profectus capturi, Deóque placituri sint, qui in cunctis voluntati divinæ acquiescunt, & cum gratiarum actione omnia è manu Dei suscipiunt.

19. Quamobrem si ad parem perfectionis Religiosæ gradum pertingere cupimus, vestigiis Regii Vatis inhærea- mus oportet. Hic enim S. Rex adeò voluntati divinæ adhæsit, ut tam adversis, quàm prosperis contentus fuerit, quod Deo tantoperè placuit, ut eundem augustissimo titulo donans, appellârit virum secundùm cor suum, qui faciat omnes voluntates suas. Adeò enim Rex ille affixum habebat cor divino cordi, ut ad omnes Dei nutus se promptum, ac paratum sisteret, quemadmodum ipse de se testatur, dicens: *Psal. 56. 8. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Ad quod *D. Bernardus* subtiliter interrogat, cur bis reiteret *Paratum*? & melliflué respondet: Paratum quantùm ad dura, paratum quantùm ad prospera, paratum ad sublimia, paratum ad humilia, paratum ad universa, quæcunque præceperis, fiat fiat, quidquid divinæ tuæ placuerit Majestati. Idem Hebræus Rex aliàs etiam de se dixit: *Psal. 33. Benedicam Dominum in omni tempore* (intellige tam in adversis, quàm prosperis) *semper laus ejus in ore meo.* In quem locum insurgit *S. P. August.* in reluctantes divinæ voluntati, qui in prosperis quiescunt, & in adversis divinam quasi accusant Providentiam, hisce verbis: Dicis, quando benedicam Dominum? ait tibi aliquis, quando tibi benefacit, quando abundant sæcularia, quando multitudo frumenti, olei, vini, auri, argenti, salúsque ista mortalis incorrupta persistit, quando ea, quæ nascuntur, crescunt omnia, tunc benedices Dominum. Non: sed omni tempore: nimirum juxta Psalmistam; *benedicam Dominum in omni tempore.* Unde concludit: Ergo & tunc, quando & ista secundùm tempus, & secundùm flagellum Domini Dei nostri turbantur, auferuntur, & quæ nascuntur, jam nata dilabuntur, & inde sequitur penuria, egestas, labor, & tentatio. Sed tu, qui cantas tibi: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*, & quando ista dat, & quando ista tollit, benedic, quia ille dat, ille tollit, sed seipsum à benedicente se non tollit. Hactenus *Sanctus Pater.*

20. Enimverò, quid magni relucet, dum homo in prosperis Deum laudat & benedicit? Ecce hanc ipsam constantiam, dum nimirum homo suam voluntatem in prosperis tantùm divinæ voluntati conformat, ipse diabolus explodit; cùm enim à Deo audiisset plurima

Sancti-

Sanctitatis & simplicitatis encomia de Jobo prolata, audacter respondit: *Job. 1. 9. Nonne Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, & domum ejus, universámque substantiam per circuitum? operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra. Sed extende paululum manum tuam, & tange omnia, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* (intellige maledixerit) Volens his innuere, non posse expiscari, utrùm homo sincerè diligat Deum, nisi arduo tribulationis, & adversitatis vento ejus animus tanquam purum aurum lapide lydio comprobaretur. Etsi verò diabolus hoc stratagemate Jobum nequaquam prostraverit (utpote qui etiam armentis, cunctisque terrenis bonis privatus, omníque auxilio humano destitutus, sterquilinio insidens exclamavit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.*) attamen uxoris ejus constantiam dejecit. Quoniam ipsa, cùm omnia à Deo ad nutum & beneplacitum promanarent, applaudens sæpe sæpiùs dicebat; *Dominus dedit, sit nomen Domini benedictum.* Veruntamen totaliter depauperata, in blasphematoria hæc erupit verba, virum alloquens: *Adhuc tu permanes in innocentia tua? Maledic Deo, & morere.* Job. 2. 10.

21. Heu! heu! Quàm pauci Jobi, & quàm plurimi blasphemæ ejus uxoris reperiuntur imitatores! dum prospera undecunque affulgent, dum applaudit, & arridet fortuna, resonat in ore, *Benedictus Deus*: Ast si ingruat minima adversitatis tempestas, si non cuncta secundùm votum succedant, confestim in lamenta, suspiria, & quod pejus est, in manifestas contra divinam Providentiam dissolvuntur querelas: nec ampliùs auditur: *Benedictus Deus*: Non sic impii, non sic, inquit *August.* & quando ista dat, & quando ista tollit benedic: leve enim ac ridiculum est in beneficiis Deo largitori tantùm gratias rependere, sed virile ac magnificum in adversis omnimodè divinæ obtemperare voluntati, ut egregiè advertit *S. Hieron.* in c. 5. *Eph.* qui pusillanimes atque imbecilles Christianos ad tam excellentem virtutem adhortans: *Christianorum*, inquit, *propria virtus est, etiam in his, quæ adversa putantur, referre gratias Creatori; nam in beneficiis Dei, quæ nobis accidunt, gratulari, hoc & gentilis facit & Judæus: sed juxta Apostolum hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis, atque miseriis Deo gratiæ referantur, & semper dicamus: Benedictus Deus.* Ad quod porrò præstandum, etiam nos monet Psalmographus *Psal.* 133. 3. dicens: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum*: In noctibus, hoc est, in adversitatibus, tribulationibus, pressuris &c. Deum benedicamus oportet.

22. Sic fecisse tres Pueros Hebræos, *Daniel* c. 3. perhibet: Hi enim mox, ut fornacem babylonicam ingressi sunt, Deo laudes, & gratiarum actiones rependere cœperunt, eò quòd pro honoris sui defensione ad ingentes hasce flammas damnati fuissent. Pueris istis nos, si cum patientia, & gratiarum actione tribulationis ignem toleraverimus, secundùm merita pares constituere poterimus, dicente *S. Chrysostomo*: *Illis pueris inveniuntur æquales, quotquot paupertatem* (seu aliam adversitatem) *cum gratiarum actione patiuntur.* Equidem in prosperitatibus Deo gratias agere, facillimum est, sed gratiæ in tribulationibus actæ Deum nostrum debitorem constituunt, dicente alibi eodem S.

Doctore: *Hoc est maximè grati animi, hoc sapientiæ studiosi, in rebus etiam asperis & adversis gratias agere, non solùm pro beneficiis, sed etiam pro suppliciis; hoc enim majorem mercedem conciliat: nam in bonis quidem gratias agens, reddidisti debitum, in malis autem Deum constituisti debitorem.*

# PARS QUARTA.

## Tertium medium, quo ad perfectam Resignationem pervenitur, est consideratio, quòd Deus omnia etiam mala ad salutem nostram ordinet.

23. UT majori cum efficacia, promptitudine & facilitate voluntatem nostram in quibuscunque rerum eventibus divinæ conformare valeamus, firmiter credamus necessum est, quod Sancti Patres advertunt, scilicet universa, quæ nobis Deo permittente eveniunt, simul etiam ad bonum & utilitatem nostram provenire. Supplicia damnatis in inferno Deo jubente infliguntur quidem, non tamen in ipsorum bonum cedunt, viventibus tamen ad terrorem, & Beatis ad solatium diriguntur. At pœnas & mala, quæ in hac vita Justis æquè ac sceleratis Deus immittit, semper credere debemus, de infinita illa Bonitate benè confidentes, ad majus bonum nostrum immitti, quòd istud ad salutem nostram magis conveniat. Hoc ipsum Bethuliensibus suis afflictis, & ad extrema, hoste urbem arctissimâ obsidione premente, redactis persuadere conata est Virago *Judith*, dicens: *Ad emendationem, & non ad perditionem nostram flagella hæc Domini evenisse credamus.* Judith 8. 27. Hinc Christus, Redemptor noster inter cætera documenta, quibus *S. Catharinam Senensem* instruxit, etiam sequens tradidit, dicens: Volo ut certâ fide, altâ mente, & frequenti consideratione mediteris, me Deum tuum esse summæ Sapientiæ, perfectissimæ cognitionis & intelligentiæ, omnia certâ ratione videntis, & acutissimè penetrantis, ut ad cælum, terram, mundum totum, & universa gubernanda, nullâ possim ratione falli, nullo errore turbari: quòd si non ita esset, nec Deus essem, nec sapientissimus. Et ut tantillam percipias vim hujus sapientiæ meæ, scias de malo culpæ, & pœnæ longè majus bonum, quàm sit malum elicere. Ulteriùs velim consideres, me eundem Deum tuum non minùs summè bonum esse, & hac de causa non posse, nisi quæ bona sunt, utilia, & salubria tibi, & aliis velle; non posse à me aliquid malum provenire, nihil odisse, & hominem, ut meâ bonitate creavi, ita per me semper inæstimabili dilectione prosequi. His verò per firmam fidem mente, ac meditatione collectis, cognosces, tribulationes, tentationes, difficultates, dolores, infirmitates, & adversa omnia ob nullam aliam causam me gubernante provenire, nisi utilitatis & salutis vestræ gratiâ, ut per ea, quæ videntur vobis mala, à pravitate corrigamini, & ad virtutem, quâ itur ad regnum, & summum bonum vobis incognitum, perducamini. Cognosces præterea hoc fidei lumine illustrata, me Deum tuum magis scire, posse

posse & velle bonum tuum, quàm tu, téque id nec posse, nec scire, nec velle sine gratia mea.

24. Id igitur cùm ita sit, danda tibi summo studio opera est, ut voluntatem tuam divinæ voluntati meæ prorsùs subjicias, quoniam sic placidâ semper mente quiesces, & me semper tecum habebis (*factus est enim in pace locus ejus*) nec erit tibi scandalum peccati, hoc est offendiculum aliquod ad peccatum, nec per impatientiam, nec aliquo quovis modo. Nam *pax multa diligentibus nomen meum*, id est voluntatem meam, quâ cuncta reguntur, *& non est illis scandalum. Psal.* 118. 165. Prospiciunt námque claro & purgatissimo mentis oculo, à me summo universi gubernatore, mirificâ Sapientiâ, charitate & ordine cuncta administrante, non nisi bona posse provenire, méque sibi ac rebus suis meliùs utiliúsque prospicere, quàm ipsimet per se sciant, possint, ac velint, sicque omnibus in rebus, quæ eveniant, quasque sustineant, utut sint, me auctorem esse, & non proximum, firmo considerantes proposito, quadam invictâ & inexpugnabili patientiâ ita roborantur, ut non solùm æquo animo, sed libenti & gaudenti sustineant, degustantes in omnibus quæ sive intrinsecùs, sive extrinsecùs accidunt, meæ ineffabilis dulcedinem charitatis: quod est, sentire de me in bonitate; in omnibus, inquam, tribulationibus, difficultatibúsque attendere, credere, & læto animo gratóque meditari, me disponere omnia suaviter, & ex profundo meæ dilectionis fonte cuncta provenire. Hucusque Christus ad *S. Catharinam Senensem.*

25. Porrò, quamvis isthanc veritatem clarè & intuitivè cognoscere propriè ad Beatorum statum pertineat, nihilominus tamen non desunt exempla è Scriptura petita, ex quibus aliquo modo idipsum colligere fas est. *Joseph* dum toti Ægypto dominaretur, venerunt & fratres ejus ad eum frumentum emptuni, quos cùm duriùs excepisset, variisque modis eosdem mirabiliter afflixisset, tandem cùm se fratribus suis, quis esset, declararet, illíque ad rei novitatem consternati & pavidi hærerent, dixit: *Gen.* 45. *Nolite pavere, quod vendidistis me in his regionibus. pro salute enim vestra misit me Deus in Ægyptum, præmisítque me Deus, ut reservemini super terram, & escas ad vivendum habere possitis.* En dicit, *Misit me Deus*, & mox; *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. Num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me.* O igitur ineffabilem Dei Providentiam & Bonitatem! Quis ergo his auditis in Deum non confidat? suam in omnibus voluntatem Deo non resignet? dum videt, quantâ curâ ac solicitudine omnia, tametsi appareant esse mala, in bonum nostrum convertat & ordinet. *Josephum* proprii fratres, invidiâ acti, ne iis ipse dominaretur, prout per somnium ænigmaticè viderat, in servum Ægyptiis vendiderunt. Et ecce, hoc ipsum medium, quod elegerunt, quo impedirent, ne illis Joseph dominaretur, Deus accepit, quo Josephum universæ terræ Ægypti Præpositum constitueret. Quis ergo mundi insultus minásque formidet? cùm videamus, Dei esse destinata, & hæc ipsa consilia & media, quæ mundus ad nos persequendos adinvenit, à Deo in bonum nostrum usurpari.

26. Aliam particularitatem in hac ipsa historia, quæ nostro proposito optimè quadrat, ponderat *S. Chrysostomus*

hom. 63. in *Gen.* Cur nimirum pincerna Pharaonis, jam suæ dignitati restitutus, biennio integro Josephi Interpretis sui sit oblitus, cùm tamen Joseph in carcere tam seriò illi, ut sui recordaretur, próque se apud Regem intercederet, injunxisset. Putásne, inquit *S. Doctor*, oblivionem hanc casu & fortuitò factam esse? Minimè. Sed merum fuit ea destinatum ac consilium Dei, utpotè opportunum & commodum tempus expectantis, ut majore cum gloria & honore postea Josephum carcere educeret. Si enim pincerna antè ejus esset recordatus, suâ forsan authoritate statim sine gloria & tacitè, ita ut in populo nec audiretur, nec videretur, eum eduxisset. Quoniam verò Deus eum non ita, sed magno cum honore educi volebat; permisit pincernam biennio toto liberatoris sui Josephi oblivisci, donec veniret tempus somniorum Pharaonis, ac tum Joseph jubente Pharaone (quem necessitas ad hoc adigebat) cum majestate & gloria carceribus eriperetur, & universæ terræ Ægypti Dominus fieret. *Novit scilicet Deus* (prosequitur *Chrysost.*) *velut peritissimus artifex, quanto tempore aurum in igne manere, & quando opportunè educi debeat.*

27. Plena id genus exemplis est cùm Sacra Scriptura, tum historicorum libri, ut omnes & quoslibet rerum successus uni Deo adscribere, eósque velut à manu illius, ad bonum & utilitatem nostram dimanantes, accipere discamus. Singulare porrò id est, quod circa hoc propositum in libro veterum Patrum recensetur. Simplex quidam Monachus vitam solitariam in Ægypto agebat, qui identidem judicia Dei sibi manifestari desiderans hæc verba repetiit: *Domine, ostende nobis Judicia tua.* Exaudivit hujus Anachoretæ preces Deus, eique Angelum in specie Venerabilis Senis submisit, qui eum comiter invitavit, ut secum alios in eremo habitantes Patres vellet adire, à quibus salutaribus monitis imbuerentur, eorúmque benedictionem referrent. Consensit facilè pius & simplex Asceta. Ambo ergo iter aggressi, post prolixam viam ad quandam venerunt speluncam. Dant signum ante fores, egreditur grandævus senex, Vir magnâ Sanctimoniâ inclytus, qui eos comibus verbis rogat, ut divertant. Hinc pedes eorum lavat, mensam apparat, herbulas, radices, salémque apponit, scutellam ad nitorem purgat, neque omittit quidquam eorum, quæ pertinebant ad sincerissimam humanitatem. Magnam noctis partem cælestibus colloquiis invicem habitis transigunt, reliquam quieti dant. Orto sole non sine osculo dimittuntur. Dum autem abirent, Angelus catinum, præcipuam hospitis supellectilem, clam secum abstulit. Quod cùm in via videret simplex ille, animo turbatus hæc secum mente tractavit: Et quid accidit isti Seni, ut pro vice charitatis Viro sancto catinum vellet asportare? Hæc eo cogitante supervenit discipulus Eremitæ, qui humiliter ablatam scutellam flagitat. Promittit Angelus se redditurum scutellam, jubétque secum ambulare. Dúmque simul procederent, Angelus personatus Juvenem ex improviso præcipitat per immane præcipitium, ut confractis omnibus membris momento miser expiraret. Quo viso simplex ille Monachus expalluit, & animo gravissimè offensus, multa & varia secum cogitabat, quòd Deus talia permitteret, & tamen bonus audiret. Aucta est hæc solicitudo in tertium diem, in quo in

alia

alia cella Senem moribus longè alium repererunt, qui advenientes protinus abire jussit, & insuper tanquam vagos increpavit & despexit. Instant illi secundò, rogántque pro diversorio, nec tamen impetrant. Verùm tertiâ etiam vice Senem submississimè supplicant, ut hospitio se ex itinere diuturno defatigatos exciperet, ne feris in jamjam ingruentibus noctis tenebris in prædam cedant. Expugnata tandem est hominis duritia, sed eâ conditione & lege, ut nonnisi in angulum aliquem stabuli à discipulo abducerentur. In stabulo igitur apud asellum soli absque alloquio relicti sunt, omnique charitatis officio privati totâ nocte humi sine stramine cubare debuerunt. Facto manè Angelus per discipulum Senem immitem vocari curat, cui scutellam à Sancto illo priore Sene furtim sublatam porrigit: quâ receptâ, ingratus Senex ire eos vias suas jubet, ac se mox, ne datâ quidem ulteriùs salute, in domum suam recludit. Rebus tam mirabilibus visis, auditisque non potuit se ampliùs continere Angeli comes, quamobrem erumpit in verba diu pressa indignatio, & cum stomacho viæ ductorem jubet à se abscedere. Cur, inquit, Venerabili priori Seni catinum furtim abstulisti, & insuper filium ejus in præceps egisti? Hunc verò pessimorum hominem, qui non timet Deum, nec hospitalitatem colit, eodem catino locupletasti? vel sapere te parum oportet, vel patronum esse flagitiosum. Dixit, vultúmque avertit aliò abiturus; sed Angelus eum retraxit, aitque: Nonne tu apud Deum multis institisti precibus, ut Judicia sua tibi demonstraret? Ad ea monstranda ego missus sum, ea igitur intellige. Scutella non erat bonæ fidei, non decebat ergo, ut malum apud tam bonum virum maneret. Itaque translata est ad malum, ut haberet aliquam exiguorum suorum operum mercedem. Filium autem ejus, etsi innocentem, idcirco interfeci, quia proximâ nocte ipse Patrem suum occidisset, atque ita uno facto beneficium exhibui duobus. Hæc ubi Eremita audivit, se in terram ad pedes Angeli abjecit, veniam erroris sui precatus. Hinc didicit de Judiciis Dei reverentiùs demisséque judicare, ac semper sanctissimâ Dei voluntate contentus esse.

28. Manet ergo confirmatum, verissimum esse, cuncta, quæ Deo volente, & permittente fiunt, meliùs fieri non posse; quod licèt nos hìc & nunc, dum in caliginosis hujus vitæ tenebris ambulamus, plerumque lateat, haud tamen dubiè perspiciemus in æternitate. Nam quis ex enarrata historia non videat admirandam Dei bonitatem & misericordiam, quâ omnia & singula ad salutem nostram ordinat & dirigit? Quis etiam ex nobis non fuisset stomachatus acta & facta hujus personati Angeli, nondum intellectis causis? His verò cognitis, quis non admiretur ac veneretur suavissimam Dei Providentiam, Potentiam, & Bonitatem? Quamobrem quæcunque demum adversa, sive particularia, sive communia, nobis accidunt, credamus hæc primariò ad bonum universi, & secundariò in bonum nostrum particulare à Deo immitti & permitti. Quocirco quiescamus in sanctissima Dei voluntate, eíque nos totaliter conformemus, quia hoc modo veram cordis pacem nos obtenturos certò sperare possumus. Ad hoc porrò requiritur, quòd satis nobis non debeat esse, speculativè nosse, omnia à manu Dei proficisci, ac in bo-

num nostrum dirigi, atque id in genere, & velut rudi modo credere, quòd nimirum fides nobis id dictet, aut quòd ita legerimus, vel audiverimus: sed præterea necesse est, fidem hanc opere exequamur, & vivam efficiamus, ita ut quidquid nobis accidit, tanquam si Christum Dominum visibiliter & sensibiliter nobis dicentem audiremus: *Accipe fili, hoc ego tibi submitto, voluntas mea est, ut jam hoc facias, vel patiaris.* Sic enim facile & persuave nobis fiet, omni in re nos cum Dei voluntate unire & conformare.

# PARS QUINTA.

## Alia motiva proponuntur, voluntatem nostram Divinæ in omnibus esse conformandam.

29. CHristus Salvator noster nos in omni virtutum genere instruere, viámque quæ ducit ad cælum, nobis monstrare volens, non solùm, quid agere debeamus, verbis nos docuit, verùm etiam seipsum in exemplum nobis proposuit. *Exemplum reliqui vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Verùm ad quid putamus, Filium Dei in mundum advenisse? & videbimus eum, non alium habuisse finem, quàm ut voluntatem Patris exequeretur, prout ipsemet testatur, dicens: *Joan. 6. 38. Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Hinc dum jam opus redemptionis nostræ adimplere voluit, in oratione illa facta in horto, tametsi corpus, & appetitus sensitivus naturaliter mortem refugeret, quod satis ipsemet expressit, dicendo: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*; nihilominus tamen voluntas, & appetitus superior promptus & expeditus semper fuit ad calicem, quem dederat illi Pater, alacriter bibendum; unde mox subdidit: *Non quod ego volo, sed quod tu.* Itaque si Christus Salvator & Magister noster nonnisi per impletionem voluntatis Patris sui Regnum cælorum intrare voluit, qualem nos difficultatem in eadem observanda prætendere possumus? Profectò non est discipulus super Magistrum. *Et qui non sequitur me*, ait rursùs Incarnata Sapientia, hoc est, qui non complet voluntatem Patris mei, *non est me dignus*, nec intrare potest regnum cælorum, *sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Oportet ergo, ut semper rectum cor habeamus ad Deum, nostrámque voluntatem divinæ voluntati perfectè resignemus.

30. Bellissimè ad propositum quærit *S. P. August.* in *Psal. 72.* Quisnam sit rectus corde? & respondet; illi sunt recti corde, qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei. Voluntas Dei est, aliquando ut sis sanus, aliquando ut ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei, & quando ægrotas, amara est voluntas Dei, non recto corde es. Quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu curvus es. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad tuam, & rectum habebis cor. Enimverò cùm voluntas Dei non possit esse nisi Sanctissima, & è contra voluntas nostra

nostra secundùm inclinationem naturæ semper depravata, proinde æquitas, & ratio postulat, ut in omnibus contenti simus cum voluntate Dei, præsertim cùm nos minimè penetrare vel scire possimus, quid saluti nostræ conducat vel obsit. Necesse est ergo, hanc ut conclusionem practicam statuamus, nimirum, si quandoque adversitatis, vel persecutionis tempestas ingruit, vel casus aliquis infaustus accidit &c. tunc nos Dei voluntati sic resignemus, ut (etsi nobis foret potestas citra omnem culpam) à similibus nos eximere pressuris & miseriis minimè vellemus, nisi ipsa Dei voluntas id etiam vellet. Egregium hac in parte imitationis exemplum nobis reliquit *S. Elisabetha* Regina Pannoniæ, (in vita) cùm enim audivisset *Ludovicum* Maritum suum in expeditione sacræ militiæ defunctum esse, dixit ad Deum: Nosti, ô Domine, quòd præsentiam Mariti omnibus mundi delitiis præferrem, sed quia tibi placuit, ita acquiesco, ut, si vel minimo capillo eum revocare præter beneplacitum tuum possem, nollem id facere. *S. Maria Magdalena de Pazzis* etiam dicere solebat: Si crederem, me uno solo verbo dicto ob alium finem, quàm ob amorem Dei, & voluntatem ejus adimplendam, etiamsi non esset ejus offensa, posse evadere Seraphinum, nunquam illud dicerem.

31. Cùm aliquando *S. Gertrudi*, ut refert *Ludovic. Blosius* Monil. spirit. c. 11. n. 2. appareret Christus ferens in dextera sua sanitatem, & in sinistra infirmitatem, monénsque, ut eligeret, quam vellet, ipsa ab utrisque manibus Domini se avertens, dixit; *Domine, ego toto corde desidero, ut non meam voluntatem respicias, sed tuum beneplacitum in omnibus perficias.* Hinc audivit à Christo hæc verba: *Quicunque cupit, ut ad ipsum sæpiùs veniam, suæ voluntatis clavem mihi offerat, nec eam à me unquam repetat.* Quo audito *S. Gertrudis* precatiunculam hanc: *Non mea, sed tua voluntas fiat mi Dulcissime JESV:* trecentis sexaginta quinque vicibus repetiit. Quod etiam sensit Domino plurimùm placere. Advertit etiam hujus precationis excellentiam *S. Macarius*, qui à duobus fratribus rogatus, quomodo orare deberent? Respondit: Non est opus multâ verborum copiâ, manus ad Deum crebriùs pandendæ, clamandúmque: *Domine Deus, quomodo vis, & sicut tibi placet, ita fiat.* Siquidem ipse novit, quid nobis expediat. Hanc breviculam orationem *Drexelius* in Heliotr. l. 2. c. 3. §. 1. hisce laudum præconiis effert: Non est melior, nec ferè brevior, non perfectior, non gratior Deo, nec homini utilior oratio præ hac una: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hujus sententiæ etiam est Ven. *Blosius* in Farrag. §. 5. n. 7. Super omnia, inquit, quæ vel dicere, vel facere possumus, hoc à nobis maximè exposcit Deus, ut in corde dicamus: *Domine fiat gratissima voluntas tua.* Inter omnes enim preces, quas Christus in hoc mundo fudit, illa summa & excellentissima fuit: *Pater non mea, sed tua voluntas fiat.* Hinc rectè *Psalmista* ad Deum suspirans, ait: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Psal. 142.

32. *Drexelius* in Heliotr. l. 5. c. 8. §. 3. mirabilem quandam refert historiam, quæ proposito nostro singulariter deservit. *S. Chariton* cùm Hierosolymam proficisceretur, ut ibidem sacra loca Christi sanguine consecrata veneraretur, captus est à prædonibus, à quibus in speluncam tractus, ac catenis colliga-

tus est. Grassatores hi dum interea novum spolium capiendi causâ vias obsiderent, vinculatus Chariton interim Deum sine intermissione laudare, benedicereque studebat, eidem insuper summas referebat grates, quod ad hasce relatus esset angustias, hinc sese totum divinæ bonitati committebat, nihil aliud suspirans, quàm ut sanctissima Dei voluntas in se impleretur. Ecce rem miratu dignissimam; cùm enim se sanctis hisce occuparet affectibus & precibus, serpens quidam ex antro speluncæ serpit ad lembum lacte impletum, & dum jam sat bibisset, residuam partem suo infecit veneno. Interea latrones ad specum reduces, dum ob vehementem sitim ad infectum lac simul convolarent, séque illo refocillarent, non multò pòst subitò omnes extincti sunt, sícque solum Charitonem, velut Dominum speluncæ, reliquorúmque bonorum hæredem reliquerunt. Quid inde devotus Dei famulus aliud faceret, quàm majori cum pietatis affectu divinæ se committendo providentiæ, quod dum perageret, repentè rupta sunt vincula ferrea, quibus constrictus erat. Ineffabili igitur gaudio perfusus Deo gratias egit, quòd tam inaudito modo miseræ captivitatis loco commodam sibi præparâsset habitationem, in qua pro suo voto divinarum rerum commentationibus vacare posset. Inventam porrò ibidem pecuniam distribuit pauperibus, partem reservavit pro ædificando ibidem Cœnobio; latronum itaque latibulum vertit in templum, in quo multi Judæi & Pagani Christianis mysteriis initiati, Christo nomen dederunt, suásque animas salvârunt. Quis ergo imposterum non in omnibus Deo fidet? quis sanctissimæ ejus voluntati non se resignabit? Certò quisquis in hoc præstando difficultatem habet, cæcus est, imprudens est, insanus est; imitemur proinde quendam devotum hominem, qui, ut doctissimus *Salmeron* tom. 10. tr. 11. p. 103. perhibet, totum Alphabetum recitare, dicebatque solebat: *Domine, tu junge literas, & quod tibi magis placet, mihíque expedit, largire.*

33. Et hoc est, quod nobis cælestis Magister in Oratione Dominica inculcavit, ut nimirum ad Deum Patrem dicamus, eundémque oremus, dicentes: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Matth. 6.* Hujus brevissimi verbi sensum, ut intelligamus, notanda est doctrina *Doctoris Angelici*, quam opusculo septimo, in quo exponit Orationem Dominicam, super citata verba: *Fiat voluntas tua, &c.* his verbis proponit: *Cùm dicimus, fiat voluntas tua, orámus, ut impleamus voluntatem Dei. Hæc autem voluntas Dei fit in justis, sed in peccatoribus nondum fit. Justi autem designantur per cælum, peccatores autem per terram. Petimus ergo, ut fiat voluntas Dei ita in terra, id est, in peccatoribus, sicut in cælo, id est, in justis.* Ex quibus erudimur, quòd licèt citatis passibus ad virtutem resignationis properet, qui in quibuslibet sinistris etiam eventibus divino sese resignat arbitrio, Deique voluntate ac ordinatione contentus est, hoc tamen solum non sufficit, sed insuper oportet observare, quæ Deus præcipit, hoc est, agere quæ facienda decernit, & vitare quæ cavenda jubet, qualia sunt peccata, nedum mortalia, sed & venialia, illa præsertim quæ animo deliberato committuntur. Sic olim edocta fuit *S. Birgitta*, quando ab ipsomet æternæ Veritatis Magistro, Christo

Chriſto Jeſû audivit : *Tu quia ex omni juſtitia facta es mea, ideo oportet te ſequi voluntatem meam. Qui autem ſequi vult voluntatem alterius, debet habere tria: Primo, cum eo unum conſenſum. Secundo, ſimilia opera. Tertiò, recedere ab inimicis ejus. Qui autem ſunt inimici mei, niſi ſuperbia, & omnia peccata? Ab his ergo debes recedere, ſi cupis ſequi voluntatem meam.* Ita habetur lib. 1. Revel. cap. 38. Hoc ergo & tu, Religioſe lector, fac gnaviter, & indubiè colliges in tempore meſſis non ſolùm fructum trigeſimum, aut ſexageſimum, ſed centeſimum, eriſque beatus non ſolùm in æternitate, ſed & in præſenti vitæ tuæ tempore; quia ùt ſcribit *S. Dorotheus* ſerm. de Obedientia : *Qui divinam voluntatem in omnibus ſequi conatur, in curru cum crucibus alioquin ferendis vehitur; alii verò, qui hanc itineris agendi rationem & compendium ignorant, ponè pedites ſequuntur, & oneroſas cruces aut moroſè trahunt, aut laborioſè ferunt.*

# SERMO XXXII.

## DE TRISTITIA ANIMI.

*Triſtitiam longè repelle à te; multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in ea.* Eccli. 30. 24.

1. REx David inter ſuas myſteriis plenas propoſitiones, hanc quoque ſtatuit: *Pſal.* 103. 20. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox; in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ.* Ubi in ſenſu morali per tenebras intelligunt Doctores immoderatam animi triſtitiam, quæ lumen rationis obfuſcare conſuevit; unde ſequitur: *In ipſa*, ſcilicet mentis nocte, *pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ*, peccata nimirum & vitia, quæ mœſtitiæ tempore potiſſimùm ſuis è latebris erumpere ſolent, ac animam noſtram ſubire. Quemadmodum enim ſerpentes, & feræ obſcuritatem noctis præſtolantur ad egrediendum è ſuis cavernis; ſic dæmon ſerpens ille antiquus triſtitiæ noctem expectat, ut in ea omne tentationum genus adversùm nos in aciem producat: *Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra*, dicitur *Pſal.* 10. de his infernalibus tenebrarum principibus, *ut ſagittent in obſcuro rectos corde.*

2. *Sancta Franciſca Romana* (ùt ſcribit *Julius Urſinus* in ejus vita lib. 3. c. 4.) in graviſſimum aliquando animi mœrorem inciderat. Quapropter triſtem, afflictam, & mœſtam vivendi rationem iniit, perſuadens ſibi, hoc modo ad veram perfectionem perventum iri. Deus, qui hanc ſuam ancillam multùm amabat, noluit, ut in tali erronea opinione perſeveraret; proinde ſubmiſit ei *S. Onuphrium*, qui illam monuit, ut hunc animi mœrorem miſſum faceret, eò quòd anima ſic afflicta minùs capax ad vitam ſpiritualem redderetur; quòd ſi verò eum non propelleret, facilè (inquiebat) evenire poſſet, ut primus ille fervor tepeſcat, futurum deinde,

ut in desperationem præcipitetur, vel saltem, ut excæcata mundi aut carnis tentationibus succumbat. Siquidem nullum tempus est, in quo humani generis adversarius ad mundanas, ad sensuales, ad carnales voluptates vehementiùs instigat, quàm cùm in homine melancholicus prædominatur humor; suggerit enim, his mediis futurum, ut omne fastidium & afflictio propellatur. Imò mœstus ipse omni solatio & voluptate internè destitutus quid agit? Externas oblectationes & delicias venatur, ut torquentem & molestantem tristitiam eliminet. Astruit hanc doctrinam Peripatheticorum princeps, *Aristoteles 2. Ethic. 6.* sic scribens: *Melancholici vehementer appetunt delectationes ad expellendam tristitiam: quia corpus eorum quasi pravo humore corroditur.* Et alibi docet, Melancholicos lasciviæ, crapulæ, & ebrietati, aliísque similibus vitiis esse deditos. Idipsum perhibet ex eodem Philosopho *Doctor Angelicus: Nullus* (inquit 2. 2. q. 35. a. 4. ad 2.) *diu absque delectatione potest manere cum tristitia, hinc necesse est, quòd ex tristitia aliquid dupliciter oriatur: uno modo, ut homo recedat à contristantibus: alio modo, ut ad alia transeat, in quibus delectatur: sicut illi, qui non possunt gaudere in spiritualibus delectationibus, transferunt se ad corporales.* Ita *S. Thomas.* Hinc testudines in spiritualibus tales homines experimur; ad temporalia verò, quibus inhiant, & ad flagitia patranda sunt Dromades secundùm illud *Proverb. 6. 18. Pedes veloces ad currendum in malum*; id est, affectus eorum ad faciendum quæcunque gravia peccata. Proinde, ne à melancholia præoccupati, in vitiorum prærupta devolvamur, ejus fontem seu originem, videlicet animi tristitiam, à nobis procul arceamus oportet.

3. Denique tot, támque copiosa ab inordinata animi tristitia pullulare solent damna, ut dicere Sapiens *Ecclesiast. 38. 19.* non dubitârit: *A Tristitia festinat mors, & cooperit virtutem*; id est, vires hominis obruit, & suffocat virtutem naturæ, quâ debilitatâ, mors præmatura homini obvenire solet, teste *Lucretio*: *Et dolor & morbus, lethi fabricator uterque.* Secundò, tristitia est causa mortis quo ad animam; hanc enim frequenter enecat, ac morti sempiternæ in pabulum concedit. Certum est illud tritum adagium: *Facile est, in turbido piscari*: Hinc piscatores solent conto limum movere, & aquam in fundo excitare, ut turbetur, & abscondat insidias, piscibus positas. Haud aliter diabolus, ut animam hominis piscetur, ante omnia turbat aquam, id est, tristibus cogitationibus implet animum, variisque iræ, vindictæ, pudoris, timoris affectibus permiscet, ut verum pervidere non possit, sed instar aquæ turbulentæ offuscetur ratio, neque dispicere queat, quòd discrimen inter nigra & candida, inter mala & bona intercedat; & hoc modo animas multas in rete suum trahit infernalis hic piscator. Benè *Ecclesiastes* cap. 9. 12. *Ut pisces capiuntur hamo; sic capiuntur homines in tempore malo.* Tempus malum est, quo affligit hominem aliqua calamitas, exacerbat injuriæ acceptæ memoria, urget vindictæ cupiditas, stimulos addit commissi dedecoris pudor, angit futuri mali metus, & hinc orta mœstitudo adeò premit animum, ut pigeat vivere, & delectet mori.

4. Lubet percipere, quod in fasciculo Miraculorum *S. Antonii Paduani* memorat

morat P. *Pacificus Beutgen* paginâ 89. Anno à Salvatore nato 1649. Romæ homo quidam degebat, *Andreas Petracelli* nomine; hic cùm aliquamdiu Dominum, cui suam elocaret operam, perquisivisset, invenisset autem neminém, neque unde vitam honestè traduceret, haberet aliunde, melancholicus planè, mœroréque completus gravi, locum quendam sive plateam è regione montis Cavalli prope Capucinorum, ùt vocant, antiquum monasterium obambulabat. Sic ambulanti obvius factus est quidam, gravis Domini, & venerabilis Senis formam præferens; qui & interrogavit eum, num quendam, qui sibi à servitio esse vellet, sciret? Audiens hoc homo sic omnis expers solatii, magni beneficii loco reputat, si ipse ad id assumeretur deserviendi munus; ideóque sua mox inquirenti Domino servi deferebat obsequia. Respondebat Senex, nullatenus Romæ se mansurum, sed necessitate jam urgente Genuam profecturum. Replicat tristis & pusillanimis aliàs, nunc exhilaratus homo: *Tametsi ad diabolum, imò & ad ipsum infernum pergeres, lubens sequar.* Ad hæc putatitius ille Dominus certam quandam argenti in signum conducti tribuit monetam, ipsúmque sic conductum servum ad tabernam ibidem *Alla Rosa* dictam deducit, mandat inibi, ut, quæ victui necessaria forent, liberaliter adducto hospiti tribuerentur, posterâ se reversurum die spondebat, solutionémque præstiturum; utì & factum. Cauponi *Alla Rosa* novâ monetâ solutionem præstat; conducto autem jam servo, ut sequatur, mandat; non enim se equum alla Ripa, sed in Flumicello conscensurum ajebat. Dum sic progrediuntur ambo, montique Testatio appropinquant, Interrogabat Dominus, num adhuc hesternæ à se factæ promissionis reminisceretur? Conterritus miser homuncio inde quàm plurimùm, mox, oculis in cælum levatis, se *Sancto Antonio Paduano*, quàm poterat, recommendabat unicè. Et ecce, quamprimùm ab altera plateæ parte præstò est Franciscanus quidam, saccum humeris gestans, qui se ad fictum illum convertens Dominum, ajebat: Quò infernalis bestia? Quònam miseram hanc deducis animam? Consternatus hisce verbis larvatus Dominus, magnâ voce clamabat: *O Antoni! ô Antoni de Lysabona! quantâ tu me persequeris violentiâ? hanc animam ea de causa solùm desero, quia tu mihi illam surripis.* Quibus dictis versipellis Satan tantâ vi misellum hominem percussit in pectore, ut in terram concidens præ timore fermè spiritum efflaret. Dæmon verò in ignitæ flammæ versus speciem, teterrimo post se relicto fœtore disparuit. Exinde Franciscanus ille, (qui indubiè S. fuerat Antonius) homuncionem desperationis, & pessimæ linguæ ergò corripiens, monebat, ut ad Deum se convertens, peccata sua quamprimùm confiteretur; sicque discessit. Porrò, dum homo iste, quid circa se actum, Cauponi *Alla Rosa* narraret, is pecuniam, sibi à dæmone datam in crumena perquirens, nil nisi carbones reperit. Dictus autem homo suis tantisper restitutus viribus, Franciscanorum de Observantia Ecclesiam, *Ara Cæli* dictam, Romæ ingrediens, peccata sua magno dolore confitetur, & quas poterat pro liberatione hac factâ agebat gratias, ac coram legitimo judicio ipsum miraculum juramentô confirmavit.

5. Ex qua historia duo singulariter observanda veniunt; primum, quàm sit potens Sanctorum, quos devotè invocamus, auxilium, & quàm solicitè suis clientibus, ne in abyssum ruant perditionis, suo adsint præsidio, ùt infra, dum de veneratione Sanctorum agemus, fusiùs patebit. Alterum, quod in rem nostram mirè facit, est, quàm solicitè stygius hostis advigilet hominibus, omni ope destitutis, ac propterea in animi mœrorem collapsis, quò eosdem tristitiâ & melancholiâ jam depressos pessum agat, ac in desperationis præcipitet profundum. Internâ siquidem animi tristitiâ utitur dæmon tanquam validissimis armis, quibus animæ nostræ interitum paret. Ita quidem ut aureum os *Chrysostomi* asserere non dubitârit: (serm. 1. de Provid.) *Omni actione diabolicâ potentiorem esse ad nocendum mœroris magnitudinem: nam & dæmon quoscunque superat, per mœrorem superat.* *Angelus Paciuchellius* Tom. 1. lect. 15. §. 6. in *Jonam* docet inter omnes tentationes gravissimam esse, dum quis tentatur & occupatur animi mœrore; verba citati Authoris sunt: *Aliæ tentationes gladii sunt, lanceæ, hastæ, sagittæ; sed hæc, scilicet tristitia, bombarda est, bellicum inferni tormentum, quo humanarum animarum exercitus ingenti strage prosternitur.*

6. Quapropter, ùt monet Sapiens Ecclesiasticus (*Eccli.* 30. 24.) *Tristitiam longè repelle à te*, si non velis sicut piscis capi in tempore malo. Idem ibidem præmittit hæc verba: *Miserere animæ tuæ.* Quasi diceret: Ne quæso sinas te angore, & mœrore inordinato opprimi, ne in laqueum incidas diaboli, & velut piscis capiaris hamo, per totam æternitatem non liberandus. *Multos enim*, subjungit, *occidit tristitia, & non est utilitas in ea*; nam aut tibi ipsi tu, aut diabolus carnifex erit tibi. *S. Chrysostomus* ep. 7 ad *Olympiam* sic scribit: *Tristitia animarum est crudele tormentum; non solùm carnem, sed & animam ipsam perimit; pugna est, non habens requiem; non tales sunt noctis tenebræ, qualis nox mœroris existit.* In hac nimirum nocte, in hac rationis caligine piscatur diabolus, & miseras animas in sagenam impellit. Et quia, ùt jam dictum, facile est piscari in turbido, diabolus ante omnia satagit, ut obfuscet rationem, & quidquid serenioris est in homine mentis, nubibus involvat, umbrosis imaginibus perturbet. Hinc venit, quòd mœror (ùt idem *S. Præsul* Constantinopolitanus ait) etiam absente dæmone, multa per se horrenda efficiat, plurimósque eorum, qui sibi nexuerunt laqueos, consciverunt gladios, vel fluviorum se undis, vel flammis donarunt, vel alio quovis genere perdidère se ipsos, solâ doloris ac mœroris vi, ad occumbendum impulsos reperiemus. *S. Hieronym.* sup. *Matth.* hac de re etiam sic loquitur: *Nulla res ita inebriat, ut animi perturbatio, id est tristitia, quæ ducit hominem ad mortem, hæc abominanda ebrietas est.*

7. Quamobrem non sine ratione *S. Franciscus Seraphicus* in suis fratribus acerbè reprehendit inordinatum animi mœrorem, & ut eisdem benè provisum esset, assiduò illis spiritualem commendabat lætitiam, utpotè per quam ipse se multùm adversus spiritum acediæ juvari adverterat. Hinc si unum subtristem conspexit, vehementer eum objurgavit, dicens: *Oportet eos, qui mundo, carni, & dæmoni serviunt, esse tristes, non verè eos, qui Deo serviunt.* Quia in tristitia (teste *P. Petro Faber* è Societate Jesu) sexcenti latent errores, & multùm amari-

amaritudinis; unde tutiùs existimabat ad lætitiam nimiam, quàm tristitiam deflectere. Cui astipulatur *P. Balthasar Alvarez* ex eadem Societate, qui dicere solebat: excessum in lætitia potiùs, quàm in tristitia tolerandum esse; quia sicut *Deus* (teste *Apostolo*) *hilarem datorem diligit*; ita non potest non illi tristis dator summoperè displicere. Hinc memorat *Nicolaus Lyræus* de quadam Moniali, quæ *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis* apparens dixit, se cælesti quidem gloriâ nunc potiri, quinque tamen horarum spatio in Purgatorio hærere debuisse ob immoderatam tristitiam, quam animo prædominari passa fuisset.

8. Porrò, quæ hucusque de animi tristitia dicta sunt, intelligenda sunt de tristitia mala, quæ ab inordinatis animi affectionibus promanat, non verò de tristitia, quæ propter Deum, & secundùm Deum suscipitur: v. g. Si quis contristetur, se peccasse, ac summum Bonum offendisse; hæc enim tristitia non solùm non officit animæ saluti, quin potiùs eam plurimùm promovet; proinde plurimùm commendabilis, imò & peccatoribus necessaria est ad pœnitentiam agendam. Hinc *Matth. 5.* dicitur: *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* Et *Paulus* Apostolus scripsit Corinthiis (2. Cor. 7. 9.) *Nunc gaudeo, non quia contristati estis; sed quia contristati estis ad pœnitentiam; contristati enim estis secundùm Deum, quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem*, id est, æternam, *operatur.* Verùm ne hæc quidem tristitia, pro peccatis concepta, suo caret solamine; quia indubitata veritas est, quam paucis quidem, attamen nervosis verbis indicavit Doctorum gravissimus, *D. P. Augustinus* in *Psal.* 127. sic scribens: *Dulciores sunt lacrymæ pœnitentium, quàm gaudia theatrorum.* Sed quæres, quâ ratione aliquis poterit simul gaudere & dolere, cùm dolor excludat gaudium, & econtra? Respondet *Magister Angelicus* (Suppl. q. 4. a. 2. ad 1.) & dicit, *quòd gaudium sæculi impeditur per dolorem contritionis, non autem gaudium quod de Deo est, quia habet ipsum dolorem pro materia gaudii.* Quare distinguenda est tristitia, quæ secundùm Deum concipitur, à tristitia sæculi. Prioris tristitiæ notas, signa & effecta ita describit *Cassianus* lib. 9. c. 11. Hæc (inquit) tristitia habet in semetipsa omnes fructus Spiritûs S. quos enumerat Apostolus: (*Galat.* 5. 22.) *Fructus autem Spiritûs est; charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas.* Tristitiæ verò sæculi (quæ nascitur ex nimio amore, & amissione bonorum sæculi) hæc dat emblemata idem *Cassianus*: Asperrima est, impatiens, dura, plena rancore, & mœrore infructuoso, ac desperatione pœnali, universósque quos prædiximus fructus spirituales evacuans, quos novit illa prior tristitia conferre.

9. Similiter tristitia illa bona est, quæ concipitur ex peccatis alienis; hâc tristitiâ in summo gradu afflictus fuit Christus Dominus, in horto orans ac dicens: (*Marc.* 14. 34.) *Tristis est anima mea usque ad mortem*; hanc tristitiam concepit ex repræsentatione & memoria omnium peccatorum nostrorum. Cùm enim ipse pro sua misericordia se voluerit offerre, ut satisfaceret Patri pro ipsis, æquum erat, ut ante hanc satisfactionem hoc tristitiæ tormentum sustineret. Hæc autem tristitia fuit maxima inter dolores hujus vitæ, ùt docet *D. Thomas* 3. part. quæst. 40. art. 6. in Corpore. Etenim si David, videns hominum peccata, ita indoluerit, ut dixerit: (*Psal.* 118. 53.) *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*; Quid putas fecit Salvator, cujus amor tantò erat major amore Davidis, & qui infinitis modis

plura vidit illo, & majora crimina, cùm versabantur ante oculos ejus omnia peccata omnium sæculorum, præteritorum, præsentium, & futurorum. Hinc *S. Bernardinus Senensis* asserit: *Si tristitia, quâ Redemptor noster in tota anima sua fuit afflictus, divideretur inter omnes homines*, *singulis assignando partem, omnes præ doloris vehementia morerentur.* Similiter hâc tristitiâ correptus *S. Paulus*, dum Judaicam suam gentem perversè ambulare, nec Evangelio credere vidit, adeò indoluit, ut in Epistola ad *Romanos* data, cap. 9. animi sui mœrorem manifestârit, dicens: *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo: optabam enim anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt Israëlitæ.* Et ad *Corinthios* epist. 2. cap. 11. ait: *Quis infirmatur* in fide aut moribus, *& ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* id est, discrucior quasi in igne arderem. Per quod significat magnitudinem zeli affligentis & contristantis ipsum.

10. Verùm hìc bene notandum: licèt tristitia ex peccatis proximi concepta secundùm se sit bona & sancta, nihilominus secundùm aliquid poterit esse nimia & vitiosa: *Sicut contritio*, (verba sunt *S. Thomæ* Suppl. q 3. a. 2. corp.) *ex parte doloris, qui est in ratione, scilicet displicentiæ, quo peccatum displicet, in quantum est offensa Dei, non potest esse nimia. Sed quantùm ad dolorem sensibilem potest esse nimia*, quia potest in homine causare diffidentiam, & intercipere spem veniæ consequendæ, ùt patet in Juda proditore, qui licèt habuerit pœnitentiam, & se peccâsse doluerit; tamen de indulgentia desperans laqueô se suspendit, ùt dicitur *Matth.* 27. Sicut ergo dolor de peccatis propriis poterit esse nimius; ita etiam tristitia de delictis alienis concepta poterit esse mala; & à dæmone suggesta, ùt observat *S. Theresia* cap. 13. vitæ suæ, quod tunc contingit, quando quis de peccatis, quæ in aliis cernit, nimiùm est anxius & solicitus, háocque Dei offensam statim impedire, & aliquod ei remedium afferre cupit, & dum id efficere non valet, inquietus fit, & ab oratione impeditur, ac segnis efficitur. Unde generaliter loquendo, omnis tristitia, si tædium & inquietudinem afferat, nósque sanctis incumbere orationibus & meditationibus non sinat, tanquam à malo spiritu profecta abjici debet, quæ si penitùs rejici non possit, tanquam probatio à Deo immissa patienter est ferenda, & cum patientia Dei consolatio expectanda, ùt superiùs serm. 28. num. 35. dictum fuit.

11. Interim si quis à mala hac tristitia occupetur, hoc remedium adhibeat, quod S. *Jacobus* in Canonica sua Epistola cap. 5. præscribit, dicens: *Tristatur aliquis vestrûm* propter temporale damnum, aut quamcumque sæculi adversitatem? *Oret*, non ad vana sæculi solatia recurrat, sed ad Deum per orationem se convertat, qui illas tristitiæ nubes citò dissipare, & in spirituale gaudium commutare solet. Sic suis in ærumnis orabat sanctus Rex David: *Psal.* 50. *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali*, qui est spiritus gaudii spiritualis, *confirma me.* Incipiebat Christus pavere, tædere & mœstus esse. Quid tunc egit? *Procidit super terram, & orabat*, ait Evangelista *Marcus* c. 14. At cur ad orationem confugit? Nimirum orabat Dominus non propter se, sed propter nostram utilitatem. Oravit, ut nobis daret exemplum, ut in tribulatione & mœrore recurramus ad Deum. Oravit, ut suo exemplo nos in amaritudine positos ad orationem, tanquam ad singulare præsidium invitaret. Monitum *Ecclesiastici* cap. 38. est: *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te*, subnectit *Glossa*, *unguento suæ gratiæ.* Siquidem ubi Deus te humiliatum, compunctum, supplicem, ac devotè & cum fiducia orantem conspexerit, suavi & odorifero unguento te leniet, & infinitâ bonitate suâ medebitur secundùm illud allegati *Psalmi*: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiã, & exultabunt ossa humiliata*, id est, tunc animus spiritu mœroris confractus & dissolutus, resumptis viribus exultabit. Interim autem, dum hæc tristitia durat, consueta tua pietatis exercitia non intermitte, sed ferventer eadem perage, etsi nullum in iis sentias gustum. Præterea etiam resigna te ad molestam & tædiosam hanc tristitiam magna cum patientia, ceu ob justam vanorum gaudiorum punitionem, tolerandam. Et noli dubitare, quin Deus postquam aliquantisper te probaverit, ab hoc malo te sit liberaturus.

*FINIS PRIMÆ PARTIS.*



# GRAMMATICÆ RELIGIOSÆ

## PARS ALTERA

# SERMO XXXIII.

## DE GAUDIO SPIRITUALI

*Servite Domino in lætitia ; introite in conspectu ejus in exultatione.* Psal. 99. 1.

## PARS PRIMA.

1. PRopheta Regius postquam universam terram ad festivam solemnitatem invitâsset, *Jubilate Deo omnis terra*, mox eandem ad præstanda hilariter DEO obsequia & servitia exhortatur, dicens: *Servite Domino in lætitia*; *introite in conspectu ejus in exultatione* ; cujus hanc *S. Albertus Magnus* rationem assignat, inquiens: *Bene autem est in lætitia serviendum, quia et servire, regnare est , & summa ingenuitas.* Servitus hujusmodi catenas habet aureas, jugum placidum & suave; ideoque nos exhortatur S. *Ambrosius* lib. de Elia & jejun. c. 12. *Suscipite jugum Christi, nolite timere, quia jugum est; festinate, quia leve est ; non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis? non alligat cervicem vinculis, dum mentem gratiæ copulat.* Imò ( Teste S. *Remigio* ) hæc servitus nos omni libero efficit liberiores : *Servite Domino*, inquit, *non in tristitia, sed in lætitia, id est, in mentis hilaritate.* Et meritò ei serviendum est in lætitia, quia servitus Dei est libera ; nam ùt commune fert axioma, nulli non cognitum: *Ubi Spiritus Domini , ibi libertas.* 2. Cor. 3. 17.

2. Cùm gaudio igitur Religiosus Deo servire debet; *Non ex tristitia*, exclamat *Doctor Gentium* 2. Cor. 9. *aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Unde monet *Sapiens* : Eccli. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Sed cur? quia spiritûs gaudium nos perseverare in Dei servitio

ſervitio facit;nam quamdiu huc non pervenerimus,ut virtutum actus aliqua cum delectatione & gaudio exequamur, perdifficile erit in virtute perſeverare. Quam doctrinam S. *Dorotheus* communem veterum illorum Anachoretarum fuiſſe tradit: *Solebant*, inquit ſerm. 10. *Patres & Majores noſtri firmiter aſſerere, quidquid animus alacriter & gaudenter non admittit, diuturnum eſſe non poſſe.* Neceſſe eſt ergo, ut cum gaudio, & cordis hilaritate Deo obſequium præſtemus, hâc enim ratione certi aliquo modo eſſe poterimus, in ejus ſervitio nos ad finem uſque perſeveraturos. Ex quo aliud permagnum emolumentum conſequitur; nimirum opera noſtra majoris meriti, ac valoris fore, dum ea cum hujuſmodi alacritate ac promptitudine peragimus.

3. Verùm dices, quò majorem quis, ad aliquem virtutis actum exercendum, ſentiat repugnantiam & difficultatem, & hâc non obſtante illum peragit, tantò quoque majus conſequetur præmium, ut communiter Religioſæ Aſceſeos Magiſtri docent. Unde non videntur illa opera uberiori remuneratione eſſe digna, quæ cum facilitate quadam fiunt, quam quæ cum difficultate, ſed contrarium potiùs aſſerendum. Ad quod reſpondeo, ita eſſe videri, ſi ruditer tantum & inſcitè iſthanc rem contemplemur, quod ſi tamē intima hujus aſſerti arcana perſcrutati fuerimus, contrarium reperiemus. Egregiè ſcitéque hanc quæſtionem ſolvit, & declarat Angelicus Doctor *S. Thomas*, 2. 2. q. 155. a. 4. ad 4. *Non ſemper*, inquit, *eſt melius quod difficilius eſt, nec ſemper minus bonum, quod ſuavius eſt, ac facilius; ſed reſpicienda eſt origo & cauſa facilitatis, quæ ſi ſit naturalis, minuit meritum; ſi autem ſpiritualis & laude digna, promovet meritum; neque enim par eſſet, ferventem ſuo fervore ſibi impedimentum perfectioris meriti & præmii cauſare.* Ita S. Thomas. Certò indubitata veritas eſt, quin opera Beatiſſimæ Virginis longè perfectioris gradûs, & dignitatis fuerint quàm reliquorum Sanctorum; & tamen illa eadem cum ſumma quadam facilitate & ſuavitate peragebat, non enim in ea erat fomes peccati, qualis in aliis Sanctis erat, quique difficultatem ad benè operandum in nobis cauſat.

4. His addamus, quod (teſte S. *Chryſoſt.* hom. 41. in Gen.) hilaritas, & animi gaudium vires & robur ad operandum ſubminiſtret, unde de ſe canit *Regius Pſaltes*: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Lætitia enim, & hilaritas animum dilatat, & ampliat: ait ergo: cùm hanc mihi lætitiam, quâ cor meum dilatabatur, ſuggerebas Domine, per mandatorum tuorum viam agilis currebam. Triſtitia ex adverſo coanguſtat cor, conſtringit, & coarctat; nam non ſolùm operandi aufert voluntatem, ſed & vires, efficitque, ut, quod prius homini erat facile, grave ac perdifficile videatur. Quapropter omnes in militia ſpirituali benè experti bellatores hoc gaudium ſemper ſuis commendabant,& inculcabant. Inter quos numeratur *Abbas Apollo*, qui ad quingentos habebat diſcipulos, quos ſic inſtituebat, ut ſemper fuerint alacres & læti, ita ut nullam ſimilem lætitiam in terris videre eſſet. Hinc adeò in ſpiritu profecerunt, ut teſte *Ruffino.* Fermè omnes miracula patrarint. De hoc eodem S. Abbate etiam refert *Palladius* cap. 52. quod neminem ex ſuis patiebatur incedere triſtem; hinc identidem ad ſuos verba faciens dicebat: *Triſtentur gentiles, Judæi, & alii infideles, quique ſuam fiduciam in rebus fluxis, & delitiis ſæculi reponunt; Juſti vero, qui ſpe vivâ cæleſtia bona exſpectant, lætentur, & exultent.* Hoc ipſum nos docuit ſuo exemplo Magnus ille Anachoretarum Pater, S. Anto-

S. Antonius; de quo ſcribit S. *Athanaſius*, quod ſemper fuerit lætus, ita ut à reliquis Monachis ex vultûs hilaritate cognoſceretur. Idem de S. Romualdo traditur, qui centum & viginti annorum ſpatio, quorum centum in auſteriſſimis tranſegit pœnitentiis, rerum cæleſtium meditatione vim lacrymarum profundens fruebatur; vultu tamen adeò læto ſemper erat, ut intuentes exhilararet.

5. De Venerabili illo viro Patre Joanne Berckmanno è Societate JESU refert *Tobias Lohner* quòd eam ſemper oris hilaritatem alacritatémque præſeferebat, ut eum aliqui S. Hilarium, alii S. Lætum facetè appellarent: Dicebat, neſcire ſe, quid ſit melancholia, aut melancholicum eſſe. In Sacro quotidie orabat pro lætitia ſpiritûs impetranda. Fortaſſis hoc ipſum didicit à ſanctiſſimo ſuo Patre Ignatio, qui, ut idem refert Author, multum gaudebat, dum ſuos hilares, jucundóſque cernebat. Hinc Franciſco Coſtero adhuc Tyroni, quia ad riſum mirè proclivis eſſet, dixit: Franciſce audio te ſemper ridere. Cúmque ille dejectis oculis acrem reprehenſionem exſpectaret, ſubjecit S. Pater: Et ego dico tibi, fili mi, ut rideas, & gaudeas in Domino; quia Religioſus nullas habet cauſas mæſtitiæ, multas vero lætitiæ. Idipſum etiam ſentit S. Maria Magd. de Pazzis, quæ dum ſuas Novitias ridere cerneret, dicere ſolebat: Ridete, filiæ meæ, ridete, quia juſta gaudendi cauſa eſt, quod mundi fluctibus ereptæ, in hoc portu ſecuriſſimo vivatis. Imo verò ipſa tanto gaudio afficiebatur, ut etiam ipſos Monaſterii parietes frequenter oſcularetur.

6. Denique uſque adeò SS. Patres volunt, hanc nos alacritatem, & animi lætitiam colere, ut ne quidem ob lapſus aliquos animo nos cadere, aut nimiam triſtitiam præferre permittant, monentes ut mox ad Pœnitentiæ Sacramentum recurramus; ſi enim (ut rectè advertit *Joannes Avila*) ob culpas quotidianas & ordinarias contriſtari, & animo dejici nos oporteret, quis obſecro hominum in gaudio & tranquillitate viveret? quia omnes peccamus. *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Tu conare Deo ſervire, & omnem adhibere diligentiam, ſi vero omnem quam potes, non adhibeas, ſed in aliquas adhuc culpas labaris, non eſt id novum, noli id admirari, aut idcirco animo dejici, tales enim ſumus omnes; homo es, non Angelus, fragilis ac lubricus, non in ſanctitate ſolidatus. Probè quoque noſtram miſeriam & debilitatem Deus novit, nec ob eam nos vult animum abjicere, aut deſperare, ſed quamprimum reſurgere, ac majus ab ipſo robur, ac gratiam efflagitare; more infantium, qui cùm cecidêre, illicò ſurgunt, & curſitant uti priùs. Atque ùt infantium lapſibus (ſunt verba *S. Ambroſii*) Pater non offenditur, ſed potiùs ad compatiendum eis movetur; haud ſecus agit vobiſcum Deus juxta illud *Pſalmiſtæ* Pſal. 102. *Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, & recordatus eſt; quoniam pulvis ſumus.* Hoc ergo maximè nos animare debet, ut ſemper hilares & læti in omnibus incedamus, noſſe ſcilicet Deum nos amare, nobis bene velle, eúmque ob omnes hos ordinarios lapſus nobis non indignari, imò tam clementem eſſe, ut etiam hos ipſos defectus admirandâ ſuâ potentiâ in animæ noſtræ emolumentum & commodum convertat, & dirigat.

7. *Quæres*, an & ille æque in hoc ſpirituali gaudio, qui ſe multa gravia patraſſe ſcelera novit, vivere, & non potiùs in ſancto luctu, & dolore continuo,

ex peccatis suis præteritis concepto, se occupare deberet? *Respondeo*, quod quamvis mæror hic sit omnino fructuosus, possumus tamen similiter, imò verò faciliùs peccata præterita expungere hoc spirituali gaudio; siquidem actus perfectior videtur, gaudere se non amplius esse in statu malo, quàm dolere, se aliquando fuisse in eo. Placet audire, quod scribit *Pelagius* libello 5. lib. 5. num. 34. apud *Rosvveidum* in vitis veterum Patrum. Narrat ergo duos fuisse fratres; qui carnis stimulos non ferentes; relicto deserto, ambo uxores duxerunt. Elapso aliquo tempore dixerunt ad invicem: quid egimus, quod spreto felici Monachorum consortio nos immunditiei tradiderimus, & super hoc exspectandum certò habemus inferorum rogum, & tormenta; revertamur igitur ad eremum, nostráque scelera dignis pœnitentiæ fructibus eluamus. Dictum, factum. Hinc eremi Patribus, quid deliquerint, indicarunt, quorum mandato quilibet ad angustam compactus est casam, nihílque aliud præter panem & frigidam eis concesserunt, fuerunt etiam ambo in corporis robore & viribus æquales. Elapso pœnitentiæ cursu cùm uterque suo carcere prodiisset, notarunt Patres unius faciem esse emaciatam & tristem, alterius vero benè robustam & formosam. Interrogantes igitur de hujus inæqualitatis causa, respondit primus: Ego semper ob oculos habui illas pœnas, quas peccatis meis promerui, & ob harum metum non remansit in me nisi pellis & ossa. Secundus vero dixit: Ego semper Deo gratias egi, eúmque glorificavi, quod me de pessimo priori statu exemptum, denuò in pristinum Religiosæ vitæ ordinem asseruerit: Ego denique semper Deum in meis habui cogitationibus, & multum in eo gaudebam, & exultabam. Hinc Seniores judicarunt utriusque pœnitentiam Deo pergratam & acceptam fuisse.

# PARS ALTERA.

8. VErum enim vero, ulteriùs indagare libet, quàm excellens & inæstimabile sit bonum, Gaudium Spirituale. Pius *Asceta Th. à Kemp.* lib. 2. c. 10. §. 5. dicit: *Consolationes spirituales omnes mundi delitias, & carnis voluptates excedunt: nam omnes delitiæ mundanæ, aut vanæ sunt, aut turpes; spirituales verò delitiæ solæ jucundæ & honestæ, ex virtutibus progenitæ, & à Deo puris mentibus infusæ.* De quo ulteriùs S. *Bernardus* sic loquitur: *Illud est verum & summum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur; quod cùm acceperis, nemo tollet à te, cui aliunde comparata omnis jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne pulchrum fœdum est, omne postremò, quod delectare potest, molestum est.* His robur addit ipsa Scriptura, Siquidem Spiritus Veritatis per os *Sapientis* hanc nobis enuntiat sententiam: Eccli. 30. 26. *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Hinc rursùs animæ justæ gaudium expressurus, lauto eam assimilat convivio dicens: *Secura mens, quasi juge convivium.* Prov. 15. 15. Quem textum ita exponit *Lyranus*: *Delectabiliter vivit, sicut homines in convivio.* *Hebræus*, teste Cajetano legit: *bonus corde, convivium juge.* Circa quem textum ita prædictus *Cajetanus* discurrit: Virtus est, quæ reddit bonum illam habentem, & propterea bonus corde, intelligitur præditus virtute, & de eo dicitur, quod est quasi in jugi convivio, est enim in jugi conso-

consolatione, pascendo continuè seipsum. Quantoperè ergo nos non laborare ac sudare decet pro pretiosa hac gemma, scilicet gaudio spiritûs consequendo? Hoc autem fiet, si ex corde stirpitus creaturarum amorem eliminaverimus; quemadmodum enim non est possibile, ut uno quasi oculo terram, altero cælum contempletur; sic sentire & habere simul gaudia spiritualia, & terrena ac carnalia, impossibile est.

9. Ratio est, quia delitiæ mundanæ contrariantur, obstántque divinis. *Renuit consolari*, inquit *Psalmographus* Ps. 76. *anima mea, memor fui Dei & delectatus sum.* Quæ *Davidis* verba primo quidem intuitu contradictionem continere videntur; dicit námque, cor suum omnem exclusisse consolationem. *Renuit consolari anima mea*, & nihilominus eodem quoque tempore jubilum induisse astruit: *Delectatus sum.* Quæ hæc terminorum connexio, quæ compossibilitas? Nodum difficultatis subtiliter solvit *S. Thomas de Villanova* serm. de S. Dorothea, inquiens: *Quàm mirifice, quàm pulchrè, omnium Spiritualium vitam, mores, officium, & statum in semetipso expressit? Renuit in sensibilibus consolari, qui delitiis spiritualibus abundabat; non in creaturæ usu, sed in Dei memoria omnis consolatio ejus.* David fallaces exterminârat mundi consolationes & voluptates, ut tantò abundantiùs se locupletaret cælestibus. Accuratè advertit *S. Bernardus*, quod juxta Evangeliorum historiam Angeli visibiliter Christo apparuisse non describantur, nisi post victoriam, à Lucifero reportatam in deserto; Unde hoc ad utilitatem nostram eruit dogma: *Et tu ergo, si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæculi, renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari.* Ita *Bernard.* serm. 4. in Psal. 90.

10. Verum, constánsque est gaudium, cui *Philippensium* corda immergere gestiebat Apostolus cùm diceret: Phil. 4. *Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete:* Id est, cor vestrum exhilarate, inquit *S. Anselmus*, & omne bonum, unde gaudendum est, statuite vobis in Domino, non extra; gaudete non in sæculo, sed in Domino; Sicut enim nemo potest duobus Dominis servire, sic nemo potest & in Domino, & in sæculo gaudere, contraria enim sunt hæc duo gaudia, nam sæculi gaudium est impunita nequitia. Tremant & contremiscant, qui in mundanis rebus quærunt suas consolationes & satisfactiones. Luc. 6. 24. *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram; væ vobis, qui nunc ridetis.* Et meritò *væ*, quoniam teste *Hugone* juxta S. Bernardi sententiam: *Delicata est divina consolatio, nec conceditur admittentibus alienam.* Porrò ipse Hugo Cardinalis consolationem mundanam in tribus fundari considerat, scilicet in divitiis, voluptatibus, & honoribus; ast hi ipsi tres erant molestissimi consolatores Job; Isti sunt tres consolatores *Job*, quibus dicit cap. 16. *Consolatores onerosi omnes vos estis.* Quia onerant consolatum onere gravissimo, scilicet desolatione æternâ.

11. Sciens Christus discipulos suos nimio Sacratissimæ humanitatis ejus amore inescatos, ad eosdem conversus ait: *Joan.* 16. 7. *Expedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Suum astruit in cælum necessarium ascensum; ut S. Spiritus ad eos ablegetur. Quale, óbsecro, Sanctissimi illius Spiritûs receptioni impedimentum afferre poterat corporalis incarnatæ Majestatis præsentia? Ita ne invisa Paracleto præsentia Christi, (quærit *S. Bernardus* serm. 6. de Ascens.) aut contubernium Dominicæ carnis Spiritus Sanctus horrebat; quæ, sicut Angelo prænuntiante cognovimus,

nec concipi quidem nisi à superveniente potuerit? Quid est ergo, *nisi ego abiero, Paracletus non veniet*; nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit? Ex quibus præmissis considerabilem admodum, ut quantum mundana gaudia divinis afferant obstaculum, edoceamur, hanc eruit *melleus* Doctor consequentiam: *Qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fovet, in carne seminat, carnem sapit, quomodo audeat illam nihilominus consolationem supernæ visitationis, illam sperare gratiam Spiritûs vehementis, quam, ut Veritas ipsa testatur, ne eum ipsa quidem Verbi carne percipere ullatenus Apostoli potuerunt?*

12. Cur credimus factum, quod lex antiqua mel, liquorem suavissimum à Sacrificiis amoverit? *Nec quidquam mellis adolebitur in Sacrificio Domini. Levit. 2.* S. *Eucherius* nostro subserviens proposito, sequentem assignat rationem: *Quia resoluti blandimentis delitiarum, aut dulcedine voluptatum, non possunt Mysteriorum Dei esse participes.* Quemadmodum incompatibiles sunt aqua & ignis, ita gaudia terrestria & spiritualia in corde humano. Quomodò ignis & aqua simul esse non possunt (verba sunt S. *Bernardi* ep. 2. ad Fulcon.) sic spirituales & carnales delitiæ in eodem se non compatiuntur. Necesse est ergo has à se proscribere, quisquis illis perfrui discupit. Hinc pulchrè *Thomas Kemp.* l. 3. c. 10. *Inveniet*, inquit, *suavissimam Spiritûs Sancti consolationem, qui pro amore Dei omnem carnalem abjecerit consolationem. Isaac* lætitiæ exstitit Symbolum, dicente matre dum pareret: *Risum fecit mihi Deus. Gen. 21, 6.* Huic filio in lucem edito solemne Abraham apparavit convivium: *fecit Abraham grande convivium.* Ast quo fine? ut ablactaretur infans: *in die ablactationis ejus*, quando erat à maternis uberibus amovendus, quando duro cœpit vesci pane. *Omnia in figura contingebant illis.* Voluit námque hoc in facto nos edocere Deus, tunc animam nostram spiritualibus abundè nutriendam consolationibus, quando à sensuum lenociniis & fallaciis sequestrata fuerit, & amore Dei didicerit se mortificare.

13. Porrò, ut majori cum facilitate, promptitudine, & efficacia, fallacia mundi oblectamenta propulsare, spiritualibúsque è contra inhiare valeamus, pensiculatiùs ruminare & considerare oportet discrimen, quod reperitur inter duo hæc gaudia, id autem egregiè more suo S. *Gregorius* hom. 36. in Evang. sequentibus adumbrat verbis: Hoc distat inter delitias cordis & corporis, quod corporales delitiæ, cùm non habentur, grave in se desiderium accendant; cùm vero avidè eduntur, comedentem protinùs in sui fastidium per sui satietatem vertunt. At contrà Spirituales delitiæ, cùm non habentur, in fastidio sunt; cùm vero habentur, in desiderio, tantóque à comedente ampliùs esuriuntur, quantò ab esuriente ampliùs comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet; in istis appetitus vilis est, & experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit; augent enim spirituales delitiæ desiderium in mente, dum satiant, quia quantò magis earum sapor percipitur, eò ampliùs cognoscitur, quod avidiùs ametur, & idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat quod ignorat? Proinde *Psalmista* Psal. 33. nos admonet dicens: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*: Ac si apertè dicat: suavitatem ejus non cognoscitis, si hanc minimè

nimè gustatis: sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, ut probantes ejus dulcedinem amare valeatis. Hactenus S. *Greg.*

14. Porrò, cur delectationes, & res delectabiles hujus vitæ in homine sæpe nauseam creent, assignat S. *Thomas* 1.2. q. 1. ad 3. dicens: Quòd temporalia bona, quando jam habentur, ipsa contemnuntur, & alia appetuntur, secundùm quod significatur *Joan.* 4. cùm Dominus dicit: *Qui bibit ex hac aqua*, per quam temporalia significantur, *sitiet iterum*; Et hoc ideo: quia eorum insufficientia magis cognoscitur cùm habentur, & ideo hoc ipsum ostendit eorum imperfectionem, & quòd in eis summum bonum non consistit. Ita *Angelicus Doctor.* Sequitur proinde, quòd bona temporalia humani appetitûs sitim minimè restinguere possint. Licèt autem etiam bona spiritualia suam habeant sitim, secundùm illud *Ecclesiastici* cap. 24. *Qui bibunt me, adhuc sitient*; est tamen differentia magna inter sitim, quam causat res spiritualis, & inter sitim, quam acuit res temporalis. Licèt enim utraque generet sitim, tamen aliter & aliter (inquit rursus *Angelicus Magister* in caput 4. *Joan.* lect. 2. lit. c.) Quia res temporalis habita causat quidem sitim non suiipsius, sed alterius rei: spiritualis verò tollit sitim alterius rei, & causat suiipsius sitim. Cujus ratio est: quia res temporalis, antequam habeatur, æstimatur magni pretii & sufficiens: sed postquam habetur, quia nec tanta, nec sufficiens ad quietandum desiderium invenitur; ideo non satiat desiderium, quin ad aliud habendum moveatur. Res verò spiritualis non cognoscitur, nisi cùm habetur. Hinc dicitur *Apocal.* 2. *Nemo scit, nisi qui accipit.* Et ideo non habita non movet desiderium: sed cùm habetur & cognoscitur, tunc delectat affectum, & movet desiderium, non quidem ad aliud habendum, sed quia imperfectè percipitur propter recipientis imperfectionem, movet ut ipsa perfectè habeatur. Et de hac siti dicitur *Psal.* 41. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Sed hæc sitis in mundo isto usquequaque non tollitur, quia bona spiritualia in ista vita perfectè percipere non possumus, & ideo *qui biberit ex hac aqua*, adhuc quidem sitiet ejus perfectionem, sed non sitiet in æternum, quia, ùt dicitur *Psal.* 35. *Inebriabûntur ab ubertate domûs tuæ.* Hactenus S. *Thomas*,

15. Ex quibus omnibus satis abundéque liquet, delectationes spirituales esse multò majores delectationibus corporalibus; quia delectabilia corporalia sunt corruptibilia, & citò deficiunt: bona verò spiritualia sunt incorruptibilia, unde suaviùs delectant. Item bona corporalia (ut *Sanctus Thomas* docet Opusc. 11. cap. 4) delectant superficialiter & quasi exterius; bona autem spiritualia intimè; penetrant enim totam substantiam animæ, & ideo medullitùs delectant. Ex quo apparet, quòd delectationes corporales, seu mundanæ animam non possint facere quietam aut contentam stabiliter & permanenter, quia eam non pervadunt, nec penetrant, imò in se eam non attingunt, sed tantùm corpus sensúsque afficiunt, & per eos animam obiter perstringunt. Quare istiusmodi sensuum voluptas similis est pomis Sodomæ, quæ mox, ut tanguntur, in favillam & cinerem abeunt, quemadmodum *Solinus* c. 44. de Pomis Sodomæ perhibet. Cur autem homines (ut experientiâ constat) carnis & corporis potiùs sequantur oblectamenta, relictis delectationibus spiritualibus; quæ tamen (ùt ostensum) multò sunt majores corpora-

libus,

libus, rationem dat S. *Thomas* 1. 2.q.31. a. 5. ad 1. *Quia ideo plures sequuntur delectationes corporales, quia bona sensibilia sunt magis & pluribus nota. Et cùm plures hominum non possint attingere ad delectationes spirituales, quæ sunt propriæ virtuosorum, consequens est, quòd declinent ad corporales, cùm omnes aliquam delectationem sequantur, secundùm Philosophum in* 10. *Ethic. cap.* 2. & 3.

16. Contemnuntur igitur, nauseâque potiùs habentur quàm appetantur, bona spiritualia, quia minimè cognoscuntur. Nec tamen cognosci possunt, nisi prægustentur; cur verò non degustentur, causam assignat proximè laudatus *Doctor Angelicus* (*Rom.* 12. lect. 1. ibi. *ut probetis*) dicens: *Quia sicut homo, qui habet gustum infectum, non habet rectum judicium de saporibus, sed ea, quæ sunt suavia, interdum abominatur; ea verò, quæ sunt abominabilia, appetit: qui autem habet gustum sanum, rectum judicium de saporibus habet: Ita homo, qui habet corruptum affectum, quasi conformatum rebus sæcularibus, non habet rectum judicium de bono spirituali; sed ille, qui habet rectum & sanum affectum, sensu ejus innovato per gratiam, rectum judicium habet de bono spirituali & divino.* Quo sensu dicitur *Jerem.* 31. 30. *Omnis homo qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus.* Quia videlicet, qui præsentis vitæ & mundi delectationibus pascitur, interni ejus sensus ligantur, ut jam spiritualia sapere nequeant. Ex quibus erudimur, quòd nullus spiritualibus gaudiis potiri poterit, nisi quis omnem priùs inordinatum creaturarum affectum, & gaudia mundana rejecerit, quemadmodum paulò antè diximus. Et hoc verum esse, ex illo *Prophetæ Evangelici* oraculo, seu quæsito ulteriùs ostenditur: *Quem docebit scientiam* (quærit *Isaias* cap. 28. 9.) *aut quem intelligere faciet auditum?* Auditum, scilicet eorum quæ *Dominus* loquitur. Et respondet: *Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Quasi diceret: Deus docere solet scientiam & sapientiam divinam (in qua mirum animi latet gaudium) eos, qui à deliciis puerilibus, mundanis, & carnalibus avulsi sunt. Nam qui adhuc instar infantis uberibus, mundi nimirum cupediis, sive impuris carnis concupiscentiis affixus hæret, hic veræ sapientiæ, & gaudii à Spiritu DEI emanantis incapax est, nec gustare poterit quàm suavis sit Dominus. Serviat igitur epiphonematis loco illud, quod aliquando ad S. Franciscum Seraphicum dixit Christus Dominus: *Me desideras, Francisce? Amara tibi dulcia, dulcia amara sunto.* Ex quo patet, quòd sicut gaudium spirituale secum morari non patitur delectationes carnales; ita in suo consortio adesse gaudet tribulationes & mundi adversitates, secundùm illud *Psalmi.* 93. 19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* De quo continuò plura Parte sequenti.

# PARS TERTIA.

17. Quòd gaudium spirituale cum tribulationibus simul stare possit, ostenditur primò ex ejus definitione, superiùs serm. 31. num. 24. allata, quam hîc repetere oportet. Definitur itaque gaudium, quòd sit *Quies vitalis in bono congruenter adepto, quæ in ratione potissimum consistit*; & per hoc à delectatione in communi, & exultatione (quæ in membra exteriora diffunditur) & à jucunditate

(quæ in vultu proditur) distinguitur. Licèt autem hæc tria nomina, scilicet *delectatio*, *exultatio*, & *jucunditas* ad gaudium spectent, ac ab eodem velut rivus à fonte promanent; non tamen necessariò cum illo connectuntur, cùm frequenter sint in homine, qui gaudio vero caret. Proinde notandum ex *D. Thoma* 1. 2. q. 31. a. 3. corp. *Quòd gaudium verum non habet locum, nisi in delectatione, quæ consequitur rationem: unde gaudium non attribuimus brutis animalibus, sed solum nomen delectationis.* Ex quo sequitur, quòd ubicunque est gaudium, ibi est delectatio; non tamen è converso; scilicet, quòd, ubi est delectatio, ibi sit & gaudium. Patet id primò in bestiis, in quibus est delectatio, non tamen gaudium, cùm careant ratione. Secundò in hominibus: *Quandoque enim aliquis sentit aliquam delectationem secundum corpus, de qua tamen non gaudet secundùm rationem.* Exemplum habemus in Sancto Maryre *Niceta* (ut visum serm. 18. num. 10.) qui ligatus, & vim passus à meretrice, utique delectationem in turpi complexu corporaliter sentiebat, de qua tamen non solùm non gaudebat secundùm mentem, quia potiùs vehementissimè tristabatur, & mærore summo afficiebatur. Sicut ergo in homine potest esse delectatio in appetitu sensitivo, & simul etiam in parte rationali de sensibili delectatione tristitia; ita similiter potest homo habere secundùm carnem tristitiam & dolorem, secundùm mentem tamen gaudium & exultationem, ut patet in Sanctis Martyribus, qui in maximis tormentis positi gaudebant, & exultabant. Quamvis ergo gaudium contrariè opponatur tristitiæ, potest tamen optimè stare cum ea in eodem subjecto, prout docet *Angelicus Præceptor* 1. 2. q. 32. a. 3. ad 2. ubi ait: *Nihil prohibet idem secundùm diversa esse causam contrariorum.*

15. Ex quibus docemur, nullam involvere implicantiam, quin gaudium & tristitia simul & semel in eodem homine esse possint; & licèt sub eadem ratione in eodem subjecto subsistere nequeant gaudium & tristitia, bene tamen sub ratione diversa; nimirum, ut tristitiam & afflictionem patiatur homo in parte inferiore seu sensitiva; pace verò & gaudio potiatur ob easdem adversitates in parte rationali, & quidem tantò majori, quô fuerint & afflictiones graviores, secundùm illud *Psalmistæ* proloquium: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo*, id est, juxta mensuram dolorum, qui tristitiam in corde meo gignebant, *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam:* non enim juxta mensuram dolorum in carne, reddit Deus justis in hac vita consolationes in carne: neque enim simul esse possunt dolores in carne, & consolationes in carne: sed juxta mensuram dolorum in carne tribuit Deus justis consolationem in anima, quæ mitigat tristitiam cordis ex doloribus carnis provenientem. Unde non solùm Deus justis per providentiam suam tribuit patientiam, sed etiam consolationem magnam & ineffabilem; quæ non tollit tribulationes, sed cum iis consistit, eásque vertit in materiam gaudiorum. Sic enim dicit *Apostolus* 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra:* Quia videlicet vir justus, dum tribulatur, intelligit, se purgari à scoria vitiorum, si adest; vel, se probari à Domino, si ea non adest; vel intelligit, se conformem fieri Christo patienti, ut cum eo postea glorificetur; intelligit denique magnum esse, & supra modum excellens præmium patientiæ,

tientiæ, juxta illud 2. Cor. 4. 17. *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.*

19. Denique idem Tarsensis Præco in eadem Epistola secunda ad *Corinthios* cap. 6. hanc suis perscripsit doctrinam: *Quasi tristes, semper autem gaudentes*; id est, tristes propter verbera & afflictiones, quibus corpora exteriùs afficiuntur, gaudentes autem gaudio spirituali & interiori tanquam in sinu nostro. *Vox* enim *exultationis* est *in tabernaculis justorum*. Ps. 117. Observat hic D. P. *Augustinus* in Psal. 138. Apostolum non dixisse: *Semper tristes, quasi autem gaudentes*, sed: *Quasi tristes, semper autem gaudentes*; quia gaudium verum erat propter internam Spiritûs Sancti consolationem, & spem æternæ retributionis; sed tristitia solùm erat quasi tristitia, cùm afflictio partis animalis superaretur à majori gaudio Spiritûs. Similiter D. *Thomas* (2. Cor. 6. lect. 2. circa fin.) in eorum persona, qui secundùm carnem tristantur, gaudent verò in spiritu, sic ait: *Quia licet in exterioribus, & quæ ad carnem sunt, patiamur tristitiam & amaritudinem; interius tamen continuum gaudium habemus, quod crescit in nobis ex consolationibus Spiritus Sancti, & spe remunerationis æternæ.*

20. Et rectè; quemadmodum enim miles, qui eligitur ad deferendum arma Regis, licèt in illis portandis secundùm corpus gravetur, animo tamen mirè gaudet, quòd in tali labore, qui magnam habet annexam gloriam, sit positus. Haud aliter Servi Dei, à Spiritu Sancto edocti, cùm clarè cognoscant, nil gloriosiùs esse homini Christiano, quàm sui Domini, ac Ducis Christi stigmata ferre in suo corpore, eique per fortem passionum & tribulationum sufferentiam aliquo modo assimilari. Hinc si quid adversi pro ejus amore pati contingat, eorum animus miro repleri solet gaudio, quemadmodum intueri licet in Apostolis, de quibus refert S. *Lucas* in Actibus Apostolorum cap. 4. v. 41. quòd *ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro Nomine JESU contumeliam pati.* Pro Nomine JESU (inquit *Hugo Card.*) non pro alio crimine, *Glossa* enim dicit: *Ubi Christus in causa est, maledictio est optanda.* Insignis hoc loco minimè subticendus sese insinuat *Dionysii Carth.* in Ps. 93. v. 19. discursus, inquientis: *Omnis qui pro causa honesta affligitur, dummodò afflictionem suam æquanimiter toleret, omnèmque carnalem ac vilem delectationem despiciat, promeretur consolari à Domino, tantò exuberantiùs, quantò abundantiùs dolet. Si igitur ad divinarum consolationum (quæ veræ dulcissimæque consistunt) gustum pertingere nitimur, multarum tribulationum afflictionem perpeti non dedignemur, sed gratulemur: Quoniam si socii fuerimus passionum, erimus & socii consolationum.* Denique quod S. P. *August.* dicit de lacrymis orantis, quod nimirum sint dulciores, quàm gaudia Theatrorum, etiam dici potest de quacunque adversitate propter Deum toleratâ, quòd scilicet longè uberiorem post se relinquat voluptatem, quàm quævis mundi gaudia. Expertus est id Magnus Ecclesiæ Doctor S. *Hieronymus* (ùt ipse testatur ad Eustochium sic scribens:) *Ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam mihi videbar interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudénsque cantabam.* Hinc rectè monet pius Asceta *Thom. Kemp.* l. 3. c. 30. §. 6. in persona Christi sic loquens: *Si rectè sapis, & in veritate aspicis, nunquam debes propter adversa tam dejectè contristari, sed magis gaudere, & gratias agere; imò hoc unum reputare gaudium, quod affligens te doloribus, non parcam tibi.*

21. Ul-

21. Ulteriùs, perfectum animi gaudium non in prosperis rerum successibus, sed in sincera ac forti adversitatum tolerantia consistere, pulcherrimo nos docuit sermone S. Franciscus Seraphicus apud *Drexelium* in Rosis tr. 21. c. 6. §. 3. Cùm enim S. hic Pater ad Mariam de Angelis cum Fratre quodam, cui nomen erat Leo, iter ageret, ac tunc temporis acris bruma sæviret, Vir Sanctus ad itineris comitem conversus: O frater Leo (inquit) Quamvis Fratres Minores in omni terra dent bonum exemplum magnæ sanctitatis & ædificationis, tamen diligenter scribe, & accuratè annota in libello tuo, quod ibi non est perfecta lætitia. Paulò post vocavit fratrem Leonem, se præcedentem, dixitque: ô Frater Leo, quamvis Frater minor illuminet cæcos, contractos extendat, dæmones pellat, surdis auditum, claudis gressum, & mutis restituat loquelam, & quod majus est, quatriduanum resuscitet mortuum, scribe, quia ibi non est perfecta lætitia. Quibus dictis, cùm paululùm reticuisset, rursus ait: ô Frater Leo; si frater minor sciret omnium gentium linguas, & omnes scientias & scripturas, & si sciret Prophetare & revelare non solùm futura, sed etiam conscientias aliorum introspiceret; scribe, quia ibi non est perfecta lætitia. Dúmque iter suum ambo prosequerentur, Seraphicus Pater iterum magnâ voce dixit: ô Frater Leo, etsi ex nobis aliquis loquatur linguâ Angelicâ, & sciat stellarum cursus, & virtutes herbarum, & sint ei revelationes thesauri terrarum, & si cognosceret virtutes & proprietates avium, piscium, & animalium, & hominum, & radicum, & lapidum, & arborum, & aquarum, scribe, quia ibi non est perfecta lætitia. Hinc cùm in silentio aliquam viam emensus esset, iterum ad socium suum ait: O frater Leo, etsi Religiosus quidam etiam sciret tam potenter & ferventer prædicare, quòd converteret omnes infideles ad fidem; scribe securè, & diligenter nota, quod ibi non est perfecta lætitia. Nova hæc adhortandi methodus duravit per duo fermè milliaria.

22. Verùm hanc mirabilem doctrinam non satis admirans Leo dixit: Sancte Pater, precor te per amorem DEI, si nihil horum, quæ memorâsti, causa & ratio sit lætandi, explica ergo, & pande mihi, in quonam verum consistat gaudium? Cui S. Franciscus: Quando veniemus ad locum S. Mariæ de Angelis sic balneati pluviáque & frigore congelati, luto etiam deturpati, & fame afflicti, & ad portam sonabimus, & Portinarius veniet iratus, dicens: Qui estis vos? & nos diceremus; sumus duo de fratribus vestris. Et ille è contrario diceret; imò estis duo errones fugitivi, per mundum eleëmosynas pauperum rapiendo, & non aperiret nobis, sed faceret nos stare ad nivem & aquam, in frigore & fame usque ad noctem. Tunc si tot repulsas, & injurias sine turbatione & murmuratione toleraverimus patienter, & cogitaverimus humiliter & charitativè, quod ille portinarius rectè uti sumus meriti, nos salutaverit, & quod Deus excitat linguam ejus contra nos. Si insuper Deo gratias agimus pro tam humana scilicet acceptatione. O frater Leo, scribe, quia ibi est perfecta lætitia. Et si nos pulsando perseveraverimus, & ille portinarius tanquam contra nos importunos exeat contra nos, & durissimè nos afficiat dicens: recedite hinc scelerati nebulones, & ite ad hospitale, vel quò vobis visum fuerit, hîc penitùs non manducabitis. Et si nos gaudentes hoc portabimus; & injuriati cum amore perceperimus toto corde, scribe diligenter,

quòd hæc ſit perfecta lætitia. Et ſi nos undique afflicti, fame urgente, frigore affligente, nocte inſuper appropinquante pulſabimus, clamabimus, fletu inſtabimus, ut aperiat nobis, & ille inde ſtimulatus dixerit: Iſti ſunt homines procaciſſimi & protervi; & ego pacabo eos, & exiens cum uno fuſte nodoſo, & capiens nos per caputium in terram ſuper lutum & nives projiciet, & taliter nos verberabit cum fuſte prædicto, quòd undique nos plagis implebit. Si tot mala, ſi tot injurias & verbera cum patientia, & animi gaudio toleremus, & pro magno lucro æſtimemus gaudentes, & deſiderantes plura pro amore & gloria Domini noſtri JESU Chriſti perferre; Scribe, & accuratè obſerva; quod in his perfecta ſit lætitia. Et audi concluſionem. Inter omnia chariſmata S. Spiritûs, quæ Chriſtus ſervis ſuis conceſſit, & concedet, maximum eſt vincere ſeipſum, & libenter propter ipſius charitatem opprobria, vexationes, injurias, & plura alia ſimilia adverſantia ſuſtinere. Nam in omnibus mirabilibus prædictis gloriari non poſſumus, quia non ſunt noſtra, ſed Dei; *Quid enim habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* ſed in cruce tribulationis & afflictionis poſſumus gloriari, quia illud eſt noſtrum. Et ideo dixit idem *Apoſtolus*: *Abſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri JESU Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Gal. 6. Uno verbo, mi frater Leo, hæc eſt gloria noſtra, hoc gaudium noſtrum, amore Chriſti multa pati. Et hoc eſt egregium exemplar gaudii Spiritualis, quod nobis reliquit Seraphicus hic S. Pater. Hoc ergo gaudium, de quo nunc diſſerimus, cordi tuo inſere, & ut illud majora indies incrementa ſuſcipiat, riga hoc frequenter compunctionis aquâ, & admove ſæpè mortificationis aratrum; hoc enim modo haud dubiè experieris, verum eſſe illud Chriſti effatum: *Regnum Dei intra vos eſt.* Luc. 17. 21. Anima quippe bene compoſita, ſuarúmque paſſionum Domina, bonæ conſcientiæ pacem, & quietem poſſidens, in ſe regnum Dei habet, cujus in hæc verba meminit S. Apoſt. *Paulus: Non eſt regnum Dei, eſca & potus: ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu S.* Rom. 14. 17. Præcipuus animæ cibus, maximéque ſatiativus, eſt conſolatio & ſuavitas Spiritûs Sancti. Quoniam verò cenſura ſilentii ad ſpiritualis gaudii cumulum & augmentum plurimùm facit; proinde, ne nobiliſſima hæc gaudii ſpiritûs virtus è cordis noſtri domo egredi poſſit, vigilem ei conſtituamus ſilentium religioſum, de quo agendum modò.



SERMO

# SERMO XXXIV.

# DE SILENTIO RELIGIOSO.

*Sedebit Solitarius, & tacebit; quia levavit se super se.* Thren. 3. 28.

## PARS PRIMA

1. INter reliqua, eáque præcipua media, quæ ad proficiendum in virtute, & ad perfectionem religiosam assequendam, necessaria sunt, est etiam taciturnitas, quam virtutem singulariter nobis commendat, & inculcat Ascetarum nonnemo, dum de gradibus humilitatis tractans, in hæc exorditur verba: *Frater charissime, si pretiosæ illius, inæstimabilisque gemmæ; humilitatis inquam, quæ solidæ veræque certissimum est pignus sanctitatis, indipiscendæ ardes desiderio: primum silentii quam arctissimi, penéque anachoretici debes esse longè observantissimus, ita ut vi os medium, etiam ad res necessarias exponendas præsumas aperire.* Itaque silentium est medium præstantissimum & efficacissimam ad virtutes congregandas, & conservandas; etenim cùm humilitas quam plurimas alias secum trahat virtutes, hæcque sine observatione silentii diu conservari nequeat, consequitur manifestè, silentium Religioso, ad perfectionem anhelanti, summè fore necessarium. Nam quid est silentium aliud, quam religiosæ vitæ fulcrum, sine quo mox cadit, & evertitur disciplina claustralis? Quid aliud est silentium, quam auctrix, & conservatrix internæ devotionis? Siquidem illud sui amatorem ad amandum Deum succendit, & mentis fervorem nutrit, augmentátque. Hinc pius *Asceta* serm. ad Novitios rectè dicit: *In nullo ordine stabit pax & disciplina, si non adsit censura silentii, quietis amica, quæ est devotionis nutrimentum.*

2. Breviter S. *Diadochus* Bibl. PP. to. 3. l. de perf. c. 70. silentii commoda his depingit verbis: *Silentium res est omnino præclara, & nihil aliud, quam Mater sapientissimorum cogitatuum.* Ecce emolumentum & fructum, ex observatione silentii affatim promanantem; siquidem efficit cogitationes nostras, & affectus animi ad Deum & cælestia identidem ascendere; & quid Sanctiùs, quid meliùs, & fructuosiùs animæ nostræ tali pietatis exercitio? Ast forsan homo verbosus æque taliter cor, & mentem suam ad superna attollere valet? Nequaquam. Quis enim unquam piis, sanctísque repletus fuit cogitationibus, qui pro libitu silentii leges violare, passimque otiosa, jocosa, vana, & scurrilia verba improvidè effutire consuevit? Profectò nullus.

Nunquid Vir verbosus justificabitur? petit *Job.* 11. 2. Respondet S. *Gregorius* l. 10. moral. c. 2. rem esse certissimam, virum loquacem nunquam justificandum, nec multum profecturum. Ad quod probandum allegat inter multas S. Scripturæ auctoritates, etiam hanc Prophetæ Regii *Psal.* 139. *Vir linguosus non dirigetur in terra*; hoc est, non plantabit radicem solidam perfectionis. Hanc ob causam tantoperè ab omnibus perfectionis Magistris, & Religiosarum familiarum Fundatoribus silentium Religiosis præ cæteris commendatum est, non ignorantibus, quanta spiritualis profectûs incrementa ex hujus virtutis observantia prognasci soleant.

3. Hinc celebris & perdoctus Vir *Hieronimus Natalis* apud Rodriq. p. 2. tr. 2. c. 6. dicere solebat, ad reformandam alicujus domûs, aut Ordinis disciplinam nil aliud requiri, quàm introducere silentium, quo servato, omnia benè ordinata ac reformata in illo Monasterio, seu Religione erunt. Quod idem sentit S. *Ignatius Lojola*, qui pro certo signo habebat, an in aliquo monasterio disciplina claustralis vigeret: scilicet si benè servaretur silentium, non essent confabulationes, strepitus, & clamores. Si ergo tam S. Fundator, ùt erat Ignatius, inter tria præcipua ad conservandam aliquam religiosam domum, etiam requisivit silentium: Quidni asceticum hocce exercitium à quolibet Religioso, domum mentis suæ reformare, & restaurare volente desiderabitur? Quidni ab eo quoque exposcetur, qui efficaciter in spiritu proficiendi desiderio æstuat, ut apprimè silentii censuram teneat, linguámque suam ab omnibus otiosis ac inutilibus verbis cohibeat? Sic enim docet S. *Petrus* in Epist. 1. c. 3. cum Psalmographo Ps. 33. dicens: *Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam suam à malo.* Quasi diceret, qui exoptat Dei gratiam, quæ vera animæ vita est, & cupit dies videre bonos, virtutibus scilicet piísque operibus stipatos & ornatos, refrænet linguam suam à malo, hoc est, non solùm à verbis perniciosis, inhonestis, & scurrilibus, verùm etiam à jocosis & otiosis, de quibus (teste ipsomet Christo *Matth.* 12.) velut malis actibus in die judicii homines reddituri sunt rationem.

4. S. *Bernardus* rationem reddens, cur pauci inveniantur spirituales & perfecti viri, ideo id dicit fieri, quia rari sunt qui linguam refrænantes, veri sint silentii amici; Nam in sermone de triplici custodia ita scribit: *Quod si dixeris, rarus est, qui sermones suos in judicio disponere videatur, vel ex hoc disces, quam sit rara perfectio, cùm nec perfectum inveneris esse commune.* Ac proinde in sermone quodam de modo benè vivendi sororem suam his verbis monet: *Linguam tuam refræna, & eris religiosa, quia si eam non refrænaveris, religiosa non eris. Sed si forsitan mihi non credis, audi Jacobum dicentem: Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est Religio.* S. *Damascenus* virtutem & meritum hujus custodiæ paucis quidem, sed gravibus verbis exprimit; nam Nazianzeni adducens authoritatem, inquit: *Nescitis, quantum bonum divinitùs sit consecutus, cui silere liceat.*

5. Denique quam magna ex silentii sedula custodia scaturiant emolumenta spiritûs, declarat S. *Maria Magd. de Pazzis*, dicere solita: Sicut impossibile est, ut anima religiosa, quæ non delectatur silentio, gustet res divinas; ita nemo aptior est ad divinas consolationes percipiendas, quam silentii custos, juxta illud *Jeremiæ* Thren. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit,*

*tacebit, quia levavit se super se.* Quæ verba B. Petrus Damiani sequenti illustrat commentario, dicens: libro 7. epistola 6. *Dum tacet, se elevat super se; quia mens humana, dum intra silentii claustra circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cælestis desiderium rapitur, & in amorem ejus per ardorem Spiritus inflammatur.* Cui astipulatur S. *Climacus* grad. 11. in hæc verba: *Si linguam tuam custodieris, dabitur tibi à Deo gratia, compunctio nempe cordis, in qua videbit animam tuam; & in hac egredieris in gaudium Spiritûs; si autem lingua te vicerit, crede mihi, quod dico tibi, nunquam poteris à tenebris mentis emergere.* Illa námque anima, quæ se colloquio privat humano, ad divinum admitti meretur, ita enim meditatur idem S. *Joannes Climacus*, inquiens: *Studiosus silentii est familiaris Deo, & arcano quodam modo, dum cum illo familiariter colloquitur, à Deo illustratur.*

6. *Thomas Kemp.* similiter fructus silentii ante nostros oculos collocat, sic scribens: *Silentium bene observando obedientiam etiam servas, humilitatem retines, verecundiam adornas, senibus reverentiam exhibes, juvenibus exemplum præbes, levibus & dyscolis timorem incutis, extraneis bonam famam, intraneis pacem & concordiam generas.* Accedit S. *Laurentius Justin.* in fasc. divin. Am. c. 11. qui virtutem silentii his laudum præconiis adornat dicens: *Obstructo inutilium verborum meatu, inclusus amoris ignis cogitationes modificat, animum compungit, vitia fugat, lacrymarum fontes educit, sectatur pacem, sursum cor erigit, Deóque conjungit.* Hæc si credere nolis, interroga veteres eremi Patres, nemorúmque cultores, & dicent tibi, se per rigidam silentii custodiam, illam austeritatem, vitæque perfectionem assecutos fuisse, quam de facto totus mundus non satis admirari potest, & super eorum facta adhuc attonitus quodammodo hæret. S. *Hieron.* in Reg. Monach. testatur, se invenisse aliquot eremi Patres tam observantes silentii, ut integro septennio nec unicum quidem verbulum sibi passi sint excidere. Quâ proinde methodo se divini influxûs capaces reddiderunt sic, ut non tam in terris, quam in cælis, non tam inter homines, quam inter Angelos versari, & commorari viderentur. Siquidem tanta inter illos erat concordia, tanta pax, & spirituale gaudium, ut eos potiùs in paradiso, quam in vastis eremi latebris degere crederes. De uno scribit *Palladius* in vit. PP. l. 8. c. 50. in hæc verba: Vidimus alium non procul à civitate in solitudine, nomine Theona, virum Sanctum, in domuncula seorsum inclusum, qui tempore 30. annorum silentium tenuerat; is cùm plurimas virtutes perageret, habebatur ùt Propheta: Exibat enim ad ipsum multitudo ægrotantium, quibus manus imponens per fenestram, dimittebat eos abire salvos. Licebat videre ipsum habentem vultum Angeli, lætis oculis, & totum plenum maxima gratia. Ecce fructum silentii. Sed audi plura.

7. Ammon Abbas vitæ Sanctimoniâ clarus, præfuit in illo Monasterio, quod in eremo Scythica positum erat, mille quingentis Monachis, quos tamen omnes majori longè cum facilitate regebat, quàm vix his temporibus quispiam decem gubernare valet; quoniam omnes taciturnitatem adeò tenacem & rigidam tenebant, ut horis, quibus silentium indictum erat, sæpe numero locum illum peregrini homines adeuntes neminem ibi adesse arbitrati sint, donec intrò ingressi, illos vel orantes, vel aliud in cellulis suis agentes cernerent. Et vel ideo mirum alicui videri non debet, unum tot cœnobitis præesse potuisse; qui enim silentii tenaces sunt, nunquam vel rarò aliquâ egent correctione, quia dum quis

tacet,

tacet, loquitur illi Deus per ſanctas ſalubrésque inſpirationes, docétque eum quid cavere aut agere oporteat. Hinc B. *Antiochus* hom. 103. refert, ſilentium matrem jure merito cenſeri virtutum, quas Monachi poſſident. Qui ergo Religioſæ perfectionis deſiderio ardet, ſilentium amore proſequatur, neceſſum eſt.

# PARS ALTERA.

8. Quamvis ex hactenus dictis ſat eluceſcat, quam ſalubre & fructuoſum ſit ſilentii exercitium, attamen ad hujus doctrinæ veritatem magis demonſtrandam atque roborandam, conſultum fuerit declarare neceſſitatem hujuſce virtutis, ad perfectionis viam ineundam, quæ via juxta communem SS. Patrum doctrinam tripartitò dividitur, videlicet, *in purgativam, illuminativam, & unitivam.* Ad viam purgativam ſpectat pravos habitus, & vitia extirpare, peccata, ſceleráque declinare. Hoc autem vel maximè cauſare & efficere ſolet ſilentium; Quis enim citra inſaniam inficiari audet, non pleráque peccata homines contrahere in converſatione cum aliis? Quod benè conſideranti facilè patebit. Contra hæc vero tam multiplicia mala culpæ haud eſt pharmacum præſtantius, quam obſervatio ſilentii, ipſomet Veritatis Spiritu atteſtante: *Qui cuſtodit*, inquit per os Salomonis *Proverb.* 13. *os ſuum, cuſtodit & animam ſuam*; hoc eſt præſervabit illam à multis peccatis, alioquin contrahendis, videlicet à murmuratione, detractione, turpi amore, odio, irâ, inordinatâ triſtitia, & aliis ſimilibus culpis, quæ communiter in vaniloquiis irrepere nobis ſolent.

9. Verùm, quoniam ad hæc enarrata vitia radicitùs evellenda non ſegnis, ſed fortis omnino expoſcetur virtus ac robur, quomodo autem hanc animi fortitudinem ſine refrænatione linguæ aſſequi quis poterit, cùm atteſtante *Iſaia* Propheta, hæc potiſſimum in ſilentio ſita ſit: *In ſilentio*, inquit cap. 30. *& ſpe erit fortitudo veſtra.* Ergo ut efficiamur fortes in bello, peccata proſternamus & vitia, tentationes vincamus, hoſtiles orci technas eludamus, nósque ab omni peccati morſu ac vulnere illæſos cuſtodiamus, atque inordinatas animi paſſiones, ſenſiléſque cupiditates refrænemus, taciturnitatem amplectamur oportet. Nam ùt Apoſtolus *Jacobus* c. 3. ait: Sicut is qui equo frænum imponit, totum illius corpus facilè regit; ſic & homo, qui linguam ſuam frænat, ſeipſum facilè ad omnem virtutem circumducet. Et è contra, qui hoc negligit, in varia certò ſeſe vitia præcipitem aget; quia ùt rectè advertit *Rodriquez* p. 2. tr. 2. c. 8. cùm tot ad benè loquendum regulæ, & circumſtantiæ deſiderentur, ideo miraculi loco habendum eſt, in aliquam earum non impingere. Proinde nihil tutiùs, quam ſe intra ſilentii portum ſubducere, ubi ſolâ taciturnitate multa illa peccatorum pericula, quæ in loquendo ſiſtunt, declinantur.

10. Cæterùm, ſilentium ſedulâ curâ obſervatum etiam emundabit nos à quotidianis defectibus, liberabítque à reatu pœnæ, ob leviora peccata contractæ, quò nempe poſt ultimam mortalis hujus vitæ periodum, expeditiùs ad cælum ſubvolare valeamus. Pro cujus aſſerti confirmatione ſequens ſufficiat exemplum. *Beata Maria Ægniacenſis* cùm ſemel à feſto exaltatæ ſanctæ Crucis uſque ad

Christi natalem diem ita silentium servasset, ut ne ullum quidem verbum locuta fuerit: Hoc silentium tam gratum Deo fuit, ut ex Spiritûs Sancti revelatione didicerit, isthâc linguæ mortificatione vel maximè sese promeritam esse, ut à morte nullum Purgatorium sit subitura, sed rectà ad cælum migratura. Ita refert *Surius* in ejus vita.

11. Ad viam illuminativam, quod attinet, est plantare virtutes, ad has vero cordi inserendas necessariò præerequiritur spiritûs fervor, cùm autem sine silentio fervor stare non possit, quemadmodum *Melleus Doctor* hâc demonstrat similitudine: *Sicut enim*, ait, *qui calorem hypocausti conservare vult, rarò nec sine necessitate januam aperit, ita internus animi fervor non sine oris accurata custodia, silentióque conservatur.* Unde colligere est, taciturnitatem fore lucernam, quæ viam illuminativam nobis exhibebit, & quemadmodum in virtutum semita ambulandum sit, nos docebit. Quare virtutum amanti apprimè commendatur silentium, sine quo virtutes congregare, nil aliud est, quam sæviente vento in explicata manu pulveres portare; Siquidem (ùt perhibet *S. Joannes Abbas*) quòd vita Monachi usque adeò non sit aliquid, donec sub silentio studuerit, quo remoto, quidquid benè vel honestè se agere putaverit, secundùm institutionem Patrum nihil erit. Hinc non malè dixit *Thalassius*, hom. 2. de Annunt. *quòd silentium & preces maxima virtutum arma sint, mentem enim simul purificant, & perspicaciorem reddunt.* Expertus est id Doctor Angelicus, *D. Thomas*, etenim tam studiosè observabat silentii leges, ut ea de causa *bos mutus* à suis commilitonibus diceretur. Sed quid hoc suo silentio S. hic Juvenis consecutus est? Ecce tantam sacrarum scripturarum scientiam hausit, ut non jam bos mutus, sed Doctor Angelicus meritò audiat. Indubitatum ergo est illud *S. Laurentii Justin.* effatum; *quòd nimirum libenter se infundat Verbum exspectanti, & tacenti.*

12. Quamobrem quicunque desiderat Deum sibi loquentem audire, divinorúmque charismatum participatu gaudere, Sanctorum Monachorum, & eremi cultorum vestigia (quantum fas est, & prudens dictat ratio) sequatur oportet, de quibus testatur *S. Hieronymus* in reg. Monach. c. 22. quod in montium nemorúmq; desertis degentes omni solicitudine servârint sanctum silentium, tanquam causam & medium ad piam & affectuosam meditationem, in qua Deus animæ devotæ loquitur, eíque abscondita scripturarum pandit. Unde sicut ille, qui vult aliquem audire, à tumultu & strepitu remotus esse debet; Ita qui Dei inspirationes, & illapsus divinos percipere cupit, vana colloquia, & cum hominibus conversationem non necessariam fugere & declinare debet. Hinc Christus orbem suo adventu consolaturus, non sub diei strepitum, sed sub noctis silentium venire voluit, ut discamus, quàm grata sit Deo hæc silentii virtus. Unde verissimum est ad acquirendas, congregandásque virtutes nil magis prodesse, quàm tenere hoc asceticum exercitium.

13. Tandem ad viam unitivam, quâ anima fidelis in divino amore solidatur, ac perficitur, etiam exposcitur silentium. Siquidem illud sui amatorem ad DEI unionem disponit & adaptat, ardenti divinæ charitatis flammâ eum succendit, dignúmque Spiritûs Sancti templum in ejus corde parat; quemadmodum jam olim præfiguratum fuerat in constructione templi Jerosolymitani; nam in hujus templi fabrica ter milleni & trecenti

centi opificum Magiſtri, & octoginta tria millia artificum, quos Rex Tyri miſerat, & totidem ab Ægypti Rege miſſi laborabant; & tamen in hac innumerabili murariorum, lapicidarum, & fabrorum ferrariorum multitudine, in tam varia tot inſtrumentorum, ex ferro & chalybe confectorum, limarum, martellorum, ſerrarum, trullarúmque congerie nec minimus uſpiā auditus fuit laborantium ſtrepitus, ut veridicus textus teſtatur: *Malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* 3. Reg 6. 7. Sed quid retuliſſet, ſi inter ſtrepitus artificum, tótque innumerabilium ferramenti quoque ſonus auditus fuiſſet? Quod ſi hanc diligentiam omnem cavendi ſtrepitum templo jam conſummato adhibuiſſet, optimè quidem factum fuiſſet, ne ſcilicet quies orantium interturbaretur, ſed diligentia illa durante fabricâ ſupervacua eſſe videbatur. Veruntamen, quia *omnia in figura contingebant illis*, ideo B. *Petrus Damiani* l. 7. ep. 6. myſterium illius in ſenſu myſtico exponens, ait: Quando ſtrepitus humani alloquii ceſſant, conſtruitur in te per ſilentium templum Spiritûs Sancti. Hinc eſt, quod de Iſraëlitici templi conſtructione ſacra teſtatur hiſtoria, quia malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo Domini, cùm ædificaretur. Templum quippe Dei per ſilentium creſcit, quia cùm mens humana per exteriora verba ſe non diffundit, in ſublime faſtigium ſtructura ſpiritualis ædificii conſurgit, tantóque ſuccreſcit, & in altiora ſuſtollitur, quantò per cuſtodiam ſilentii exteriùs ſeſe fundere prohibetur. Cuſtos enim Juſtitiæ ſilentium. Ita S. *Damianus.* Cui robur addit Propheta *Iſaias*, dum ait: *Et erit cultus juſtitiæ ſilentium.* Iſai. 32. 17.

14. Sicut præterea nemo facilè damna, ex violato ſilentio pulleſcentia, ſuo depingere calamo valet; ita & commoda, ex ejuſdem obſervatione emanantia, vix enarrare quis ſufficit. Quod S. Virgo *Gertrudis* divinitùs intellexit, videlicet, quod cùm homini libuerit videre, vel loqui verbum, in quo nullus eſt fructus, ſi hoc ſtatim perficit, & pro nihilo reputat, ſicut ex vaſe perforato effluit dilectio DEI. Si vero propter DEUM continere ſe proponit, tantum ea dilectio creſcit in corde, quod vix ſuperare valet. Quare ſi divini amoris flammam in penetrâlibus cordis tui ardere, eámque continuò nutrire, augeréque cupis, mortificationi linguæ vaces neceſſe eſt; Nam ùt docet S. *Laurent. Juſtin.* de diſcip. mon. c. 15. *Sicut ignis, quantò magis in unum colligitur, tantò ampliùs nutritur, & ſurſum flammas magis projicit: ita & mens, quæ diutiùs intra ſe commorata fuerit, ardentius per amoris incendium in ſe uritur, & per deſiderium elevatur in Deum.*

15. Et quid hoc amoris igne felicius? quid jucundius, ſuaviúſque tali animi incendio? in cujus enim corde ardet, ſummo illud afficit gaudio, cujus pectus hâc uritur flammâ, ineffabili ille perfundetur ſpiritûs dulcore. Operæ pretium proinde fuerit, non ſegni contentione allaborare pro hujus ſuaviſſimi amoris incendii comparatione. Comparabitur autem vel maximè per taciturnitatem. Hinc non incongruè teſte *Macrobio Angeronam*, ſilentii Deam, ore obſignato Priſci repræſentabant, & in templo Volupiæ, quæ delectationis & gaudii Dea fuerat, collocarunt, ut tacitè ſignificarent, eum, qui ſilere, & linguam mortificare noſſet, ingenti delectatione & voluptate perfuſum iri. Hoc experti ſunt veteres eremi Patres, qui in cavernis ac ſpeluncis deliteſcentes, ſilentéſque talia non nunquam ſpiritûs oblectamenta perſen-

persenserunt, ut in comparatione horum cuncta mundi gaudia, ac voluptates mera afflictio, mœrórque censendus sit.

16. Inter hos numerari meretur S. *Romualdus*, qui quamvis strictè semper suam custodiret linguam, attamen jam senex squalido spelæo se inclusit, & per septennium inviolabiliter tenuit silentium. Hinc consecutus est à Deo donum lacrymarum, nam frequenter præ mero interno gaudio & spiritûs exultatione copiosas profundebat lacrymas, vultúmque adeò habebat jucundum & hilarem, ut lætificarit omnes illum aspicientes. Hoc speciali beneficio etiam donatus est S. *Arsenius*, de quo vitæ Patrum antiquorum hoc referunt Sanctitatis suæ indicium. Dicebant de Abbate Arsenio, qui toto tempore vitæ suæ sedens ad opus manuum suarum, pannum habebat in sinu propter lacrymas, quæ crebrò currebant ex oculis. Visne scire causam, quare tam raro & eximio à Deo cumulatus sit favore? hæc est, quia silentii & quietis amicissimus erat adeò, ut miraculo simile esset, si labia, nisi divinas in laudes, reclusisset. Hoc porrò in suo silentio tantâ perfundebatur lætitiâ, ut silentii causa se fatuum haberi & æstimari non dubitarit. Nam cùm quidam Monachus ad Arsenii cellam convolasset eum visitatum, & spiritualibus colloquiis invicem consolatum. Quod ut Arsenius intellexit (ne silentium consuetum abrumpere cogeretur) jactis in venientem saxis, aditum prohibuit, quo scilicet amens esse crederetur, sicut & hospes ille Monachus reapse credidit esse dementem. Si ergo cupis velociter & inoffenso pede viam perfectionis percurrere, quæ hucusque diximus, serves, oportet.

# PARS TERTIA.

17. Tametsi silentiosus apud garrulos, inquietos, & parum sibi constantes homines in exiguo sit conceptu, cùm hi silentii virtutē, & bona inde derivantia non vident, nec penetrant; est tamen magna in existimatione apud timoratos & bonos viros, quibus perspecta est hujus virtutis excellentia. Hanc ob causam *Thomas Kemp.* serm. 4 ad Novit. Religiosos suos Novitios in hæc alloquitur verba: *Est multum pro honore vestro, & fama ordinis, si pro reverentia hospitum in præsentia eorum verecundi & taciturni appareatis, plus enim ædificatis bonis moribus, quam curiositate sermonis.* Quod ipsum & docuit, & fecit S. Abbas Pambo, qui servandi silentii adeò studiosus erat, ut cùm Theophilus Episcopus eum adiisset, ut spiritualis vitæ documentum audiret, Vir Sanctus consuetum silentium retinens, nihil dixerit, quam ob causam Monachi eum cùm incusarent, quod nullum ædificationis verbum Episcopo dixisset, respondit: *Si mea taciturnitate non ædificatur, nec meo sermone ædificari potest.* Ita refert *Petrus* de Natal. l. 6 Catal. Sanct. cap. 3.

18. Ex quo patet, si fidem huic multorum Monachorum Patri & Magistro adhibemus, majorem longè habere energiam, & efficaciam silentium ad hominum, in magnis etiam dignitatibus & præeminentiis constitutorum, animos permovendos, & ad pietatem, Deique amorem inflammandos, quam sermo cultus, & nescio, quantis qualibúsque expolitus allegoriis. Hinc monet Siracides: *Eccli. 32. Audi tacens, & pro reverentia*

 *accedet*

*accedet tibi bona gratia.* Quod ad oculum verificatur exemplo, quod subjungo. *Surius* in vita S. Emerici 4. Novem. meminit, Stephanum Hungariæ Regem nocte quadam venisse ad Cœnobium S. Martini; cúmque post Matutinum decantatum acta fratrum exploraret, vidit quosdam non ad cellas, sed ad angulos Ecclesiæ secedere, & orare: quos cùm sigillatim alloqueretur, illi honoris causâ Regi ad interrogata, nullâ habitâ silentii ratione, responderunt. Solus Maurus, quamvis minis terrebatur, amore silentii nihil omninò respondere voluit, id quod adeò Regi placuit, ut ei conferret Episcopatum. O quàm verum est igitur illud Sapientis: *Tacitus & sensatus honorabitur. Eccli.* 21. 31. Honorabitur, inquam, & remunerabitur non tantum olim in Regno cælesti, verùm etiam in hoc sæculo quandóque multis prodigiis silentii amans radiabit, variísque cælestibus cumulabitur favoribus, quod loquacibus haud dubiè denegabitur.

19. Exemplum hujus assertionis habemus manifestum de illo S. Monacho, nomine Radulpho Ordinis S. Benedicti, qui taciturnitati ita deditus fuit, quod intra sedecim annos ab ore ejus nec una verbi syllaba per tantum temporis audiretur. Contigit autem in claustro gravissimum ignis incendium grassari. Tunc ille Monachus videns, humanum auxilium haud valere, mox se contulit ad divinum, oránsque paululùm in silentio, linguam diu mutam in hæc verba laxavit: *Sta ignis hâc horâ, flamma penitus conquiesce*; Mira res! Ignis protinùs suæ virtutis est oblitus, stetitque in verbo Viri Sancti, & flamma subitò est extincta. Ita refert *P. Drexelius* in Phaetonte post caput 62. in Epilogo. Alius etiam Monachus eadem taciturnitate præditus, conspexit quâdam nocte furem, qui de Monasterio equum auferre volebat, & licèt id solus adverteret, attamen amore silentii tacuit. Placuit Deo hæc Religio adeò, ut fur nec passum abire potuerit. Ex Vita *S. Odonis* l. 2. c. 8. Ex quo liquet, quam grata, acceptáque sit Deo hæc virtus, quam insignibus adeò miraculis illustrare non est dedignatus. Verùm, his aliud adjungere placebit. Contigit aliquando, quod in cellario S. Corbiniani mustum in dolio ita ferveret noctu, ut clavus non sine strepitu exiliret. Vir Sanctus id audiens toto tempore tacuit, tantum ne silentium violaret; oravit tamen. Manè facto, soluto silentio, cùm vocasset ministrum, quid factum fuisset, edixit; quod ut audiit frater, illicò cucurrit, doliúmque apertum reperit, at vinum non effluxum. Ita habet ejus vita cap. 2.

20. Si ergo ita Clementissimus Deus servatum amore sui silentium remunerare dignatur in exilio, quid non fiet in Patria? Si hanc virtutem in terra tantis divina bonitas cumulat donis, quid, amabò, non sperandum habebit silentii amator in cælo, ubi primò proprius est remunerationis locus? Si (inquam) hæcce virtus tantoperè fulget coram homine; quomodo arbitramur eam sui splendoris radios diffusuram coram divina Majestate, & Cælestibus beatis? *Si in arido*, hoc est in hac lacrymarum valle talem afferat fructum, qualem non progerminabit *in viridi*, in felicissima (inquam) illa Regione, quam inhabitant Angelorum concives? Si denique DEI præmiatrix Bonitas taciturnum terrenis ac temporalibus ad mortale corpus pertinentibus bonis sic impertit, quid non sperandum habebit in charismatis cælestibus, & ad vitam immortalem consequendam conducentibus? Quapropter nullam, hanc virtutem exercendi, occasionem elabi sinamus, & cùm Dii omnia

nia laboribus vendant, hæc virtus quoque venalis est, sed non aliâ monetâ comparabitur, quam labore & sudore, & quotidianâ vigilantiâ, & sui ipsius custodiâ, prout parte sequenti explicabimus. Hæc si impigro constantique conatu præstiterimus, nostros procul dubio confratres bono ædificabimus exemplo cum Pambone; honorabimur cum Mauro, non quidem à Rege terreno, sed à Rege Regum, & Domino Dominantium, JESU Christo Salvatore nostro. Extinguemus etiam cum Radulpho ignem malarum concupiscentiarum, quem in nostro pectore continuò excitare & augere nititur salacissimus Asmodæus. Et denique efficiemus cum S. Corbiniano; ne vinum compunctionis & devotionis ex vase cordis nostri effluat, & evanescat.

21. Enim vero, cùm extra omne dubium sit, plurimos in electis etiam Religiosorum cœtibus reperiri discolos & dissolutos, qui nedum sibi minimè invigilant, aut virtutum studiis non vacant, verùm etiam alios, piè vivere volentes, impedire, & à laudabili & religiosa justè & sanctè vivendi & conversandi methodo abstrahere, & interturbare satagunt. Quare silentii amator flocci-facere debet, dum ab aliis malè feriatis Religiosis propterea irridetur, aut inurbanus, amusus, agrestísque sugillatur; obviandum proinde similibus est scitâ illa responsione, quam dedit S. *Gregorius Nazianz.* Celensio, qui cum Gregorium ob suam religiosam taciturnitatem, in literis ad eum datis reprehenderet, omnísque humanitatis expertem argueret; Vir Sanctus bellissimè ad hanc objurgationem Celensio rescripsit, lepidam gratiosámque fabulam memorans: Hirundines, inquit, exprobrarunt quondam cygnis, quod ab omnium hominum conspectu remoti in aquis, locísque desertis commorarentur; At nos, (inquiunt hirundines) versamur inter homines in oppidis ac urbibus, ubi & nidificamus, & resonis cantionibus nostris audientium aures mulcemus. Cygni talia audientes, nec verbulum respondere dignabantur; attamen, ne muti esse crederentur, eorum unus vices reliquorum gerens ad hirundines conversus: O miserabiles aviculæ, inquiebat, quam vana est gloria vestra, quam laus ore vestro deprompta sordet! Nos cygni modicum quidem, ac rarò ora ad canendum reseramus; dum autem hoc fit, tam dulcisonum edimus sonum & melodiam, ut ejus amœnitate allecti homines, certatim de civitatibus concentum nostrum audituri ad nos properent, & confluant; At vero vester garritus nulli hominum gratus est, sed omnibus fastidium, nauseamque parit. Unde Magister Silentii Pythagoras jam dudum justum tulit de vobis judicium, ut nullus hominum vos reciperet hospitio. Et hæc erat locutio cygni ad hirundines. Ita mi chare Celensi, poteris cum hirundinibus gringere & garrire quantum libuerit; ego vero velut cygnus in sua aqua, sic in meo cubili loquor meis libris, & oppidò his contentus sum. Vale. Ita S. Doctor ad Celensium. Ita meminit P. *Drexelius* in Phaetonte cap. 23. Ex quibus colligere pronum est, viris sanctis & prudentibus longè gratius fore silentium cygnorum, per quos non incongruè Religiosi. taciturnitatem sectantes, repræsentari valent, quam garritus hirundinum, quibus rectissimè Monachi, linguam suam refrænare nescientes, comparari & assimilari queunt. Quamobrem si in bona fama apud alios præsertim doctos & pios esse cupis, cave, ne multitudini garrularum hirundinum, loquacium (inquam) hominum te immisceas,

ceas, sed potiùs stude partem habere cum cygnis, hoc est silentiosis viris, qui linguam suam moderari & gubernare sciunt; hos ergo imitare & cum iisdem ad tempus sile, ut postmodum sermones, sale conditos, & super mel & favum jucundos & delectabiles proferre valeas; nam ut testatur divinus Spiritus Prov. 25. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Hoc ut assequaris, doctrinam mox tradendam serves oportet.

# PARS QUARTA.

22. Paradoxum alicui videri posset illud *Prophetæ Regii* effatum: *Lingua mea meditabitur justitiam tuam.* Quis enim unquam audivit, quod lingua meditetur? Linguæ quidem proprium est discernere sapores, verba articulare, circa palatum moveri & volvi, meditari autem propriè cordis est actio. Veruntamen Psalmistam optimè id dicere extra controversiam est; per hoc enim insinuat, quod lingua benè moderata nihil proferat, nisi quod mens prius conceperit, & cor meditatum fuerit. Hanc ob causam Sancti Doctores Augustinus, Bernardus, & alii vitæ spiritualis Magistri suggerunt; omne verbum, inquiunt, priùs veniat ad limam, quam ad linguam; nimirum prius in corde efformandum est & rationis regulâ limandum, quam ore prodeat. Atque hoc est discrimen, quod Ecclesiasticus Sapientem & stultum ait posse dignosci. *Eccli.* 21. 9. *In ore*, inquit, *fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum.* Id est, fatui, cor linguæ, & inordinato loquendi appetitui subjectum habent, ideóque effutiunt, quidquid in buccam venerit. Sapientes autem linguam in corde habent, hoc est, nihil loquuntur, quod non priùs corde ruminarint; an hæc & illa proferenda sint, nec ne. Denique *S. Bonavent.* to. 2. opusc. l. 2. de perf. Relig. c. 10. docet, tam nos cautos & parcos in verbis esse debere, quam est avarus in pecuniis expendendis. Et Ammonii Abbatis doctrina est, quam refert S. *Ephrem* to. 2. p. 281. c. 18. *Antequam loquaris, communica cum Deo, quod loquendum est, uti & rationem & causam loquendi, & tunc loquere quasi voluntatem Dei exequens, te loqui volentis.* Sic fecisse Sanctissimam Deiparentem, S. *Bernardus* testatur dicens: Erat hæc sapientissima Virgo ornata discretissimâ taciturnitate, nihil enim locuta, quod non esset præmeditata. Nunquam tamen silentii amorem magis declaravit, quam cùm, S. Josepho dimittere eam volente, tacuerit, suámque causam & defensionem Deo commiserit. Ita *Melleus Doctor.*

23. Porrò rationem valdè ponderosam, cur videlicet à Ss. Patribus tantoperè in virtutum semita progredi volentibus silentium desideretur, assignat *S. Basilius* in Regula fusior: ut hac, inquit, ratione rectè loqui discamus, quæ ars ob tot circumstantias ad eam requisitas meritò difficillima judicatur. Unde non ut aliæ artes exercitando, sed abstinendo discitur; quia cùm homo non sit assuetus tot circumstantiis, quæ ad istam artem requiruntur, sed temerè effutire soleat, quæ in mentem & linguam veniunt, silentium duo commoda ad hunc finem præstat, nempe ut & oblivionem ex desuetudine pariat, & ad ea, quæ recta sunt, discenda otium suppeditet. Ita *S. Basil.* Hinc rectè S. *Gregorius* hom. 2. in Ezech. dixit: *Ille loqui veraciter novit, qui*

*qui prius benè tacere didicerit.* Quod idem affirmat *S. Hieron.* in *Eccl. 3.* Discamus, inquit, & nos prius non loqui, ut postea ad loquendum ora referemus. Sileamus certo tempore, & ad eloquia præceptorum pendeamus, nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur Magistri. Et licet hi Sancti Patres de religiosæ vitæ tyronibus præcipuè loquantur, tamen quin etiam ad alios hæc dicta pertineant, in dubium revocari à nemine debet.

24. Quamobrem non immerito hæc silendi ars ante omnes alias scientias virtutum studioso comparanda erit; quia si quis hanc artem assecutus fuerit, perfacili negotio & alia ad religiosam perfectionem spectantia consequetur. Hujus veritatis haud ignarus S. Pambo Abbas, uti refert *Petrus de Nat.* l. 6. c. 38. ideóque huic asceticæ scientiæ, videlicet silentio per plurima annorum curricula operam navare non dubitavit; Hic enim cùm literis eruditus non esset, accessit ad quendam, à quo doceretur Psalterium. Qui cùm audiisset primum versum *Psalmi* 38. *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*, secundùm versum non est passus audire dicens: Si potero hoc implere, hic versus tantummodò mihi sufficiet. Cùmque Magister, qui ei tradiderat versum, discipulum culparet, quod per sex menses ad se non venisset, respondit Pambo; Quia versum illum adhuc opere non implevi, & scriptum esse ab Apostolo. *Estote factores verbi, & non auditores tantum.* Post multos verò annos sciscitabatur ex eo familiaris quidam, an jam tum versum hunc didicisset? Qui ait: *Jam 49. anni sunt, quando illum audivi, & vix dum eum opere servare potui*; quod etsi sat exactè fecisset, persuadere tamen id sibi humilis animus ipsius non poterat: nam narrat *Palladius*, illum prælectum versiculum ita perdidicisse, & opere implêsse, ut, nisi corde ad Deum sublevato, communicatóque cælitùs consilio, nemini unquam loqueretur, aut interrogatis responderet. Hinc factum, ut morti jam proximus, palàm omnibus asseruerit, se nullam unquam pœnitendam vocem, cujus quidem meminisset, protulisse.

25. Profectò si nil aliud in hoc laudabili viro sanctitatis laude dignum exstaret, quam eum sic servasse silentium, certò hoc unicum sufficeret ad eum in Sanctorum Catalogum referendum; sanè si nos vel per unam duntaxat hebdomadam alium sic refrænasse linguam sciremus, quòd ne unum quidem otiosum verbulum ex ore prolabi siverit, jam heroicum quid talem præstitisse affirmaremus; sed quid una septimana ad tot annorum lustra comparata? Cæterùm quamvis paucos S. hic Abbas hac in parte sui imitatores numeret, contende tamen tu, amice frater, pro modulo tuo hunc S. Virum imitari; ne verò hoc in negotio te hallucinari contingat, scire te oportet, tres communiter à Sanctis Patribus, & Spiritualis vitæ Magistris assignari silentii gradus; unde juxta Ascetarum Regulas priùs in primo gradu te exercere debes: nimirum, ut ab illicitis & otiosis linguam tuam refrænes verbis; & si quandóque ex aliqua incuria, & fragilitate humana te lapsum esse cognoveris, cave ne animum propterea despondeas, sed mox resurge, propositum innova, veniam à Patre Misericordiarum efflagita, & ne tam facilè in eosdem linguæ defectus te relabi contingat, consultum feceris, si mox aliquam levem, post quemlibet lapsum, tibi ipsi imposueris pœnitentiam, v. g. terram aliquoties osculari, vel linguâ eandem cruce

signare, vel aliquibus disciplinæ ictibus corpus mortificare &c. Hâc enim methodo velociter ad hunc primum silentii gradum pertinges.

26. Secundus silentii gradus est, ut aliquis à licitis, sanctis, & bonis verbis silentii causa abstineat, exemplo Psalmographi, de seipso hoc testimonium perhibentis: *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Psal.* 38. Secuta est hunc S. Regem S. Rosa, quæ quoniam quandóque nec de cælestibus loqui volebat, ideo hujus tam arcti silentii causam quæsita ait: *Melius est loqui cùm Deo, quàm de Deo.* Effatum tam S. Virgine sanè dignum. Hoc ipsum etiam docet *Smaragdus* in Reg. S. Bened. dicens: *qui taciturnitatis virtutem veraciter amat, necesse est, ut ad tempus etiam à bonis locutionibus taceat*; causámque subjungens ait: *ut nempe virtutes cæteras ad tempus tacendo nutriat, quas nutritas iterum tempore congruo sapienter proferat. B. Jordanus*, qui S. Dominico proximè in gubernatione Ordinis successit, etiam dicere solitus erat suis; Studioso perfectionis non modò verba otiosa, & quæ ad rem non pertinent, esse vitanda; sed etiam quæ res serias continent, & ædificant, si multa sint, & diutiùs pertrahantur. Nam homini loquendi avido proclive est, ex bonis sanctísque colloquiis, si longiora fuerint, in otiosa prolabi, & inde in noxia decidere. Quod si non ob aliud, certè ob longitudinem peccatur; quia (ut ait vetus auctor epistolæ ad *Demetriadem*) *quod laudabile est in genere suo, fit de nimietate suâ culpabile.*

27. Tertius gradus est, à necessariis quoque verbis quietis & virtutis amore nonnunquam abstinere, maximè si ad defensionem propriam pertineant, exemplo Christi Salvatoris nostri, de quo Matthæus & Marcus referunt, quod à summis sacerdotibus in multis apud Pilatum accusatus, nec verbulo se defenderit, sed altum semper silentium tenuerit. *Et non respondit ei ad ullum verbum: Ita ut miraretur Præses vehementer. Matth.* 27. v. 24. Silere autem voluit dulcissimus JESUS non ex necessitate, sed ex virtute, non sui, sed nostri emolumenti gratiâ, ut videlicet suo nos provocaret exemplo ad tenendam taciturnitatem, quando nobis imminet falsarum accusationum & delationum tempestas. Ulteriùs notandum est diligenter, dum necessitas locutionem exposcet, illa solùm, quæ ad rem pertinent, proferenda sunt, & quidem voce demissâ, ùt Religiosos decet; insignis enim, ut S. *Bonaventura* in spe. disc. p. 4. c. 5. docet, hominis Religiosi defectus est, altâ voce loqui. Hanc ob causam sacræ Constitutiones nostræ sic sonant: *Prior ad mensam in Refectorio, & aliis locis silentii, & Magister Novitiorum cum suis Novitiis, si loqui opus fuerit, submissa voce loquantur omni tempore tanquam ad aurem; quod & omnes alii fratres observare strictè teneantur, quando ob aliquam inevitabilem causam silentium locale vel temporale violare coguntur, & si conceptus suos exprimere signis non valeant, quod in locis & temporibus silentii procurare debent, quàm paucioribus verbis exprimant, quæ sola necessitas postulabit.*

28. Quæ omnia ut opere impleamus, nonnullos imitemur oportet histriones; Sicut enim hi interdum suâ dexteritate, agilitatéque seras ori affingunt; ita etiam silentii amicus ori suo seram appendere debet, & quidem talem, quæ ex rotulis varias literas continentibus constat, & nonnisi, cùm certa verba per conjunctionem literarum prodeunt, reseratur. Verba autem hæc non alia esse debent, quàm quæ Monachus quidam januæ suæ adscripsit: *Necessitas, Utilitas, Charitas*, ut ex eorum lectione meminerit, nunquam

nunquam ex cella sua egredi, nisi cùm una ex his causis ipsum impulerit. Proinde, ùt monet Sapiens *Eccli.* 28. 28. *Ori tuo facito ostia & seras*, illúdque cautè occlude, nec unquam reserare hoc præsumas, nisi vel necessitas affulgeat, id est, Deus benedicendus, peccata confitenda, necessitates explicandæ &c. Aut utilitas adsit, quando nempe augmentum gloriæ divinæ, aut nostræ sive alienæ salutis promotio notabilis speratur. Aut charitas locutionem exposcat, nimirum, quando alterum instruere, corrigere, solari, & adhortari proximum ex fraternæ charitatis officio obligaris. Hoc fac, & quid inde fructûs & spiritualis gaudii reportaturus sis, propriâ disces experientiâ.

# SERMO XXXV.

# DE VITIO LOQUACITATIS.

*Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est religio.* Jac. 1. 26.

## PARS PRIMA

1. Quia juxta S. *Dionysium* (de Divin. nomin. cap. 4.) *Bonum ex integra causa est, malum verò ex singulis defectibus oritur.* Ut enim opus sit bonum, debet omnes conditiones requisitas habere: quòd si vel una desit, malum erit, non bonum. Proinde si quis nescio quibus bonis operibus vacaret, cilicia gestaret, disciplinas frequentaret, jejuniis aliísque pœnalitatibus carnem mortificaret, & propterea se bonum Christianum, Religiosum, Deum timentem & colentem putaret; interim tamen linguam suam non refrænaret à detractionibus, murmurationibus, contentionibus, litigiis, susurrationibus, imprecationibus, & cæteris hujusmodi linguæ peccatis, *hujus religio*, teste *Jacobo* Apostolo, *vana est*, inanis & falsa; nec Deo placet ille, qui abjecto linguæ fræno, aliis quidem se virtutum operibus tradit. Et quod hoc verum sit, liquet ex his, quæ in revelationibus S. *Birgittæ* lib. 6. cap. 109. continentur, nimirum: (*Mater* DEI *loquitur:*) *Ubi optimus est cibus, si infunditur in eo aliquid amaritudinis, vilescit; Sic qualescunque, & quantascunque virtutes aliquis habeat, si delectatur in aliquo peccato, non placet Deo. Ideo dic illi amico meo, quòd si desiderat placere Filio meo, & mihi, non confidat in virtute sua aliqua, sed compescat linguam suam ab omni multiloquio, & risione, & prohibeat mores suos ab omni levitate.* Capis modò, quòd religio, id est, virtutum opera illius, qui garritionibus, nugis & risionibus se assuefecit, parùm sint grata Deo; quia ea nimia linguæ procacitas inficit,

inficit, & in conſpectu Altiſſimi amara & inſipida reddit.

2. Dicit Scriptura *Numer.* 19.15. *Vas, quod non habuerit operculum, & ligaturam deſuper, immundum erit.* Ex quo textu hanc pro noſtro ſcopo eruere moralem doctrinam licebit, nimirum: Sicut vaſculum quodpiam diu mundum & nitidum conſervari nequit, ſi ſuo caruerit operculo; quia tunc cuilibet immunditiæ intra ſe admittendæ expoſitum eſt, ex quo mox pulveribus & ſordibus replebitur. Sic pariter diſcurrendum eſt de anima noſtra, quæ, ſi os ſuum non cuſtodiat, neque prudentis taciturnitatis lege, ceu operculo, operiat & muniat, diu munda permanere nequit, ſed ſordeſcet quamprimùm variis peccatorum immunditiis, proteſtante Sapiente, dicente: (*Eccli.* 20.) *Qui multis utitur verbis, lædet animam ſuam*, pluribus utique vulneribus peccatorum.

3. Nullus eſt qui neſciat, illas urbes vel maximè hoſtium incurſibus patere, & ſubjectas eſſe pluribus periculis, quæ abſque mœnibus ac vigili cuſtodia exiſtunt; Illas Regiones, ac Provincias plerúmque devaſtari ac depopulari, quæ vias & ſemitas patulas habent; Pari modo nullum hominum genus tartareorum hoſtium inſidiis magis ſubjacet, quam linguam ſuam cohibere neſcientium aut nolentium; hi enim perfacili negotio à Satana circumveniuntur, poteſtátique ipſius ſubiguntur. *Ubi enim non eſt taciturnitas*, ait B. *Albertus magnus* l. de Virt. c. 31. *ibi homo de facili ſuperatur*; & ad hoc probandum adducit illud *Prov.* 25. quod ſimul etiam jam dictæ ſimilitudini robur addit; *Sicut urbs patens*, ait Sapiens, *& abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Appoſitè ac lepidè S. *Petrus Damiani* epiſtola 39. ad Deſiderium, ait: Silentii violatores ſimiles eſſe crocodilo oſcitanti, cui tunc hoſtis Hydrus (Plinius Ichneumoni tribuit has inſidias) fauces ingreditur, & alvum erodit, & necat. *Sic pariter Religioſus* (ait Sanctus hic purpuratus Pater) *dum ſub ſilentii cenſura concluditur, vivit: perit autem, cùm ad loquendum os immoderatiùs aperit.* Nec mirum, ſiquidem hoſtes plurimi os noſtrum, & linguam circumſtant, ut animam, aperto aditu, confodiant. Quàm verò hi per os intrantes animæ hoſtes copioſi ſint, aſſerit S. *Chryſoſtomus* in ſuis Commentariis, ſe numerare eos non poſſe, unico verbo rem expedit, inquiens: *Per os multæ ſunt viæ interitûs.* Proinde magno cum ſpiritu atque ſolicitudine monet Jeſus *Siracides* cap. 28. verſ. 30. *Attende, ne labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem.* Id quod tunc vel maximè metuendum, quando quis per malam conſuetudinem & habitum taciturnitatis leges violare & infringere ſolet.

4. Ingenioſam, & noſtro propoſito accommodam adfert quæſtionem *Joſephus manſi* Tract. 45. Diſcurſ. 13. Num ſcilicet plures ob concupiſcentiam carnalem, an verò per linguæ vitium damnentur? & reſpondet: Sine dubio unuſquiſque primâ facie dicturus eſt, quod concupiſcentia carnalis majorem animarum numerum ad æternam perditionem proturbet, quia ſub mellis dulcedine inéſcat voluptas, mortiferum abſcondendo venenum. At vero *Clemens Alexandrinus* contrarium omnino demonſtrat; Dicit enim: Anacharſim Scytham dormientem ſiniſtrâ quidem continuiſſe pudenda, os autem dexterâ; per quod ſignificat, oportere quidem utrumque coërcere, ſed majus eſſe linguam cohibere, quam voluptatem. Etenim carnis pruritus ætate ingra-

ingravescente languescit, & deficit, non item lingua; siquidem hæc etiam in senibus solet esse loquacior. Ita prædictus Author.

5. Verum enim vero, nullus sibi imprudenter persuadeat, illos duntaxat in periculo versari, & timere debere, ne satanicis succumbant præstigiis, qui loquuntur perversa, qui effutiunt verba iracundiæ plena, qui miscent sermones hircum redolentes, aut aliorum famam denigrantes; non verò illos, qui vanis solùm, ac ludicris delectantur confabulationibus. Nemo, inquam, sibi blandiatur, similes inanes & fabulosas sermocinationes fore absque spirituali animæ ruina. *Quippe mors ingreditur*, ait Mediolanensis Præsul S. *Ambrosius* l. 1. de Virg. *per ostium tuum, si falsa loquaris, si turpiter, si procaciter, postremo, si, ubi non oportet, loquaris.* Cujus asserti ultima verba bene notanda, ponderanda, & trutinanda sunt, cordíque indelebiliter imprimenda; nimirum, quod mors (teste tanto Doctore) etiam per verba otiosa, & vanitatem duntaxat spirantia in animam ingrediatur, eámque morte peccati occumbere faciat, non quidem immediatè & directè, seu ex naturâ suâ, & præcisè ob talia impertinentia verba; cùm enim hæc mortalia non sint, nec mortem animæ inferunt; sed mediatè, & dispositivè; quoniam per talia vaniloquia homo sibi viam sternit ad pejora sic, ut gradatim de defectibus, & imperfectionibus in venialia scienter prolabatur, de his rursùs in majora & graviora, ac tandem in lethalia ruat peccata, uti proh dolor! satis abundéque quotidie experimur. Siquidem nullus repentè fit pessimus, sed guttatim vitia in cor nostrum irrepunt.

6. S. *Teresia* de seipsa scribit, cùm sub initium religiosæ vitæ suæ cum extraneis libenter confabularetur, & inanibus ac futilibus sermocinationibus delectaretur, contigit aliquando, dum Locutorio egressa ad Oratorium concederet, ubi statua, Christum Salvatorem ad columnam ligatum, totúmque vulneratum & cruentum repræsentans, asservabatur, & piè venerabatur; adeò ex singulari Dei nutu S. Teresia hâc visâ exterrita est, ut extra se quodammodò rapta piæ miserationis affectu Christum quasi præsentem affata sit: O Dulcissime Redemptor, quis te tam fœdis adeò plagis cruentavit? quis Sanctissimum totum tuum corpus tot vulneribus sauciavit? quis faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, tam turpiter dehonestavit, & deformavit? Tunc S. Virgo interiùs Christum sibi loquentem audiit: Tuis, ô Teresia, mundialibus sermonibus me sic affecisti; Móxque illa multis irrorata lacrymis coram Christi effigie se prosternens, per sanguinem ejus pretiosum veniam poposcit, nec inde surrexit, donec quod petiverit, impetraret; à quo tempore cane pejus & angue omnes hominum congressus horruit, fugítque. Aliàs hæc eadem Seraphica Mater locum sibi à dæmonibus in inferno paratum conspexit, ad quem devenisset, nisi à sagaciori Confessario instituta, venialia (præcipuè linguæ peccata) declinare cœpisset. Ita habet ejus vita cap. 32.

7. Itaque ab hac Sancta Carmelitani Ordinis Instauratrice discite vos Religiosi omnes, majus longè his inanibus confabulationibus periculum inesse, quàm primâ apparet fronte. Creditote, si interiores mentis oculos ad inferorum chaos reflectendi vobis daretur potestas, innumeros sanè ibidem cerneretis, in infernalibus illis incendiis ardere, qui si elingues fuissent, cæli palatia pro sua mansione obtinuissent. Adeoque neuti-

neutiquam ambigendum, magnum animæ damnum in lingua, non cautè custodita, abſconditum latere. De S. *Arſenio* legimus, dum viam ſalutis ſibi oſtendi à Deo poſtularet, vox cælitùs hæc allapſa eſt: *Arſeni, fuge, tace, quieſce, & ſalvaberis.* Infero jam concluſionem à contrario, utique hanc: Ergo qui non fugit multiloquium, qui non fugit occaſionem peccandi, qualis eſt in multiloquio, qui non tacet, dum ſilendum eſſet, ſed garrire totâ die non quieſcit, iſte non, vel ſaltem difficulter ſalvabitur.

8. Quamobrem, ſi callidè ab orco ad miſcendas inanes confabulationes ſolicitamur, obturemus aures noſtras, nec quod ſuggerit, impleamus; qua in re veſtigiis S. *Benedicti* inſiſtamus. Hic cùm montem Caſſinum à quibuſdam priſcæ idololatriæ veſtigiis purgaſſet, & ſimulacrum Apollinis, quem rudes hujus loci accolæ adorabant, Vulcano donaſſet, profanúmque ſuperſtitionis templum ſubvertiſſet, & ejus loco S. Martino Sacellum dedicaſſet, rudéſque illos populos Evangelicis præceptis erudiiſſet; ecce cacodæmon horribiles larvarum formas indutus, ſpectabili S. Benedictum ſpecie territare laborabat, hinc clamitabat, ululabat, atque has identidem voces uſurpabat: *Benedicte, Benedicte, quid mecum habes, quid me perſequeris?* ſed cùm vir Sanctus nihil oggannienti beſtiæ reſponſaret, ſed alto ſperneret ſilentio, adjecit: *Maledicte, & non Benedicte.* Ita in ejus vita ſcribit *Petrus Ribadeneira.*

9. Enim verò, quamvis ſtygius hic Cerberus nihil intentatum relinquat, quò homines circumveniat, ac in peccati laqueum pelliciat, hoc tamen vel apprimè efficere conatur per propriam noſtram linguam, ùt S. *Chryſoſt.* hom. 1. de baptiz. his teſtatur verbis: *Dæmon undique nobis inſidias præparare conſuevit, ſed faciliùs linguâ., & ore peccante; Nullum enim illi tam congruum organum eſt in miniſterium interitûs & peccati, quam lingua: nam inde nobis mors, inde lapſus, inde perditio, inde naufragium præparatur.* B. vero *Laurent. Juſtinianus* de Diſcip. Monaſt. c. 25. poſt conſiderata multa damna, à ſenſibus noſtris, non benè cuſtoditis, derivantia, de lingua ait: *Præ omnibus autem aliis linguæ membrum, diuturnâ & malâ depravatæ conſuetudine, perniciosiùs operatur.* Et certè ſi omnes alii ſenſus, & membra corporis humani trutinæ ſubjiciantur, nullum invenietur, quod non ſolum reipublicæ, verum etiam ipſimet homini ſit perniciofius ipsâ linguâ. Unde S. *Hieron.* ad Demetriadem ita ſcribit: *Solicitam ſatis ori tuo cuſtodiam pone; non enim eſt quidquam in nobis, quo facilius peccare poſſimus quam linguâ.* Quamobrem ſalutare eſt illud D. *Ambroſii* in epiſtola quadam traditum conſilium. (lib. 4. epiſt. 29.) *Retine verbum quod non ædificat audientes, quia, qui otioſum verbum non reprimit, citò ad noxium trahitur.* Hinc Claravallenſis apis in ſua Clarâ valle commeditans linguæ noſtræ pronitatem, & proclivitatem ad delinquendum, ideo in form. honeſt. vit. cuilibet noſtrûm ſaluberrimum hoc inſtillat monitum: *Fuge locutoria quantum potes*, cujus conſilii efficaciſſimam inſinuat rationem S. *Ambroſius* in hæc prorumpens verba: *Quàmplures vidi loquendo in peccatum incidiſſe, vix quenquam tacendo, ideóque tacere noſſe, difficilius eſt, quàm loqui.*

10. *P. Franciſcus à S. Maria* in hiſtor. Carmel. to. 2. l. 2. c. 17. recenſet. Cùm defuncta eſſet in Conventu Valliſoleti Diſcalceatarum Monialium S. Tereſiæ, in Hiſpania, Soror Anna à JESU, cæteræ Sorores corpus illius lavantes & induentes invicem, licèt ſubmiſsâ voce, loquebantur,

bantur, minimè observantes tale tempus silentio esse dicatum: & ecce defuncta illicò digitum ori applicuit, silentiúmque indixit, quod cùm semel, iterúmque fecisset, quanti esset virtus silentii, & è contrario vitium loquacitatis Sororibus demonstravit, ac deinceps observantiores effecit. Unde liquet non esse absque piaculo inanes sermones miscere, & absq; rectæ rationis dictamine oris januam ad loquendum recludere. Hinc Ezechiel Proph. ut habetur *Ezech.* 3. 15. tametsi ad loquendum missus fuerit à Deo, tamen septem diebus sedens, mœrens tacebat, ne fortè vel minimo otioso verbulo sua contaminaret labia. Quare S. *Gregorius* ab eo argumentatus; *Si*, inquit, *qui ad loquendum missus est, tamdiu tacuit, pensandum nobis est, quanta culpa sit ei, non tacere, quem nulla necessitas cogit loqui.* Ita *Gregor.* hom. 11. sup. *Ezech.*

11. Cæterùm indagare oportet, quibus potissimum peccatis sese viri linguosi polluere soleant? & continuò reperiemus, illos committere peccatum vaniloquii, de quo Christus dixit: *Dico autem vobis, quoniam de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii.* Hoc peccatum mox sequitur murmuratio directè contra hominem, & indirectè & reductivè etiam contra Deum, ut bene consideranti patebit, quia teste *Thoma Kemp*: *De iis plerumque libenter loquimur, quæ nobis adversantia sentimus, & per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus.* Murmuratio porrò solitudini non est assueta, ideo sociam, detractionem scilicet à latere suo abesse neutiquam patitur, sed eam semper secum ducit; cùm experientia probet, nullos magis detractionis vitio obnoxios esse, quam silentii prævaricatores: nec ullam colloquiis materiam aptiorem plerumque videri, quàm alienos defectus & vitia. Committere etiam solent peccatum levitatis, cùm ejusmodi homines communiter leves sint, atque adeò ex abundantia cordis os loquatur. Peccatum jactantiæ nequaquàm etiam effugient, siquidem nihil est usitatius in colloquiis, maximè apud eos, qui in humilitate non sunt fundati. His & aliis pluribus peccatorum culpis sese impiare solent loquaces.

12. Ex quo sequitur, quod non solùm apud Deum, & Beatos Cælites tales, linguam suam moderare nescientes, ignominiæ & infamiæ notam incurrent, verùm etiam apud prudentes homines. Ut enim, si vas percussum magnum reddit sonum, vacuum credimus; ita si quem valde loquacem advertimus, virtutibus & aliis charismatis inanem esse judicamus. Hoc jam olim lumine naturali cognoverunt gentiles Philosophi, qui loquaces in fatuorum numerum collocabant. Ex quibus etiam erat *Solon*, qui cùm vice quadam cuidam assideret convivio, silentiúmque teneret, interrogavit nonnemo ex discumbentibus, cur iste (innuebat Solonem) ita taceret? Quod audiens ille respondit: *Quia nullus stultus tacere potest.* Prudens sanè dictum, utpote è Sacris depromptum paginis: *Stultus* (ait *Ecclesiastes* 10. 14.) *verba multiplicat.* Idcirco quisquis prudens haberi, ac in bona & laudabili fama apud viros probos esse desiderat, sedulò declinare debet inanes confabulationes, & linguam suam in paucis præstare. Certò *Apollonius* Abbas rogatus, qui hominum sint optimi? *Qui in dicendo brevissimi*, respondit. E contra qui longas & inanes miscere sermocinationes consuescunt, magnam plerumque audientibus nauseam creant, séque non modicè prostituunt.

# PARS SECUNDA.

13. Cùm ex præcedentibus dictis sat abundéque constet, quàm multas peccatorum maculas contrahant viri loquaces; minimum verò peccatum, quale est vel unicum verbum otiosum, *Deus* (ùt testatur S. *Job.* c. 24.) *inultum abire non patiatur*, sequela sequitur manifesta, quod tales viri linguosi innumerabilium, & ineffabilium pœnarum, post absolutam mortalis hujus vitæ periodum luendarum, acervum sibi per ejusmodi peccata congregent, & imponant; quod licèt nunc id credere nolint, haud dubiè tamen experientur cum ingenti suo damno, dum magnus æternitatis dies ipsis elucescet; tunc enim mentis oculos aperientes, altáque imo ex pectore suspiria trahentes ingemiscent, ac deplorabunt suam tam miseram sortem, quod nempe tam parvi duxerint facetias, & discursus scurriles & vanos, neque hos declinarint.

14. *Surius* in vita S. Hugonis Abbatis refert, quod S. hic Abbas sæpe Durandum Archi-Episcopum Tolosanum tanquam olim suum discipulum, & in Christo filium monuerit, ut à jocis & ridiculis verbis sibi temperaret, aliàs gravissimas purgatorii pœnas subiturum. Verum dixisse Hugonem eventus probavit; Nam cùm præfatus Præsul naturæ debitum solvisset, apparuit Signino Monacho, viro planè perfecto, in horribili forma, os namque prætulit admodum inflatum, labiáque fœdè concisa, eúmque voce lacrymabili rogat, Abbatem Hugonem ut adeat, eidémque supplicet, ut unà cum suis Monachis supplex apud Deum pro se intercederet, quod nempe ob facetias suas ac verba otiosa, quæ correptus relinquere noluerat, atrocissimis pœnis in Purgatorio torqueretur. Signinus rem Hugoni significat, qui electis septem Fratribus silentium indixit septem dierum, quatenus oris excessus oris obedientiâ purgaretur. Obedientibus aliis unus eorum præcepti violator silentium interrupit: Unde Archi-Episcopus dicto Signino apparens dixit, quemadmodum unius fratris inobedientia suam è pœnis liberationem retardasset. Adit Hugonem his auditis Signinus, qui comperto ita se rem habere, alteri cuidam observantiori silentium per hebdomadam servandum indixit. Quo exacto jam tertiò Durandus apparuit in habitu pontificali, & ore labiísque integris, Abbati ac Monachis ob liberationis beneficium gratias agens; deinde disparuit, ac in cælum subvolavit.

15. Si hoc contingit Archi-Episcopis, qui tamen silentii servandi peculiarem non habent legem; quid, amabo, fiet Religiosis, qui severis ad id custodiendum obligantur statutis? Profectò haud effugient horribiles illos flammarum globos, quibus animæ in altera vita expiantur. Senserunt hæc atrocissima tormenta duo Fratres referente *Boverio* in annalib. Capuccinor. An. 1564. Cùm enim P. Antonius de Monte nocte quadam non potuisset dormire, surrexit, ut lumen è culina acciperet. Mediam confecerat viam, & ecce de eadem culina vidit emicare permagnum ignem. Attonito rei novitate occurrit horridus Æthiops, qui ad Patrem conversus ait: Ne timeas, manúque apprehensâ secum duxit ad culinam, quam ubi ambo ingressi sunt,

sunt, vidit Antonius duos nuper defunctos Fratres, veru infixos, substratis copiosis prunis ab atrociore Æthiope crudelem in modum perassari. Utrúmque facilè cognoscebat: quapropter, quid est hoc Fratres, ait, Itane damnati estis? Damnati non sumus, inquiunt, æternum, sed hac temporali pœna exurimur, quod & multum temporis inutilibus impenderimus, & dum calefactionis causâ ad focum stabamus, nunc murmuraverimus, nunc aliorum facta carpserimus, & inutilia multa locuti fuerimus, aliósque nostro pravo exemplo ad similia traxerimus. Ob quæ horrificis horum cruciatuum generibus subjicimur. Quibus dictis visio disparuit.

16. Simile quid etiam vidit P. *Silvius* ejusdem instituti Presbyter; nam cùm aliquando ante preces nocturnas in choro oraret, derepentè fores Ecclesiæ ingenti ictu concussæ sunt. Paulò pòst fit strepitus in umbilico templi, ac deinde ante aram, in qua cæleste manna erat. Territus Pater, dum rei exitum exspectat, inaudiit vocem hominis, amarè flentis: Heu me! inquiebat, heu me! ô quanta tormenta sustineo! ô justus mortalium Vindex, quis tandem horum cruciatuum finis erit! ô, Fratres! ô, ô, fratres! si nosse possetis, quàm dira patior, quantus vos horror invaderet! Simúlque compellans Silvium, adésdum, inquit, Silvi, ne paveas, ego anima nuper defuncti fratris sum, Dei jussu huc missa. Silvius ut accessit, præter umbram ad cornu Evangelii nihil conspexit. Et anima: defuncti nuper fratris anima sum, & gravissimis pœnis in flammis purgatricibus atteror. Quibus de culpis? inquit Silvius. Ad quæ anima digito linguam tangens, ob hujus, inquit, linguæ peccata tam miserè discrucior, ut cruciatus exprimere non valeam. Quibus dictis cùm 30. Missas postulasset, disparuit.

17. Ex his ergo & pluribus aliis, quæ silentio involvo, exemplis satis liquet, non esse nugas, aut rem exigui momenti transgressionem silentii, cùm cernamus ob hanc tam levem, & fermè nullam, (ut nobis videtur) culpam tantis Religiosos addici tormentis. Meritò proin S. *Teresia* tenerrimo miserationis affectu suas in Christo filias prosequens, satagebat, ut silentium inviolabiliter ab omnibus observaretur. Unde hæc S. Mater, in cælo jam gloriosa, si quando aliquæ Sorores tempore silentii loquebantur, illas per tres ictus super portam admonuit, &, ut tacerent, imperavit; fortassis hanc etiam ob causam, ut atrocissimos cruciatus, loquacibus destinatos, effugerent. Quòd porrò tam severè divina in eos animadvertat Justitia, qui nugas & facetias in medium proferre amant, nemini mirum videri debet; Nam Sanctissimus Claravallensium Monachorum Abbas, S. *Bernardus* libro secundo de Consideratione ad Eugenium Papam cap. 13. hoc de nugis tulit judicium: *Inter seculares nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiæ. Consecrasti os tuum Evangelio? talibus jam aperire illicitum, assuefacere sacrilegium est.* En, quantam ferat censuram de verbis scurrilibus & indecentibus mellitus hic Ecclesiæ Doctor, qui totam suam scientiam divinitùs accepisse creditur. Ergo nota hæc bene, illa præsertim verba: *Assuefacere Sacrilegium est.* Siquidem à gravi culpa non videtur posse excusari Sacerdos, Prælatus, Religiosus, qui scurrilia loqui in consuetudinem ducit. Rationem solidam assignat D. *Thomas* 1. 2. q. 73. a. 10. in Corp. nimirum ratione scandali: *Quia* (inquit) *in exemplum culpa vehementer extenditur,* *quando*

*quando pro reverentia gradûs peccator honoratur: ad plurium enim notitiam perveniunt peccata & excessus magnorum.* Ac proinde Sacerdos cum majori periculo sui & aliorum peccat, sicut etiam Religiosus: Excessus enim Religiosi, aut Sacerdotis potest esse gravior propter scandalum, quia ad vitam ejus plures respiciunt. Hinc citatus S. *Thomas* quæst. 79. a. 3. ad 5. iterum hæc scribit: *Quamvis verum sit, quòd circumstantia personæ excellentis peccatum in infinitum non aggravat, ut faciat de veniali mortale, nisi transferat in aliam speciem peccati; attamen id evenire potest per accidens ratione scandali. Ex quo dicebat Bernardus: Nugæ in ore Laici, nugæ sunt: in ore autem Sacerdotis blasphemiæ. Verum hoc intelligitur per exaggerationem dictum, vel propter occasionem scandali: quia nugæ in ore Sacerdotis possunt esse occasio blasphemandi.* Ita Magister Angelicus; quæ proinde quàm diligentissimè notent Sacerdotes, & Religiosi omnes, ne intempestivis nugis, fœdisque scurrilitatibus occasionem infirmis præbeant scandali, seu ruinæ spiritualis. Siquidem, quin hujuscemodi sermones parùm honesti, & à Sacerdotum labiis profecti, audientes scandalizent, nescio, utrùm quis rationabiliter inficiari possit: Ergo pariter, quâ ratione à gravioris culpæ reatu queant excusari, non satis intelligo.

18. Veruntamen, ut nonnullos scrupulos, qui ex dictis oriri, & pium religiosúmque animum discruciare possent, abigamus, coronidis loco notandum venit, magnum esse discrimen, inter nugas, jocularitates, & scurrilitates hactenus reprehensas, sicut etiam inter verba otiosa, à Christo damnata & alia, quæ convenienti modestiâ moderata, in civili conversatione permittuntur. Nam S. *Laurentius Justin.* in libro de disciplina & perfectione monasticæ conversationis c. 5. ita scribit: *Sunt tamen multa verba, quæ in se ridiculosa & vana esse videntur, quæ interdum prudenter, & opportuno dicuntur tempore, vel pro propria sublevanda fragilitate, vel proximorum amovenda tristitia. Hæc nempe talia ab infirmis mentibus nequaquam redarguenda sunt, quia otiosa non sunt. Plerumque hujusmodi magis fructificant, quam spiritualia & divina, non autem in consuetudinem deducenda sunt, sub intentione subductoria, & rarò suo loco & tempore pronuntianda.* Hæc ille.

19. Angelicus Doctor S. *Thomas* 2. 2. q. 168. a. 2. Corp. pariter de *Eutrapelia*, cui locum & nomen virtutis attribuit, si moderata sit, differens, inquit, *Qui in ludo ita deficiunt, quod nec ipsi aliquod ridiculum dicunt, nec faciunt, vel dicentibus & & facientibus molesti sunt, vitiosi censentur.* Advertit tamen idem Angel. Præceptor, hanc verborum & discursuum facetorum recreationem esse debere honestam. Unde ait: *Primum & principale est, quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus vel verbis turpibus.* Hoc ipsum verificatur insigni prodigio. Nam cùm in Conventu Vallisoleti Discalceatarum S. Teresiæ in Hispania in solemnitatibus Paschalibus majori cordis lætitiâ animum simul recrearent Moniales; dubitavit quædam Soror, nomine Stephana ab Apostolis, cui præcipuè jussum fuerat internum gaudium opere externo comprobare, utrum talia cælesti sponso essent grata? unde ad imaginem Crucifixi conversa, ut illius voluntatem dignaretur manifestare, deprecata est; & ecce illicò imago caput inclinando annuit sibi placita esse, quæ ad hilarandum animum bonâ fierent intentione. Ex historiis Carmelit. Tom. 1. lib. 2. cap. 17.

20. Advertendum tamen est, ne hac in

in parte nimium ſimus faciles & proni, quia ob naturæ ad vitia proclivitatem ſæpe numero ſimiles facetiæ & argutiæ principio quidem honeſtæ à ſuæ rectitudinis regula deflectunt & degenerant. Quamobrem quantum recta dictabit ratio, & quantum foret poſſibile, meliùs feceris, ſi à ſimilibus jocis, & facetis verbis tibi temperaveris, cùm difficilè ſit in tali occaſione non prorumpere ſimul in verba otioſa, à Chriſto Domino reprehenſa, de quibus, ùt ipſe ait, in die judicii rationem reddere cogemur, puniemurque de his, niſi prius in vita condignam à nobismetipſis exegerimus pœnam & mulctam, de qua exſolvenda tam ſoliciti extiterunt Sancti, ut à ſemetipſis graves omnino pœnas ſumentes ſe cruciarint, ſi quandoq; linguam ſuam minus cautè cuſtodiſſe adverterint. Brevitatis causâ adduco *Severum Sulpitium*, virum omnino Sanctiſſimum, & paupertatis & humilitatis amore conſpicuum. Hic in ſenectute ſua à Pelagianis deceptus, & agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium uſque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret. *Gennadius* de Viris Illuſtr. cap. 19. S. *Clara de Monte Falco* Ordinis noſtri, dum quadam vice matris alloquendæ gratiâ ſilentium rupiſſet, in pœnam admiſſi erroris in ſummo frigore nives nudis pedibus calcans, centies precationem Dominicam recitavit. Ex lect. in officio Ordinis.

21. Denique nullum prorſus eſt dubium, quin multos reperire liceat, qui rotundè cùm S. *Arſenio* fateantur dicentes: *Me ſæpe pœnituit locutum fuiſſe, nunquam autem tacuiſſe.* Næ ſi oculos ad noſmetipſos reflectimus, hoc ipſum canere cogimur. Quamobrem experto jam proprio damno meliora ſaltem nunc ſapiamus, omnémque à nobis verboſitatem arceamus, ósque noſtrum præcingamus cilicio, ſed non alio, quam quod vir Religioſus (*Drexelio* teſte in Phaët. cap. 61. §. 3.) cuidam Juveni ſuaſit; Cùm enim forte cilicium pro domanda carne petiiſſet à Religioſo, ille os digito ſignans dixit: *Verè, mi Juvenis, optimum eſt cilicium, vigilanter attendere, quid per oſtium hoc egrediatur.* Tale cilicium jam olim ori ſuo adhibuit (ut Author eſt *Pelagius*) S. Agathon Abbas, quò autem illud tenacius retineret, ori ſuo lapillum impoſuit, ac per triennium retinuit, ut vel ſic loquacitatem fugans, ſilentium condiſceret; qua in re non paucos ex ferventioribus Religioſis imitatores habuit.

22. Verùm, ſi his fortaſſis nondum ſis accenſus ad propulſanda vana & otioſa colloquia, movere te ad minus deberent irrationabilia animalia; Nam grues (docente *Plutarcho* de ſolertia animal.) quando montem Taurum transvolant, accipiunt in ſua roſtra lapillum, ne ſe ſuis clamoribus prodant, & hoc ex metu, ne audiantur, & aquilarum illic degentium inſidias incurrant, eíſque in prædam cedant. Síque ſibi os obturant, & in ſummo ſilentio præfatum montem tranſeunt, ut ab aquilis audiri non poſſint. Diſce ergo & tu, mi chare frater, ab his avibus os tuum per ſilentii lapillum refrænare, ſi inſidias, & milvi ſatanici ungues ſubterfugere paras. Quod ſi præſtiteris, magnam tibi concipere ſpem fas erit, per hujus exilii montem ſecurè te, ac illæſo pede tranſiturum, & ad æternæ fælicitatis patriam perventurum.



# SERMO XXXVI.
# DE COLLOQUIIS RELIGIOSIS.

*Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Eccleſ. 3. verſ. 7.

1. Dictum eſt hactenus, quatenus cuilibet Virtutis amanti ſilentii virtus ſit neceſſaria, & quanta ex ejuſdem incuria, & neglectu pullulare ſoleant damna. Verùm ne quis minus prudens, his perpenſis, ſiniſtram declinare volens ſemitam, plus æquo ad dexteram deviet; hoc eſt, ne, dum verba otioſa, vana & ſæcularia reſpuere laborat, prætereat pia & Religioſa, ædificationique proximi multùm proficua. Sciendum igitur eſt, hanc ſilentii virtutem etiam, ſicut & reliquas, in medio conſiſtere ſic, ut verba ſalutem proximi promoventia non reticeamus, ſed otioſa duntaxat, & nullum emolumentum importantia reſecemus. Hoc nobis ſuggerit *Sapiens*, dum ait: *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Quod ipſum etiam Hebræus Pſaltes ſuo munit calculo, dum Deum in hunc exorat modum *Pſal.* 140. *Pone, Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Quem textum S. *Gregorius* 3. p. Paſtor. admon. 15. in hæc dilucidat verba: *Non poni ori ſuo parietem Pſalmiſta, ſed oſtium petit, quod videlicet aperitur, & clauditur; unde & nobis cautè diſcendum eſt, quatenus & os diſcretè & congruenti tempore loquela aperiat, & rurſum congrua taciturnitas claudat.* Cui concinit Mediolanenſis Archi-Epiſcopus, & Eccleſiæ Doctor, S. *Ambroſius*: *Si pro otioſo*, inquit, *verbo reddemus rationem, videamus, ne reddamus & pro otioſo ſilentio.* Hinc belliſſimè S. *Laurentius Juſtin.* de perfect. Mon. c. 15. docet Virtutem ſilentii hanc eſſe, non ſemper tacere, ſed illa ſola, quæ loqui non licet; unde hanc diſcretionis Regulam multi ignorantes graviter delinquunt, quia tacent utilia proferre iis, quibus prodeſſe valerent. Horum typum jam olim expreſſit S. *Iſaias*, dum ſeipſum de immoderato ſilentio inculpat dicens: *Væ mihi, quia tacui.* Iſai. 6. 5.

2. Hoc regium ſilentii iter *Propheta* patefecit, cùm dicit: *Pſal.* 38. *Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea:* non ait, *ut taceam*; ſed, *ut non delinquam.* Hinc quoque Eccleſiaſticus dicit: *Eccli.* 20. 7. *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus*; hoc eſt tamdiu, donec loqui melius ſit, quam ſilere. Quod ſcitâ ſimilitudine declarat *Plato* ad Theophanum dicens: Navigamus aliquando velis navem explicantes, aliquando anchoris frænantes retinemus, eadem gubernatio ad linguam adhibenda eſt, ut aliquando eam verbis armemus, aliquando ſilentio reprimamus. Melius tamen quadrat ſimilitudo illa ex Sacra Scriptura deſumpta, ubi dicitur *Prov.* 25. 11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore*

*pore suo.* Artifices enim, ut gemmas, quas publico aspectui exponunt, elucescere faciant; easdem in lectis quibusdam argento distinctis, pulchrâ quadam & eleganti dispositione distribuunt. Hisce igitur pomis aureis, sic (ut dictum est) pulchrè ordinatis Sapiens Rex *Salomon* illos similes esse dicit, qui & tempore, & loco congruo loqui assueverunt. Quocircà ne silentium nostrum defectuosum sit & indiscretum, auream *D. Chrysostomi* doctrinam teneamus oportet: Siquidem in Psal. 140. vult, hortatúrque, ut os nostrum perpetuò custodiamus, & ei rationem tanquam clavem adhibeamus. *Clave utimur non solum & semper pro claudendo, sed etiam pro aperiendo ostio; eodem modo ratio non debet os clausum semper tenere, sed etiam aperire.*

3. Ex his itáque facilè intelligis, aliquod etiam assignari tempus, quo silentium abrumpere fas est, quale apud nos juxta sacras nostras Constitutiones, excepta quadragesima, & altero jejunio nobis usitato, est una hora post comestionem, & altera hora post cœnam, & collationem. Omni igitur studio & contentione anniti nos oportet, quo nempe per hujus horulæ decursum, omnem ad mundum spectantem discursum propulsemus, neque otiosas fabulas in medium proferamus: ob similia namque vana colloquia non rarò magnam apud Deum ignominiæ notam Religiosi incurrere solent. Quemadmodum enim Ascetam nihil magis decet, quam frequenter, & assiduò de Deo, rebúsque divinis miscere sermonem; ita nihil ipsum magis dedecet, quam sæcularia & nugatoria proferre, quæ teste *S. Basilio* in Constit. mor. cap. 13. remissionem, dissolutionémque animi erga res spirituales inducunt, devotionem enervant, & compunctionem cordis extinguunt, & quod caput est; moriones potiùs, quam graves viros decent. Cujus rationem ulteriorem S. *Clemens Alexandrinus* l. 2. de pædag. cap. 5. sequentibus verbis affert: *Cùm verba omnia à cogitatione & moribus emanent, fieri non potest, ut verba aliqua mittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis.* Quod idem affirmat S. *Hugo* l. 1. de anim. dum dicit: Vanus sermo vanæ conscientiæ est index: mores hominis lingua pandit, qualis sermo ostenditur, talis animus approbatur, quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Hinc dicitur 1. *Joan.* 4. *Ipsi de mundo sunt, & ideo de mundo loquuntur*; & iterum 1. *Joan.* 3. *Qui de terra est, de terra loquitur.* Unde qui vana & levia verba loquitur, ostendit se vanum & leve cor habere. Et sicut ex sono dignoscitur, utrum campana integra sit, an rupta; sic è verborum sono facile quis integer vel ruptus sit, proditur. Denique de his, qui libenter de mundo loquuntur, idem dici potest, quod Petro dictum est, quando Christum negavit, nimirum; *Verè & tu ex illis es*, (videlicet mundanis) *nam loquela tua manifestum te facit.* Matth. 26.

4. Hanc ob causam S. *Ignatius Lojola* singulariter omnibus suis, etiam Fratribus Laicis, pia colloquia commendavit, eáque inter principalia juvandi proximum instrumenta numerare non dubitavit, utpotè quæ faciunt, ut sæculares magnificè de nobis sentiant, existimantes nos esse Deo plenos, omnibúsque donis cælestibus abundare. Quod monitum sanè Religiosorum quivis cordi suo profundè insculpere deberet, utpotè à tam Sancto Fundatore omnibus quibuscunque Dei gloriam promovere volentibus singulariter commendatum. Sed Ah! quam pauci reperiuntur modo, qui hanc auream doctrinam æstimant. Exclamare profectò nobis fas est cum *D. Bernardo*,

qui in Apologia ad Guilelmum Abbatem rei hujus defectum non fine gemitu reprehendit in Religiosis quibusdam sui ævi: O quantum distamus ab his, qui in diebus Antonii extitere Monachi! quorum, dum invicem convenirent, sermo omnis & conversatio in cælis erat, támque avidè cibo spirituali mentem replebant, de rebus divinis & animarum profectu agentes, ut corporalis refectionis immemores, totum subinde diem jejuni transigerent. Et hic erat rectus ordo, dum digniori parti, id est animæ, priùs inserviebatur. *Nobis autem convenientibus in unum*, ut verbis Apostoli 1. Cor. 11. utar, *jam non est Dominicam cœnam manducare.* Panem quippe cælestem nemo est, qui requirat, nemo qui tribuat, nihil de scriptura, nihil de salute agitur animarum; sed nugæ, & risus, & verba proferuntur in ventum. Et quod omnium pessimum est, hoc modo posse proximum detinere, vocatur affabilitas & discretio, quin vel charitas: Contrarium vel dicitur inurbanitas vel rusticitas; imò qui de Deo loquuntur, pro melancholicis habentur, eorúmque conversatio vitatur. Ista charitas, veram destruit charitatem, hæc discretio veram discretionem confundit; quæ enim charitas est, carnem diligere & spiritum negligere? Quæve discretio, totum dare corpori, & animæ nihil? Huic S. *Abbatis* doctrinæ magnum tribuit robur illud, quod narrat B. *Taulerus* in instit. cap. 28. nimirum vice quadam apparuisse Christum insigni cuipiam Dei famulo, & septem querelas adversus Religiosos magno cum doloris sensu deposuisse; inter quas secunda erat, quod omnes illorum congressus & colloquia, vanis ineptísque narratiunculis extrahantur, de ipso autem, & cælestibus altissimum semper sit silentium.

5. Enim verò, non inanis est hæc Christi querimonia; cùm enim ille nostrum sit caput, & nostrarum regula actionum; hinc non modicam ei præbemus contristandi causam, dum ab eo, cujus conversatio de Regno cælorum semper erat, tanquam filii degeneres discordamus, & recedimus, neque ei tanquam illius membra nos conformare gestimus, sed repudiatis rerum ad salutem animæ pertinentium collationibus, nos ad vanas effundimus fabulas, quorum diabolum esse fautorem; & è contra spiritualium sermonum impugnatorem semper existere, *Abbas Machetes* his declaravit indiciis. Cùm Fratribus quibusdam de rebus spiritualibus loqueretur, & eos quodam sopore videret laborare, nec posset ab oculis eorum somnum depellere, otiosam repente fabulam introduxit, ad cujus oblectationem, cùm eos confestim evigilasse, & erectas aures suas habere vidisset, ingemiscens ait: Nunc hucusque de spiritualibus loquebamur, & omnium vestrum oculi lethali dormitatione deprimebantur; at vix curiosa fabula cùm intromissa esset, omnes expergefacti, torporem somni excussistis. Vel ex hoc ergo perpendite, Fratres, quisnam hujus collationis spiritualis impugnator, & illius vanæ fabulæ insinuator existat, & deprehendetis nullum alium, quam cacodæmonem esse. Hanc ob causam idem Vir Sanctus, quâ lacrymis, quâ precibus à Deo postulavit, ac obtinuit, ut, quotquot diebus ac noctibus ageretur collatio spiritualis, nunquam somno oppressus sit; Si quis vero sæcularia ac impertinentia protulisset, in somnum protinus concedebat. Ita refert *Cassianus* apud *Rosvveidum* lib. 4. cap. 34. Huc etiam facit, quod scribit *Rodriquez* p. 2. tr. 2. c. 14. S. Franciscus de Borgia, cùm à sæcularibus quibusdam visitaretur, quibus suam negare præsentiam non poterat, & illi de

rebus

rebus impertinentibus agere inciperent, iis aures non accommodabat, nec attendebat ad ea, quæ dicerent, sed animum ipse suum in Deo recollectum habebat. Quin à sociis admonitus se propterea subinde errare, & subinde ad petita præter rem respondere: Malo, inquit, rudis & stupidus videri, quam temporis jacturam facere. Omne enim tempus perire existimabat, quod non aut Deo, aut ad Deum pertinentibus impenderet.

6. Denique ut magis intelligamus, quam gratum Deo præstent obsequium illi, qui libenter de rebus divinis, sua habent colloquia, memorare lubet, quod à *Petro Ribadeneira* in vita S. *Benedicti* refertur, scilicet quod S. Scholastica ejus Soror quotannis germanum Fratrem suum invisere solebat. Ergo cùm aliquando pro solenni suo Sanctum Virum visitatum venisset, ille Monachis aliquot stipatus ei obviam processit, & amanter acceptam in domicilium quoddam, quod Monasterio propius aberat, deduxit. Hîc familiariter divinis de rebus ad usque vesperum collocuti sunt. Sed cùm sub noctem S. Benedictus abire pararet, Soror eum multis obnixè rogavit, ut secum remanere dignaretur, & eam noctem divinis colloquiis impenderet. Vir Sanctus cùm nullis Sororis precibus exoratus, nihilominus abire pararet, illa submissum caput in manus cancellatim junctas inclinavit, piisque & lacrymis, & precibus effictim Deum rogavit, ut eâ nocte fratrem suum secum retineret. Sudum prorsus erat & innubc cælum, antequam Scholastica hasce preces funderet, secundùm quas tempestas tot tonitruis, & fulminibus horribilis ingruit, ut neque S. Benedicto, neque comitibus ejus usquam domo pedem proferre licuerit. Agnovit Vir Sanctus suæ Sororis precibus eam tempestatem fuisse concitatam, cóque amanter conquestus: Parcat, inquit, tibi Omnipotens Deus, Soror, quid est, quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogavi, & audire noluisti, rogavi Dominum meum, & audivit me. Modò ergo, si potes, regredere, &, me dimissâ, ad Monasterium recede. Sic sanctè piis colloquiis tota ea nox fuit transacta. Sub auroram uterque invicem amplexi, suum quisque Monasterium repetiit.

7. Liquet ergo hinc, quantoperè Deo gratum, acceptúmque sit, dum Religiosi de rebus divinis, & ad animæ salutem pertinentibus conferunt; & è contrariò si, his neglectis, de vanis, mundanis, & ad eorum statum non pertinentibus sermocinantur, magnam creant abominationem cælestibus spiritibus, Angelorúmque Domino, quemadmodum testatur quidam de sanctioribus Eremi cultoribus, cui talis divinitus concessa erat gratia, ut videre posset ea, quæ alii non videbant. Referebat ergo Sanctis Patribus, dicens: Quod aliquando quam plurimi fratres sedentes simul loquebantur de Sanctis Scripturis, quæ ad animarum salutem pertinebant. Tunc stabant circa eos Sancti Angeli lætantes, & hilari vultu eos intuentes, delectabantur enim multum de colloquio Dei. Cùm autem aliud quodvis loquerentur, statim hi cælestes Genii, contra eos indignati, longiùs recedebant, & porci sordidissimi veniebant, séque inter illos volutabant. Dæmones enim in specie porcorum delectabantur eorum vaniloquiis. Beatus autem Senex hæc contemplans abiit in cellulam suam, & per totam noctem cum grandi fletu, & ejulatu gemendo & suspirando deplorabat miserias nostras. Hinc exhortabatur Fratres dicens: *Cavete filii charissimi à multiloquio, & ab otiosis sermonibus linguam cohibete, quia malus interitus animæ generatur, & multum propter hoc Deo, &*

*Sanctis ejus odibiles sumus.* Vitæ PP. lib. 3. num. 36.

8. Quemadmodum ergo vanæ & sæculares Religiosorum confabulationes summè Deo displicent, ita è contrario multum delectatur sanctis eorundem colloquiis. Hanc ob causam S. *Franciscus Seraph.* alumnos suos frequenter ad disserendum de divinis convocabat; atque ut intelligerent simul, quàm gratæ Deo ejusmodi sermocinationes sint, ipse Salvator noster Christus, sub speciosissimi adolescentis forma, medius inter illos sese aliquando insinuavit, placidissimóque vultu suam illis benedictionem impertivit. Idem Salvator duobus illis discipulis in Emaus euntibus se sociavit, eò quod de ipso loquerentur, adeóque illos divinæ charitatis flammâ succendit, ut ipsimet postmodum cordis ardorem manifestarint, dicentes: *Luc.* 24. *Nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via?* Proinde colligere possumus, qualis ex hisce sanctis discursibus sperandus sit fructus. Hinc non sine ratione monet Siracides: *Eccli.* 9. 23. *Omnis narratio tua,* inquit, *sit in præceptis Altissimi;* Quoniam ut divinus Spiritus per os *Sapientis* iterum loquitur, *de fructu oris sui unusquisque replebitur bonis. Prov.* 12. 14. Cupis nosse quibus bonis? Dicam: quia per tales pios sermones anima à peccatis purgatur; spiritûs fervor augetur, & roboratur; devotionis flamma nutritur, & copiosius accenditur; ac animus supra se ad superna accenditur appetenda inflammatur, & eleduntaxat appetenda inflammatur, & elevatur. Unde non immeritò exclamat S. *Hieronymus*: O *felix lingua, quæ non novit, nisi de divinis texere sermonem.*

9. Advertendum porrò est, quod tametsi moderno rerum statu vix unquam sancta miscentibus colloquia corporaliter & visibiliter sese Chistus visendum exhibeat, ambigendum tamen nullatenus est, quin medius inter illos sit suâ divinitate & gratiâ; quod ipse Servator indicat, dicens: *Matth.* 18. *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio illorum ero,* eorúmq; corda tanto amoris æstu exardescere faciam, ut unusquisq; eorũ cum meo Propheta *Psal.* 118. in has erumpat voces: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Sentient nimirum in his divinis eloquiis talem spiritûs dulcorem, qualem olim Israëlitæ in sumptione Mannæ persenserunt, de quo in libro *Sapientiæ* cap. 16. dicitur: *Angelorum escâ nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Sicut ergo Filii Israël in manna omnium eduliorum saporem percipiebant, ita etiam quidquid animam exhilarare potest, in hac spiritualium colloquiorum manna reperire est.

10. Verum, inquis, si res ita se habeat, cur ergo tantoperè hunc cælestem panem plurimi ex Religiosis fastidiunt, & floccifaciunt? Ita sanè est; sed vicissim quæro, cur Israëlitæ contra Dominum murmurantes, carnes appetiverunt, cùm tamen, teste Scripturâ, omne delectamentum, & saporis suavitatem in se continebat Manna? Quid sibi hoc vult murmur, dum querebantur, dicentes: *Num.* 11. 5. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepæ & allia: nunc autem anima nostra arida est, & nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Manna.* Hunc difficultatis nodum solvit S. P. *August.* apud *Rodriq.* p. 2. c. 13. dum docet, quod non omnes Israëlitæ, sed tantum boni, pietatem & justitiam sectantes, mirabilem illam in Manna reconditam dulcedinem persenserunt; malis vero hic cibus Angelicus fastidium potiùs, quàm suavitatem

vitatem creavit. Hinc mirum non erat, quod hi Deo rebelles rursus ad Ægyptum propter carnes, pisces, cucumeres, cæpe, & allia suspiraverint.

11. Ex qua Divi Patris doctrina soluta etiam manet quæstio primò proposita, cur scilicet non pauci Religiosorum nullam in Manna piorum colloquiorum sentiant suavitatem? est autem hæc ratio, quia multi reperiuntur tepidi & imperfecti, qui Deo non eo, quo par est, modo & conatu serviunt, ideo divinum hoc Manna omnem saporem illis non exhibet, imò desipit, & provocat nauseam, fabulámque malunt, quam pium aliquod exemplum audire, quod vitiosi cordis signum est. Quocircà si nondum in Sanctis collationibus te gaudio affici sentias, signum est, te nondum esse ex numero ferventium & bonorum Religiosorum; proinde superest, ut connitaris huic felicissimo Dei servorum cætui te associare, quod efficies, si vel planè tacueris, vel si loqui oporteat, de seriis & utilibus rebus cum aliis conferas: Sic enim haud dubiè dulcore ex hisce piis & religiosis conferentiis promanare solito perfruêris. Nam sicut qui rem odoriferam manu versat, quò amplius terit, eò fragrantiores sentit odores; ita quò quis tractationem rerum spiritualium frequentiùs in colloquium adducit, eò magis excitatur ad easdem animo, & ore versandas. Si itaque, mi Frater, divinæ consolationis dulcedine perfundi, ac melioris notæ Religiosus effici desideres, quæ modò memoravimus, ne abjicias, vel contemnas oportet.

# SERMO XXXVII.

# DE SOLITUDINE RELIGIOSA.

*Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine; Exspectabam eum, qui salvum me fecit.* Psal 54. 7.

## PARS PRIMA.

1. Constat ex hactenus tribus relatis discursibus, quam necessaria ad profectum spiritûs suspiranti sit silentii virtus; constat etiam, quantum Deo displiceat vaniloquium in Religiosis præcipuè viris, & contrà quantoperè delectetur, dum hi de sanctis, piis, & cælestibus rebus suos instituunt sermones. Proinde operæ pretium fuerit nullum respuere medium, quò harum virtutum copiosum consequi valeamus fructum. Etsi porrò hæc multifaria sint, efficaciùs tamen haud reperietur, quam sancta Deóque gratissima solitudo; nam qui extra suam cellam citra necessitatem vagari

vagari gestit, taciturnitatem communiter violabit, nec verba perniciosa noxiáque deerunt. Quamobrem si silentii amicus esse desideras, ac in religiosæ perfectionis semita illæso cupis pede progredi, necessarium inter reliqua est, ut cellam continuò inhabites, neque sine urgenti necessitate, aut rationabili de causa ex ea egrediaris. Verùm, ut suavius & diligentius hanc incolas, recogita eam esse fœlicem illam, & è millibus electam stationem tuam, in qua, rescissis omnibus sæculi curis, soli Deo, & animæ tuæ vacare debeas. Esse paradisum voluptatis, quem cælestes gratiarum imbres frequentiùs irrigare soleant. Esse conclave divini amoris, in quo cum dulcissimo animæ Sponso suavissimos affectus reciprocare liceat, eique amorosa sua desideria, necessitates & vota candidiùs, quam ullibi aliàs exponere. Esse denique vestibulum quoddam cælestis gloriæ, Aulámque sanctissimam, in qua nonnisi cum Deo, & Beatissima ejus Matre, sanctísque Cælitibus, & Angelis habeatur conversatio; ut meritò mellifluus Doctor, S. *Bernardus* de vit. solit. c. 4. in ejus laudem excurrerit per hæc verba: *Cella terra Sancta, & locus Sanctus est, in qua Dominus & Servus sæpe colloquuntur, sicut vir ad amicum suum, in qua crebrò fidelis anima VERBO DEI conjungitur, Sponsa Sponso sociatur, terrenis cælestia, & humanis divina uniuntur.*

2. His bene perpensis, statue ex animo, quod humilem cellam tuam velis sumptuosissimis quibusque mundi palatiis in amore præferre, ac per omne vitæ tempus diligentem ejus incolam agere, observando salutare documentum Sancti cujusdam Eremicolæ, qui religioso Tyroni suo id consilii suggerere consueverat, ut, si perfectionem compendio discere vellet, cellam suam semper incoleret, atque in hunc finem piâ sibi imaginatione persuaderet, orbem totum novo aliquo diluvio, vel aliquo fatali casu periisse, nec aliud ex eo superesse, quam quatuor cellæ parietes, adeóque se solum cum Deo in orbe degere, nec habere deinceps, quod extra cellam quærere vel affectare possit, sed unicam sibi restare salutis suæ curam, quam in arcto cellæ suæ quadrangulo agere debeat, quin & commodissimè agere possit, quia sine arbitro, sine teste, sine impedimento. Et sanè dubitari non potest, quin ex frequentata cellæ solitudine, plurima in ejus cultorem redundent bona, quæ popularis aliis, & multiloquio deditis hominibus justè denegantur. Cùm enim cella, ex mente *D. Bernardi*, sit omnium bonorum officina, non potest non abundare plurimis animæ bonis, quisquis tam fortunatam sibi stationem elegerit: præsertim cùm ad reliquam ejus felicitatẽ ea etiam accedat gratia, ut vel nullis hostium malignorum incursibus pateat, vel certè victricem illis palmam negotio perfacili semper eripiat.

3. Id quod summi beneficii loco habuit Magnus Anachoretarum Pater, *D. Antonius Abbas*, dicere solitus, quod ultra communes humani generis hostes (cum quibus perpetua nobis lucta est) tres alii dentur particulares, iidémque periculosissimi, quia domestici, & nobis congeniti, lingua videlicet, aures, & oculi, quibus non raro perfectissimi quique ex alto virtutum apice in imam perditionis abyssum miserrimè præcipitentur. Unum tamen esse hominum genus, quos intestina illa hostium trias aggredi non possit, & hos esse viros Religiosos, qui cellæ solitudinem colerent: hi siquidem cùm à sæculi vanitate, hominúmque consortio remoti sint, auribus & linguæ ferias indicunt perpetuas, oculos vero, si quando reserare licet, vix habent, quo

quò dirigere possint aliò, quàm in amorosam Crucifixi Salvatoris, vel Beatissimæ Dominæ nostræ imaginem è pariete suffixam: vel certè in asceticum aliquem libellum, nova spiritui fomenta suppeditantem: Sícque viam omnem quibuslibet susurris, vaniloquiis, oblocutionibus, detractionibus, improperiis, suspicionibus, spectaculis minùs decentibus, & plurimis id genus oculorum, aurium, & linguæ malis solo secessu suo præcludunt. Hanc ob causam gloriosissima Dei Mater jam ab incunabulis solitudinis erat amantissima, quam etiam jam desponsata S. Josepho mirificè suspexit, dilexítque adeò, ut die noctéque suo in cubili sola continuò reclusa degeret, quemadmodum ipsamet hæc Sanctissima Virgo revelare S. *Birgittæ* dignata est: *Timui quippe*, inquit, *ne lingua mea quædam proferret verba, vel aures meæ quidpiam audirent, seu oculis meis spectandum objiceretur, quod forsan foret contra Deum.* lib. 1. Revel. cap. 10.

4. Verùm enim verò, licèt stygius veterator undique tanquam leo rugiens circumeat, quærens quem devoret, attamen omnes suas vires & robur amittit in illis, qui solitudinis sunt amantes; hi enim, dum à sæcularium tumultu sequestrati in cella solitaria degunt, divinæ lucis jubaris recipiendi sese capaces efficiunt, unde facilè decipulas, ab orco sibi tentas, perspicere, & ne in has incidant, sibi invigilare poterunt. Hac ratione, & methodo draconis infernalis fauces evasit, suámque animam salvavit S. Propheta *David*, Psal. 54. 8. quemadmodum ipse testatur, dicens: *Elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Et ecce fructum, quem inde percepit: *Expectabam eum, qui salvum me fecit.* Et vero S. *Laurentius Justin.* Prophetam in persona eorum etiam, qui solitariam ducunt vitam, existimat locutum: In eorum persona Propheta ait: *Elongavi fugiens, & mansi in solitudine; expectabam eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.* Est itaque fuga eorum commendabilis, dum declinant noxia, pericula prævident, delictorum evitant causas, æterna desiderant, Deóque inseparabiliter adhærere concupiscunt. Ita Venetorum primus Patriarcha de vita solitaria in Prologo.

5. *S. Bernardus* ipsas inter silvas, ac nemora, vastásque solitudines precando, ac meditando altissima Theologiæ Mysteria penetrabat, dicere solitus, omnem sacrarum se literarum scientiam in silvis & agris accepisse, nullósque alios aliquando Magistros habuisse, nisi (joco usus) quercus & fagos. Unde liquet, quantum solitudo suffragetur ad sacram adipiscendam scientiam, quæ virtutum procuratrix, sicut è contrario ignorantia erroris & peccati Mater, meritò appellatur; ex quo non obscurè colligere fas est, solitudinem stationem omnino securissimam fore. *Luc.* cap. 15. mentio fit parabolæ de Pastore, qui relictis nonaginta novem ovibus, unam illam sequebatur, & quærebat, quæ erat perdita. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam.* Quærit hîc nunc *Josephus Mansi* tr. 89. disc. 1. quâ ratione hic Pastor, tanto licèt feratur amore erga salutem unius ovis, licitum tamen sibi existimat, ut reliquas omnes oves, omni inspectore & custode orbatas, deserat? Et respondet, reliquas esse extra omne periculum, quia relictæ erant in loco securo, nempe in deserto: *Dimittit nonaginta novem in deserto.* Haud absonè huc facit, quod apud Bollandum in vita S. *Henrici Eremitæ* die 16.

Januarii legitur. Cùm ante Crucifixi imaginem vir Sanctus aliquando ferventiùs oraret, eadem imago in voces resoluta humanas, respondit dicens: Dilecte mi, jam pridem in terra nativitatis tuæ, cùm decor mulieris, & nobilitas tuam mentem alliceret, misericorditer à nuptiis revocans, cæleste desiderium cordi tuo inserui. Ab illa enim die ad beatitudinem vitæ prædestinatus es æternæ; & in libro vitæ nomen tuum inscriptum non delebitur in æternum; viriliter age, & confortetur cor tuum; in his quæ cœpisti, persevera, & loci hujus solitudinem usque ad finem vitæ tuæ nullatenus derelinquas. Cùm autem hæc proferret imago, tanquam loquentis hominis labia movere videbatur. Ah frater amantissime! quàm te felicem & beatum duceres, si & tibi, solitudinem cellæ diligenter incolenti, tale quid audire contingeret à Crucifixi effigie, coram quâ in cella devotè tuas ad Deum effundere soles preces. At consolatus sis oportet; licèt enim id non audias, quod sibi dici audivit *S. Henricus*, aure corporis, percipies tamen eadem aure mentis, si modò quemadmodum citatus Anachoreta eremum, ita tu cellæ latebras religiosè incolere non negligas, aut refugias. Ut autem magis intelligas, quam securam teneant stationem, qui vitam colunt solitariam, ex eo facilè colliges, quod in Theatro vitæ humanæ tom. 6. pag. 1110. in hæc verba scribit *Laurentius Beyerlinck*. Cùm Novitius quidam in Carthusia majori aufugere voluisset, apparuerunt illi duo Patres defuncti in magna gloria, dicentes: Revertere ad cellam, habitúque resumpto, viriliter persevera; juramus enim tibi per viventem in sæcula, omnes in hoc Cœmeterio sepultos in conspectu Dei Sanctos esse, præter unum Conversum. Contigit hoc circa annum 1350., quando sacer Carthusianorum Ordo per multas Provincias fuit disseminatus, & in variis cœmeteriis plurimos habuit sepultos, de quibus idipsum possumus sperare.

6. Similiter huc facit, quod legitur in libro de claris luminaribus *Villariensis Cœnobii* cap. 36. Cùm numerosa multitudo Monachorum in templo congregata, vigiliis matutinis interesset, audita est vox, è cælo elapsa dicens: *Quotquot hic sunt, mei sunt.* Sic ille verus & summus Pontifex Christus servos suos, vitam solitariam colentes, plenaria sua potestate Sanctorum numero adscripsit. Ita refert *Chrysost. Henriquez* die 28. Aprilis. Audi aliud huic simile ab eodem Authore de *S. Roberto* die 7. Junii annotatum. Tempore quodam Sanctus Abbas solitò attentiùs orans, à Deo petiit, ut gratum ipsi esset servitium suum, & fratrum suorum, & ut nomina eorum in libro vitæ scriberentur. Tum verò cælitùs lapsa vox est hujusmodi: *Confortare fili, exauditæ sunt preces tuæ, nomina filiorum tuorum, pro quibus rogâsti, in cælis scripta sunt: non nisi duo ex iis scripti sunt in terra.* Nec multò post duo Conversi, excusso Religionis jugo, vitam in sæculo miserè finierunt. Idipsum referunt *Fasti Mariani* die 7. Junii. Ex quibus proinde colligere possumus, quàm securus de cella ad cælum sit transitus, simúlque nosse debemus, Divinam Pietatem similia exempla, ac cælestes tales visiones & revelationes nobis dare voluisse, non tantùm ad Monachorum, in locis solitariis habitantium, solamen, sed etiam ad eruditionem & confortationem quorumcunque aliorum Religiosorum, cellæ suæ solitudinem sectantium, ut videlicet discant, quàm tutè in salutis semita inambulent, quotquot vitam à mundi frequentia abstractam deligunt, & sequuntur.

7. Similiter S. *Arſenius*, dum adhuc in aula Imperatoris Theodoſii degeret, Deúmque rogaret, ut ſibi ſecuram conſequendæ ſalutis æternæ ſemitam demonſtraret, hanc è cælo vocem audivit: *Arſeni, fuge homines, & ſalvaberis.* Hoc & tibi, qui Religioſus audis, indicitur, ut nimirum homines mundanos fugias, ac cellæ tuæ ſolitudinem ames cum dicto Arſenio, qui ſolitudinem ſic colebat, ut nullum non lapidem moverit, quò concurſum hominum, propter famam ſanctitatis ſuæ ad ſe confluentium, impediret. Aliquando Patriarcha Theophilus inde uſque ab Alexandria cum ſuæ urbis Præfecto ad eum viſendum venit, precatúsque enixiùs, ut ſibi quidpiam ad animi ſalutem promovendam diceret; *Arſenius* cùm utrumque diu ſuſpenſum reliquiſſet, denique ait: Si dixero vobis aliquid, cuſtodietis? Quibus affirmantibus dixit: *Ubicunque audieritis Arſenium, nolite approximare.* Quod velut oraculum admirati, didicere eum ſilentii amicum, nil hominum alloquia aut ſolatia morari. Ita refert *Ruffinus* in vitis Patrum lib. 3. n. 190.

8. Porrò, quamvis idem Patriarcha aliàs ejus alloquendi deſiderio flagraret, tamen cum non eſt auſus accedere, niſi præmitteret anteambulonem ſcitatum, num ſuæ cellæ fores eſſet venienti recluſurus? Cui *Arſenius* hoc referri reſponſum curavit: *Si venis, aperio tibi, ſed ſi tibi aperuero, omnibus aperio, & tunc jam ultra hîc non ſedebo*; quod perinde fuit, ac ſi juſſiſſet eum ſolitudine illâ diſcedere. Quare Patriarcha, ne viro Sancto moleſtiam faceſſeret, diſceſſit. Aliàs etiam cùm Monachus quidam, qui libenter S. Arſenium ſuis oculis ſpectâſſet, ad ejus cellam pulſaſſet, & vir Sanctus ei aperuiſſet, putans ſuum fore diſcipulum. Verùm ut vidit alienum eſſe, ſe continuò facie ad terram proſtravit; & dum hoſpes ille Monachus eundem rogaret, ut ſurgeret, reſpondit ille: Ego ab iſto loco nequaquam ſurgam, antequam tu abieris. Et licèt frater hic peregrinus multis horis inſtaret ſupplicando, Sanctus tamen Anachoreta ſolo ſe non erexit, uſque dum prædictus Religioſus abiiſſet.

9. Fructum autem, quem hic S. Abbas ex ſua ſolitudine collegit, nemo facilè depingere valet; nulla quippè virtus erat in cæteris Eremicolis, quâ non præſtaret Arſenius. Nam cùm omnem quorumcunque hominum converſationem penitùs fugere geſtiret, ſeſe capaciſſimum illapsûs omnigenæ Dei gratiæ reddidit ſic, ut omnes ſuos commilitones, etiam jam veteranos, multis in virtutum ſtudio vinceret paraſangis, præclariſſimúsque religioſæ aſceſeos fieret Magiſter. Nam aliquando ſic ardebat amore Divino, ut à Monacho quodam totus igneus fuerit viſus. Vit. PP. lib. 6. libel. 18. num. 1. Cæterùm cùm aliquando Arſenius à Marco, Sancto Monacho interrogaretur, cur adeò Monachos fugeret, à quibus & ipſe nihil accipere detrimenti, & illi plurimum ab ejus alloquio referre poſſent emolumenti? Reſpondit vir Sanctus: Scit Deus, quia diligo homines, ſed cum Deo pariter & hominibus eſſe non poſſum: Supernæ enim multitudines, & beati cæli incolæ unius ſunt voluntatis, at homines diverſas & varias habent voluntates, & ob hoc relinquere Deum, & cum hominibus eſſe non poſſum. Ex quo S. Anachoretæ oraculo liquet, quod, qui imperturbatam mentis ſerenitatem jugiter retinere volet, neceſſe habeat, ut ſe, quantum fas eſt, ab humano commercio ſequeſtret.

10. Et reverà, ſi nullus alius ex frequenti cellæ inhabitatione ſperandus

foret fructus, planè sufficeret hic, quod nimirum perturbationes animi, apud homines contrahendas, hoc pacto eluderet; Cum enim homines multifarias habeant voluntates, ideo fieri nequit, ut aliquis (quemadmodum quotidie sat experimur) omnibus juxta eorum arbitrium & votum faciat satis. Et tametsi quandoque reverà ad rem optima proferre & agere studueris, erunt tamen nihilominus aliqui, qui totum improbabunt, & tua dicta, sine omni fuco optimâ fide prolata, sinistrè interpretabuntur; ex quo aptum natum est, sequi inquietudinem cordis. Certò hoc jam olim expertus est Rex *David*, ideo sic suis in Psalmis canit: *Psal.* 54. 10. *Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.* Quòd vero hæc contradictio Dei servum multùm turbet, colligitur itidem ex eodem Psalmista, dum ad Deum suspirans, sic orat: *Psal.* 17. 44. *Eripies me de contradictionibus populi.* Veruntamen qui commercium suum cum beatis cælitibus in cella solitaria habere gestit, nullas prorsus patietur contradictiones, quin potiùs animus ejus ineffabili tranquillitate velut jugi convivio perfruetur.

11. Proinde haud immeritò *S. Ephrem* singulariter beatum pronuntiat cellæ sedulum insessorem; Beatum arbitror, quia multis ac variis turbationum & oblocutionum fluctibus carebit, quibus aliàs (ut dictum est) agitaretur: sed adhuc beatiorem existimo, quia Deum & gloriosissimos Cæli cives peculiari quadam præsentiâ sibi præsentes habebit, quemadmodum docet *S. Petrus Damiani*, opusc. 11. c. 19. dum de vita solitaria sic scribit: *Unum pro certo scio, ô vita benedicta, quod de te indubitanter affirmo, quia quisquis in amoris tui desiderio perseverare studuerit, ipse quidem habitator est tuus, sed ejus inhabitator est Deus.* Hanc ob causam *S. Gregorius Nazian.* orat. 1. de fuga in Ponticam solitudinem amore solitudinis exardescens liberè fatetur: *Solitudinem ex omnibus rebus maximè complexus eram, & veluti sociam & administram, & divinæ ascensionis Matrem, & Deum ex homine facientem, mirificè suspexeram, totiùsque vitæ ducem ac moderatricem mihi statueram.* Vides ergo, quanti referat cellæ solitudinem colere; quocircà ut bonorum inde emanantium particeps quoque fias, imprime memoriæ tuæ, altéque cordi insculpe auream sententiam *Mellei Doctoris* dicentis: *Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis & intimis, etiam ab illo, qui tibi ministrat: An nescis verecundum habere te Sponsum, & qui nequaquã suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris.* Ita *D. Bernardus* serm. 40. in Cant. Ex quibus docemur, quod in solitudine Deus cum animabus vel maxime conversari, eísque sua gratiarum dona impertiri soleat, quod fusiùs patebit ex parte sequenti.

# PARS SECUNDA.

12. PRomittit Deus per *Oseam* Prophetam, quòd animam sanctam & piam cælestium consolationum lacte nutrire, eámque colloquiis divinis dignam velit efficere; sed in quo loco? in claustris, & in remotis solitudinis locis. *Ecce ego lactabo eam* (inquit cap. 2. 14.) *& ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* Quod jam olim expertus est Moyses, dum non in aula Pharaonis, non in domo sui soceri Jethro in Madian, sed hærens in latebris deserti,

deserti, primâ vice ad colloquium Dei admissus fuit. Denique missis ambagibus scrutemur scripturas (inquit *Hugo de S. Victore* l. 4. de Arca cap. 4.) & inveniemus vix unquam Deum in multitudine locutum; sed quotiescunque hominibus innotescere voluit, non gentibus, non populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, & à communi frequentia segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis, vel in solitudinibus, & in montibus se manifestavit. Hunc stylum servavit cum Noë, Abrahamo, Isaac, Jacob, cum Moyse, Samuele, & cum cæteris omnibus Prophetis. Hinc sequentia scribit *Oleaster* in cap. 18. Exod. *Discimus hîc, quam accommodus sit solitudinis locus ad divinas locutiones & visiones.*

Quando Deo, Ter. Opt. Max. placuit, ut in executionem inviolabilis illius promissionis, quam primo Patri credentium jam dudum dederat, populum Hebræum ex Ægypto conduceret ad obtinendam, possidendámque promissionis terram; noluit eum rectâ, sed per varias solitudinis ambages ad felicem illam terram, melle & lacte manantem, deducere. Verùm, cùm iter hoc ideò prolixum abbreviare, & populum viâ compendiariâ deducere potuerit, ut citiùs & breviori tempore Canaam attigisset, quid, amabò, per hoc indicare voluit, quod tot & tantis annis disposuerit populum detinere in deserto illo, & solitudine? Respondet *Josephus Mansi* tr. 89. disc. 2. dum ait: Responsum quod dari potest juxta sensum spiritualem, est, quod Hebræi figurarent Christi fideles, qui tendunt ad amænissimam promissionis terram, nempe ad cælestem Beatitudinem, voluit Deus nobis notificare ad hunc finem & scopum assequendum securissimum fore medium ipsam solitudinem, & sequestrationem ab omnibus occasionibus & impedimentis, quæ nobis inter tumultus & strepitus mundanos frequenter occurrere solent. Quemadmodum etiam Filii Israël non in Ægypto, ubi sedebant super ollas carnium, multo minus in terra promissionis fluente lacte, & melle; quia (ùt scribit *S. Ambrosius*) delitiæ januæ sunt peccati, sed in solitudine, in deserto legem à Deo meruerunt accipere; Ita pariter, quisquis per sanctas suggestiones Deum sibi loquentem audire, & ab eo salubres percipere leges desiderat, quibus peccatorum laqueos devitare, & animæ suæ salutem operari possit, in locum desertum sese recipiat, cor videlicet ab omnium creaturarum adhæsione & amore abstrahendo, necessum est, ad quod plurimum cellæ solitudo conducit.

14. Hoc ipsum etiam nobis demonstrare volens Christus Redemptor noster, surdum & mutum, qui ei, sanitati restituendus, oblatus est, à turba removit; *Apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus &c.* Marc. 7. Verùm quamvis Sancti Patres hujus facti multas assignent rationes apud superiùs citatum Authorem, nos tamen brevitatis ergo omissis illis unam hîc adducemus, quæ nostro proposito magis deservit, hanc autem *Hugo Card.* nobis ministrat dicens: *Qui vult sanari à peccatis, debet tumultum mundi evitare, quia corrumpunt bonos mores colloquia prava. Dionysius Carthus.* super hanc historiam Evangelicam discurrit in hunc modum: *In hoc datur intelligi, quod eos, quos Deus à vitiis curat, & salvat, oportet prava vitare consortia, atque à communi hominum, per latam perditionis viam ambulantium, conversatione discedere.* Hos fines assequimur per solitariam vitam & sequestratam à strepitu mundano. Pientissimus igitur mundi Salvator

Salvator, missurus digitos suos in auriculas hujus surdi (quod ipsum facit spiritualiter, quando cordi peccatoris, ad vocem Dei prius surdo, insinuat suas inspirationes & gratias Sanctissimi sui Spiritûs) voluit ipsum semovere à turba, ad denotandum, quantum peccatori suffragetur solitudo, ut ei aperiatur cor ad recipiendas inspirationes Dei. O quantorum annorum spatio S. P. Augustinus vocationi Dei surdas præbuerat aures, quando igitur illi paruit? quando influentiis cælestibus sinum suum aperuit? *Solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur*, sic scribit in suis Confessionibus lib. 8. c. 12. Attentâ percurramus mente conversionem ejus, & inveniemus, quòd, ut vehementibus & abundantibus divinarum gratiarum impulsibus cooperaretur, ac Deo cor suum aperiret, in agrum secesserit solus, ibíque sub ficu sedens, ac cælum suspiciens, post iterata effusa suspiria & gemitus, illam de cælo audiverit vocem: *Tolle, lege*: *Tolle, lege*: Librum ergo excepit, cúmque intelligens cælitùs missum, aperuit, legit primum caput, quod istud S. *Pauli* Apostoli continebat monitum: *Non in comessationibus &c.* Sicque verificabatur ad unguem illud oraculum Prophetæ *Oseæ*: *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus*; Quamdiu enim hic inclytissimus Ecclesiæ Doctor se non sequestravit à tumultu mundano, tamdiu nec à lepra inveteratorum vitiorum suorum mundatus fuit. Unde dilucidè constat, quod solitudo sui amatorem illuminet, & commissa anteactæ vitæ scelera agnoscere, agnitáque salutari lacrymarum imbre delere faciat.

15. Ad cujus pleniorem probationem inservire nobis poterit, quod in vitis veterum *Patrum* l. 5. libell. 2. n. 16. legere est: Fuerunt tres fratres, sese invicem arctè diligentes, qui sæculi cupediis valere jussis, divino se obsequio pariter mancipârunt. Hinc simul in virtutum stadio currentes, unus eorum elegit hanc virtutem, quò nempe omnem navaret operam, quemadmodum litigantes, & simultates mutuas foventes, ad concordiam, & reciprocam inducere posset dilectionem. Alter proposuit ægrotis ministerium exhibere, eísque pro suo posse necessaria corporis & animæ providere. Tertius verò statuit in solitudine quiescere. Primus, quoniam pro suo voto invicem diffidentes reconciliare non posset, labore victus venit ad secundum, quem pariter in proposito vacillantem reperit, quia nec ille infirmis satisfacere potuit. Adeuntes igitur tertium, eum de suo in delecta virtute profectu sciscitati sunt, qui paululum reticens, misit aquam in pelvim, & turbulenta erat, postmodum dixit: Attendite fratres, quam limpida modò facta est aqua. Cúmque intenderent in aquam, vultus suos quasi in speculo cernebant. Hinc ille ad eos conversus, ait: Qui in medio hominum morantur, non vident peccata sua, sed dum quieverint maximè in solitudine, facilè ea conspicere possunt. Unde jure merito inter alia laudum encomia, quæ vitæ solitariæ à Sanctis Patribus attribuuntur, apprimè ei competit illud S. *Petri Damiani*, quod nimirum hæc sit animarum speculum.

16. Hoc in speculo multi seipsos contemplantes, adeò immutati sunt, ut corvos in cygnos, lupos in agnos, efferos leones in mites columbas, conversos esse affirmares; quod exemplis probare nimis foret prolixum; attamen historiam à *Radero* in virid. Sanct. de Sanct. inclu. c. 9. relatam non omittendam esse censeo, quoniam non modicè ad nostrum adaptatur propositum. Duo socii, per

omnem orbem vagabundi, passim histrioniam exercebant. Hanc vivendi rationem cùm diu tenuissent, alter infelicis vitæ, artísque tandem pertæsus, meliora consilia cogitare, & de expiandis peccatis anxiè secum pertractare cœpit. Igitur à socii conspectu se subduxit, & Deo Duce in nemus quoddam delatus est, in quo collem reperit altâ cavernâ infernè patentem, in quam è superiori loco angustus erat descensus, qui saxo claudebatur. Locus hicce quasi divinitùs oblatus resipiscenti histrioni multum arridebat, utpotè lacrymis, precibus, vigiliis, aliisque pœnitentiæ operibus opportunus. In hunc ergo terræ hiatum sese dimisit, vitámque in sancto luctu magna cum animi tranquillitate egit, modico pane, & aquâ, ab accolis administrato contentus. Interea alter de amisso socio multum anxius, ubique terrarum eum vestigabat, cúmque tandem, ubinam degeret intellexisset, mox nemus penetrans, rupem ascendit, ad fenestellam accedit, cavernámque inspicit, & tot votis optatum commilitonem precibus intentum reperit. Aggrediens ergo eum, multis eundem verbis prolectare cœpit, & ad vitæ prioris gaudia invitare. Ast alter in cogitationem æternitatis tam altè descenderat, ut omnes sodalis blanditias contemneret. Quin imo socium hortatus est, ut ad se potiùs descenderet, & malè actæ vitæ crimina defleret. Sed ille tam salubribus consiliis nedum aures suas obturavit, verùm etiam juratus affirmavit, se à specu nequaquam abscessurum, sed identidem molestias ei facessurum, quousque suam stultitiam, (sic sanctam & laudabilem sui socii conversationem nuncupabat) antrúmque desereret, & secum pristinam vivendi licentiam repeteret. Non segniùs quam proposuit, egit. At alter cùm aliquandiu perversi hominis importunitates Spartanâ tulisset fortitudine, ejúsque animum in obstinatione jam obriguisse adverteret, decrevit, pio illum circumvenire dolo, ut nolens volens saniora capesseret consilia Simulat ergo se importunis ejus precibus esse expugnatum, sociumque incredibili intereà lætitiâ gestientem rogat, funem ut demittat, seque à caverna extrahat: quod & factum. Hinc in speciem hilaris cum socio ad urbem proximam, ubi ludi erant celebrandi, pergit. Porrò in progressu ad alterum conversus ait: Infelix ego, marsupium pecuniis plenum reliqui in caverna: Si placet, redeamus, & nobiscum auferamus; Omnino (inquit alter) revertamur, indigemus enim pecuniâ. Ubi ad speluncam ventum, ille qui paulò antè erat eductus; si non est tibi grave, inquit, quæso descende tu, qui me fortior & validior es, ego te per funem demittam: sub paleariceo, in quo fessus somnum capiebam, reperies crumenam nummis turgentem. Ego vero (inquit alter) libenter ingrediar, ditior egressurus. Simul ergo per funem delapsus est, alter, attractâ resti, os antri advolutâ saxi mole occlusit, sociúmque inclusit, & ad fenestellam transgressus: Amice (inquit) ego in hac caverna tamdiu clausus, noxas meas tecum olim admissas assiduo luctu, lacrymis & precibus conatus sum expiare: jam par est, ut tu quoq; pro tua parte culpas fleas, & Deo, dum vivis, satisfacias, ne sempiternis propterea inferorum suppliciis torquearis. Clausus ubi se delusum & inclusum vidit; vehementissimè perturbatus instat, ut funem demittat, séque attrahat. Quod cùm alter facere recusaret, in dirissimas effusus execrationes, cælum & ipsum Deum maledictis onerare cœpit, eíque insuper minatus, nisi quamprimum emitteretur,

teretur, se in mille partes eum discerptu-rum. Quem mitigaturus alter modestè respondit: Ego hoc non ago, ut te velut familiarissimum amicum riderem, & vexarem, sed pro salute animæ tuæ laboro; quiesce igitur, & aliquot dies in recognitione tuorum peccatorum pone, quemadmodum ego jam aliquot annos posui; jam curabo, ut nihil tibi rerum necessariarum desit. Sed etsi vento locutus, nec tamen passus est clausum egredi. Ubi triduo plenus desperationis & indignationis non destitit divinum Numen, omnésque Divos maledicere. At alter interea pro infælice sodali Deum supplex orabat, ut eum quamvis indignum, suâ gratia dignaretur. Vim habuere preces; sensim enim cœpit clausus sensum cordis aperire, & in se ipsum descendere, agnoscere que plenam vitiis & flagitiis vitam. Unde dolere, & sua delicta deflere non cessavit, fassúsque apud sodalem, se non tantum esse dignum illo carcere & caveâ, sed in æternum inferorum chaos demergendum; proinde nolle se è spelæo ante mortem expediri. Hinc etiam socium rogabat, ut peritum accerseret Confessorem, cui suæ conscientiæ vulnera aperiret. Quod eo mox doloris sensu præstitit, ut inexspectatâ metamorphosi prorsus ex impio in pium, ex scelerato in virum sanctum transformaretur, unáque cum suæ salutis curatore & sodali, omne tempus in summa vivendi austeritate precando, jejunando, pervigilandóque traduceret. Quæ res etiam advenas & incolas, qui ad sanctos sodales visendos confluebant, mirificè ad mundi contemptum, & cælestium rerum amorem inflammabat. Ecce quantum valeat solitudo etiam violenter extorta.

17. Meritò proinde S. *Ignatius* Societatis JESU Fundator omnibus suis in Christo filiis inter cætera apprimè commendavit, ut quilibet semel saltem in anno in hanc solitudinem se recipiens, animæ suæ statum perspiciat, & per octo seu decem dies exercitiis à se præscriptis vacet. Quod ipsum etiam sacræ Constitutiones nostræ his verbis nobis inculcant: *Ut omnes vires spirituales resumant, præcipimus, ut quilibet tam Prælatus quam subditus semel in anno per octo dies ad minùs ab omnibus feriatus, in cella solitaria ad hoc deputata Deo. & animæ suæ vacet. Const. nost.* p. 1. c. 2. §. 6, Quàm uberes vero hinc spiritualium fructuum manipuli colligantur, inexperto sat explicari nequit. Etenim si nil aliud de bono solitudinis nobis constaret, planè hoc unicum sufficeret ad eam adamandam, quod nempe tantoperè à sanctis Eremi Patribus verbo & exemplo omnibus Ascetis, & ad perfectionem aspirantibus illa commendata sit.

18. *Palladius Monachus* postea Episcopus l. 8. c. 20. vit. PP. de se ipso refert, quod adiens S. Macarium Alexandrinum, in hæc verba consuluerit: Abba Macari, quid jubes faciam, quoniam variæ cogitationes animum meum conturbant, dicentes mihi: proficiscere hinc, quia nihil agere te cernis. Cui *Macarius, dic,* inquit, *cogitationibus tuis, propter Christum parietes cellæ istius custodio.* Si ergo ex mente sancti hujus Anachoretæ præmio dignum sit, amore Dei vel ipsos cellæ parietes custodire, sícque solitudinem servare; quanto magis mercedem sperandam habebit ille Religiosus, qui in sua sese continens cellula orando, divinarum rerum mysteria mente revolvendo, pios libros lectitando, aut aliqua tum ad suum, tum ad aliorum spiritualem animæ profectum annotando, & conscribendo se occupat, vel alios pios & religiosos labores peragit? Hinc quidam ex sanctis illis Eremi incolis Monacho cuidam, qui prop-

propterea tristaretur, quod Monachi opera non faceret, id consilii suggessit dicens: Tu sede in cella tua,& fac quod potes sine perturbatione animi, & confide in Deum, quia qui sedet in cella propter Deum, & custodit conscientiam suam, invenitur in loco, ubi est Abbas Antonius.

19. Hinc S. *Arsenius* vetulo cuidam Monacho dicenti, quandoquidem per grandævam senectam jejunare nequiret, videri sibi ad ægrorum visitationem, & ad hoc opus charitatis se obligari, consuluit, ut deinceps comederet, biberet, quiesceret, neque suâ cellâ prodiret, sicque suæ saluti magis consultum iri. Quod ipsum enim suasit S. Moyses Abbas; nam cùm quidam frater ab eo salutis monitum peteret, dixit: *Vade, & mane in cella tua, siquidem tua cella te in omnibus instruet & docebit*: Vit. PP. l. 5. libell. 2. num. 9. Ex his ergo SS. PP. testimoniis liquet, quanti æstimandus sit religiosus secessus, & sequestratio ab humano consortio.

Enimverò pro coronide hujus paragraphi notanda etiam est doctrina Philonis Hebræorum disertissimi, dum in libro de Abraham ita scribit: *Probus quietæ vitæ amator secessum & solitudinem diligit, latere ignotus cupiens, non societatis humanæ odio, est enim comprimis amans hominum, sed quia vitia, quibus vulgus delectatur, fugiebat*. Et revera ita est, quod nimirum solitudinis amans multo plus diligat homines quam ille, qui passim inter homines vagatur. Nam cum silentium & solitudo sui amatorem in amore Dei copiosè succendat, consequens etiam est talem perfectionem habere charitatem erga proximum, quia charitas hæc suum sumit incrementum, & plus minusve ardet juxta majorem vel minorem amorem Dei: Hinc videmus quod communiter solitarii sint homines quieti, pacifici, patientes & religiosæ observantiæ accuratissimi, qui etiam non tantum pro suis amicis & benefactoribus ferventes ad Deum effundunt preces, verùm etiam pro suis inimicis & persecutoribus, qui perfectissimus est actus dilectionis proximi. Ergo ut majori erga proximos nostros feramur amore, eorum consortia, quantum fas est, & prudens dictat ratio, declinemus, & Deo in secreto servire conemur. Denique quò cellæ solitudo nobis indies magis magisque dulcescat, quæ sequuntur attentâ mente consideremus oportet.

# PARS TERTIA.

20. CUm Deus sit omnium gaudiorum & exultationum fons inexhauribilis, ideo infallibiliter consequetur, tantò uberius aliquem consolationes possidere, quanto propius ad Deum accedit. Quia verò teste S. *Laurentio Justiniano*: c. 2. de vit. solit. Solitudinis cultores Deo per amoris vinculum propinquiores fiunt [ se namque Deus abunde communicat degentibus in solitudine ] sequela manifesta est, solitarios copiosis affluere gaudiis, cœlestibusque exuberare donis. Hanc veritatem jam olim Propheta Evangelicus proclamavit cap. 35. dicens: *Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo* [ id est solitudinis incola ] *& florebit quasi lilium*. Quod ipsum etiam verificat Psalmista, dicens: *Ps. 62. 3. In terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi*, in sancto, hoc est, in multitudine pacis & exuberantis gaudii, ut testatur ipse Psalmographus, subjungens: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationibus laudabit os meum*. Hanc ob causam cum solitudine conjungit S. P.

*August.* l. 2. de moribus Eccl. suavitatem Spiritus, dum Deum ita alloquitur: *Introducis me Domine in solitudinem, & dulcedinem, quæ si perficiatur in me, si illa non est vita æterna, nescio quid aliud sit vita beata.*

21. *Surius* in vita S. Guthlaci Anachoretæ memorat, quod ad eum horridam insulam inhabitantem cujuscunque generis aves, ab ipso advocatæ, alacriter accedebant, quæ ejus humeris familiariter insidentes quodam gratulationis applausu viri Sancti humanitatem prædicare videbantur. Cumque ab illo sciscitaretur vir quidam, unde esset tanta confidentia illarum avium? Respondit: *Qui toto corde fugit consortia hominum, ei non tantum feræ & volucres, sed cætera quoque omnia solatio sunt, atque ei insuper nunquã deerit blanda Angelorum consolatio.* Enim vero quamvis sancti Angeli solitudinis sectatori visibiliter non soleant apparere [quo favore S. Guthlacus dignatus erat] quoniam hæc gratia est omnino rarissima, & non nisi viris perfectissimis interdum divinitus concessa. Attamen minimè ambigendum est, quin hi cælestes genii cellam sedulo inhabitanti aliâ se sistant præsentiâ, cor videlicet illius divini amoris igne succendendo, aliaque animi solatia suppeditando.

22. Beatus *Petrus Damiani* in opusculo illo, quod ex S. Basilio desumpsit, inter alia encomia cellæ, in qua anima sola cum Deo conversatur, ait: c. 19. *Tu das, ut mens divinæ gratiæ sit pinguedine saginata.* Dudum ante Psalmista cantaverat: *Ps.* 64. 13. *Pinguescent speciosa deserti.* Hæc pinguedo impropriè convenit desertis, utpotè quæ sterilia sunt, propriè tamen desertorum incolis, qui Spiritu Dei replentur, competere potest. Quamvis credere possimus, Spiritus Angelicos certatim Salvatori nostro sua exhibuisse obsequia, attamen quod in forma visibili eidem ministraverint, nescitur, nisi in casu illo, quo duellum habuit cum Lucifero, eumque in tribus ferocissimis assultibus devicit, & superavit: *Matth.* 4. *Ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei*, visibili humanaque specie, subdit *Cornelius Iansenius*, id enim vox *accesserunt*, intelligendum dat. At quale illud mysterium, quærit *Josephus Mansi* tr. 89. disc. 7. num. 6. quod spatio 30. annorum hoc visibile ministerium Angelicum, & hac quidem solâ occasione recipere voluerit? & respondet; causam fuisse existimo, ut nobis commendaret speciales prærogativas solitudinum, in quibus & obsequia, & consolationes spirituales ab Angelis recipimus. *Et tu ergo* [verba sunt S. *Bernard.* ser. 4. sup. Psal. 90.] *si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæculi, renuat consolari anima tua in alijs, si vis in Dei memoria delectari.*

23. Non importunum huc veniet, quod in Vitis Patrum lib. 6. libell. 1. num. 12. *Heribertus Rosvveydus* narrat. Seni Anachoretæ gemini vicini cohabitabant, alienigena unus, indigena alter; ille socordior, hic studiosior. Obiit prior, & à dicto sene anima ejus visa est ministerio Angelorum in cœlum deduci. Paulo post indormivit etiam indigena; hic in sua ægritudine à parentibus & consanguineis convisebatur, dumque animam efflaret, Angelorum nemo comparebat ad animam ejus ad cœlum deferendam. Quamobrem senecio attonitus, se in preces dedit, Dominum rogavit; quare istud? Peregrinus ille, tametsi segnior, ad cœlum tendit multorum stipatus Angelorum agmine: Incola vero ille, etsi studiosior, suarumque rerum gnaviùs satagens, nihil tamen hujusmodi meruit. Audivit inter hæc vocem sibi respondentem: Peregrinus

nus ille licet negligentior fuerit, nullum suorum vidit, & flevit, & Deus consolatus est illum: at verò alter vidit parentes complorantes, & consolata est anima ejus. Quis ergo hic non videt, quàm delicata sit consolatio divina, quæ in uno cordis desideriolo cum mundana non coit. Profectò sicut non stat cum fœce olida odoriferum balsamum, sic secum habitare non patitur consolatio divina terrenam. Frater namque ille indigena, etsi ob laudabilem suam conversationem, ut credere fas est, cœlum introierit, privatus tamen fuit illâ speciali Angelorum consolatione, non aliam ob causam, quam quod admiserit mundanam. Hanc ob causam *S. Franciscus* dicere solebat: *Quisquis cum hominibus conversatur, inter Angelos esse nequit.* Ita refert *Angelus Paciuchel* lib. 5. de patient. c. 17.

24. Optimè sanè ad propositum nostrum scribit *S. Laurent. Iustin*: in prologo, quem præmittit libro de vita solitaria, de illis, qui ex pietatis instinctu cellæ solitudinem inhabitant: *Hos*, inquit, *peramplius quam cæteros spiritualibus consolationibus visitari credendum est, utpote, qui pro divinitatis amore contempserunt humanas.* Omnino rationabile est, ut, qui pro Dei amore se privarunt consolationibus, recreationibus, & gaudiis temporalibus, tantò magis à Deo reficiantur consolationibus cælestibus in præmium suæ mortificationis. Unde S. *Bernardus* Homiliâ, cujus titulus: *Simile est regnum Cœlorum homini negotiatori*, in laudem solitudinis ait: *In te lacrymæ mutantur in risum, & gaudium pariunt sempiternum* Quando Christus Dominus devotas illas turbas saturavit in deserto, dicit sacer textus: *Manducaverunt & saturati sunt.* Hæc abundans refectio in sensu spirituali alludit ad internam quietem, & gaudium illarum animarum, quæ fugientes sæculi hujus voluptates, amplectuntur cellæ solitudinem, ut sequantur Christum. Audiamus S. *Ambrosium*: *Cælestis gratiæ impartitur alimentum non in civitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum.*

25. Itaque cælestium consolationum saturitas nullo in loco magis reperitur, quam in sanctâ & à sæculi tumultu remota conversatione, piaque cellulæ inhabitatione. Audiamus verba Sponsi cælestis. *Cant.* 8. *Quæ est ista* [ non sine ingenti admiratione exclamans quærit. ] *quæ ascendit de deserto delitiis affluens?* verum si solitudines excludant amænitatem delitiarum, quæ plerumque in locis planis inveniri solent, quomodo ergo dicit: *Delitiis affluens*, cùm hæc anima de deserto omni amænitate destituto veniat? sed respondetur, id intelligendum esse de abundantia & affluentia delitiarum spiritualium, putà gratiarum & cælestium donorum, ac meritorum, quæ religiosæ animæ in cellis solitariis Deo viventes, eidemque servientes lucrari solent. Ad cujus pleniorem probam quærit *Josephus Mansi* tr. 89. disc. 7. num. 3. quonam in loco Israelitis pluerit Manna quod in se omnem suavitatem continebat? Et respondet: Non in Ægypto, quando sedebant super ollas carnium; non in Palæstina, sed in deserto & solitudine; quapropter ait *Philo Hebr.* l. 1. Alleg. *Non ubique apparet, sed ubi desertum est.* Unde & bene prophetavit *Isaias* c. 51. v. 8. *Ponet desertum ejus quasi delitias, & solitudinem quasi hortum Domini; gaudium & lætitia invenietur in ea.* Quocircò quisquis ineffabili spiritûs gaudio, & lætitiâ jam in præsenti lachrymarum valle inundari discupit, exequatur necessum est, monitum *S. Laur. Just.* l. de orat. c. 6. dicentis: *Et quia jucundum est habitare secum, & cum Deo familiariter loqui, fuge ô ama-*

*ô amator orationis multitudinem, fuge paucitatem, fuge vel unum, quatenus sine tuo dispendio absque humano respectu tua vota ad cœlum valeas dirigere.* Ex quibus omnibus relatis res sequitur hac in materia consideratione dignissima; nimirum hanc vivendi rationem, dum quis scilicet oculis humi demissis incedit, nihilque aliud aut audire, aut loqui vult, nisi quod necessitas ac ratio suadet, cellæque solitudinem amat, seque ex amore Dei surdum simul & mutum, & cæcum efficit, non esse melancholiam aut morositatem, ut nonnulli arbitrantur, sed vitam omnino hilarem, omnibusque gaudiis affluentem Audi expertum S. Hieronymum, qui de se ipso ait: ep. 4. ad Rustic. monach. de vivendi form. *Viderint alii, quid sentiant, unusquisque enim suo sensu ducitur, mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est.* Melleus etiam Doctor dicebat: *Nunquam minus sum solus, quam cùm sum solus; soli enim cùm simus, tunc plures habemus socios, putà Deum, beatosque cœli cives, quibuscum conversari verum gaudium nostro animo adferre potest.* Ita Bern. ad frat. de Monte Dei.

# PARS QUARTA.

26. INtelleximus hactenus, quantum sit bonum cellæ solitudo, & sequestratio à sæcularium tumultu; nunc porrò diligenter advertendum est [ne fortè quis sibi falsò persuadeat, totam quodammodo perfectionem in materiali tantùm secessu consistere] quod alia sit solitudo corporis, quâ corpus à sæculi tumultu segregatum, inter parietes cellæ concluditur: alia solitudo cordis, quâ cor à rerum caducarum amore sic avocatur, ut soli Deo pateat. Et prior quidem solitudo, multùm [uti ex præcedentibus dictis satis liquet] homini Religioso proficua & salutaris est, imò non rarò ad animæ profectum necessaria; quod si tamen ei non conjungatur altera solitudo cordis, parùm aut nihil prodesse animæ ad virtutis accessionem.

Unde S. *Gregorius*, nos certiores reddit, parum prodesse esse solitarium, & sua in cella inclusum, nisi nobis spiritualem etiam in mente & corde construamus solitudinem: *Quid prodest* (verba S. Doctoris sunt) *solitudo corporis, si solitudo defuerit mentis? qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se inserit, non est in solitudine. Si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos sæculares tumultus in corde patiatur, non est in urbe.* Ita S. *Gregorius*, quem citat D. *Bonavent.* lib. 4. Pharetræ, c. 18. Ex quo S. Pontificis asserto colligitur, quod, qui non habet solitudinem cordis, quamvis interea in remotissimis eremi latebris degat, non solitarius sed solus dicendus sit. *Hinc* [teste S. *Bernardo*] *nec cella ei cella, sed reclusio, & carcer est. Verè enim solus est, cum quo Deus non est, verè reclusus est, qui in Deo liber non est.* Quapropter quilibet satagere deberet, ut se non modò per solitudinem corpoream à sæculi tumultu segreget, sed & interiorem alteram cordis solitudinem, quæ divinior est, sibi familiarem reddat. Id quod assequetur, si è corde suo omnem terrenarum rerum affectum stirpitus eliminaverit. Vera siquidem cordis solitudo ea est, cùm ex corde fugantur creaturæ, ut in illo solitudinem suam solitarius possit agere JESUS.

27. Sic fecisse sanctam Heroïnam Judith, sacræ perhibent paginæ in hæc verba: *Judith.* 8. 4. *In superioribus domûs*

*suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Rarò enim exivit domo, soli Deo vacans in loco abstracto, & virorum vitans aspectus, familiaritatem, colloquia, convivia, & cæteras lasciviæ occasiones, non solum, ne ipsa ad carnalia incitaretur, sed ne appeteretur ab aliis, inquit *Dionysius Carthusianus.* Verum qui à Deo ad talem vocatus est statum, in quo humanum consortium, & strepitus sæculi fugere, aut evitare nequit, sed cum hominibus conversari cogitur; quid huic, ne cespitet, aut impingat, faciendum est? *In superioribus animæ suæ faciat sibi secretum cubiculum, in quo cum cogitationibus suis clausus moretur.* Quod si ergo tale officium, seu ministerium habes, quod te in cella semper morari non permittit, tunc ad exemplum, & imitationem S. *Catharinæ Senensis* construe in corde tuo cellam solitudinis. Edocta fuit hæc S. Virgo, ut, quia à cella sua abesse cogebatur; in mente sibi erigeret solitariam cellulam, è qua nunquam egrederetur, sed ibidem semper cum suo cælesti Sponso secretò conversaretur. Exstruxit igitur in corde sibi cellulam, cujus ipsemet Dominus architectus fuit, hæc verò, ut ipsa dicebat, nil aliud erat, quàm cognitio Dei, & sui ipsius, & ad hoc idem cordis conclave ipsa frequenter Confessarium suum Raymundum exhortabatur; quando enim ipsum aut exterioribus occupatum, aut itineri necessario accinctum videbat; *in mente, dicebat illi; cellam vobis construite, è qua nunquam discedendum.* Idem consilium postea & verbis, & scriptis commendavit aliis religiosis fœminis, affirmans in cordis cella esse verè regnum Dei per gratiam, ibique Christum cum suis inspirationibus cælestibus fixisse sedem. In vita ejus l. 1. c. 6.

28. Hujus interioris solitudinis suavitatem jam ante S. Catharinam prægustavit S. *Bernardus*, qui adeò hanc interiorem cordis solitudinem sectabatur, ut semper visus fuerit Deo unitus. Cum aliquando S. Abbas equo benè phalerato insidens, ad quandam negotii cujusdam expediendi gratiâ accessisset Carthusiam, Patresque Carthusienses de hoc eum monuissent, vir Sanctus ipse multùm miratus, sanctè attestatus est, se phaleras illas nequaquam notasse; tantum nimirum ejus animus in Dei memoria deliciabatur, ut de rebus exterioribus vix sensum reliquum possideret. Hinc idem mellëus Doctor ser. 40. in Cant. hanc solitudinis rationem etiam suis commendavit, & inculcavit, dicens: *Secede, sed mente non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu.* De S. *Philippo Nerio* refertur, quod spatio 60. annorum Romæ conversatus fuerit, & moratus inter medios aularum strepitus, nec exinde discesserit unquam, nisi quando visitabat septem Ecclesias; & tamen suo tempore & loco instar perfectissimi anachoretæ studebat solitudini. Unde monet S. Chrysostomus: *Solitudo non facit esse solum, sed mens, quæ tenetur amore & studio sapientiæ. Ita etiam qui habitant in mediis urbibus, foris & strepitibus, poterunt esse singulares homines, dum corruptos cœtus fugiant, & se justorum consiliis adjungant. Hæc est via secura.*

29. Egregiè hoc etiam punctum pertractat Romanus Pontifex *D. Gregorius* l. 4. moral. c. 28. dum in illud Job. 3. *Qui ædificant sibi solitudines*, scribens ait: hic sibi ædificavit solitudines, qui ab omnibus creaturis ita liber est, & sic omnem erga terrena quælibet affectum & amorem perdidit, ut, quamvis inter universas, quæ in mundo sunt, recreationes atque oblectationes versetur, semper tamen quasi solus sit: quia nullæ planè

eum reficiunt, vel consolationem adterunt. Qui [ut S. *Doctor* ait] ad hunc pervenerunt gradum, summâ animi quiete perfruuntur; nihil siquidem est, quod eos vel angat, vel inquietet: nec adversis turbantur, nec prosperis evanescunt, aut extolluntur. Nam uti nulli rei totius mundi amore, & affectu adhærescunt, ita nec earum vicissitudine, mutationibus ac successibus mutantur, & inquietantur. Nosti [ulterius inquit *Gregorius*] quis huc pertigerit? quis hanc sibi solitudinem construxerit? Is, qui dicebat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Ps.* 26. Nihil quippe homini aliud tam in cœlo, quam in terra requirendum aut desiderandum est, quam tu solus, Domine. *Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? Ps.* 38. Eodem quoque pervenerat Abbas *Silvanus*, qui dum ab oratione surgebat, tam illi terrena omnia vilia & contemptibilia videbantur, ut oculis manus opponens, ne ea videre cogeretur, seque ipsum alloquens diceret: *Occludimini oculi mei, occludimini, nec terrenum quid aspicite, nihil quippe terra habet quod vel visu dignum sit.* Idem quoq; de S. *Ignatio* scriptum est: quoties enim corde ad Deum sublato cœlum intueretur, in hæc prorumpebat suspiria: *Heu! quam sordet terra, dum cælum aspicio.*

30. Quisquis ergo ad hanc se cordis solitudinem receperit, ut cum Apostolo *Philip.* 3. dicere possit, *Nostra conversatio in cælis est*, haud dubiè experietur, hac in solitudine cordis ineffabilia reperiri cordis gaudia; Unde B. *Albertus Magnus* tractans de Eucharistia, & alludens ad manna, ita discurrit: [tr. 1. dist. 3. c. 1.] *Non dabatur Manna, nisi in deserto, ubi aliud delectabile ad esum non erat; & sic non sentitur dulcedo gratiæ, nisi ab his, qui se in desertum corde transferunt, ut mundanas non sentiant delectationes.* Ex quo S. Doctoris asserto eruitur, quod ad divinæ visitationis dulcedinem percipiendam necesse non sit secedere in desertum corpore; sed sufficit corde. Ex quibus omnibus patet, quod mystica solitudo cordis possit non solùm in abditis eremi latebris, sed & in publico mundi tumultu inviolata servari, si modò cor à creaturis ita sit alienum, ut in medio voluptatum affluxu, nihil volupe censeat, quam amare JESUM, nihil affectet, quam placere JESU, nihil cogitet, meditetur aut agat, quam quod cedat in honorem JESU; ita ut ille solus sit omnium dictorum & factorum scopus, omnium intentionum, & cogitationum meta, & omnis denique amoris, à corde procedentis, finis ac terminus. Unde advertendum, quòd licèt exterior cellæ solitudo, si debito fine suscepta sit, cedat in animæ bonum, eatenus tamen solùm commendabilis est, quatenus hominem Religiosum ad interiorem cordis solitudinem tutiùs ac tranquilliùs peragendam disponit, & à periculis liberat, quibus infestari solent, qui in publico mundi tumultu versantur. Cæterùm omne pretium valorémque suum ab interiori cordis solitudine derivat.

31. Ex his ergo, hoc in sermone memoratis, satis, Amice frater, intelligis, qualem námque te oporteat agere Solitarium primariò, & qualem secundariò. Porrò, ut hac in parte te adhuc meliùs dirigere valeas, amplectere S. *Bernardi* consilium, dum duplicem hanc nunc insinuatam solitudinem unicuique Religiosorum commendaturus ait: Dilige interiorem cellam tuam [ubi insinuat solitudinem cordis] dilige exteriorem [ecce solitudinem corporis indigitat] & unicuique suum impende cultum. Tegat te exterior cella, non abscondat, non ut pecces occultius

cultiùs, sed ut tutiùs vivas. Da utrique cellæ honorem suum, & tu tibi in ea vendica primatum tuum. Disce in ea secundùm communis instituti leges tu tibi præesse, & vitam ordinare, & mores componere, & temetipsum judicare, teipsum apud temetipsum accusare, sæpè etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Ita *Doctor mellifluus*. Itaque cùm hoc S. Abbatis effatum sat multum roboris & authoritatis habeat, supervacaneum foret alia addere. Quocirca nil aliud restare videtur, quàm ut operi manum admoveas, neque tibi sufficiat hæc audivisse vel legisse, nisi in ipsam quoque paxim redigas.

# SERMO XXXVIII.

## DE LECTIONE AUDITIONEQUE RERUM SPIRITUALIUM.

*Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Luc 11.

## PARS PRIMA.

1. QUemadmodum in catena quapiam primus annulus pendet à secundo, & hic à tertio, & sic de reliquis, fractoque uno abrumpitur catena; Sic una virtus suam habet dependentiam ab alia. Unde ut catena per fractionem unius annuli, ita ædificium virtutum per destructionem unius virtutis rumpitur. Hoc cernere licebit in sermone dicto; possibile enim non videtur diu aliquem posse amare solitudinem cellæ, nisi alias etiam virtutes velut adminiculum apprehendat. Nam cùm nullum hominum genus tentationibus tædii sic subjaceat, ut solitudinis sectantium, ideo ne religiosi secessûs amans ab hoc hoste securâ suâ statione pellatur, arma ad hanc tædii tentationem profligandam arripere debet. Hæc porrò quamvis multifaria sint, nihilominus meo judicio hæc tria præ reliquis efficacia videntur, videlicet Oratio, lectio Spiritualis, & manuale aliquod exercitium. De oratione infrà, de labore manuali in subsequenti sermone tractabimus. Porrò cùm lectio[de qua in præsenti]& auditio rerum spiritualium valde consimia sint, & in plurimis conveniant, ideo promiscùe de his differere lubet.

2. Lectio itaque, germana orationis soror est, magnaque ejusdem adjutrix, & subsidium; unde Timotheo suo suadet Apostolus *Paulus* c. 4. *Attende lectioni.* Porrò, Spiritualis hæc lectio tam est necessaria, qui Deo servire vult, ut S. *Athanasius* in quadam ad Monachos exhortatione dicat: *Sine legendi studio neminem ad*

*ad Deum intentum videas.* Quare D. Hieronymus Eustochium Virginem ad sacram hanc lectionem etiam atque etiam invitat, dicens: *Tenenti codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina Sancta suscipiat.* Imò alii SS. Patres omnes mirum in modum spiritualem hanc lectionem commendant; quantorum verò fructuum ea sit causa ac procreatrix, *Ven. Blosius* in concl. animæ c. 10. §5. his adumbrat verbis: Dum sacræ lectioni convenienter intendis, aut aliquid aliud ad laudem Dei ritè facis, sæpè non minorem, imò fortè majorem fructum refers, quàm si orares. Neque enim orationes tantùm, sed & quæque salutaria verba ad gloriam Dei lecta, vel audita, & quælibet piæ actiones atque cogitationes animam mirificè exornant. Verè mens boni hominis ex spirituali doctrina, multa præclaráque commoda recipit: nam & conservatur munda, & ignorantiam deponit, & tranquilla redditur, & illuminatur, & nutritur, & excitatur, & roboratur, & eximium decorem accipit. Igitur lege, & audi libenter Verbum Dei sanámque institutionem, à quocunque etiam homine proferatur, & quantumcunque simpliciter annuntietur, aut scribatur: Etiamsi quis exactè non intelligat, neque memoriâ retinere possit pia, quæ ad laudem Dei legit, vel audit, nihilominus talia plurimùm animæ prosunt. Hæc *Ludovicus Blosius.*

3. Quod ipsum etiam & docuit, & scitâ hâc declaravit similitudine quidam ex veteribus eremi Patribus: Nam dum quidam fratrum ad eum veniens, dixisset: Abba Pater, quam sæpissimè de statu profectúque animæ meæ consului Viros spirituales, attamen cunctas eorum instructiones & exhortationes brevi tempore sic obliviscor, ut vix minimum memoriæ inhæreat. Ad hæc Abbas, cùm fortuitò duo conspexisset vasa, ad suum discipulum se vertens, dixit: Elue unum ex istis vasculis, & repone illud in locum pristinum. Quod cùm peregisset, rursus senex, affer mihi, inquit, ambo vasa, allata exhibet Religioso hospiti, & quodnam horum mundius esset? percunctatur: Respondit ille, illud purius esse arbitror, quod modò dilutum fuit. Optimè judicasti, subjungit venerabilis Senecio, & sic est quoque cum animo nostro, charè frater, qui enim sedulò Spiritualia audit, seu legit, tametsi auditorum mox oblivìscatur, manet tamen illius animus mundior & purior, quàm si nil tale audiret, legerétve. Hinc quamvis aliqua jam audiverimus, seu legerimus, est tamen consultissimum eadem sæpius relegere & audire, quia iterum audita vel relecta memoriam renovant, ac voluntatem ad ea opere implenda magis movent, & inclinant.

4. Porrò, quæ nos efficaciter ad avidè Dei verbum audiendum commovere queunt, non minimum est incitamentum, quòd scilicet studiosa spiritualium exhortationum auditio sit signum Prædestinationis, sicut è contrario ejusdem fuga, signum reprobationis, quod Salvator noster apud S. Joannem c. 8. indicat, dicens: *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Hinc S. *Chrysostomus* hom. 32. in Gen. ait: Argumentum mihi est hoc vestri profectûs in divinis, quod tanta promptitudine quotidie convenitis, & spirituali doctrinâ repleri non potestis, nam quemadmodum corporalis cibi appetitus indicium est bonæ valetudinis, ita desiderium spiritualis doctrinæ manifestissimum est argumentum animæ benè habentis. Adde quia est optimum instrumentum ad insignem profectum in Sanctitate & perfectione faciendum: nam ut

ùt rectè *S.Chryſoſt.* rurſus hom.8.de Anna & Samuele pronuntiat: *Sicut arbor perpetuâ irrigatione creſcit in magnam altitudinem: ſic & divinorum eloquiorum doctrinâ aſſiduè irrigatus, ad virtutis faſtigium pervenit.* Sic unica Evangelii lectio, in qua S. Simeon Stylita illa verba audierat: *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur:* effecit, ut octoginta annis in columna ſtaret, orationi aſſiduò vacaret, penè ſine cibo & potu viveret, & Angelus potiùs quàm homo videretur.

5. Item cùm *S.P.N. Auguſt.* diu ſecum circa mutationem vitæ luctaretur, denique auditâ voce, *Tolle, lege:* Sacra Biblia in manus ſumpſit, & ubi illa verba: *Non in comeſſationibus &c.* legiſſet, lux, & ſerenitas cordi illius infuſa, omnes dubitationis tenebras diſcuſſit, & in virum perfectiſſimum evaſit. Quid etiam aliud S. *Ignatium Lojolam* ad mundi contemptum inflammavit, quàm lectio Vitæ Chriſti, & Sanctorum? Rurſus, alia cauſa, cur nempe ſitibundo & inſatiabili planè animo Verbum Dei audiendum ſit, eſt, quòd ſit cibus ſpiritualis animæ, uti Salvator noſter apud *S.Matthæum* c.4. dixit: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod exit de ore Dei.* Si ergo cibum corporis tantâ conquirimus ſolicitudine, ut quotidie bis aut ſæpiùs ſumamus; quantò magìs verbum Dei velut cibus animæ quotidie ſumendus eſt, ut animam nutriat, pinguefaciat, & roboret? Hinc *S Ephrem* quondam orans hanc audivit vocem: *Ephrem manduca;* Cúmque ille reſponderet: Quis mihi cibum dabit? iterum vox dixit: *Abi ad Baſilium, hic te docebit, & panem æternum tibi porriget.* Confeſtim ergo ſurgens Ephrem S. Baſilium quærit, eúmque in ſacra æde concionantem reperit. Unde facilè collegit, Verbum Dei eſſe cibum illum, quem manducare juſſus erat; maximè cùm videret columbam, S.Baſilio in aurem ſuggerentem, quidquid in medium proferebat. Hunc ſpiritualem cibum deguſtans Regius Vates, adeò ejus dulcore replebatur, ut exclamarit Pſ.118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.*

6. Eſt etiam Verbum Dei lucerna, quæ nobis demonſtrat viam, quæ ducit ad vitam ſempiternam; dum enim quis gnaviter, avidéque attentas audiendo, ſeu legendo Dei verbo præbet aures, tunc docetur, quid agere, & quid declinare debeat; docetur, quomodò Virtutes cordi inſerere, vitiáque profligare poſſit; docetur, quonam modo Deo, ut par eſt, obſequium præſtare, & ſatanicas effugere technas queat. Quemadmodum enim, ut *S.Gregorius* loquitur, columbæ juxta fluenta reſidere ſolent, ut inſidiantium aviũ umbram in aqua videant; Sic etiam boni aſcetæ in lectione Sacra fraudes dæmonum proſpiciunt, ideóque in illa legenda, & meditanda aſſiduè occupantur. Occupavit ſe hoc in exercitio *S. Rex David*, ut ipſe Pſ.118. teſtatur dicens: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Itaque Væ homini illi! qui hunc ſpiritualem animæ cibum manducare contemnit, quia æternùm eſuriet. Væ illi! qui hanc verbi divini lucernam à ſe projicit, quia in peccatorum tenebris tamdiu ambulabit, donec ad inferorum cavum præceps ruat. Quemadmodum ſuo irreparabili damno expertus eſt vir quidam [ut refert *Drexelius* in Roſis tr.21.c.5. §.5.] qui aut torpore aut tædio victus, aut quòd Dei verbum alium ob finem nauſearet, ſemper fugit conciones: Mortem verò fugere potuit, aſt effugere nequaquam. Complevit igitur ultimam vitæ ſuæ lineam, & juxta morem Eccleſiæ in templum aſportatus eſt. Hìc dum pro defuncto

functo Mystes consuetas perageret ceremonias, Sacratissimúmque Missæ Sacrificium inciperet, ecce stupendum prodigium; visum enim fuit Christi in cruce pendentis simulacrum se movere: nam Crucifixus suas è stipite solvit manus, & omnibus spectantibus aures obturavit suas, ac si altum clamitaret; Non exaudiam, quoniam nec ego auditus sum. Hinc Sacerdos ad populum conversus, dixit: Notum vobis est, hominem hunc contemptorem verbi divini fuisse, nec unquam concionibus interesse voluisse; Nunc ergo spectate manifesta Divinæ vindictæ signa, Deus obturat aures suas, ne audiat preces & suffragia nostra, desinamus ergo pro infelici Numen precari; siquidem inimicus est Dei. Proinde putidum illius cadaver in profano loco humarunt. Unde docemur, quanto se salutis æternæ amittendæ periculo exponant, qui auditionem, lectionémve rerum ad virtutis profectum pertinentium fugere gestiunt.

7. Porrò advertendum est, nequaquam sufficere spiritualem quampiam instructionem duntaxat audire seu legere, sed oportet etiam audita, vel lecta mente volvere, & quodammodò concoquere: Nam, ut sapienter advertit os aureum *Chrysost.* hom. 52. in cap. 24. Matth. Sicut lucerna nisi ei subministraveris oleum, extinguetur; sic verbum fidei nostræ, quod credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis & meditationibus scripturarum, extinguitur, & non satis illuminat animam. Et sicut thus, ut loquitur *S. P. August.* nisi ponatur in igne, nec virtus Sinapis sentitur, nisi conteratur in lapide; ita nulla Sacræ Scripturæ sententia [ seu quælibet alia libri Spiritualis lectio ] vim suam declarat, nisi cocta in corde. Præclarum hac in parte imitationis exemplar nobis reliquit gloriosissima Cœlitum Regina, quæ, teste *S. Luca* c. 2. v. 19. *Omnia verba*, quæ Christus loquebatur ad ipsam, *conservabat in corde suo.*

# PARS SECUNDA.

8. CÆterùm quantùm ad lectionem, ut ea nobis in utilitatem cedat, illam non festinanter aut præcipitanter, sed distinctè, quietè & attentè percurramus, oportet. Sicut enim, ut ait *Rodriquez* p. 1. tr. 5. c. 28. Pluvia præceps, & nimbus vehementior terram non penetrat, nec fertilem reddit, sed lenis & rarior; ita necesse est lectionem, ut cor ingrediatur, & altiùs penetret, distinctè, interruptè, & cum matura quadam rei lectæ excussione peragi. Bonum itaque & consultum est, ut, cùm in pium aliquem locum incidimus, in illo paulò diutiùs hæreamus, & velut stationem quandam figamus, tum lecta ruminando, tum iis voluntatem movere & excitare procurando, ut in meditatione fieri solet. Ita id fieri suadent Sancti, docéntque in lectione spirituali imitari nos debere bibentem gallinam; hæc námque pauculis aquæ guttulis attractis, statim caput sustollit, dein rursus aliquantum sumens, iterum Caput sublevat. Tam piè quàm eruditè hac de re scribit *S. Vincentius Ferrerius* tr. de vit. spirit. c. 12. Nemini quamvis acuto præstantíque ingenio polleat, omittendum quidquam, quod ad pietatem pertineat; imo nihil legendum, discendúmve, quod non ad *Jesum Christum* referat. Cùm quis reapse librum quempiã lectitat, sæpiùs in eum oculos figat, quibus clausis quidquid legit, in vulnera ejus deponat, atque inde lectionem suam repetat.

repetat. Si quis legere desinat, genua humi figat, & breviculam aliquam precatiunculam pro pietatis affectu dicat, imóque pectore suspiria & gemitus ducat, quibus divinos favores petat, suúmque desiderium pandat. Simul ac primus ille Spiritûs impetus, qui plerumque haud diu durat, defervuerit, quidquid antea lectum est, in memoriam redeat, & roges, ut Deus lectarum rerum tibi notitiam pandat. Mox animus studia, & secundùm hæc preces repetat; sicque alternæ pietatis, ac lectionis, literarúmque vices subeant. Hâc enim vicissitudine ac varietate plùs & in precibus pietatis, ac suavitatis, & in literarum studiis plus claritatis, ac facilitatis sentietur. Ita S. *Vincentius.*

9. Aliud, ad aliquem è lectione Spirituali fructum captandum, monitum dat S. *Bernardus* in spec. Monac. pauculis hisce verbis: *Si ad lectionem accedas, non tam quæras scientiam, quàm saporem.* Quocirco spiritualis hæc lectio assumi debet purâ intentione, quod fiet 1. Si quis conetur libros legere non spiritu curiositatis aut vanitatis, sed utilitatis & charitatis, animóque sincero Deum clariùs cognoscendi, & illi studiosiùs serviendi. 2. Non inani quamvis multa pia sciendi aviditate, sed resolutâ Divinam voluntatem evidentiùs cognitam adimplendi cupiditate. 3. Non ex inordinato Zelo excerpendi solùm ea, quæ aliis possunt pro concione, aut instructione dici [taliter enim legere libros, non tam lectio spiritualis, quàm studium dici debet] sed ea, quibus potissimùm quisque in via perfectionis se possit dirigere. Monent ulteriùs eandem ob causam hoc loco Patres, ne quis multa eodem tempore legat, aut multas simul paginas obiter percurrat, ne spiritus prolixâ lectione defatigetur potiùs, quàm recreetur. Unde rursus Claravallensium Abbas ep. ad frat. de Monte Dei ait: *Difficilis multáque lectio fatigat, non reficit teneriorem animum, frangit intentionem, hebetat sensum vel ingenium.* Quemadmodum enim multa & copiosa ciborum ingestio corpus humanum non sustentat, sed bona paucorum alimentorum concoctio ac digestio. Et sicut etiam cibum corporalem non comedimus, ut illud temporis spatium comestioni impendatur, sed ut virtute alimenti, tunc sumpti, reliquo deinceps die labores nostros subeamus: Ita lectio, quæ spiritualis animæ cibus est, & refectio, non tam deservire debet, ut tempus, quo legimus, benè insumatur, quàm ut aliquem postea fructum interdiu ex ea capiamus. Quocircò rectè suadent ulteriùs SS. Patres, non esse difficilia, sed facilia; & pia & simplicia potiùs, quàm involuta & intricata in lectione spirituali legenda: difficilia námque & obscura devotionem defatigare, & spiritum extinguere, & arefacere solent. Hinc *Hugo* de S. Victore, quendam Dei servum per visionem à Deo ipso monitum, scribit, ut rerum obscurarum lectione omissâ, vitas, ac Martyria Sanctorum, aliáque simplicia & devota legeret; quorum etiam lectio magnum illi in spiritu profectum posteà attulit; Quem ut & nos ex lectione hauriamus, bonum quoque erit, nósque in omni re multùm juvabit, si antè, quàm legere incipiamus, cor ad Deum sustollamus, gratiam ab eo poscentes, ut, quod lecturi sumus, in utilitatem nostram cedat, in animam penetret, & ejus intimis fibris insculptum maneat, ut in eo, quod muneris nostri est, magis illustrati & promptiores reddamur.

10. Verum enim vero, ut uberiori cum fructu cæptum prosequamur sermonem, afferre lubet non vulgarem quandam historiam ex S. *Antonino* Archi Episcopo

desumptam, quæ ad rem bellissimè adaptari quit. Patavii Vir quidam ex Divi Francisci familia pietate doctrinâque insignis quadragesimali tempore ad populum divinis de rebus differere consuevit; accidit autem, ut pridie, quàm erat pro more suggestum conscensurus, subitâ cordis palpitatione correptus, viribusque destitutus, inter suorum brachia collaberetur. In ea rerum turbatione fortè supervenit peregrinus quispiam, ejusdem Ordinis Religiosus, Lauretanam ædem, & insigniores per occasionem Italiæ urbes invisurus. Vir erat habitu corporis grandi & erecto, fronte subrigidâ, oculis vibrantibus; cæterùm os eximiè candens, barba nigrior honestabat. Quem reliqui cænobitæ probè contemplantes ad concionandum vel maximè idoneum fore judicarunt. Enixè igitur eum rogabant, ut populum magno jam numero in æde Antoniana confluxum divini verbi pabulo pasceret. Excusavit se principio peregrinus dictitans, quòd itineri non concioni apta secum exportarit, & quòd jam biennio tacuisset, neque ad populum verba fecisset, longo ac difficili morbo detentus, aliáque excusationum motiva protulit, quæ ejus doctrinam magis magísque manifestabant. Quare cæteri Religiosi eum ad concionandum tamdiu urserunt, ut eorum precibus victus Cathedram conscenderit, miróque auditorum studio, silentio, attentione horis ipsis duabus de horrendis inferorum pœnis [ hoc enim argumentum Concionator tractabat ] perorarit. Videre licuit inter concionandum Auditoribus ubertim fluere lacrymas, & altè tracta suspiria os perrumpere; cælum feriri singultibus suspiriisque impleri. Nemo erat, qui peractâ concione non lacrymabundus, timoréque gehennæ, velut sagittâ profundiùs penetrante, suos lares repeteret. Hinc etiam novus concionator multo in honore & pretio haberi cœpit. Cæterum cùm sui itineris cursum prosequi pararet, in ipso Monasterii vestibulo janitor curiosiùs eum contemplatus, non obscurè advertit in capite cornua, in manibus & pedibus ungulas. Quare per omnipotentem Deum, ac per Divum Antonium, cujus ipse habitum perfidè mentiretur, eum adjurat, ut sibi edicat, quam ob causam hostis ipse pietatis juratus, ad eam sectandam tam ardenter inflammâsset homines? Inter hæc confluentibus aliis super alios ex cænobio Religiosis, & quibusdam etiam ex vicinia civibus, cacodæmon non ferens obtestationes sacras repentè hominem exuit, & in diabolum se refingit non sine magno horrore circumstantium; confitetúrque suam in dicendo vocem, & latratum non cælo, sed tartaro se locasse, séque, non ut circumstantes ad cælum mitteret, sed ut majori eos in gehenna cruciatu affligeret, concionatum esse, id se se unicè spectâsse, ut auditorum suspiria, singultus, lacrymæque in acerbiora ipsis apud inferos cederent supplicia. Quid enim? Vix templo egressi, siccatæ sunt lacrymæ, cessarunt suspiria & gemitus, verbo omnis illa animorum tempestas in vanos concionatoris plausus abiit. Et verò laboris sui fœnus supra modum ingens se tulisse, laturúmque olim, quando ante horrendum supremi Judicis tribunal, singulis in privato, universis in publico non solùm acer accusator, sed etiam locuples testis sit accessurus rebellibus & obstinatis, quos à via inferorum nec fulmina quidem orationis in orco procusa potuerint revocare. His dictis instar turbinis se ex oculis astantium & spectantium proripuit, ac in auras abiit.

11. Ex hac admiranda juxtáque horrenda historia liquet, non satis fore libenter

audire,

audire, legeréve res ad spiritualem profectum pertinentes, parùm etiam prodesse imo ex pectore ducta suspiria, ardentia cordis desidetia, ac bona animi proposita sub ipsa lectione, aut nervosæ concionis, seu exhortationis auditione concepta, si hæc postmodùm non etiam opere compleantur ac in praxim redigantur. Hinc Doctor gentium ad *Rom.* 2. ait: *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Igitur qui Dei verbum tantùm audiunt, & opere exercere contemnunt, quid aliud agunt, quàm quòd sibi horribiliores pœnas apud inferos luendas augeant & concilient? Audiat aliquis Christum apud *Matth.* 7. 26. dicentem: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & fuit ruina illius magna.* Sic magna profectò erit ruina eorum, qui duntaxat audiunt verbum Dei, sed opera facere negligunt. Sed objiciet nonnemo illa Christi apud *S. Joannem* 8. verba: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*; & nullam facit mentionem aliam de operibus, ergo quisquis libenter conciones, exhortationesque audit, tametsi ea ob difficultates intervenientes, quæ auditu percepit, non faciat, ex Deo est, & ideo non habet, quò sibi multùm timeat. Errorem hunc convellit *D. Gregorius*, dum hom. 18. in Evang. hunc sacrum textum explanat; sunt nonnulli [inquit] qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur. Et sunt nonnulli, qui hæc quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur. Et sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur, sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profectò verba Dei non audiunt, qui hæc exercere in opere contemnunt. Et proinde qui taliter solùm [ teste hoc S. Doctore ] verba Dei audiunt, se non esse ex Deo palàm notum faciunt. Quod idem Salvator noster apud S. *Lucam* c. 11. magis declarat dicens: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Beati ergo nemo potest, nisi hæc duo verba, videlicet *audire & custodire* simul sumat, neque ea dividat.

12. Diviné planè ad nostrum propositum discurrit magnum Ecclesiæ jubar *Augustinus* de benedict. Esau & Jacob. Sicut pluit Dominus super segetes & spinas, sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem, & tamen una est pluvia; sic verbum Dei omnes compluit, videat quisque, qualem radicem habeat; videat quisque, quò trahat pluviam bonam. Si eam trahit, ut generet spinas, nunquid Dei pluvia accusanda est antequam veniat ad radicem? Dulcis est pluvia illa, dulce est verbum Dei, donec veniat ad cor malum. Ita *S. Pater.* Itaque qui parùm aut nihil, audito Dei verbo, proficit, si nullos virtutum flosculos progerminat, si vitiorum, pravarumque consuetudinum vinculis sese haud expedit, sed ligatus adhuc eisdem succumbit, non incuset pluviam, id est verbum Dei, sed culpam sibi ipsi imputet, cùm ex delicto voluntario Dei verbum, velut optimum semen in ejus cor projectum fructificare non sinat. Quotupliciter porrò id fieri soleat, declarat hoc Verbum æternum teste S. *Luca* 8. hâc parabolâ. *Exiit, qui seminat seminare semen suum, & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est*: Secus viam est anima ad creaturas effusa, intra se non collecta, aperta obviis quibusdam cogitationibus mundi tanquam viatoribus, quæ conculcant bonas inspirationes, hinc nullum fructum affert.

*Et aliud cecidit super petram ; & natum aruit, quia non habebat humorem.* Petrosa terra est anima indurata pravis habitibus, assueta vivere secundùm sensum: cui ideo non est, nisi modicus devotionis succus, ac inde mille proposita, & agnitæ veritates non unam agunt radicem; quovis affectu amoris, timoris, humani respectûs, &c exsiccantur. Talis semper incipit, & incipiendo desinit. *Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.* Spinosa terra est anima negotiis immersa, & curis inutilibus obruta; cui cura sui, Dei, & æternitatis est postrema; quæ agnoscit veritates supernaturales, sed ob alias curas v. g. Studiorum, aut officii, sibi tempus non assumit eas maturandi. Et ideo ex auditione verbi divini nullum carpit fructum. *Aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum.* Et hæc est anima bona & optima, opposita tribus prioribus; quia audit verbum Dei cum gustu, quia intelligit illud expendendo & dirigendo ad praxin: fructum affert in patientia, sive constantia superando difficultates, quæ in ipsa executione occurrere solent.

13. Quocirca qui ex verbi divini auditione spirituale animæ suæ emolumentum referre desiderat, quæ aure percepit, opere perficiat, oportet. *Estote autem*, inquit *Jacobus* 1. *factores verbi, & non auditores tantùm. Quia si quis auditor est verbi, & non factor, comparatur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit.* S. *Thomas* in hunc locum: Verbum Dei, inquit, comparatur speculo; quia sicut nihil prodest homini vidisse in speculo maculam vultûs sui, si illam non abstergat: sic nihil prodest homini audire verbum Scripturæ vel prædicationis, nisi illud quod audit aure, impleat opere. Porrò, fortassis mirum alicui videbitur, quod S. *Jacobus* virum introducat in crystallino vitro se contemplantem. Quid enim viro cum speculo? Quid ori barbato cum pellucido formarum judice? fœminarum hoc negotium est, longas horas huic vanitati impendere. Facilis responsio. Aliter vir, aliter fœmina in speculo se considerat. Vir perfunctoriè oculos in hoc vitrum conjicit, parùm curiosus ac solicitus, quid in facie & veste ornandum aut emendandum sit; ferèque talis recedit, qualis accessit. Longè secus fœmina, quæ singulos nævos ad examen vocat, comítque, & componit plicas omnes, & capillos, ne quid in venustate formæ desideretur. Hanc imitetur auditor Verbi Divini, emendétque quidquid macularum facer Orator velut in speculo monstraverit. Igitur *estote factores verbi*, opere exequentes quod verbum fidei præcipit, *& non auditores tantùm*, suscipiendo illud aure corporis, aut etiam aure cordis per solum assensum intellectûs, *fallentes vosmetipsos*, dum hoc ad salutem sufficere falsi & sophisticâ ratiocinatione vobis persuadetis. Nam ut cap. 4. idem ait Apostolus: *Scienti bonum, & non facienti peccatum est illi* scilicet omissionis, sed gravioris, quia secundùm S. *Gregorium*, *ubi majus est donum* Scientiæ, *ibi transgressor majori subjacet culpæ.* Hinc *qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulavit multis*; inquit Sapientia Incarnata apud D. *Lucam*, cap. 12. v. 47. Nil proin monendum superest, nisi ut attentas præbeamus aures magno Patri *Augustino*, epiphonematis loco sic omnes Christi fideles inclamanti: *Scopus Christianæ religionis est, ut, quæ ex doctrina veritatis didicimus, opere impleamus; Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur, & salvabuntur.* Ita *Augustinus* serm. de blasphem. in Spirit. Sanct.

SER-

# SERMO XXXIX.
# DE OTIO VITANDO.

*Per agrum hominis pigri transivi, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ.* Proverb. 24. 30.

## PARS PRIMA.

1. QUamvis verba hæc à *Sapiente* prolata, ut sonant, gramaticè & in corticeliteræ accipere possimus de pigri socordia, damnis, & egestate. Alludit enim, & prosequitur id quod dixit v. 27. *Diligenter exerce agrum tuum*, atque per antithesin ostendit, in quantas miserias se conjiciat, qui illum negligenter colit, & exercet, quòd nimirum, nisi aratro, similibúsque agitetur, & moveatur instrumentis, nil nisi vepres, urticas, ramósque inutiles producere soleat. Nihilominus tamen sub hoc quasi cortice literæ, & sensu gramatico, altius quid parabolicè significat *Salomon*: Nimirum per pigritiam temporalem describit pigritiam spiritualem, ejúsque damna, & noxas. Quasi diceret: Commentatur *Cornelius à Lapide*: *Sicut pedibus transiens per agrum pigri, vidi ejus squalorem defectu culturæ: sic oculis mentis transiens, lustránsque vitam, animam, &* conscientiam [hæc enim cujúsque est ager & prædium, illi à Domino datum, imò elocatum ad culturam] hominis inertis, qui illam excolere negligit, non tantùm vacuam virtutibus, & fructibus bonorum operum, sed repletam quoque urticis, carduis, & spinis vitiorum omnium reperi. Appositè S. *Gregorius* l. 30. moral. c. 20. *Per agrum*, inquit, *hominis pigri transire, est cujuslibet vitam negligentis inspicere, ejúsque opera considerare, quam urticæ vel spinæ replent, quia in corde negligentium pruriensia terrena desideria, & punctiones pullulant vitiorum.*

2. Et inprimis quidem otium, mater est libidinis, summúsque castitatis inimicus. Unde *Divus Bernardus* dicit: *Otio velut januâ utitur dæmon, ut illicitas cogitationum illecebras etiam in purissimas mentes instillet.* Et quod hoc S. Patris dictum verissimum sit, exempla plurima, è Scriptura deprompta, id confirmant, primum quod memoriæ subit, est de Rege *Davide*; Hic quamdiu exercitavit se in militia, non insultavit ei luxuria, sed postquam in domo otiosus remansit, laboravit adulterio, & homicidium commisit, ut loquitur S. P. *Augustinus*. Quid fortissimum Samsonem prostravit? Otium id fecit; quamdiu enim cum Philistæis pugnavit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormivit in sinu Dalilæ, & otiosè cum ea remansit, mox capitur, & excœcatur ab hostibus. *Jud.* 16. Quid sapientissimum Salomonem pervertit?

vertit Otium. Quamdiu enim occupatus erat in ædificatione templi, non sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriæ, & deficiens, instigante fœminâ, adoravit in thalamo vitulum aureum. 3. Reg. 11. Meritò proinde concludit S. P. *Augustinus*: *Vigilate itaque fratres mei, & nolite deficere, quia nec sanctiores Davide, nec fortiores Samsone, nec sapientiores Salomone, vos esse cognosco.* Næ non male cecinit *Ovidius*.

Otia si tollas, periêre cupidinis arcus

Contemptæq; jacent, & sine luce, faces.

3. Porrò, reliqua ex otio pullulascentia mala summatim hisce specificat verbis idem S. P. *Augustinus*: *Per hanc* [intelligit otiositatem] *accendimur frequenter ad luxuriam: Per hanc animamur ad superbiam: per hanc ducimur ad mundi gloriam; per hanc tentamur delicatè pasti; per hanc suffocamur pretiosè vestiti; per hanc ad superfluam trahimur dominationem; per hanc ad verba sæcularia ducimur*: *Nunquam quis Civis cœlorum erit, si otiositatem amaverit* [ut adstipulans Mellifluus *Bernardus*:] *Omnium tentationum*, [inquit sermone ad frat. de monte Dei.] *& cogitationum nullarum colluvies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina, mors animæ.* Similis itaque est otiosus aquæ stagnanti, quæ non movetur, ac proindè putrescit, & noxiis vermibus, id est vitiis, repletur. Et sanè mirum nemini videri debet, otiosum plurimis scatere vitiis, cùm totius perversitatis atque malitiæ pater dæmon singularem habeat accessum ad otiosos & acediosos. Audire lubet B. *Albertum Magnum*: *Locum Diabolo præparat otiosus. In ollam tepidam libenter muscæ insident, quæ ferventem fugiunt. Tentationibus patet. Est enim homo acediosus quasi urbs, absque murorum ambitu, & quasi signum positum ad sagittam.* Hæc ille. Tom. 13. l. 3. de compend. Theol. verit. c. 18.

4. S. *Antoninus* p. 2. tit. 9. c. 14. §. 1. ad præsens institutum ex SS. Patrum historiis sequentem in hæc verba recenset eventum. Narratur, quòd cùm quidam Sanctus transiret cellam cujusdam Eremitæ, incipientis servire Deo, vidit diabolum manentem ante ostium cellæ suæ, & cùm aliquamdiu moratus fuisset, postea introivit, & firmavit se ille S. Pater ad videndum finem rei. Inde ergo ad modicum diabolus exivit, sicque alternatim pluries fecit. Demum Pater ille sanctus ingressus, visitavit juvenem, & perquirens diligenter de operibus ejus, & invenit, quòd, cùm ille aliquid boni operabatur, diabolus tunc exibat, quasi non valens tentare eum; cùm otio vacabat, tunc diabolus intrabat, & diversimodè tentabat eum. Unde admonuit, ut sibi caveret semper ab otio. Habet igitur accessum stygius tenebrio ad otio torpescentes; quoniam otium est pulvinar diaboli. Hinc apud Ægyptum (ut refert *Cassianus*] ab antiquis Patribus hæc sancita est sententia: *Operantem Monachum dæmone uno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus devastari.*

5. Nusquam constat, quod filii Israël unquam in Ægypto genua sua coram Idolis flexerint, vel quod murmurationibus, vel detractionibus suis justitiam Dei exasperarint, præterquam in deserto, ubi cum mulieribus Madianitarum inverecundè fornicati sunt, aliisque enormibus excessibus se se commacularunt, in quorum condignum supplicium Deus illos per 40. annos velut vagabundos oberrare, & circuire justè voluit; at verò undenam ortum suum habuit hæc in Israëlitis tam notabilis diversitas & alteratio, maximè cum potiùs in Ægypto omnem debuissent addidisse impietatem, ubi nil nisi impia quotidie. Videbant exempla juxta illud Psalmographi: *Cum perverso perverteris.* Pro resolutione ob-

servandum est, quod sicut navis sentinam habet & locum, in quem omnes confluunt immunditiæ, ita & acedia, & otium omnium vitiorum atque iniquitatum nidus est & centrum, dicente eodem *Psalmista* Ps. 72. *Tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum &c.* Undenam verò tot, tantarúmque enormitatum sentina? Respondit clarissime idem Propheta coronatus: *In labore hominum non sunt, & cùm hominibus non flagellabuntur, ideò tenuit eos superbia &c.* Ecce causam cur Israëlitæ tam turpiter in Idololatriam fuerint lapsi; nimirum quia in itinere ad terram promissionis nec quicquam laborarunt, sed inertes, otioque dediti fuerunt, cujus in Ægypto contrarium faciebant, inde consecutum fuit, quod se à tædio vinci permiserint. *Locutus est contra Dominum & Moysen* Num. 21. Cujus unica hæc causa fuit, *quia tadere cœpit populum itineris & laboris.* Mox enim, ut hæc rerum divinarum fastidium, & nausea apud hominem locum habere incipit, lingua in murmurationes laxatur, & cor ad omnem concupiscentiam, & effrenem appetitum sese pandit, nec ullum est vitium, quod non sectetur.

6. Quisquis proinde osor est vitiorum, virtutúmque amator, summâ ad hoc animi contentione allaborare debet, quò animi fastidium ac torporem ex cordè radicitus evellat, longissiméque à se proscribat. Ad hoc porrò præstandum saluberrimum auribus nostris instillat monitum *Ecclesiastes*, c. 9. dicens: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare.* Quia [ut ait S. *Hieronymus*] tempus sementis est præsens vita, cùm transierit, operandi tempus aufertur. Id quod etiam suo nos docet exemplo Salvator noster, dum de se dicebat: *Joan. 94. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari.* Ubi per diem tempus præsentis vitæ intelligitur, per noctem verò mors, seu status post mortem, in quo nemo potest meritoriè operari. Quocircò si formidas in nocte, in futura scilicet vita, diram perpeti famem, congreges nunc oportet cum formica triticum tui laboris, quo exsaturari merearis per infinitas sæculorum myriades. *Vade*, ait *Sapiens, Prov. 66. ad formicam ò piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.*

7. Enim verò, nullus falsè persuasus cogitare debet, ad salutem animæ jam sufficere, si nil mali agat, tametsi interim otio, & ignaviâ torpescat; Nam nihil boni agere [teste S. *Chrysostomo* hom. 18. in ep. ad Ephes.] nihil aliud est, quam facere aliquid mali. Quod S. Doctor sic probat: v. g. Si servum habes non rapacem, non ebriosum, non contumacem, sed sobrium, moderatum, vitii omnis expertem; idem tamen si totos dies domi sedeat otiosus, omittítque ea, quæ ad munus suum attinent, nonne flagellares illum? Atque nihil mali fecit? sed satis maleficii est, munus suum, officiúmque neglexisse. Hæc ille. Quam porrò veritatem mirum in modum dilucidant, & afferunt non pauca, ex sacris paginis deprompta testimonia. *Utinam*, ait Deus in Apocalypsi c. 3. *frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Quid aliud hæcce verba sonant, quam tepido & otioso, cæterùm mala & perversa opera non committenti, æternum minari exitium? Hinc Salvator noster apud S. *Matthæum* c. 7. loquens, dicit: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur & in ignem mittetur.* Non ait, quæ facit fru-

ctum malum, sed: quæ bonum fructum progerminare nescit, igne comburetur, quòd benè notandum est.

8. Legere est ulteriùs in sacro Evangeliorum codice *Matt.* 21. Quòd Christus, cùm manè in civitatem revertens esuriret, arborem fici, secus viam sitam, accessit, quia verò folia duntaxat reperit, & nullum in ea fructum, graviter offensus, ait eidem: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Si hoc Christi factum profundiùs penetremus, non carebit mysterio. Quòd sterilem hanc ficulneam accesserit, sperans se in ea fructum quò famem placaret, repperturum, videtur mirabile, cùm antè intimè perspectum habuerat, hanc ficum omni destitutam esse fructu; ad quid ergo accessit? Imò & cur eandem maledictioni perpetuæ subjecit? dum tamen tempus ficorum nondum aderat, ut testatur S. *Marcus* c. 11. Dubitare sanè nemo potest, quin hoc incarnatæ sapientiæ factum nobis aliquid innuat, quid ergo illud? Profectò non aliud, quàm ut accuratè perpendamus, & trutinemus, quàm severam olim & rigidam reddere rationem cogemur ob neglectum, quem facere potuissemus, & debuissemus, fructum. Et væ nobis tunc, dum Justus Judex boni operis fructum in nobis quæret, neque tamen hunc reperiet. Verè quisquis nostrûm talis infructuosa & sterilis arbor erit, exspectandum hoc æternæ maledictionis fulmen habebit: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* O pertimescenda, & supra modum exhorrescenda execratio, non posse ferre fructum boni operis in æternum, quòd damnatorum sterilitati proprium est.

9. Porrò, ut hanc à Christo per fici parabolam nobis traditam doctrinam altiùs in cor nostrum demittamus, multis aliis in locis hoc ipsum nobis inculcat. *Inutilem servum* ait apud S. *Matthæum* 25. *ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium*; non dicit servum malum, inobedientem, pertinacem, &c. sed inutilem. Item ibidem servus piger, qui sibi datum talentum defodit in terram, objurgatur, & talento spoliatur. Ast quam ob causam? Fortassis, quia hoc dissipavit, vel eo malè usus est? Neutiquam. quare ergo? quia nimirum eo negotiari noluit. Præterea si Redemptor noster redarguit otiosos, à nemine conductos, dicens: *Matt.* 20. *Quid statis hîc totâ die otiosi?* Quomodo ergo reprehensionem hanc & redargutionem subterfugiunt illi otiosi, quos jam conduxit, ut laborarent in vinea sua? quales sunt homines Christiani, præcipuè verò Religiosi. Ex quibus sacræ Scripturæ testimoniis satis luculenter patet, non sufficere ad assequendam animæ salutem, mala non perpetrare, si non etiam præterea bona operemur. Et hoc est, quod dixit S. *Jacobus Apostolus* cap. 4. *Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi.* Sanam proindè & valdè considerabilem nobis dat doctrinam S. Leo Papa, dum ait: *Non dormientibus provenit regnum cælorum, nec otio & desidiâ torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur.*

10. Cæterùm quod in præsenti materia ulteriùs notandum occurrit, est, non quæcunque exercitia profligare otium, sed tantùm bona & utilia. Igitur sciendum, dari otium duplex, unum Physicum, alterum Morale; seu unum actuale, interpretativum alterum. Physicum seu actuale est, quando aliquis ab omni negotio corporali vel spirituali abstinet, uti faciebant illi, quos Christus allocutus est dicens: *Quid hîc statis totâ die otiosi?* Otium morale est, quando quis varia quidem negotia suscipit, sed inutilia & nociva, quod *Stapletonus* aptâ similitudine

dine declarat, dum ait: Sicut pueri in luteis casulis erigendis occupati, aut in arundine equitantes, occupatissimi sibi videntur, cùm tamen nostro judicio non nisi nugas tractent; sic omnes occupationes terrenæ, in quibus vel Dei gloria, vel salus proximi, vel nostra non quæritur, etsi nobis seria & gravia negotia videantur, Deo tamen, & Angelis, & sapienti cuique, nugæ, & inane otium videntur. *Josephus Mansi* tract. 6. discur. 6. memorat de S. *Francisca Romana*, quòd in forma visibili assistentem quendam Archangelum semper habuerit, à quo die quodam insignem quandam alapam accepit, sed pro sua correctione; quia nempe semel tempus in vanis complementis, seu ceremoniis inaniter terebat. Ergo si Deo non displicere velimus, otium tam physicum quàm morale devitemus oportet.

11. Legimus in vita *Sanctæ Mechtildis*, eam quodam die per revelationem audivisse: *O si scirent mortales, quantum quolibet die mereri, suámque coronam augere possint; si scirent, quàm pretiosum sit, æquè ac breve, tempus hujus vitæ, exultarent, & jubilarent in spiritu manè, dum expergiscuntur, ac immensas agerent gratias Deo, quòd ejus gratiâ dies ille eis illuxißet, quo tantos sibi thesauros, in omnem æternitatem mansuros, comparare liceret.* Audiant tepidi & torpidi classicum Apostoli: 2. Cor. 4. 17. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hic lituus perpetim ejus aures feriebat, hic mentem acuebat ad omnes labores & angones. Hoc æternæ gloriæ pondus jugiter oculis ejus obversans, ad omnia dura & ardua eum exstimulabat, ut sentiret & diceret illud, quod post multa futura sæcula sensit & dixit *S. Franciscus Seraphicus: Tanta est gloria quam exspecto, ut omnis me pœna delectet.* Immitte, O Domine Jesu, in viscera nostra ignem, quem è cœlo in terras detulisti, ut omnis noster tepor fiat calor, omnis timor fiat amor, omnis mœror fiat splendor, omnis torpor fiat fervor. Hoc ut assequi valeamus, expendisse juverit, quàm inæstimabile sit pretium temporis, id quod in subsequenti parte examinandum restat.

# PARS SECUNDA.

12. Diximus hucusque, quàm otium sit nocivum animæ, & quàm multa vitiorum monstra generet. Proinde operæ pretium fuerit, omnem navare operam, ut otium è nostris cordibus radicitùs evellamus, ac longiùs abjiciamus, hoc ut fiat, inæstimabile temporis pretium seriosè perpendamus oportet. Pro quo explicando non minùs uberem, quàm efficacem nobis præbet materiam *Henricus Engelgrave*, qui hanc materiam Dom. 12. post Pent. fusiùs pertractat, à quo proinde aliqua pauca mutuare lubet. Magnus ille *Carolus V.* exile horologium cum omnibus suis libramentis, currentibus & recurrentibus rotulis, tempus metientibus, annulo suo inclusit, cui hanc Epigraphen subjicere placuit: *Gemma pretiosius omni.* Huic artificiosissimo, juxtáque pretiosissimo horologiolo meritò æquiparare possumus tempus, quod D. *Bernardus* [in Declam. *Ecce nos reliq. omnia* ] pluris omnibus mundi thesauris, gemmis, & lapidibus pretiosis æstimat, dum dicit: *Nihil pretiosius tempore. Unde magnum est damnum* [ inquit S. Thomas lib. 5. de erudi. Princip. cap. 6.] *amissio temporis: tempus enim est valde pretiosum, sed heu! ab homine nihil vilius reputatur. Hæc pretiositas ex hoc apparet*, quòd horâ unâ

*medicâ, cum Dei adjutorio, potest aliquis à debito mortis æternæ liberari, gratiam acquirere, & regnum cœlorum promereri.*

13. Nec alieni ab hac opinione fuêre antiquæ Gentilitatis Philosophi, inter quos *Theophrastus* [Laërtio teste] semper in ore habebat: *Nullum esse sumptum pretiosiorem tempore, nihilque jacturâ ejus gravius reperiri.* Fuit, qui uno jactu ducentorum quinquaginta millium florenorum jacturam fecerat; certò jactura deploranda, veruntamen hâc gravior est jactura temporis. Quod *Clemens* Papa, hujus nominis *VIII.* [ ut scribit *Beyerlinck* in apopht. tit. *Tempus.*) confirmat; hic enim variis de rerum suarum jactura apud eum conquerentibus, respondisse fertur: eam jacturam rei gravissimam esse, quæ semel amissa recuperari non potest. Si vestis scissa est, reparari potest: domus incensa est, reædificari potest: exercitus cæsus est, novis copiis instaurari potest: Civitas perdita est, recuperari potest: at tempus perditum recuperari non potest, ùt eleganter in re seria canit *Satyricus*:

*Damna fleo rerum, sed plùs fleo damna dierum:*
*Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.*

14. Proinde saluberrimum instillat nobis monitum *Melleus Doctor* sermone de triplici custodia, sic inquiens: *Nemo vestrûm parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis, volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens, quid amittat, licèt fabulari, dicunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam misericordia Conditoris indulget. Donec transeat tempus, quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.* Hactenus S. *Bernardus*; qui alibi gravissimè lamentatur, quòd, quamvis nihil pretiosius sit tempore, nihil tamen vilius eo æstimetur, dum illud inter pocula, inter jocos, & vanas conversationes perditè terimus. Audiamus mellifluum hunc *Abbatem* ita proloquentem: Considera, quàm multi [qui hoc momento agonizant] quibus si hæc hora ad agendam pœnitentiam concederetur, quæ tibi concessa est, quomodò per Altaria, & quàm festinantes currerent? & ibi flexis genibus, vel certò toto corpore in terram prostrato tamdiu suspirarent, plorarent, & orarent, donec plenissimam peccatorum veniam à Deo consequerentur. Tu verò comedendo, bibendo, jocando, & ridendo tempus otiosè perdis, quod tibi indulserat Deus ad acquirendam gratiam, & ad promerendam gloriam. Cogita etiam, quot animæ in inferno nunc cruciantur sinè spe veniæ ac misericordiæ. Hæc Bern. ser. de inter. domo c. 63.

Profectò nihil quidquam graviùs affligit damnatos, quàm pauculos vitæ annos, breve merendi spatium, non totum in lucrum æternæ beatitudinis insumpsisse. Docet hoc *Hubertus* è Sacra D. Dominici familia vir undequaque magnus. Homo quidam Religiosus, piis aliquando precibus occupatus, seriâ consideratione futurum sæculum perpendebat. Cùm ecce tibi, vocem lugubrem, & mœsto ejulatu plenam accepit. Ille unde hæc vox sit, ignarus, quæsiit, quid gemeret, & ploraret? Ad quem tristis iterum sonus: Sum unus ex conclamata apud inferos turba. Quid verò, inquit ille, tam luctuosè suspiras? Noveris [ait damnatus] me, cæterósque averni incolas nihil acerbiùs lugere, nihil amariùs deplorare, quàm inter vanitates sæculi, brevésque illecebras dila-

dilapidati temporis jacturam: Sic effatus evanuit.

15. Quid putamus ô Mortales! Si quis institor vendendi temporis à Deo potestatem accepisset, atque ad portas inferorum consistens, damnatis omnibus copiam faceret emendi; quàm carò putamus vel horã redimerent? Damnatos interrogemus, ipsi nobis pretium temporis statuent. Prodeat in ignea sua purpura unus Epulo, quid daturus pro anno uno, pro die, pro hora hujus temporis? Darem (inquit) mundũ universum, darem mille mundos si haberem. Quid tu, ô Herodes, sanguisuga? darem delitias omnes, divitias omnes, tormenta omnia subirem. Quid tu Proditor Juda? O si daretur vel momentum resipiscendi, pœnitendi, veniam emerendi, illud emerem omnibus laboribus, doloribus, afflictionibus, quas unquam homines tolerârunt, aut etiam tolerant in purgatorio, vel in inferno, etiamsi illa etiam centum millia, imò mille milliones annorum durarent. Hæ voces Diocletiani, Neronis, Maxentii; Sic Arrius, Nestorius, Lutherus, Calvinus, turpes Ecclesiæ abortus loquerentur: mille mortibus, mille suppliciis protractis in mille milliones annorum, redimerent brevissimam horulam, vel momentum, quo iterum per sincerum contritionis actum cum immensa illa bonitate in gratiam redire, orco cœlum permutare liceret. Appositè S. *Laurentius Justin.* de vita solit. c. 10. *Quis mente assequatur, ut pretiosum est tempus? aut quis linguâ caritatem ejus explicet? nôrunt, qui amiserunt: Hi enim grato animo erogarent opes, honores, delitias, aut quidquid est voluptatis pro una horula; nam exiguo illo tempore possent iram ac furorem divinæ justitiæ sedare, Angelos exhilarare, flammis æternis se eripere, & cæleste regnum adipisci.*

16. Ipse mendacii Pater quandoque hanc veritatem confirmare coactus, in corpore obsessæ adjuratus dixit [ut scribit *Paulus Barii* in solit. pag. 256.] *Si Deus post diem Judicii vellet sibi punctum temporis concedere ad promerendum cælum, plus esset ipse solus facturus, quàm omnes Sancti fecerint.* Aliàs interrogatus, quidnam esset summum tormentum, quod apud inferos sustinerent? *Hoc*, inquit, *summè me cruciat, quod tam parvam curam habuerim temporis, quod mihi datum ad amandum Deum.* Et tamen secundùm communem sensum Theologorum, Angeli tantùm unum quadrantem, vel, ut alii volunt, momentum, fuêre in statu merendi; quæ lingua caritatem ejus explicet? norunt qui amiserunt. O magnum temporis exigui pretium!

17. Interroga animas in purgatorio, quanti temporis jacturam redimerent? dicent illæ, si possemus redire ad tempus merendi & satisfaciendi, emeremus illud non auro, non gemmis totius mundi, sed sanguine, & vitâ, & mille mortibus. Interroga beatos; dicent: O mortales si sciretis, quæ merita, quæ lucra gloriæ quot momentis comparare possitis, ea emeretis omni sudore & labore. Meritum momento acquisitum æternum est. Id unum vobis invidemus. O si ad vos revisere liceret, emeremus vel horam omnibus equuleis, ignibus, bestiis, martyriis: cuperemus illa pati, quæ unquam Sancti passi sunt usque ad diem judicii: O si redire liceret, quàm aliter tempus expenderemus! O momentum pretiosum, ex quo pendet æternæ gloriæ pondus! Minima gratiæ portio, ut D. *Francisco* revelatum proditur, pluris est toto mundo aspectabili, etsi tota terra in aurum, lapides in gemmas, aquæ omnes in balsamum verterentur. Quot hìc momenta in otio deperdis, tot gradus gloriæ, totâ æternitate duraturos, quos laborando,

pariendo, animas convertendo, acquirere poteras, perdis, & irrevocabiliter perdis, ut, si in cælo pœnitere posses, non alterius rei, quàm temporis deperditi, aut minus strenuè impensi te pœniteret.

18. Quæ cùm ita sint, conclusionem infert infallibilem gentium Ecclesiastes, ad Galatas cap. 6. scribens: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Cantipratanus* l. 1. Apum. cap. 3. sequens ad propositum nostrum narrat exemplum. Cùm Episcopus quidam in Germania, nobilissimo sanguine oriundus, totum se avaritiæ, & carnalibus voluptatibus daret, Deus [qui non vult mortem peccatoris sed magis ut convertatur & vivat] multa quidem, ut eum ad pœnitentiam reduceret, adhibuit remedia, verùm hæc omnia ejus culpâ nullum prorsus habuerunt fructum; Ac proinde ex improviso mortuus fuit. Cum verò eodem sæculo vivens Conradus Episcopus Hildeshaimensis, eadem horâ ad matutinum surrexisset, terminato officio nocturno pro concione facienda studere incipiens, & à sensibus abstractus sequentem habuit visionem. Visum enim fuit sibi, se Episcopum quendam videre facie obvelatâ, ad tribunal Judicis ductum, ubi multi comparuêre, qui ipsum de rapinis variis, impudicitiisque accusabant. Judex igitur ad assessores suos se convertens, iisdem ut causam illam diligenter examinarent, & examinatam justâ scientiâ terminarent, præcepit. Quòd cum ab iis præstitum fuisset, mox comparuêre lictores, aliique justitiæ ministri, qui ipsum mitrâ, annulô, planetâ, omnibusque aliis ornamentis sacris exutum, ad supremi illius judicis pedes collocârunt. Quo facto assessores è locis suis surrexerunt, & cum hoc epiphonemate recesserunt: *Ergo cùm tempus habemus, operemur bonum.* Reversus autem ad se Conradus, déque subitanea illius Episcopi morte certior factus, flere cæpit, & pariter dicere: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.*

19. Hoc nos agamus mortales, *dum tempus habemus, operemur bonum.* Et illud aureum *Chrysologi* ser. 12. documentum sequamur: *Vivamus Deo paululùm*, qui sæculo viximus, totum dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies, tempus est, ut aliquando domui tuæ provideas. Tempus quod vitæ superest 10. 12. 20. annorum, Deo, animæ, ac æternitati beatæ impendamus, qui optimam & maximam vitæ partem corpori, commodis, & voluptatibus, ac rebus fluxis ac caducis multi ex nobis bivium illud disparis æternitatis ingressuri sumus, ubi nox nos occupabit, in qua non poterimus operari. Ergo dum tempus est, operemur bonum. Præcipitant rapidissimi temporis momenta, evanescunt horæ, occidunt soles, transeunt dies, effluunt menses, dilabuntur anni, evolant lustra, volvitur vita, expirat totius vitæ tempus, & ecce post primum momentum, quo egreditur, & in domum æternitatis ingreditur spiritus, mox audis: *Tempus non erit amplius.* Apocal. 10. O tempus ubi es? nulla spes amplius obtinendi bravii, quia decursũ est stadium; nec referendæ coronæ, quia confectum est bellum; nec comparandæ merces, quia finitæ sunt nundinæ; nec intrandi cœlum, quia clausa est janua. *Tempus non erit amplius.* Fuit tempus, quando unico oris verbo, cordis gemitu, manûs planctu, pedis gressu, oculi stillicidio operari poteram æternum gloriæ pondus: sed tunc *tempus non erit amplius*: nullum amplius tempus, quo possim expiare conscientiam, deflere scelera, solvere debita, propitiare Dei justitiam, placare irâ, agere pœnitentiam, augere gratiam, mereri gloriam. *Tempus non erit amplius.* Jubilæi, pietatis, misericordiæ, gratiæ, favoris,

ris, amicitiæ cum Deo. Si modò sub nostris pedibus terra decederet, ingentíque hiatu ac voragine ad ipsos usque illætabiles inferorum recessus sese aperiret, sic ut ipsorum epulatus auribus possemus haurire, ecquæ nam voces ex illo cavernoso specu, & horrifico æternitatis antro resonarent? non alias perciperemus querelas, quam illas ipsas, quas Jeremias hoc suo oraculo expressit: *Transiit messis, finita est æstas, & nos salvati non sumus Jerem.* 8. 20. Jam fas non est seminare, non licet occare, non arare, non metere. *Transiit messis*, nulli licet in æstate facere messem, nisi fecerit in vere sementem; messis verò dum transierit, finita est æstas. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Nam ut Tarsensis præco [*Rom.* 13. 11.] monet: *Quia hora est jam nos de somno surgere.* Quod explanans *Dion. Carthusianus*, ait: *Hora est scilicet tempore isto, imò omni momento, nos de somno surgere, id est, de torpore & negligentia, ad charitatis opera procedere, atque ad vigilantiam mentis ascendere.*

20. Aliud non minoris efficaciæ motivum, & calcar ad otium, & acediam propellendam, ac tempus quàm optimè impendendum, est consideratio negotiatorum hujus sæculi, qui tanto ardore feruntur ad res perituras, tanto labore conquirunt fallaces, fluxásque opes, cum ipsis postmodum perituri. Quid non ergo pro æternis & cœlestibus divitiis homini Christiano, Dei servo, Religioso agendū? Mercatores non piget extremos ad Indos currere, noctes insomnes ducere, modò ditescant, aut modicum lucrum obtineant; & divino cultui mancipati ob infinitum æternitatis lucrum, & pretium otio & acediâ marcescent, & pigritabunt? Opportunè admodum *Thomas de Kempis* lib. 3. cap. 3. in persona Christi ait. *Quis tantâ curâ mihi servit, sicut mundo, & Dominis ejus servitur?* Erubesce Sidon; ait mare [Isai 23.] *Et si causam quæris, audi quare. Pro modica præbenda longâ viâ curritur: pro æterna vita, à multis vix pes semel à terra levatur. Erubesce ergo serve piger & querulose, quòd illi paratiores inveniuntur ad perditionem, quàm tu ad vitam. Gaudent illi amplius ad vanitatem, quàm tu ad veritatem.* Erubescamus itaque, qui Dei servitio nos dicavimus, quòd filii hujus sæculi in rerum mundanarum studio prudentiores multo, & vigilantiores sint, quàm nos in divinarum: *Quia filii hujus sæculi*, [ait Christus Luc. 16.] *prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Filii hujus sæculi, id est mundani, sagaciores sunt ad caduca & temporalia comparanda, quàm filii lucis ad æterna, & salutis bona consequenda; ut enim mundani temporalia obtineant, mille modos, artes, & inventiones fabricant, sive fraude sive jure. Hinc verè dixit vir sapiens apud *Cornelium à Lapide* in hunc Lucæ textum: *In rebus temporalibus sumus Solones, in spiritualibus Moriones; in terrenis Lynces, in cælestibus Talpæ.* Hanc miseram conditionem nostram contemplans *D. Bernardus* sibi à lacrymis temperare non potuit, in quodam enim Sermone [serm. 1. de altit. cord. ep. 341.] ita exclamat: *Magna confusio, magna valde, quòd ardentiùs illi perniciosa desiderant, quàm nos utilia: citiùs illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam.* Si sæculi dilectores tam fortes sunt in rebus terrenis, nullúsque eis labor videtur difficilis; & Religiosus, & Dei servus laborem fugiet, quo non corruptibilem sicut illi, sed incorruptum, quæque omne in ævum perennatura est, coronam accipiat? Rogitemus itaque Deum, ut suâ gratiâ nos muniat, & illustret, ne segniores inveniamur ad divina, quàm filii sæculi ad terrena. Cæterùm cùm labores manuales ad otium, & acediam superandam multùm serviant, ideo de his modò agendum superest. Sit ergo

SER-

# SERMO XL.
# DE LABORE MANUALI.

*Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo.* Eccli. 7. 16.

## PARS PRIMA.

1. HUmani generis Parens, in paradiso voluptatis, ubi spontè suâ dabat omnia tellus, à Deo collocatus fuit, non quidem ut otiaretur, sed *ut operaretur, & custodiret illum.* Gen. 2. Erat Adam Orbis Imperator, & omnium Dominus; laborare tamen jubetur. Ex quo colligas, rectè *Alexandrum Magnum* pronuntiasse: *Regium est laborare; servile autem otio & luxui vacare.* Quod reipsâ Alphonsus Aragonum Rex (ut refert *Panorm.* lib. 9. de gestis Alphon.) comprobavit, quicquid operis manibus exercens; illud demiranti, ac minùs regium esse, sugillanti respondet: *Nunquid Deus, & natura Regibus frustra manus contulere?* Innuens, ut alæ volucri ad volandum, ita manus homini ad laborandũ datas esse; prout apertis testatur verbis *Eliphax* ad *Job* dicens: *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Job. 5. 7. Hoc D. *Chrysostomi* [in 2. ad. Thessal. 3.] oraculum est: *Deus posuit hominem ad laborandum, artúsque ejus ad hoc effinxit; Idcirco otiosus quilibet ab ordine suo, & creatione deficit.* Propterea Spiritus divinus per *Syracidem* sic nos omnes adhortatur, dicens: *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam*, id est, institutam *ab Altissimo.*

2. Quanti verò hæc ipsa manualia opera, & corporalia exercitia pretii apud Deum sint, docemur ex revelatione quadam, à Salvatore nostro S. *Gertrudi* facta: Inter alia enim etiam sequentia eidem dixit: Sicut præpotens aliquis Imperator non solùm gaudet habere in palatio suo delicatas, ornatásque puellas, sed etiam constituit, & ordinat Principes, ac Duces, militésque ac alios ministros, diversis operibus aptos, qui semper parati sint ad negotia ejus peragenda; Ita & ego non solùm delector in delitiis eorum, qui divinæ contemplationis quietem, me trahente, sequuntur, verùm etiam allicior ad manendum cùm filiis hominum, dum ipsi quælibet exercitia vilium negotiorum mei honoris, & amoris causâ suscipiunt. Lib. 3. Insin. c. 69.

3. Quando Salvator in nocte nativitatis in terram descenderat, secúmque simul in terras adduxisset præsepio suo super iminentes Angelorum hierarchias, qui suave illud melos intonarent: *Gloria in Excelsis Deo:* Ad quos putas, ipsum hosce Angelos primò omnium loco misisse? num fortè ad Regem Galilææ? Ad sacerdotes? ad scribas? ad Principes Synagogæ? vel ad Cæsarem Augustum? Nequaquam; sed hôc honore præ cæteris affecti fuerunt pastores, & agricolæ, nam, ùt

S. *Lucas* c. 2. ait: *Pastores erant in Regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum, & ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit eos; & dixit illis Angelus: Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus; subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, dicentium: Gloria in altissimis Deo.* At verò, quamobrem Angeli nuntium istud solis detulerunt rusticis, & pastoribus, & agricolis, quibus ut plurimum deesse solet illa intelligentia, quæ pro sacris & ineffabilibus hisce mysteriis capiendis est necessaria? Pro responsione observandum, quod in corde noctis, quando omnes alii somno sepulti esse solent, hi vigilabant, & laboribus dediti erant, ac proinde Christi sequaces, fideléſque in nova lege gratiæ ad gloriam electos præfigurabant. Unde ad propositum *S. Bernardinus Senensis* in sermone 3. de Nativ. ita scribit: Multi sapientes hujus sæculi horâ illâ in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est novam videre lucem, scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes: *Gloria in excelsis Deo.* Unde hanc deducit consequentiam: *Agnoscant igitur homines, quia qui in laboribus hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur, agnoscant, quàm placeat supernis civibus labor.*

4. Apposité ad institutum nostrum deservit, quod legitur in libro de viris illustribus Ordinis Cisterciensis, de Rainaldo, sanctioris vitæ Monacho. Hic in Claravalle Deo serviens, cùm die quadam in laborem messis triticeæ cum cæteris Monachis exiisset, segregatus paululùm à Conventu, cum animi delectatione cœpit intueri metentes, secum reputans, pariter & admirans, quia videlicet tot sapientes, tot nobiles, tot delicati ibidem viri propter amorem Christi laboribus, atque ærumnis se ipsos exponerent, & ferventissimum solis ardorem cum tanta alacritate susciperent, ac si in horto deliciarum suavissimæ fragantiæ poma decerperent, vel in mensâ lautioribus epulis plena, delitiosissimè convivarentur. Unde & protensis in cælum oculis ac manibus, grates Domino referebat, quod eum tam sanctæ multitudini, quamvis indignum, & peccatorem adjunxerat. Dum hæc & similia animo volveret, & præ immensitate lætitiæ seipsum vix caperet, subitò spectavit Chorum fœminarum de proximo colle descendentium, omnes vestimentis candidis ornatæ, unâ præeunte, quæ reliquas omnes & proceritate, & pulchritudine longè superaret. Hæc cum suo comitatu ùt ad laborantes Monachos propinquavit, singulos perhumanè & peramanter amplexata, & osculata est, mox linteolis, quæ duæ comites deferebant, de illorum frontibus sudorem, pulverémque abstergere cœpit. Cùm autem Sanctus vir secum ipse inquireret, quænam illæ essent, astitit ei quidam veneranda canitie, stolâ candidâ coopertus, qui dixit ad eum: Major illa, quæ cæteras præcedit, est Mater Dei, aliæ quæ sequuntur, sunt virgines in cælo degentes. Hoc cælesti viso recreatus, fratres ad strenue laborandùm cohortatus est. Cæterùm illi, quibus hoc contigit, non quidem corporeo, sed mentis haud dubiè obtutu Sanctarum harum virginum præsentiam persenserunt, dum ipsius corporis vires instauratas, dum patientiam adauctam, dum quendam dulcedinis gustum in illa molestia instillatum perceperunt.

5. De ejusdem familiæ coquo ibidem refertur, cùm toto die labore culinæ ob hospites occupatus, noctu preces Magnæ Matri persolvere vellet, sed ob urgentem som-

somnum vix posset, astitit ei illa, & his verbis eum allocuta est: *Fili bone, Satis tu quidem hactenus mihi fecisti, confer te nunc parùm ad quietem.* Porrò si nonnunquam tam extraordinariâ remuneratur dignatione vel in statu viæ labor honestus, ad laudem Dei assumptus, quis inficiari ausus fuerit, hunc copiosissimè in cœlis præmiandum fore? Reverà nec unicus quidem passus tuus suo carebit præmio.

6. Memoratu dignissimum est, quod refertur in *Prato spirituali.* Monachus quidam longè habebat aquam à cella sua ad duodecim passuum millia distantem; quam cùm continuò inde deportaret, die quadam defatigatus præ labore in via defecit, & intra se dixit: Quid necesse est, ut hunc patiar laborem? Sed veniam, & habitabo circa aquam. Ergo cùm proximâ vice pro aqua ad flumen abiret, designavit locum habitationi commodum, nec non ejus construendæ modum. Hæc animo versans, vocem articulatam post se audivit velut numerantis, *unum, duo, tria &c.* Unde admirans circumspexit undique, num quem in vasta illa solitudine videret locorum spatia dimetientem, vel dinumerantem. Neminem tamen vidit. Perrexit ergo in cœpto itinere, audivítque rursus vocem: *unum, duo, tria &c.* Secundò respiciens, ne tum quidem ullum conspexit. Cùm id & tertiò contigisset, respectans vidit ponè se pulcherrimum adolescentem, quem cùm Eremita percontatus esset de sua conditione & statu, & quidnam in hoc loco numeraret? Ille, *Angelus sum,* respondit, *& venio tuos in itinere numerare passus, ne illorum ullus suo privetur præmio.* Quo dicto evanuit ex oculis. Quare Monachus in se reversus, roboratúsque est adeò, ut non solùm mentem non mutarit, verùm etiam teguriolum longiùs à flumine dimoverit. *Sophronius* in Prato spirituali cap. 169.

7. Igitur quò ad strenuè pro Dei gloria laborandum animemur, ante mentis aciem, ineffabile cælestis gloriæ bravium, quod post brevissimum præsentis vitæ laborem, omnibus in vinea Domini naviter laborantibus concedetur, collocemus oportet; Hâc siquidem methodo omnis labor, licèt aliàs durus & difficilis sit, mirabili metamorphosi in levem jucundúmque transformabitur, ut docet Doctorum gemma, Divus Pater *Augustinus* ep. 143. ad Demetrium, in hæc incurrens verba: *Omne opus leve fieri solet, cùm ejus pretium cogitatur, & spes præmii solatium est laboris.* Opportunè citatus *Sophronius* cap. 142. sequentia refert: Frater quidam perrexit ad *Abbatem Alexandrum,* & ait illi: *Abba,* volo ex loco, ubi habito, discedere: valdè enim acediâ, & tædio laboro. Respondit ei *Abbas Alexander: Istud fili, signum est, quia nec Regnum cœlorum, nec æternum cruciatum in mente habes: nam si seriò cogitares, quantum illos, qui strenuè pro gloria Dei laboribus insistunt, maneat præmium, nullam in cella tua, aut in laboribus tuis acediam sentires.* Proinde ne in laboribus nostris deficiamus, oculos nostros figamus oportet in futuram remunerationem, quæ, attestante *Paulo* Rom. 8. tanta est, *ut non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* In hac etiam consideratione positus coronatus *Propheta,* sic exclamat: Psal. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis: Beatus es & bene tibi erit.* Porrò, licèt non statim fructum tui laboris sentias, non propterea tamen à piis laboribus cessare debes. Nam quemadmodum non statim, postquam semen in terram conjectum fuit, frugem demetimus, sed messem multis mensibus cum magna patientia exspe-

exspectamus; Ita non decet à labore cessare, etsi non continuò appareat fructus quem sperabamus. *Ecce agricola* [ ait *Divus Jacobus* in sua Epistola Canonica cap.5. ] *exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneũ & serotinum.* Cùm igitur agricola hoc faciat, *patientes estote & vos*, quasi dicat, multò alacriores & fortiores esse debetis, quia ille pro fructu terreno exspectat, vos pro cælesti. Proinde rectè concludit primam hanc sermonis partem *D. Hieronymus*: *Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.*

# PARS SECUNDA.

8. Vidimus sermone præcedenti num. 4. quòd dæmon imprimis accessum habeat ad eos qui otio & desidiâ torpescunt; ideo ad abigendum malum hunc genium gnaviter laboribus insistere oportet, quia tunc etiam Angeli nobiscum erunt futuri, prout liquet ex sequenti historia, quam *Petrus Ribadeneira* in vita *S. Antonini* Archi-Episcopi recenset. Nam cùm Sanctus Præsul festo quodam die civitatis vicum transiret, vidit humilis casæ tecto Angelos insidere. Quo miraculo obstupefactus, casam subiit, viduámque cum tribus filiabus, nudis pedibus, lacero vestitu colum trahentem vidit. Edoctus ergo quænam forent, quemadmodum victitarent, quantas extremæ paupertatis ac necessitatis ærumnas sustinerent, liberali jussit eas eleëmosynâ impertiri. Haud multò pòst cùm rursus illac transiret, casámque illius Viduæ observaret, super ejus tecto non Cælites, sed cacodæmones vidit assidere. Quapropter S. Episcopus rei novitate territus, causámque edoctus, didicit pauperculas easce mulierculas eleëmosynâ suâ ditatas, otio deditas, laboris pertæsas, vanitatis studiosas, cœpisse cuticulam curare, genióque indulgere. Hinc *Antoninus* eas comiter admonuit, quid primùm, quid secundùm vidisset, serióque hortatus, ut laborem resumerent, virtutem capesserent, stygiásque à se belluas, quæ Cælitibus successissent, emendatione morum procul à se fugarent. Ex hac ergo historia manent confirmata, quæ memoravimus, scilicet ex sedulo labore ingentia bona, ex otio verò & desidia innumerabilia damna scaturire; Dum enim hæcce Vidua unà cum suis filiabus laboribus insistebat, Angeli se illis associabant, dum verò torpore & ignaviâ torpescebant, non Cælites amplius sed dæmones in custodes domûs habuerunt.

9. Quamobrem cùm sic se res habeat circa otium, proinde operæ pretium fuerit assumere media, quæ illud profligare solent, inter hæc porrò non minimum censetur etiam labor manualis, hic enim multum juvat ad arcendum otium, & ad perseverandum in servitio divino, utì innumeris Sanctorum virorum exemplis comprobare licet. De *S. Paulo* fatetur *S. Lucas*, Act.18. eum Sabbathis in Synagoga disputare solitum, aliis diebus scenafactoriam artem exercuisse. Ipse autem ait 2.Thess.3.7. *Ipsi scitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus: Non quasi non habuerimus potestatem: sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Alio in loco Act.20.33. pariter fatetur, *se argentũ, aut aurum nullius concupiisse, sed ad ea,*

*quæ sibi opus erant, manus suas ministrasse.* *Petrum*, & *Thomam*, & *Jacobum*, & *Joannem* post susceptum etiam Apostolatûs officium, piscatione se exercuisse, quinimò jubente Domino laxasse rete, in Evangelio legimus. Quis tale opus reprehendere audeat, si Dominus jubendo approbavit? *Lucam* etiam Evangelistam arte picturæ animum, spiritualibus negotiis fatigatum, remittere consuevisse accepimus. Romæ duæ imagines visuntur, altera Christi in Sancta Sanctorum, altera B. Mariæ Virginis in Ecclesia, quæ S. Mariæ Majoris dicitur, eas ab ipso pictas ferunt. Constantinopoli etiam extare ejusdem Virginis effigiem pictam constat, quam ab eodem delineatam, ac fabrefactam fama celebrat.

10. De *Stephano Anachoreta*, Sanctitate vitæ & miraculis claro, refert Hist. Trip. lib. 9. c. 1. quòd, quamvìs herniæ morbo laboraret, non tamen intermiserit, quin certâ diei horâ de palmarum foliis funiculos intorqueret, majorem morbum existimans otiositatem. *S. Pambo* [teste Palladio c. 10.] cum esset moriturus, astantibus dixit: *Ex quo veni in hunc locum, nullus fuit dies, quo non operis aliquid fecerim manibus meis.* *Joannes Abbas*, qui in Thebaicis eremis vitam duxit, singulis Dominicis diebus pane ab Angelo delato se sustentasse perhibetur, cæteris verò diebus fiscellas texendò victum sibi paravisse. Quod si & aliis diebus, quemadmodū Dominico, feriandum esset, quotidie Angelus cibum illi attulisset. Quo tempore non attulit, id minimè otio conterendum esse judicavit.

11. Denique quisquis ulteriùs sacras percurrerit historias, Monachos, maximè observantes, pro spiritûs conservatione vitæ contemplativæ activam semper associasse reperiet. Ita namque S. *Hieronymus* ep. 4. ad Rusticum scribens, in hæc attestatur verba: *Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque opere suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens.* Ob hoc quidem & S. *Dorotheus*, in desertis Ægypti Abbas, Hist. Trip. l. 8. c. 1. minimo somno indulgens, noctis quoque partem operi manuum dabat, tunc nempe sportulas contexere solitus, interdiu autem lapides convehere & cellas ædificare, quas ibi habitare volentibus ultro offerebat. Sportulis autem divenditis, pretium omnibus indigentibus dabat. Itaque semper laborando, sempérque laborata aliis largiendo & otium declinavit, & pietatem coluit.

12. Curiosam ad institutum nostrum ex Patrum vitis adducit historiam *Bellovacensis* in suo speculo morali p. 6. l. 3. dist. 6. Venerat aliquando ad Abbatem Sylvanum in monte Syna quidam Monachus, qui, dum fratres laborare cerneret, dixit eis: *Quare operamini escam, quæ perit? Maria optimam partem elegit.* Quo audito Sylvanus discipulo suo Zachariæ ait: Da illi codicem, ut legat, & duc illum in cellulam vacuam, quod & factum. Porrò appropinquante horâ nonâ [in qua Monachi se reficere solebant] circumspiciebat viam ille frater, si fortè vocaret se ille senex ad comedendum. Transactâ verò horâ nonâ, venit ad Sylvanum dicens: Nunquid comederunt hodie fratres, Abba? affirmante illo, rursus inquit, cur me non vocasti? Cui vir Sanctus; tu homo spiritualis es, & non habes necesse hâc escâ, nos autem tanquam carnales opus habemus comedere; ideo operamur, tu autē bonam partem elegisti, legis toto die, & non vis carnalem escam recipere. Hæc cùm peregrinus Monachus audivisset, cœpit pœnitere ac dicere: *Indulge mihi Abba.* Cui respondit *Sylvanus: Ergo necessaria*

*saria est Martha Mariæ; propter Martham enim Maria laudatur.*

13. Stat etiamnum *Pauli* præceptum: 2. Thess. 3. *Si quis non vult operari, non manducet.* Lex hæc omnibus lata est. Sic ad frugem redactum, legimus in vitis Patrũ Joannem Brevem, qui dicebat fratri suo: vellem esse securus, sicut Angeli sunt, nihil operantes, sed jugiter Deo servientes. Itaque cellam deserens per vastam solitudinem evagari cœpit, sed die tandem septimo fame urgente, cùm jam vesper esset, rediit, & cum cellæ fores occlusas offendisset, fratrem, ut sibi aperiret, invocavit, se Joannem esse contestans. At ille: Nequaquam, inquit, nam Joannes in Angelum mutatus est, nec cibo illi opus est, nec cum hominibus commorari necessarium. Tali exprobratione taxatum dimisit, passus eum nocte illa sub dio ante januam jacere. Manè verò concesso aditu cùm longâ inediâ lassum refecisset, fraterna charitate monuit, debere se hominẽ meminisse, materialibus adhuc cocis nutriendum, ut sufficere possit actioni spirituali: Proinde laborem Monachis communem ne detrectaret. Correctus igitur Joannes, divina deinceps negotia fabrilis operis vicissitudine impensiùs est executus, & quantùm suâ præsumptione lapsus fuerat, tantùm consilio alieno usus profecit.

14. Denique ut SS. Patres principalem & unicum quasi horum laborum finem posteros edocerent, multas fieri curabant à Monachis sportulas, quas perfectas in ignem conjiciebant, novásque inchoari jubebant, quia scilicet nullam in hujusmodi exercitiis utilitatem temporalem, sed æternam animæ spectabant salutem, ut scilicet ita & otium declinaretur, & labor externus virtuti magis magísque cooperaretur. Id quod etiam factitare gestiebat *Paulus Abbas*, qui [ut *Cassianus* refert] in Ægypti Eremo confidens, cum sibi ad victum hortulus, quem ipse fecerat, & palmarum ferax Regio satis essent, quotidie tamen aliquot horis palmæ texturæ operam impendebat. Ea verò quæ texuerat, annis singulis concremabat. Septimâ enim & eo amplius mansione ab hominum habitaculis remoto neque dare illa cuique, neque vendere promptum erat. Quotidianus igitur labor non nisi fugiendi otii causâ insumebatur. Quod si desidiæ torporique se dedisset, nec in deserto plus permanere, nec ad perfectionem sanctitudinis pervenire potuisset. Multam enim malitiam docuit otiositas. Ita *Cassianus* apud *Rosvveidum* in vitis *Patrum* lib. 4. cap. 40.

15. Denique ulteriùs, quod laborem manualem summè cõmendabilem reddit, est exemplum B.mæ Virginis MARIæ. Ferunt enim *Metaphrastes* & alii, eam, dum adhuc in templo serviret, à summo manè usque ad horam tertiam precationes extendisse, à tertia ad nonam lanificio se occupâsse. Inde demum sumpto modico cibo usque ad occubitum solis lectitâsse scripturas, & in earum meditatione pernoctâsse. Hâc itaque vitæ institutione ad tantam morum sanctitudinem devenit, ut sola præ omnibus eligi meruerit, & quæ Salvatorẽ mundi pareret, & post partum Virgo permaneret. Unde ad nostrum institutum sequentem ex hujus SS. Virginis exemplo eruit moralitatem citatus *Metaphrastes*, dicens: Quod si hæc, quæ sine peccato concepta, omnis prorsus peccati semper expers fuerit, id temporis, quod orationi lectioniq́ supererat, manuũ labore sibi transfigendũ duxit, quomodò te in ignavâ otii mollitudine quandoque desidentem, securum arbitraris, quem in peccatis genuit Mater, quẽ quotidiè interiùs cogitationes, exteriùs proni ad vitia sensus impugnãt?

Crede mihi non effugit decipulas diaboli, quisquis laborem fugit. Hactenus *Simeon Metaphrastes*.

16. Appositissimè ad rem deservit, quod in vitis Patrum de S. *Antonio Magno* legere est, quòd nimirum in eremo constitutus, magnum primitùs senserit tædium & nauseam, expertúsque fuerit variarum tentationum, & cogitationum fluxum, & refluxum; Ideóq; elevatâ in Deum mente, eundem interrogavit: Quid faciam in hac tribulatione? Quomodo salvus ero? Et modicè assurgens, cæpit foras exire, & vidit quendam, tanquam se ipsum sedentem atque operantem, deinde surgentem ab operibus & orantem, & iterum sedentem, & plectam de palmis facientem, & inde rursum ad orationem surgentē. Erat autem Angelus Domini, missus ad correptionem, & cautelam dandam Antonio, & audivit vocem Angeli dicentis: *Sic fac, & salvus eris.* Ille autem hoc audito magnum gaudiū sumpsit atque fiduciam, & ita faciens salutē, quā quærebat, invenit.

17. Verùm, notandum hîc pro coronide venit, nimirum ut labor efficiatur meritorius, Deóq; gratus, intentio bona præcedat oportet, simúlque hæc exteriora opera, & occupationes absque inordinata cordis solicitudine peragere discamus cū elevato intellectu, atque affectu ad Deum; Quemadmodum monet *S. Bernardus*, inquiens: *Ad laborem cùm veneris, sic temporalis opus agendum, ut solicitudo operis intentionē animi tui ab iis, quæ Dei sunt, non avertat.* Sic laboribus vacâsse Monachos Ægyptios perhibet *Cassianus*; nam dum in suis cellulis labore manuum se se exercebant, identidem jaculatorias ad Deum preces miserunt, Psalmósque recitârunt, meditationíque sacrarum scripturarum vacârunt. Inter hos singulariter eminebat, non secus ac solis jubar inter stellarū igniculos, *S. Arsenius Abbas*, eum enim, dum opus faceret, lacrymasse Scriptores tradunt. Quæ res indicio est, longè aliud illum cogitâsse, quàm quod manibus fabricaret. Manus quidem labori intentæ erant, sed mens, divinis meditationibus assueta, ad Deum tollebatur, & ejus desiderio accensa, à fletu temperare non poterat. O cælestem virum, qui etiam inter laborandū futuræ beatitudinis dulcedinē degustabat! Hunc ergo virum sanctum, dum corporalibus laboribus operam damus, imitemur par est; Nam tametsi labor, qui in silentio fit, valde laudetur; tamen multiplicitas, solicitudo & distractio cordis reprobatur.

18. Ad hæc porrò advertere oportet, ne labor manualis, propriâ sponte assumtus, & aliàs honestus, hìc & nunc alterius cujusdam operis, sive à suo superiore, sive à religiosis statutis suis præscripti impedimentū sit. Unde cavere oportet, ne quis laboribus corporalibus animum nimis, aut diutiùs quàm par est, immergat; multum enim distrahere, aut perturbare solet spiritum hujusmodi exercitatio, nisi ita moderatè assumatur, ut modicæ remissioni subserviens ad majori aviditate arripienda spiritûs studia animum accendat; quemadmodum bene notat Doctor Seraphicus, *D. Bonaventura* cap. 56. medit. vitæ Christi, his verbis: Si quando obedientia, vel necessitas, vel obsequiū, vel recreatio ad aliquid laborandum, vel operandum te impellit, fideliter facias, non sic adhæreas voluntate, vel delectatione, ut inde reportes imagines, ne postea Deo vacans impediaris. Unde *D. Bernardus* ad fratres de monte Dei: Operandū est [inquit] aliquid manibus, quod injungi solet, non tam quod animū delectando detineat ad horā, quàm quod spiritualibus studiis delectationem conservet, & nutriat, in quo remittatur ad horā animus, non resolvatur. Et infra ait: *Sicut non vir propter mulierem, sed mulier propter virū, ita non spiritualia propter corporalia exercitia, sed corporalia propter spiritualia.*

19. Porrò, modū, qui in labore manuū obser-

observari debet, exactè describit *Dion. Carthusianus* in libro de laude vitæ Solitariæ cap.25. Sapienter [inquit] & ordinatè in labore manuum se debet habere, ne tali labore se occupet imoderatè, aut affectu nimis intenso, ita ut obliviscatur in ipso labore mentē suam ad Deū frequenter erigere, orando, meditando, & aspirando ad ipsum. Hæc quippe generalis est regula, quòd omnia exteriora & corporalia, ad spiritualia & interiora sunt ordinanda, sicut media referuntur ad finē. Idcirco si illis laboribus ampliùs quis insistat, imoretur, ac ferveat, quàm ad virtutū expedit incrementū, ad devotionis fervorē, ad cordis custodiā, ad contemplationis sinceritatē, non dubiū, quin noceat, atq; culpabile sit. Imò sicut in cibo ac potū, sic in tali labore contingit excedere, præsertim si in rebus curiosis, superfluis, inutilibusq; versetur, & expendatur. Hæc *Carthusianus*. Ex quibus facilè licet colligere, eâ ratione & modo labores suscipiendos esse, ut fini, ad quē destinantur, conveniant: hoc est, tali studio & solicitudine fiant, ut animū non dissolvant, neque ab oratione abstrahant. Hinc monet *S. Basilius* in regula fusiori, ubi ait: *Communiter illæ artes, sive labores eligendi sunt, qui pacē & tranquillitatē vitæ nostræ conservent, & qui nec congressus virorū ac mulierū indecoros, aut nocivos nobis pariant; itē qui nec à Psalmodia, neq; oratione, neq; à reliquo bono disciplinæ ordine nos distrahant, aut impediāt.*

20. Notandū ulteriùs, quòd quilibet cū spirituali quæstu laborare cupiens, non debeat alienis se ingerere laboribus, & suos nauseare; hoc enim à vera virtutis semita est longiùs aberrare. Proinde Tarsensis Præco hunc errorē à fideliū cordibus proscribere volens, sic eosdē monet: [1.Cor.7.17] *Unicuiq; sicut divisit Dominus, unumquemq; sicut vocavit Deus, ita ambulet*; hoc est, unusquisque debet manere in eo statu, in quē Deus vocavit; ergo si vocavit aliquos in hos labores, aliquos in alios, debent manere in ipsis; unde mox subdit: *unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, neq; unus alterius ambiat labores, sed suos, qui proprio statui & vocationi sunt convenientes, ritè ac studiosè tractare, perficereque addiscat. Quando servi Patris-familias Evangelici viderunt in agro Dñi sui zizaniā, mox eā eruncare voluerunt: *Servi autem dixerunt ei, vis imus, & colligimus ea? & ait: Non.* Matth.13.28. Negationis hujus opportunā assignat rationē eruditissimus *Joañes Sylveira* T.3. l.5.c.27.q.13. in Evang. Nimirū, quòd servi, quamvis essent fideles, ut curā de rebus Dñi agerent; tamen hic in agro labor ad ipsos non spectabat, sed ad messores; & res comittenda est juxta munus quod unusquisq; habet, ut quilibet in suo officio se exerceat, & in alieno se non intromittat. Quare ne quis Deo displiceat, suosq; perdat labores, in iis sese occupare satagat, qui imperantur à Superioribus, vel quos hìc & nunc utilitatis cujusdā ratio, aut pietatis studiū suadet peragendos, utpote qui vel ad bonum comune, vel ad Dei cultū aliquatenus promovendū faciunt, v.g. qui ad Ecclesiæ, Altariumq; extrinsecū ornatū possunt deservire, cujusmodi labores censentur, pulchros & suaviter redolentes plantare & nutrire flosculos eo fine, ut his altaria exornent, gratiā inde Dei & Divorū relaturi. Denique memores esse etiā debemus divini illius præcepti, in libro Exodi cap.20.v.8. his verbis expressi: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*, quod præceptū partim est *negativū*, partim *affirmativū*: in quantū est *negativū*, prohibet tali die labores serviles ergo hi diebus festis sunt intermittendi, prout fusiùs in nostro *Trino perfecto* lib. 2. tract.21. erud.3. dictum. Secundùm modò traditā doctrinā si labores tuos, mi optime frater, peragere studueris, securè confide, quia & tu sub vesperā vitæ tuæ à Deo denarium gloriæ æternæ recepturus sis.

SERMO

# SERMO XLI.
# DE STATU RELIGIOSO.

*Ecce quàm bonum, & quàm jucundum; habitare fratres in unum.* Psal. 132.

## PARS PRIMA.

1. UT Sermonem præsentem incipiamus ab ejus definitione, sciendum, quod Status Religiosus sic ab omnibus Asceseos Magistris definiatur: *Est stabilis, & ab Ecclesia approbatus in communi vivendi modus, tendentium ad Christianæ charitatis perfectionem, per vota perpetua paupertatis, castitatis, & obedientiæ.* In qua definitione exprimitur scopus & finis omni Religioso statui communis, qui est charitatis Christianæ perfectio. Nam juxta mentem *Præceptoris Angelici* [ 2. 2. q. 186. a. 2. Corp.] Status Religionis est quædam disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi. Et ipsa perfectio charitatis est finis status religiosi; & ideo ille, qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam. Et eadem ratione non tenetur ad hoc, quòd illa impleat, quæ ad charitatis perfectionem consequuntur: tenetur autem ut ad ea implenda tendat. Hæc *S. Thomas.* Plura de hac charitatis perfectione & obligatione dicemus infra serm. 44. num. 14. Cæterùm quantâ gaudii spiritualis affluentiâ exuberet Religiosus status, jam olim Sanctus Rex *David* in spiritu spectavit, hinc non sine admirationis ostensione in hanc erupit vocem: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum est habitare fratres in unum.* Hinc *Sancti Patres* summis semper laudũ encomiis extulêre Professionem, seu Statum Religiosorum. Primus Venetorum Patriarcha, *S. Laurentius Justinianus* tract. de Monastica perfect. cap. 6. his statum claustralem adornat verbis: *In humanis rebus, & in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cœlestis patriæ, quàm monastica conversatio, & Congregatio divino cultui dicata.* Et meritò; Sicut enim in cœlo nulla est divitiarum, voluptatum carnis, ac propriæ voluntatis appetitio; ita nec in religioso statu. Sicut in cœlo nihil aliud agunt, nisi ut Deũ laudent; ita & in Religione hoc solum agitur, utpotè in qua omnia ad laudẽ Dei referuntur; Nam Religiosi [ quemadmodum docet *S. P. Aug.* in Ps. 146. ] laudant Deum, cùm cibum & potum capiunt; laudant, cùm in lecto requiescunt; laudant cùm dormiunt. Et iterum, sicut in cœlo summa est tranquillitas & felicitas, eò quòd in uno, eóque Summo Bono delectentur beati: Ita sũma quoque eorundẽ est felicitas, qui toti in Dei voluntatem resignati, quietè in divino beneplacito requiescunt. Rectè proinde de Religiosis hominibus vaticinatur Propheta Regius Ps. 83. *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te.* Consultò igitur, ùt *Sanctus Laurentius Justin.* loquitur, Deus gratiam

gratiam Religionis hominibus occultavit, ne, si cognosceretur ejus felicitas, omnes ad eum confugerent. Cui consonat effatum S. *Scholasticæ*: *Si dulcedo*, inquit, *quam abscondit servis suis, nota esset sæcularibus, Monasteria non caperent eos, qui Deo servire vellent.* Sic refert *Engelgr.* de Comm. Confess.

2. *Carolus V.* dicere solebat, teste *Engelgr.* citato, in secessu illo ad S. *Hieronymi* Monasterium plùs uno die liquidæ voluptatis, & sinceri gaudii se percepisse, quàm ex omnibus aulæ deliciis, victoriis, ac triumphis. *Suatocopius* Rex Boëmiæ, & Moraviæ (ut dictus *Author* loco cit. narrat) ab Arnulpho Imperatore prælio victus, cùm ægrè evasisset, in eremum fugit, ibíque in summa paupertate inter Anachoretas reliquam vitam exegit. Morti proximus exposuit, quis fuerit, atque effusis copiosis lacrymis dixit astantibus, nullam regni fortunam solitudinis tranquillitati præferendam, veram se vitam in caula duxisse, in aula mortem. S. *Romualdus* de se confessus est: Vixi centum annis in Religione, & quidem in summa austeritate, viginti verò in sæculo, eheu! quàm longa & misera hæc mihi vitæ tempora! quam brevia & jucunda illa Religionis fuêre! Quamobrem non sine causa *S. Laurent. Justin:* in lib. de Obed. cap. 18. per hæc excurrit verba: *Nemo procul dubio explicare valet, quanto repleatur gaudio, quantâ potiatur pace, quibus spiritualibus reficiatur deliciis, & quot divinis quotidie illustretur splendoribus, qui deliberato animo, & cælesti inspiratione afflatus renuntiat spontè sæculo, secedit in claustro, & militat Deo, nihil terrenum ambiens, nihil temporale possidens, nihilque quod amorem suum vendicare queat, omnino reservans.*

3. Claustrum denique (ùt idem S. *Patriarcha* de monast. convers. cap. 18. loquitur) est hortus conclusus, paradisus deliciarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum schola, tabernaculum fœderis, reclinatorium Sponsi, bellatorum statio, sanctitatis domus, castitatis custos, pudicitiæ firmamentum, Religionis magisterium, & obedientiæ Sanctæ speculum singulare. Hac de re jam dudum prophetavit Psalmographus *Psal.* 83. dum ad Deum altùm suspirans ait: *Melior est dies una in atriis tuis super millia; elegi abjectus esse in domo Dei mei, magìs quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Et meritò, plùs enim bonus Religiosus in sua angusta cellula, velut in atrio Domini, gaudii vel uno die participat, quàm Palatinus quispiam multis in regio palatio annis commorans. Deliciæ quippe spirituales, utpotè nullâ amaritudine admixtæ, mirum in modum excedunt quævis mundi oblectamenta, quæ aut vana sunt, aut turpia, multáque amaritie obsepta. Hinc S. *Rex David* mentis obtutum ad Monachorum Asceteria convertens miro jubilo in hæc prorupit verba: *Ecce quàm bonum, & quam jucundum est, habitare fratres in unum!* Hic dulcis sonus (ùt S. P. *Aug.* hunc Psalmum exponit) hæc suavis melodia Monasteria peperit; Nam verè mel in ore, melos in aure, jubilus in corde, est vita Religiosa. Hanc S. *Barlaam cælestem*, S. *Ephrem Angelicam vitæ rationem, institutum, & ordinem appellant.*

4. Si porrò ulteriùs mentis acie perscrutabimur causas, cur nempe bonum sit habitare fratres in unum, confestim contemplabimur id jucundum esse ob varias utilitates, quæ ex Religiosorum unitate emanant, quæque à *Salo-*

*mone* jam pridem indicatæ ſunt, dum dixit: *Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm unum; habent enim emolumentum Societatis ſuæ; ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur.* *Eccleſ.* 4. Quibus verbis primus fructus indicatur, ſcilicet à ſe mutuo ſubleventur, & erigantur partim precibus, partim adhortationibus, partim exemplis; Unde mox addit: *Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe.* Alter fructus indicatur loc. cit. his verbis: *Et ſi dormierint duo, fovebuntur mutuò: unus quomodo calefiet?* Nimirum ſicut carbo junctus aliis ardentibus carbonibus ſpontè inardeſcit; ita idem tepido religioſo non rarò evenit, ſi ferventibus jungatur. Tertius fructus ibidem indicatur ſequentibus verbis: *Etſi quiſpiam prævaluerit, duo reſiſtent ei*; nam ùt *S. Bernardus* ait, in Religione tot ſunt auxiliarii, quot ſocii, & tales qui dicere poſſunt cum Apoſtolo: *quia non ignoramus aſtutias inimici.* 2. *Cor.* 2. 11. Congregatio enim pro fortitudine ſua terribilis eſt, ut caſtrorum acies ordinata. Quia ſanè inficiari nequit, quin multi aliàs animæ naufragium paſſi fuiſſent, niſi ferventibus ſuorum confratrum precibus ſervati fuiſſent; quod exemplis probare, nimiùm foret prolixum, unum nihilominus ex multis huc afferre non ingratum erit. Erat in Monaſterio, cui *S. Gregorius* præerat, (ùt ipſemet lib. 4. Dialog. cap. 27. refert) Juvenis quidam dyſcolus, inquietus, aliis moleſtus, omnéſque ſubſannabat, à quibus ad religioſas virtutes invitabatur. Hic peſtilenti contagio infectus, precantibus pro ſe fratribus, ipſoque Gregorio præſente, cùm lethali membra jam frigore rigerent, exiliſque in pectore calor palpitaret, horrendis circumſtantes vocibus his attonare cœpit: Recedite, ecce draconi ad devorandum datus ſum, qui propter veſtram præſentiam me devorare non poteſt. Caput meum ſuo jam ore abſorbuit, date locum, ut me ampliùs non cruciet, ſed faciat, quod facturus eſt. Si ei ad devorandum datus ſum, quare propter vos moras patior? Monuit infelicem *S. Gregorius*, ut ſe Crucis ſigno armaret; ſed ille, volo, inquit, me ſignare, ſed non poſſum, quia ſquammis hujus draconis premor. *S. Gregorius* ut hoc audiit, magis etiam cum ſuis precibus inſtitit. Haud multò poſt meritas cœpit æger agere Deo grates, vociferatus: Ecce Draco, qui me devorandum acceperat, fugit: precibus veſtris expulſus ſtare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia converti, & malam vitam meam relinquere paratus ſum. Sic ſuorum fratrum precibus adjutus, tum corporis, tum animi ſalute donatus eſt.

6. Quod præterea Statum Religioſum celebrem reddit, eſt, quod SS. *Patres* communiter eum Martyrio comparent. Hinc *Gregorius Magnus* Hom. 35. in Evang. dicit: Duo ſunt martyrii genera, unum in mente, alterum in mente, & actione ſimul. Itáque Martyres eſſe poſſumus, etiamſi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe à perſequente, Martyrium in aperto opere eſt, ferre verò contumelias, odientes diligere, Martyrium eſt in occulta cogitatione. Ita *S. Pontifex*. Et *Clemens Alexandrinus* ait: Conſummationem, Martyrium appellamus, non ex eo, quòd morte conſummetur homo, ſed quòd conſummatum habeat opus charitatis: Itáque ſi Fidei confeſſio, Martyrium eſt, profectò omnis anima purè vitam inſtituens cum agnitione Dei, mandatíſque divinis obtemperans, Martyr eſt. Unde, teſte *Vincentio Bellovacenſi* lib. 29. cap. 11.

cùm nocte quadam fratres post vigilias sederent in capitulo, & legerent: Beato *Christiano* in Claustro oranti hæc de cælo vox accidit: *Illi boni homines, quos vides in Capitulo, sunt Martyres Dei.*

7. Ulteriùs assertio hæc probari potest triplici ex capite. I. Ex *forma Martyrii*, quæ in eo consistit, quòd sicut in carnis Martyrio persecutor Christum eripere conatur, ereptâ fide; ita in martyrio mentis diabolus Christum, aliis virtutibus ereptis, eripere conatur. Hinc dicit S. P. *Aug.* Serm. 250. de Temp. *Contra mortifera blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana Martyria Christianis deesse non posse.* Cujus sententiæ veritas stabilita manet ex revelatione quadam S. *Gertrudi* factâ; revelatum enim huic S. Virgini fuit, Religiosos, sub una regula obedientiæ viventes, Martyribus annumerari, quia propriæ voluntati resistunt, & sensus mortificando, à peccatis, ad quæ propendent, abstinent, & sic se Deo offerunt in odorem suavitatis. II. Ex *natura mortis*: Quia sicut mors corporis à divitiis, amicis, & omnibus rebus mundi separat, ipsásque partes corporis sejungendo per tormenta graves cruciatus infert; Ita Religiosus status separat per tria vota ab omnibus rebus creatis, tantóque majorem cruciatum affert, quantò magìs ejusmodi bona plerumque per affectum solent inhærere: & quantò seipsum quisque magìs diligit, quàm bona sua. III. Ex *diuturnitate durationis*: de qua S. *Bernardus* Serm. 30. in Cant. dixit: *Genus Martyrii est spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitiùs, sed diuturnitate molestiùs.* Atque in oculis Dei, inquit *Richardus Victorinus* in Ps. 118. majoris est meriti, sæpe mortificari, quàm mori. Cùm ergo mortificationes Religiosorum per multos quandoque annos durent, meritò coronam Martyribus parem consequentur. Vide dicta Serm. 1. num. 28.

8. Cæterùm, alia bona & commoda, ex Religioso statu scaturientia, paucis hisce, sed nervosis verbis adumbrat S. *Bernardus* de bono Relig. *In Religione vivit homo puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, remuneratur copiosiùs. Vivit puriùs*; partim quia per Professionem, velùt alterum Baptismum à præteritis peccatis mundatur. Dum enim Religiosus Novitius per tria solennia vota se Religioni dedicat, tam gratum Deo opus præstat, ut eum *Theologi & Sancti* Patres per hanc traditionem omnium peccatorum remissionem consequi communiter asserant: ita quidem ut, si tunc mori eum contingeret, rectà ad cælum absque piacularis ignis pœna evolaret, non secus ac ille, quem mox à Baptismo suscepto demori contingit. Atque ideo eam SS. Patres *Hieronymus*, *Cyprianus* & *Bernardus* secundum Baptismum nuncupant. Et in hujus rei confirmationem adferunt Doctores illud, quod de S. *Antonio* legitur. Videre sibi hic visus est, ab Angelis in cælum sustolli, dæmones verò iis obviam progressos, totâ vi & contentione ascensum hunc impedire conatos, eúmque de aliquot peccatis, quæ in sæculo commiserat, accusasse, quibus responderunt Angeli: Si quid eum noveritis post vitæ monasticæ professionem commisisse, ejus eum accusate, quæ enim aliàs in sæculo admisit peccata, jam pridem dimissa sunt, eo ipso quòd Religionem est ingressus. Quibus auditis cacodæmones magna cum confusione recesserunt. Vivit igitur homo in Religione

gione puriùs, partim ob dimissa per Professionem peccata; partim etiam, quia per Sacramentorum frequentationem, & librorum spiritualium lectiones perfectiùs in virtutis stadio stabilitur.

9. *Cadit rarius.* Tum quia non habet tot prava exempla, & occasiones peccandi; tum quia gravitatem & fœditatem peccatorum per frequentes meditationes, & examina meliùs cognoscit. Tum etiam, quia sicut qui solus ambulat, facilè aberrat: inter multos autem, si quis aberrat, non deest, qui commonstret viam; Ita in Religione ubi quamplures unà simul ad Cælestem beatitudinem peregrinantur, non tam facilè quis aberrare potest, quia habet multos, qui regiam virtutis viam monstrabunt. Item si quis in hoc ad cælum itinere fuerit lentior, ab aliis pergentibus utcunque protrahitur: Si quis æquò properantior, à cæteris retardatur. Sícque haud dubiè homo rariùs cadet in statu Religioso, quàm in statu sæculari. *Surgit velocius.* Tum quia exemplis bonis domesticis, quæ quotidie videt, erigitur: tum quia Superiorum, tanquam Medicorum Spiritualium curatione sublevatur: tum ob uberiorem influxum gratiæ, quem in Religione reperit ad resurgendum à lapsibus. *Incedit cautiùs*: frequentes enim lapsus in sæculari statu docuerunt, quàm sit cautè incedendum; cùm enim per meditationes quotidianas talium lapsuum gravitatem, ac periculum accuratiùs perpendat, consideretque, quàm fallacibus Mundus, Caro, & dæmon, stratagematis nos à vero salutis calle abstrahere conentur (id quod vix unquam seriò faciunt sæculares) hinc fit, ut latentes eorum insidias solerti quadam & spirituali astutiâ declinet, hostilésque evadat laqueos. *Irroratur frequentius*: Tum quia Religiosi voluntas tota est in lege Domini observanda defixa, atque adeò juxta *S. Davidem* similis est ligno plantato secus decursus aquarum: tum quia nemo aptior est divinæ collustrationis jubare irradiari, supernæque visitationis dulcedine perfrui, quàm Religiosus, solitariam in cellula sua vitam agens.

10. *Quiescit securius*: Comparatur enim Religio à *SS. Patribus* Arcæ Noë, hinc qui ad eam confugit, similis est columbæ à Noë emissæ, quæ, cùm non inveniret, ubi requiesceret pes ejus, ad arcam reversa est. Ad hanc igitur confugiendum est eis, qui frementis sæculi tempestate vexantur. Hic statio fidissima, & quies certa. *Moritur confidentius*: Nam ut *S. Chrysostomus* ait: Religionem hoc habere, ut eos, qui eam secuti sunt, primùm in hac vita multis bonis repleat, deinde post vitæ exitum hilares & ludibundos ad Dei tribunal perducat. Rectè etiam *S. Bernardus* Serm. ad milit. templi. cap. 1. exclamat: *O vita secura, ubi pura conscientia! ô, inquam, vita secura, ubi absque formidine mors expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione.* Et iterum Serm. de vit. solit. idem *S. Abbas* dicit: *Spiritui à corpore exeunti, à cella in cælum non longa nec difficilis via invenitur, moriens enim aut vix, aut nunquam aliquis à cella in infernum descendit, quia vix unquam aliquis, nisi cælo prædestinatus in ea usque ad mortem persistit.* *Purgatur citius*: id est, à purgatoriis pœnis liberatur; tum quia ipsum vitæ religiosæ genus, est quodammodò perpetua pœnitentia & satisfactio, juxta illud *Thomæ Kempensis* effatum: *Habet magnum & salubre purgatorium,*

*vium, qui sibi ipsi violentiam frequenter facit, & carnem omnino spiritui subjugare conatur*: tum quia post mortem crebrioribus & efficacioribus suffragiis, operibúsque à fratribus suis adjuvatur: tum quia quàm plurimis etiam indulgentiis Religioni concessis à Purgatorio se liberare potest. Hinc in raptu dictum est *Gerardo Monacho*: *Nullus tui Ordinis peribit, si Ordinem amaverit; aut in morte purgabitur, aut brevi post mortem.*

11. Tandem homo in Religione vivens *Remuneratur copiosius*: Religiosi enim, teste S. P. *Augustino*, cùm semper, sive comedentes, sive bibentes, sive quiescentes, laudent Deum, consequens est, ut etiam ex omnibus his indifferentibus actibus non parvum recipiant præmium; & si ita sit, quid amabo non consequentur ex aliis, ex natura sua bonis exercitiis ex obedientia peractis? Disertè hoc explanat *Rodericius*, p. 3. tr. 2. c. 3. docétque ea opera, quæ ex voto fiunt, majoris meriti apud Deum esse, quàm quæ voluntariè absque voto fiunt, quod solidis omnino probat argumentis, quia Votum, inquit, actus est Religionis, quæ inter omnes virtutes morales Princeps est; proinde aliarum virtutum operibus valorem addit & precium, efficiendo ut ea fiant opera Religionis. V. G. Jejunium (quod actus est temperantiæ) votum efficit, ut etiam actus sit Religionis, itáque duplici via sit opus meritorium: Primò ex virtute ipsiusmet operis jejunii; deindè ex eo, quòd sit actus Religionis. Sic generaliter in omni eo, quod ex obedientia facimus; duplex consequimur meritum: unum quidem ipsius operis, alterum verò obedientiæ. Quod meliùs ex ejus contrario intelligetur. Quemadmodum, qui contra votum castitatis peccat, duo peccata mortalia committit, primum contra castitatem, & sextum decalogi præceptum: alterum verò majus, Sacrilegium scilicet, infringendo votum, quo ad eam observandam se obstrinxit: ita ex adverso qui votum castitatis observat, duplex sibi meritum comparat, unum virtutis castitatis, & alterum voti Deo nuncupati, sícque de reliquis votis discurrendum. Denique (ut S. *Thomas* 2. 2. q. 88. art. 6. in corp. loquitur) sicut plus dat, qui alicui arborem dat cum omnibus fructibus, quàm qui solùm fructus decerptos amico mittit, arborem sibi retinens: Ita quia Religiosus fructum bonorum operum unà cum arbore, id est, libertate & voluntate propria Deo offert, longè præstantius opus facit operando ex voto quàm sine illo; & consequenter uberiorem longè exspectandam à Deo habebit remunerationem, quàm sæcularis quispiam, qui Deo solum dat arboris fructum, quædam, inquam, opera bona; sed non dat arborem scilicet seipsum, quod fieri solet per votum.

# PARS SECUNDA.

12. QUod præterea mirum in modum Statum Religiosum illustrem reddit, est quædam visio *Divo Anselmo* divinitùs monstrata, uti *Surius* die 21. Aprilis, & *Hieron. Platus* lib. 1. cap. 40. recenset. Aliquando cùm Vir Sanctus in ecstasin raptus esset, vidit latissimum & præcipitem fluvium, in

quem omnes immunditiæ, sordes, & totius mundi cloacæ velut in commune colluvium confluebant: aquæ verò hujus fluvii tam malè olebant, ut nihil fœdiùs, tetriùs & intolerabiliùs cogitari posset, tantóque etiam impetu rapiebantur, ut violenter obvia quæque post se traherent, devolveréntque tam viros, quàm fœminas, divites æque & inopes, in momento eos in profundum demergendo, mox tamen eos in altum iterum evibrando, elatósque rursùs ad profunda raptando sic, ut nulla quies miseris indulgeretur. Novo hoc spectaculo perculsus *Anselmus*, & interrogans undenam illi viverent? (quia verè eos vivere videbat) audivit, illos iis, in quibus volvebantur, sordibus, & cœno victitare. Mox totius visionis hæc illi data est interpretatio: Torrentem hunc esse mundum, in quo homines cæci & insensati, suas inter divitias, & honores, voluptates carnales, & sordes, miserè volutantur. Tantam verò eorum miseriam esse, ut esto in id genus immunditiis nullam quietem inveniant, nihilominus mirè contenti sint, séque beatos ac felices existiment. Inde verò ipse ad claustrum, vel hortum quendam capacissimum est deductus, cujus parietes argento obducti mirum in modum effulgebant. In cujus medio pratum erat amplissimum, in quo variæ enascebantur herbæ ex auro purissimo, ita molles & flexiles, ut considentibus cederent: neque verò propter depressionem hanc conculcatæ, vel inflexæ manerent, sed exsurgentibus iis, qui insederant, statim per se ipsæ ad priorem formam erigerentur. Aura loci hujus jucunda admodùm & amœna erat, denique omnia alia adeò gratiosa & suavia erant, ut nihil ad felicitatem desiderari posset. Dictum verò S. Viro fuit, per hortum hunc statum religiosum ad vivum repræsentari.

13. Vide ergo nunc, amice frater, quantam tibi Divina Bonitas gratiam præstiterit, dum te præ tot millibus ex immundis mundi sordibus ereptum, in amœnissimo omnique deliciarum genere redundante horto, in Religioso videlicet statu collocarit. Quid pro tanto beneficio Deo retribues? *non enim fecit taliter omni nationi. Ps.* 147. Quin regio cum *Propheta* dicis: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Psal.* 115. Ast dices mihi forsan, si ita res se habeat, quæ de statu religioso memoravimus, omnibúsque, quemadmodum ex nunc illata S. *Anselmi* visione liquet, gaudiis circumfluat, quíd ergo hoc est, quòd non pauci felicissimo hoc in statu reperiantur religiosi, desperatis similes, animo depressi, perturbati, multáque obruti tristitiâ, qui proinde malunt se remansisse in sæculo, doléntque de Professione facta? Respondeo, causam hujus esse eorum ingratitudinem; cùm enim non debitas, ut par est, pro tanto beneficio vocationis ad Religionem Deo grates rependant, hinc fit, ut justè hos ingratos Deus puniat, subtrahendo eis suæ dulcorem gratiæ, quo destituti cuncta, quæ cæteroquin magnum cordis gaudium creare solent, fastidiunt & nauseant; non secus ac infirmus, qui eò, quòd corruptum habeat palatum, omnia, gustui aliàs suavissima, amara esse credit.

14. Ad oculum id cernere licet in Manna è cælo in deserto Israëlitis misso, de quo *Sapiens* c. 11. ait: quòd *omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem in se habebat*; & ecce nihilominus plurimi eorum, contra Dominum murmurantes, carnes desiderârunt; cupis nosse causam

causam? affert hanc D. P. *Augustinus*, dum docet, Israëlitarum cuique indiscriminatim manna non sapuisse quod gustare volebant, ut verba sacra indicant: sed hoc (ait) de bonis tantùm est intelligendum, malis verò non sapuisse quod volebant: id enim si fuisset, non petiissent alium cibum, quemadmodum petierunt, cùm dicebant: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Num. 11. Pari modo non omnes Religiosi ineffabilia illa è statu monastico enascentia spiritûs oblectamenta participant. Quare? quia non omnes pro vocationis beneficio grati sunt; nam proh dolor! quoties non sine stomacho audire cogimur à malеferiatis nonnullis cœnobitis: Quid darem, si ex ordine exire possem? insipienter certò egi, quòd professionem emiserim, & similia plura. O cæca cogitatio, & stulta locutio! Siccine est hoc debitas Divinæ Bonitati gratias agere pro tanto beneficio, quo ad statum Religiosum vocati sunt? Quid ergo mirum, quòd hi ingrati cum Israëlitis Ægyptum, id est mundum, jam dudum à se relictum, respicientes, carnes, mundanas, inquam, delicias appetant, religiosus verò status eis nauseam, fastidiumque creet? hoc enim malum gignit ingratitudo, uti fusiùs infra tractabimus. Quisquis igitur illis gaudiis, quibus religiosus status redundat, perfrui veraciter affectat, inhærere debet vestigiis bonorum religiósorum, qui Divino Largitori suo, pro vocationis gratia identidem gratias referunt, neque in gratiis agendis satiari queunt; tametsi viderent eam, ad quam vocati sunt, religionem jamjam collabi; tametsi cernerent religiosorum non paucos cancrorum instar in virtutum semita retrogradi; tametsi forsan occulto Dei judicio tales essent Præpositi, qui (ut ait *Ezechiel.* 34.) *non gregem, sed semetipsos pascunt*: vel his similes, de quibus Salvator noster apud *Matth.* 15. dicit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*; ex quorum proinde gubernatione non possunt non sequi ingentia Religioni imminentia damna. Hæc & similia bonos, & in virtutibus fundatos Religiosos non solùm non prosternunt, aut exanimant, verùm etiam in via Dei alacriùs progredi faciunt, non nescientes, cuncta ordinante sic Divinâ Providentiâ ad majus Dei bonum, totiúsque Universi pulchritudinem, & decorem evenire. Unde non minùs pro vocatione sua sese exhibent Deo gratos, quàm si vocati fuissent ad alium Ordinem, in quo omnia ad votum essent, disciplináque claustralis instar palmæ floreret: Piè enim sanctéque confidunt, ea, quæ negligentibus in ruinam animæ cedunt, bonis & morigeris in majorem spiritûs profectum esse, ordinasséque ab æterno sic Deum, hâc & non aliâ viâ ad æternam requiem sibi pergendum fore, Judiciáque divina hac in parte non scrutanda, sed piè veneranda esse. Et tales boni sunt Religiosi, proinde digni, ut omnis saporis suavitatem in cælesti Manna, Monastico, inquam, statu sentiant, quæ gratia tepidis, & divinæ ordinationi ac voluntati acquiescere nescientibus, justè denegatur.

15. Ulteriùs ad hoc nostrum propositum scitè ponderat, & declarat S. P. *Aug.* lib. 8. sup. *Gen.* illud *Geneseos* 2. *Tulit Deus hominem, & posuit in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Videamus, inquit, quid per hoc significare voluerit Spiritus Sanctus. Forsan Deus voluit, ut Adam ibidem agricolam ageret, terrámque Paradisi excoleret? veri-

verisimile non est, cum ante peccatum à Deo ad hujusmodi laborem adstrictum fuisse, & quamvis aliquod exercitium per modum recreationis statui illi innocentiæ minimè adversaretur, attamen ut Adam ad hoc usurpandum necessitaretur, & cogeretur, nec statui illi conveniebat, nec necesse erat: quia terra etiam non laborata, nec culta spontè omnigenum fructum proferebat. Vel fortassis posuit Deus hominem in Paradiso, ut eum ab inimicorum insultibus, seu à damnis, à bestiis & brutis animalibus inferendis, custodiret? neque hoc, quia ante prævaricationem Protoplasti nullum hæc homini, rebúsque hominis maleficium inferebant. Non ergo Deus hominem in Paradiso posuit, ut corporaliter eum custodiret, foderet, & excoleret. Quid ergo vult illud: *Posuit Deus hominem in Paradiso, ut operaretur, & custodiret illum?* ut operaretur (inquit S. Pater) præcepta & mandata, quæ ei hîc Deus injunxerat, eáque operando, sibi paradisum custodiret, ne scilicet eum amitteret, uti posteà, quia illa operatus non est, amisit. Hoc jam proposito nostro accommodemus: Ad quid nos Deus in hoc religionis Paradiso (ita enim eam SS. *Patres* non sine ratione nominant) constituit? ut operemur illum, Deíque mandata, nec non Evangelica consilia custodiamus, & ut hæc operando Paradisum hunc nobis servemus; id est, ut spiritualibus gaudiis, quibus Religio abundat, feliciter perfruamur, nec ea perdamus, quemadmodum alii, quia Divina mandata operari contempserunt, amittebant, ac etiamnum amittunt.

16. *Cæsarius* in quodam sui Ordinis Cistercienfis cœnobio Laicum fratrem fuisse refert, *Rudolphum* nomine, insignem Dei famulum. Hic cùm nocte quadam persolutis jam matutinis precibus in templo maneret, orationem protracturus, vidit Christum in Cruce pendentem, & cum eo quindecim alios Ordinis sui religiosos crucifixos, quos omnes facilè noscebat, quorum quinque erant Laici, reliqui decem Sacerdotes. Qui cùm ad insolitum hoc spectaculum percelleretur, Christus Dominus è Cruce eum compellans petiit; Nostine Rudolphe, quinam isti sint, quos circa me hîc crucifixos conspicis? Respondit Rudolphus, utique Domine, qui sint, probè novi, sed quid sibi visum hoc velit, non intelligo. Subjungit Christus: Hi soli ex universo hoc Ordine verè sunt religiosi, mihíque confixi, & passioni meæ se conformantes. Verissimum igitur est *Thomæ Kemp.* effatum: *Habitus* (inquit lib. 1. cap. 17.) *& tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum verum faciunt religiosum.* Quocirca quisquis verus esse discupit religiosus, & Christo Crucifixo conformis, tria S. S. S. servet, oportet, videlicet: *Spernere mundum, Spernere neminem, Spernere sperni.* Item habere debet dorsum asininum, ut omnia portet. Os porcinum, ut omnia, quæ apponuntur, comedat. Cor columbinum, quod nullam amaritudinem habeat.

17. Ut verò hoc faciliùs quis majoríque cum promptitudine præstare valeat, ita se gerat, necesse est, quasi eo die ad Religionem venisset: Sic enim jam olim Abbas *Agathon* suadet (teste *Rodriq.* p. 1. tr. 1. c. 14.) dum veteri cuidam Monacho roganti, quomodo se in Religione gerere deberet? respondit: *Vide, qualis fueris primo die, quando exiisti de sæculo, & receptus fuisti in claustro, & talis permane semper.* Si itáque scire velis, quomodo bonus futurus sis religiosus,

ſus, ecce tibi optimum ad hoc medium: vide nempe, & conſidera, quo fervore mundum, & quicquid in eo poſſidebas, reliqueris, nimirum parentes, amicos, notos, opes, delicias, voluptates, recreationes, &c. & in hoc mundi contemptu, in hac conſanguineorum oblivione, in hac voluptatum & commodorum propriorum abdicatione perſevera, atque ita bonus eris Religioſus. Quod ipſum etiam S. *Antonius* Abbas, morti proximus, ſuaſit dicens: Ego quidem, Filioli, ſecundùm eloquia Scripturarum, Patrum gradior viam; jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cæleſtia: Sed vos, ô viſcera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis: hodie vos religioſum ſtudium arripuiſſe arbitremini, & cœptæ voluntatis fortitudo ſuccreſcat: Id eſt; ſi in virtute progredi vultis, cogitate quotidie vos tum primùm religioſum inſtitutum profiteri incipere, & ita vos ſemper gerite, uti illo die, quo primùm ſanctum habitum aſſumpſiſtis; ita fiet, ut boni ſitis Religioſi futuri. Hoc quoque medium paucioribus verbis ſuggerit S. P. *Auguſtinus* epiſt. 143. ad Demetr. Virginem. *Obliviſcere*, inquit, *omne prætevitum, & quotidie inchoare te puta.* Ita S. *Bernardum* feciſſe teſtatur *Surius*, ſemper enim ſe velut novitium unius diei tractabat; imò omnium Sanctorum proprium eſt, teſte *Siracide*, ut, *cùm conſummaverint, tunc incipiant. Eccleſ.* 18. verſ. 6.

18. Plurimùm etiam ad hunc finem aſſequendum juverit, ſæpe à ſe rationem de ingreſſu Religionis exigere, exemplo S. *Bernardi*, qui ſeipſum affari ſolebat: *Bernarde, Bernarde, ad quid veniſti?* Quo medio etiam uſus erat *Sanctus Arſenius*, qui identidem his vocibus ſemetipſum compellabat: *Arſeni, cur religioſum habitum induiſti? quare mundum deſeruiſti? quis finis & ſcopus fuit, dum eo deſerto ad Religionem convolâſti? an non, ut in hac Deo tuo ſincerè & in omnibus placere ſtuderes? hominibus verò placere & gratificari non curares? hoc igitur age, cujus causâ veniſti*; Deo videlicet ſedulò obſequium præſta, & ad mundum, quem ſprevíſti, cave, corde & animi affectu redeas: parùm namque tibi profuerit corpore hîc in cœnobio agere, ſi corde & animo in mundo habites. Hoc ſcilicet calcari ſe Sancti ipſi excitabant, & animabant; Sic & nos agamus, eóſque imitemur, oportet. Parùm enim nobis proderit, mundum deſeruiſſe, & ad tutum religioſæ vitæ portum confugiſſe, niſi etiam exactè faciamus id, propter quod venimus: neque enim locus ſanctum aliquem facit, ſed vita ſancta, religioſa, & perfecta. Egregiè hoc argumentum pertractat S. P. *Auguſtinus* Serm. 17. ad Frat. in eremo. *Ecce*, inquit, *in ſolitudine ſumus, in eremo ſumus, locus tamen non facit Sanctos, ſed operatio bona locum ſanctificabit & nos. Peccavit enim Angelus in cælo, peccavit Adam in Paradiſo: & tamen nullus locus ſanctior erat illis. Quia locus habitantem non ſanctificat; ſi enim loca habitatorem beare poſſent, nec homo, nec Angelus à dignitate corruiſſent.* Hactenus S. *Pater*, ſeu alius Author *Anonymus* apud *Auguſtinum* tom. 10.

19. Quapropter eſto locus ſit ſanctiſſimus, eſto ſis in Religione recluſiſſimus, tamen & ibi peccare poteris, etiam ibi damnationem tuam operari, uti, proh dolor! Religioſorum non pauci, quemadmodum ex plurimis liquet exemplis, id jam experti ſunt. Quare Religioſus audire, interque Fratres Augusti-

gustinianos Discalceatos vivere non sufficit, nisi feceris id, cujus causâ in Religione te Deo devovisti. Hinc ut finem vocationis tuæ attingas, sæpè cum *Bernardo*, *Arsenio*, & aliis teipsum compella: Frater N. N. ad quid venisti? &c. Hoc medio ipse Christus usus est erga Judam proditorem, dum dixit: *Amice ad quid venisti?* *Matth.* 26. quasi dicere voluerit: Considera, ô Juda, quantum à me beneficium per vocationem ad Apostolatum acceperis, & mox à proposito facinore desistens, Magistro tuo adhærebis potiùs, quàm prodes. Non immeritò proinde *Pius Asceta* lib. 1. cap. 25. quemlibet nostrûm admonet, dicens: *Esto vigilans & diligens in Dei servitio, & cogita frequenter, ad quid venisti? & cur sæculum reliquisti? nonne ut Deo servires, & spiritualis homo fieres? igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies.*

20. Hoc ipsum medium etiam nobis suggerit S. *Gregorius* Nazian. Epist. 201. in hæc verba: *In ingressu, & Professione vitæ religiosæ cogita, quid tibi proposueris: Ditescere? læto animo esse? in hac vita florere, ac quiete frui? Aut ex adverso, adversitatibus premi? affligi? vexari? omnibus contentum esse? sufferre spe futurorum cuncta? Hæc, non illa expectamus, non ignoro. Non ergo solvamus pactum.* *Sanctus Basilius* quoque vult, ut semper essemus memores Professionis nostræ, quam coram Deo, Angelis, & hominibus emisimus. Et meritò, quia teste S. *Ephremo*, Angeli in hoc momento voces nostras, & pacta, abrenuntiationémque nostram describent, & in cælis usque ad horribilem illum Judicii diem conservabunt. Non ergo pertimescimus? non exhorrescimus? In die Judicii proferent Angeli nostrum chirographum, & verba oris nostri coram formidabili tribunali; Tunc audituri sumus: *Ex ore vestro vos judico.* Cùm enim religiosus per solennia vota se totum, suámque voluntatem DEO in holocaustum victimarit; ideo summam Deo irrogat injuriam, imò furtum sacrilegum (ùt *Rodriquez* part. 3. tract. 2. cap. 9. docet) committit, qui suam, non Superioris, suarúmque Regularum, voluntatem facit, quia aufert rem Deo dicatam & oblatam. Quàm detestabile autem hoc sit in oculis DEI, declarat *Sanctus Bernardus* epistola 353. his verbis: *Nullum Sacrilegii crimen reperitur deterius, quàm in voluntate semel oblata Deo, reaccipere potestatem.* Quocirco Apostolus monet, *Ephes.* 4. 1. *Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate.* Et *Siracides* cap. 5. ait: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* Idipsum etiam innuit Psalmographus *Psalmo* 49. *Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua.*

21. Hæc si nobis sedulò ante mentis oculos obversabuntur, attentóque rimabimur animo, fieri nequit, quin boni futuri simus Religiosi, faciléque experiemur Religionis jugum non durum & intolerabile, uti nonnullis maleferiatis Cœnobitis videtur, sed suave omnino esse, onúsque ejus leve. Etsi enim vestitus abjectior, lectus durior, somnus brevior, habitatio angustior, victus vilior, mortificatio frequentior religiosis sit; plus tamen in his afflictionum generibus voluptatis & gaudii hauriunt, quàm mun-

mundani homines in mediis etiam deliciarum affluentiis constituti. Hinc *Sanctus Bernardus* Serm. 1. de dedicat. templi ait: *Vident sæculares cruces nostras, sed non unctionem. Aspiciunt, inquam, externi habitûs rigorem, nudos pedes, pallidos vultus; sed non vident internam unctionem. Cùm è contra in illis videre sit unctionem, externas delicias, delicatos cibos, mollem lectum, pretiosa vestimenta; sed non vident punctionem, curas, solicitudines, anxietates animi, horrorem mortis; & alia.* Unde idem *Mellifluus Abbas* Religiosos suos alloquens ait: *Vos qui experti estis, & scitis, quia verè crux nostra inuncta est, & per gratiam Spiritûs adjuvantis suavis & delectabilis est pœnitentia nostra, &, ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima.* Quod enim mundanis amarum apparet & insipidum, id bonis Religiosis per DEI gratiam comprimìs dulce & sapidum videtur.

22. Peraptè huc quadrat historia, quam *Hieronymus Platus* de Statu Relig. lib. 3. cap. 16. recenset: *Rabaudus* Vir Princeps in Gallia, illustri miraculo ad Sacram Cisterciensis Ordinis Familiam vocatus, cùm religiosæ vitæ asperitatem graviter ferre cœpisset, utpotè in sæculo deliciis assuetus, Abbas, qui tunc erat, ei separatos cibos paulò meliores præberi jussit. Itaque accidit, ut quodam die, dum Fratres reliqui in mensa arido scilicet pane, & fabis vescerentur, videre sibi visus sit duos Senes, alterum calvum, cui binæ claves in collo pendebant: Alterum habitu Monachum, qui crystallinam pixidem in manu gestabat. Hi duo in toto cœnaculo circumeuntes unicuique Monacho, nescio quid edulii ex vase illo impertiebant, *Rabaudum* solùm ita prætereuntes, ut etiam severo iratóque vultu eum intuerentur. Porrò *Rabaudus* ex ejus, qui proximè assidebat, portiuncula aliquid accepit, simul id gustavit, visa est illi ejus suavitas omnium ciborum suavitatem, quos unquam comedisset, longè antecellere. Quæ species cùm tertiò ei objecta esset, Abbatem accessit, eíque totius visionis seriem explicuit, à quo ille intellexit, alterum horum Senum esse S. *Petrum Apostolum*, in cujus tutela erat Monasterium: alterum verò *Honoratum* Cœnobii Fundatorem. Hinc etiam Abbas subjunxit causam, cur illi communis illa esca negaretur, eam esse, quòd communem aliorum severitatem non sequeretur. Quo audito *Rabaudus* animum confirmavit ad omnem ejus vitæ disciplinam perferendam, multóque eam faciliorem & suaviorem reperit, quàm anteà putasset, ac paulò pòst eosdem Sanctos vidit, qui sibi quoque sicut & aliis de illo tam suavi cibo tribuerent, quo incredibiliter ad omnem laborem roboratus, & animatus est. Ne ergo & tu, mi optime Frater, in tua vocatione deficias, sed indies magis magisque ad Dominicam Crucem, cum interno animi gaudio bajulandam animeris, & conforteris, quæ hucusque diximus, pro viribus observes oportet. Ne autem aliquando pœnitudo de emissa Professione te transversum agat, téque ad monasticos labores ferendos segnem ac impatientem reddat, quæ sequuntur, sæpiùs animo revolvere ne negligas vel contemnas.



M 2 PARS

# PARS TERTIA.

23. EXperientia docet quotidiana, multos quidem ad religiosæ vitæ statum, suæ ut consulerent animæ saluti, confluere, sed post elapsa aliquot annorum spatia deficere, Christi & Sanctorum vestigia deserere, séque in vitiorum voraginem præcipites dare, non obstante, quòd tot quotidie audiant pias & sanctas exhortationes, & spirituales lectiones, frequentent sæpissimè pœnitentiæ, & Sacræ Communionis Sacramenta, quæ omnia non ad defectionem, sed ad sanctificationem Religiosis hominibus serviunt, vel servire deberent. Itaque quòd Religiosorum multi ita miserè deficiant, & ex saluberrimis SS. Sacramentorum medicinis venenum sugant, causas in præsenti examinabimus, ut his cognitis, in tempore opportuno quilibet sibi invigilet, ne sensim sine sensu à salutis semita deflectens, ac vitiorum devium sequens, orco & diabolo in prædam cedat. Prima est, quòd non pauci suam vocationem minimi æstiment, neque eam à Deo, sed à diabolo suggestam esse credant. Horum autem error ex eo facilè refellitur, quòd, si non omnes, plerique saltem ac ferme omnes, ex bono & sancto fine permoti, Religionem intrarint, v. g. ut fugiant peccata, ac salutis pericula, quæ in sæculari statu majora & periculosiora sunt: aut ut satisfaciant pro peccatis suis in sæculo commissis; aut ut Christum perfectiùs imitentur: Quia enim hujusmodi fines & intentiones sunt supernaturales, à dæmone oriri non possunt. Nec dici potest, quòd vocatio multorum non sit à Deo, cùm frequenter per exitum Religionis dissolvatur, sive quòd in ea multi perversè vivant. Dicit enim *Sanctus Thomas* 2. 2. quæst. 18. articulo 10. ad 1. *Non omne quod à Deo est, incorruptibile est. Alioquin creaturæ corruptibiles non essent ex Deo, ut Manichæi dicunt. Neque etiam aliqui, qui habent à Deo gratiam, possent illam amittere: quod etiam est hæreticum.*

Nam multis à Deo datur gratia vocationis, quibus tamen in ea perseverandi, vel sanctè vivendi donum non datur. Hoc exemplis dilucidat idem *Doctor Angelicus*, Opusculo 17. cap. 10. inquiens: *Si diabolus peccavit, opus DEI non fuit? Si Judas à Choro Apostolorum decidit, ejus electio à DEO non fuit? Si Simon Magus post Baptismum in hæresim decidit, à DEO non fuit quòd eum Philippus baptizavit? Quamvis ergo aliqui, à Religione apostatantes, deteriores fiant, per hoc non rectè infertur, eorum vocationem à DEO non duxisse originem.* Rectè proinde ac lepidè quidam auriga lepidus Candidatam quampiam Monialium ad Monasterium deducens, rogavit, ne unquam sui oblivisceretur nominis, Joannem se nominari dictitans, non diabolum; innuere volens, ne unquam diceret, neque cogitaret, quòd à diabolo ad Cœnobium fuerit ducta. Porrò hujusmodi error provenit ab

ab ingratitudine multorum Religiosorum, prout supra numero 13. diximus. Vis ergo, mi Frater, in religione tua non deficere, sed potiùs proficere? Pro vocatione tua ad Statum Religiosum grates identidem Deo referre studeas oportet.

24. Altera ratio, quòd multi in Monasteriis deficiunt, est pravum aliquorum exemplum, quo multi scandalum sumunt, dolentes, se hanc aut illam Religionem, hoc sive illud Monasterium intrasse; unde quandoque dicere solent: Tantam concepi opinionem de statu religioso, de hac Religione, de isto Cœnobio &c. Sed deceptus sum, omnia alia experior: Putabam, fore in Religione, quam intravi, meros terrestres Angelos, sed video homines mundanis & sæcularibus multò deteriores; satius mihi fuisset, privatum vivere in sæculo, quàm inter tot discolos in Cœnobio. In medio indisciplinatorum habito, quibus, si perfectiùs vivere voluero, risui sum & opprobrio, sin me illis accommodare & cum lupis ululare, damnatio mihi imminet sempiterna. Et quod deteriùs est, ipsimet Superiores, qui eos increpare, corrigere & castigare deberent ex officio, eorum fovent & tuentur partes; ego verò quid faciam, plane ignoro. Hoc modo qui secum ratiocinantur, suam Religionem æstimare, & in spiritu proficere non possunt, quia in omnibus grande tædium ad spiritualia exercitia persentiunt, animique mœrore confecti deficiunt. Ad hanc igitur mentis caliginem ab animo dispellendam remedia adhibere oportet, cujusmodi sunt, quæ diximus serm. 28. numero 17. Item ibidem numero 53. Item serm. 12. numero 15. Quæ si bene considerentur, animi robur & solamen afferent Religioso dolenti, quòd in tali loco religiosam vestem assumpserit, ubi plures scandalosi quàm bene morati reperiuntur.

25. Ad hæc perpende, mi Religiose lector, nihil esse novi, malos & perversos degere in Religiosorum Claustris, id enim omnes pii ac perfecti Religiosi in sæculis præteritis viderunt, & experti sunt. In Revelationibus *Sanctæ Birgittæ* libro septimo capite vigesimo legimus testimonium Christi Domini, quòd nimirum plures reperiantur in Ordine Seraphici Patris, Sancti Francisci Regulæ prævaricatores, quàm ejusdem observatores. Similiter de Religiosis præstantissimi Ordinis Sancti Dominici testatur Beata Virgo MARIA (quemadmodum videre est in citatis *Sanctæ Birgittæ* Revelationibus Libro tertio, capite decimo septimo & decimo octavo) quòd plures sequantur diabolum, mundi voluptates offerentem, quàm Sanctum Dominicum, vitam æternam suis promittentem. Omitto *Sanctum Benedictum*, *Sanctum Guilelmum*, *Sanctum Romualdum*, *Beatum Joannem à Cruce*, aliosque plurimos Viros Sanctissimos, qui gravissimas injurias & persecutiones à suis Religiosis verè irreligiosis sunt passi, uti eorum vitas lectitanti patebit. Id similiter expertus est Sanctissimus & gravissimus Ecclesiæ Doctor, *Divus Pater Augustinus*, aliàs non scriberet quæ in Psalmum nonagesimum nonum scripsit, dicens: *Scitote, omnem pro-*

*fessionem habere fictos*, *non dixi*, *omnem hominem esse fictum*, *sed omnem ordinem & professionem habere fictas personas. Tam sunt enim Monachi falsi*, *quàm & Clerici falsi*, *& fideles falsi &c.* Et Epistolâ centesimâ trigesimâ septimâ ad Popul. Hippon. ait: *Simpliciter fateor coram Domino DEO nostro*, *qui testis est super animam meam*, *ex quo DEO servire cœpi*, *quomodò difficilè sum expertus meliores*, *quàm qui in Monasteriis profecerunt*; *ita non sum expertus pejores*, *quàm qui in Monasteriis ceciderunt*; *ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum*: *Justus justior fiat*, *& sordidus sordescat adhuc.*

26. Denique, quòd diximus de viris Religiosis, similiter intelligendum est de Sacris Monialibus, inter quas multæ pariter sunt vitiosæ; liquet id ex Revelatione *Beato Henrico Susoni* factâ, prout habetur in libello de novem rupibus capite undecimo, ubi inter alia Christus huic Viro Sancto ait: *Crede mihi*, *paucæ sunt in Virginum Claustris*, *quæ* (*si modò attendere vellent*) *non facilè reperirent*, *se constrictas esse pluribus vitiis & excessibus*, *quibus DEUM graviter offendunt*, *ac exinde in magna proruere solent peccata*, *ut in salutis periculo versentur misellæ.* Idipsum probè etiam experta est Seraphica Mater *Sancta Theresia*, quæ capite septimo vitæ suæ scribit, quòd in nonnullis Monasteriis tam Monialium, quàm virorum, duæ sint viæ, una virtutis & Religionis, altera irreligiositatis. Testatur verò, quòd via vitiorum magis teratur, & insistatur, quia magis ad hominem est, hinc etiam præ alia placet, & chara est. At verò religiositatis via tam parum frequentatur, ut Monachus vel Monialis vocationem suam sincerè veréque sequi incipere volentes, magis confratres, & consorores suas, quàm omnes spiritus infernales, timere debeant. Hæc & alia plura loco citato *Sancta Theresia.* Ex quibus apertè colligitur, nullam esse tam sanctam Congregationem, quæ non suos habet scelerosos, scandalosos, omníque impietate coopertos, cùm & ipsum Collegium Apostolicum, à Christo erectum & fundatum perfidum & furem Judam habuerit. Unde si ideo contristari te oporteret, quòd inter malos degas, nullus sanè inter Claustrales in spirituali lætitia vivere potuisset, vel modò posset, quod apertè falsum, & quotidianæ experientiæ contrarium: Multi enim, non obstante vitâ malorum, vixerunt, & etiamnum vivunt in quodam interno spiritûs gaudio, DEO identidem gratias agentes pro sua ad Religiosum Statum vocatione; hos ergo & tu æmulari stude, & crux tua allevia-bitur, & dabitur tibi à DEO *oleum gaudii pro luctu*, *& pallium laudis pro spiritu mœroris. Isaiæ* 61. 3. Cantabisque cum *Regio Psalmographo*: *Ecce*, *quàm bonum*, *& quàm jucundum*, *habitare fratres in unum.* Vis nosse, quid rei sit, *habitare fratres in unum?* Dicam: nimirum, ut fratres boni, justi, & perfecti non solùm patienter sufferant fratres dyscolos, irreligiosos, scandalosos, iniquos ac impios; sed & ut pro eorum salute ardentes ad DEUM preces effundant, & veluti membra

sana pro infirmis solicitentur, ne pereant, sed sanentur, & salutem consequantur. Hoc ergo est vivere fratres in unum; nimirum, ut unus alterius sublevet infirmitatem, & lapsum erigere conetur, denique omnes sua invicem sufferant onera cum patientia, mansuetudine, & charitate, secundùm illud *Apostoli* Galat. 6. *Alter alterius onera portate*, rationémque addit dicens: *Et sic adimplebitis Legem Christi*, id est charitatem. Veruntamen, dic sodes, quomodò possent perfecti Religiosi aliorum portare onera, & sic portando charitatis legem implere, si non forent aliqui fratres inter eos scandalosi & onerosi? Ex quo facilè apparet ratio, cur DEUS impios inter justos, malos inter bonos morari sinat, videlicet, ut ad religiosæ perfectionis culmen promoveri possint, eorúmque virtus illustrior & eminentior appareat, illúdque *Cantic.* 2. illis attribui queat: *Sicut Lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sicut enim Lilii candor inter spinarum horrores gratior apparet, & efflorescit: Sic Viri Religiosi inter iniquos consodales suos in virtutibus plus proficiunt, magísque resplendent, & efflorescunt gratiâ & gloriâ.

17. Enim verò, quò omnes vocationis tuæ expleas partes, ab invidia etiam tibi magnoperè cavendum incumbit; ne videlicet aliis ordinibus invideas, quos majori in pretio haberi, magísque efflorescere cernis. Nam non omnes una incedere via possumus, non omnes possumus esse in uno ac eodem Ordine, sed (ut ait *Magnus Augustinus*) *Unus sic, alter sic ibat*: Unus per hanc, alius per aliam vocationem ad DEUM tendit; multis namque ac variis viis ad cælestem Patriam pervenitur. Nullus proinde, in quocunque Monasterio, vel Religione à DEO vocatus, degit, vocationem suam parvi pendat, sed semper tanquam magnum beneficium, paucis concessum, æstimet, illud *Divi Pauli* (1. *Corinth.* 1. 9.) præ oculis habens: *Fidelis DEUS, per quem vocati estis in Societatem Filii ejus JESU CHRISTI.* Ubi advertendum, licèt omnes fideles Christiani sint de Societate Christi; tamen alii aliis magis sunt de hac societate; scilicet, quia magis Christi vitam & gratiam participant: ut qui non tantùm præcepta, sed & consilia Christi sequuntur, quales sunt maximè homines Religiosi. Et his præcipuè *Paulus* attestatur, DEUM esse fidelem, qui eos vocavit de sæculo ad Societatem Filii ejus JESU, id est, ad Statum Claustralem. Et notandum, DEUM fidelem esse non solùm illis, quos vocavit ad religiones illas, quæ instar Palmæ florescunt, & virent, sed etiam fidelis est illis, quos vocavit ad religiones, quæ deflorescere videntur sicut virgultum. Et hoc idem Tarsensis Præco 1. *Thessal.* 5. 24. confirmat dicens: *Fidelis est, qui vocavit vos.* Quasi dicat: Cùm DEUS vocaverit vos ad certum quendam statum, scitote eum esse fidelem, nec vos decipere, nec errare posse. Nam, ut ait *Evangelista Joannes* capite secundo versu vigesimo secundo: *Ipse sciebat, quid esset in homine*: Multò

tò meliùs novit, quæ vocatio, qui ſtatus ſeu Religio ſaluti noſtræ expediat, quàm nos. Proinde ad id unicum connitendum; ut perpetim in agendis DEO gratiis pro vocatione ſua Religioſus quilibet maneat, & perſiſtat.

28. Verùm enim verò, quò magis ac magis Religioſorum quilibet ſuam vocationem ſuſpiciat, eámque ut eximium DEI favorem & beneficium, recognoſcat & diligat, ſcire debet, quod Religionum & Ordinum varietas ad majorem Eccleſiæ tum decorem, tum fortitudinem, tum unionem inducta ſit: Sicut enim caſtra, in ſuas Legiones diſtributa ſunt magis decora, fortia, & unita: Si enim hac diſtributione carerent, magna in eis eſſet confuſio. Sic Religioſi variorum Ordinum uniti ſunt, non tantùm ſub uno Capite, Summo Pontifice in una Eccleſia, ſed etiam in eo, quòd non in ſtatu Laico, vel Eccleſiaſtico; ſed in Religione omnes ſimul verſantur. Religiones enim in Eccleſia unam quaſi Legionem, eámque fortiſſimam conſtituunt. Sicut ergo unius corporis membra inter ſe unita ſunt, & ſicut unius Legionis milites magis inter ſe, quàm cum alia uniti ſunt: ita prorſus Religioſi, qui ad apicem perfectionis contendunt, & arctiori nexu Religionis & voti DEO devincti ſunt, arctiùs quoque ſibi invicem adſtringuntur.

29. Si quis ergo eſt inter eos, qui alteri Ordini detrahit, invidet, impedit, hujus vana eſt religio; hic non Religioſus, imò non Chriſtianus, ſed profanus eſt, nec Spiritu Dei, ſed dæmonis agitur. Lubet percipere, quod *Antonius Senenſis* in Chronico Prædicatorum publicis monumentis teſtatum reliquit. Anno Domini 1265. electus fuit ſummus Pontifex Clemens IV. qui, cum à quodam viro inſigni rogaretur, ut per litteras vellet ſignificare, quem potiùs Ordinem ingrederetur, an Fratrum Prædicatorum, aut Minorum, quia mundum relinquere decreverat, & ad aliquem horum tranſire. Cui inter alia reſpondit Pontifex: Sive hunc, ſive illum elegeris, arctam viam ingrediêris, & per portam intrabis anguſtam, ad terram mellifluam & præ cæteris ſpecioſam; Unde apud te pondera, quis magis animo placeat, & quem ſperes meliùs portaturum, & ſic uni converſationi adhæreas, ut amore ab altero non diſcedas: Frater enim Prædicator eſt reprobus, qui Minores non diligit: execrabilis eſt Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum Ordinem, vel contemnit.

30. Verus itáque Religioſus cum S. *Bernardo* dicet: *Unum Ordinem opere teneo, cæteros charitate.* Auguſtinianus ſum Ordine, ſed charitate Franciſcanus, Dominicanus, Benedictinus &c. Itáque omnium Ordinum & ReligioſorumReligioſus ſum, unius opere, reliquorum charitate, quare omnium Ordinum bonis lætor, omnium proſpero ſucceſſu gaudeo; nulli invideo: omnes enim mei ſunt, & ego omnium. *Nunquid diviſus eſt Chriſtus* in diverſis Religioſorum Ordinibus? abſit. Idem enim Chriſtus omnium Religionum eſt Inſtitutor, Auctor, & Rector, ídque ad majorem inter ſe unionem. Quod ergo cauſa eſſe debet majoris unionis, non ſit cauſa turpiſſimæ, Deóque exoſæ diviſionis, ne audiamus illud: 1. Cor. 3. *Cùm ſit inter vos Zelus*

*zelus & contentio, nonne carnales estis?* & illud: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Si Deo placuit Ordines alios aliis addere, novos veteribus in subsidium mittere, novam eis gratiam & Spiritum dare, quis Deum carpat? quis novis invideat? quis Ecclesiam talibus operariis defraudet? Esto palmam ferant, gaudebo, Deum per eos honorari, animásque plures salvari; non enim meam, sed Dei gloriam quæro. Hoc modo, si cujuscunque demum Religiosi comparata mens fuerit, invidiámque omnem animo excluserit, hic profectò omnium bonorum operum, quæ ab aliis in aliis Religionibus fiunt, particeps erit, secundùm illud Psalmistæ: *Psal.* 118. *Particeps sum ego omnium timentium te.* Opportunè Doctorum Phœbus *Augustinus* tract. in *Joan.* breviter quidem, sed admodum nervosè scribit: *Tolle invidiam, & tuum est quod habeo: tollam invidiam, & meum est quod habes.* Sic agens Religiosus, nedum pro genuino à sancto suo Legislatore reputabitur filio, sed & alii Ordinum Fundatores eundem velut dilectum suum agnoscent filium. Si quis hac de re dubitaverit, inspiciat vitam Venerabilis *Joannæ Mariæ Bonhomin*, magnæ Dei Servæ ex Ordine S. *Benedicti*, & ibi reperiet, quòd, postquam hæc devotissima Virgo magnâ fereretur devotione erga *S. Cajetanum*, ejusdémque Ordinem, precésque ad Deum pro illius incremento effunderet, *S. Cajetanus* eidem apparuerit, & inter alia dixerit: *Perquam acceptum est mihi, quòd oratione tuâ, pro religione mea sis solicita; proinde volo, ut tu & illius membrum, & filia mea sis, pro quali te recipio, semperque tibi opitulabor tanquam fidelissimus tuus Pater & Advocatus.* Ecce, mi frater, quid prosit, habere & fovere charitatem ad alias etiam Religiones. Fac ergo tu similiter, & experieris, quàm suave sit jugum religionis tuæ, quod plures ex tuis confratribus (qui hanc agendi rationem nesciunt, aut contemnunt) intolerabile reputant. Hæc de Statu Religiosorum tractâsse sufficiat. Modò, quid ulteriùs Religiosis hominibus sit agendum, videamus. Sit ergo

# SERMO XLII.
## DE MUNDI CONTEMPTU.

*Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt.* 1. Joan, 2. 15.

## PARS PRIMA.

1. PErtextâ de Statu Religioso dissertatione, perspectísque generaliter, ac summatim iis, quæ Religiosus efficere debet; ulteriùs ut ad particularia propiùs accedamus, indagare oportet, quodnam potissimum sit munus, cui Religiosus apprimè incumbere obligatur, & continuò obviabit nobis mundi contemptus. Loquimur autem hìc non de externo mundi contemptu

temptu (cùm taliter per religionis ingressum jam eum contempserimus, & reliquerimus) sed de interno, qui contemptus divinior est, consistitque in perfecta & omnimoda abdicatione facultatum temporalium quoad affectum. Sicut enim nihil impedit sæcularis habitus, quo minus sub eo animus religiosus tegi possit, ita parùm confert ad perfectionem habitus religiosus. Quamobrem Religioso sufficere nequaquam debet, deseruisse mundi amictum, & induisse monasticam togam: sed non segni contentione eum quoque allaborare necessum est, ut cum vestitu sæculari deserat etiam omnem affectionem, cupiditatémque rerum fluxarum, quibus sese oblectare amat mundus, sequatúrque nudum JESUM, qui inter alias etiam hanc ob causam nudus in Crucem agi voluit, quò scilicet nos suo exemplo ad mundi contemptum inflammaret, & provocaret. Audiamus S. *Bernardum* ser. ad past. in Synodo: *Nonne Dei filius*, inquit, *de cælo descendit ad terras, ut prædicatione & conversatione suâ persuaderet hominibus contemptum mundi?* S. P. *Augustinus à Carthusiano* citatus, pariter ita scribit: *Bona terrena contempsit Christus, ut contemnenda omnia terrena monstraret.* Apud *Dion. Carthus.* in Specul. amat. Mundi.

2. Quemadmodum verò amatores mundi ad tria potissimùm affectanda anhelant: nam teste S. Joanne, 1. *Joan.* 2. 16. *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*: Per concupiscentiam carnis, intelliguntur carnales voluptates & delitiæ; per concupiscentiam oculorum, opes & divitiæ; & per superbiam vitæ, honores & dignitates; sic qui inter Christi discipulos & sequaces adnumerari discupit, ab his tribus, velut insatiabilibus belluis, quæ totum devastant & depopulantur mundum, longè profugiat, oportet. Efficacissimum verò ad mundi despectum, contemptúmque, motivum nobis subministrat *S. Jacobus* Apostolus, qui cùm ipsemet à primis unguiculis implacabilem cum mundo inimicitiam gessisset, nos quoque, ut sanctis hujusmodi vestigiis insistamus, invitat, dum ait: *Jac.* 4. 4. *Nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicunque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Cui salutari & Apostolico monito quàm promptas aures præbere teneamur, nos docet *Dionysius Carthusianus* de arct. via salut. art. 8. dum hanc illimitatam pronuntiat sententiam: *Si omnis, qui diligit mundum, Dei inimicus efficitur, videtur, quod mundi contemptus sit de necessitate salutis.* Cui facilè nemo non subscripserit documento, si in animum suum induxerit, qualiter inimicus infernalis nullam potentiorem habeat machinam, quâ nos atterat, inque æternæ perditionis barathrum præcipitet, quàm si corda, animásque nostras bonorum terrenorum affectu & adhæsione coinquinare valeat.

3. Quamobrem ut præmaturè saluti nostræ prospiciamus, motiva, quæ ad mundum contemnendum nos excitare valent, benè consideremus, necessum est. Horum primum est, quod nobis occinit Sapiens, *Eccle.* 1. dicens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Seriam hæc Ecclesiastis protestatio meretur considerationem; siquidem is Rex *Salomon* fuit, cui mundus adeò fuit prosper & propitius, ut nullus in omnibus retrò sæculis pari cum illo felicitate, bonorúmque abundantiâ fuerit perfruitus, qui

qui proinde de semetipso testatur inquiens : *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* De hoc felicissimo Rege doctissimus *Salmeron* ita discurrit ; Si hæc verba essent ab aliquo paupere & egente profecta, & qui non habuisset divitias, negligi poterant; at verò dixit ditissimus Rex Israël, cujus tempore præ copia auri non erat in prætio argentum. Si rursus dicta fuissent ab aliquo idiota & rerum ignaro, contemni potuissent; dictá sunt à sapientissimo Salomone, qui sapientiâ omnes ante se Reges & posteriores superavit. Ad hæc si aliquis delitiarum carnis expers illa protulisset, cogitari posset, illum insipienter locutum fuisse, sed dixit *Salomon*, qui septingentas Reginas habuit, & trecentas concubinas. Si denique aliquis de media plebe depromptus & privatus dixisset, possent meritò haberi suspecta. Dixit hæc Salomon Rex potentissimus, gloriâ insignis, & per universum orbem celebris, ad quem omnes sui sæculi Principes & Reges munera mittebant, nuntios destinabant, & ænigmata solvenda ob ejus insignem sapientiam proponebant. Ad quem Regina Saba à finibus terræ spectandum & audiendum profecta est cum magno comitatu, & camelis portantibus aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas. Construxit templum amplissimum toto orbe celebratum, ædificavit domos, hortos, pomaria, & omnium delitiarum paradisos. Hic tamen talis ac tantus, ac tantâ sapientiâ præditus, qui mundi medullam degustârat, ausus est cum tanta asseveratione pronuntiare : *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ita *Salmeron* tom. 8. tract. 33.

4. Ex quibus præmissis indubitata deduci potest hæc consequentia; quod scilicet *Salomon* perfectissimè sciverit esse verissima, quæ de mundo dixerat. scilicet, quòd omnia, quæ in eo sunt, sint *vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & nihil permanere sub sole.* Huic veritati concinit veridicus dilecti Christi discipuli calamus : 1. *Joan.* 2. *Transit*, exclamat, *mundus & concupiscentia ejus.* Et S. Paulus 2. *Corinth.* 7. idipsum suo confirmans calculo, dicit: *Præterit figura hujus mundi.* Ac si apertè diceret (ùt *S. Anselmus* interpretatur) Nolite constanter mundum diligere, quando ipse non potest, quem diligitis, stare. *Dionysius Carthusian.* de via salut. art. 23. hanc quoque bonorum temporalium velocem voluptatem considerans, ait : *In hoc innotescit vanitas mundi, quod prosperitas & lætitia ejus cum ingenti aviditate expectatur, & cum venerit, teneri non potest, sed transeunt omnia, & evolant.* Quàm porrò velociter mundus transeat, explicat id Psalmista *Psal.* 36. dicens: *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat:* id est (ùt *Bellarminus* notat) Transiens vidi hominem illum elevatum, & radicatum ut cedros Libani, & vix illum transivi, & ecce respicio post me, & evanuerat, quæsivi ubi fuisset, & an vestigia remanerent tantæ magnitudinis, & non est inventus locus ejus, quasi unquam ibi fuisset. *Ubi sunt*, quærit Propheta *Baruch* c. 3. *Principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in avibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines? Exterminati sunt*, id est, extra terminos mundi missi sunt per mortem, *& ad inferos descenderunt, & alii in loco eorum surrexerunt.* Ubi est potentia, & dominium Assueri, qui regnavit super

centum & viginti ſeptem Provincias? Ubi divitiæ Cræſi, vel Salomonis? Ubi fortitudo Herculis vel Hectoris? Ubi pulchritudo Helenæ, vel Abſalonis? Ubi laſciviæ Cleopatræ, vel Amnon? ubi gloria & magnificentia Julii Cæſaris, vel Auguſti? Ubi eloquentia Demoſthenis, vel Titi Livii, Tullii, Maronis? *Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt,* omnia hìc relinquentes, & nihil ſecum, niſi culpam cum pœna portantes. Hinc patheticè *Dionyſius Carth.* hanc nobis proponit conſiderationem: *Si haberes ſapientiam Salomonis, pulchritudinem Abſalonis, fortitudinem Samſonis, divitias Cræſi, poteſtatem Domitiani, quid hæc proderunt tibi, cùm ſtatim caro dabitur vermibus, & anima dæmonibus?*

5. Denique *S. Gregorius* mundi breviſſimam proſperitatem & gloriam conſiderans, hanc aſſimulat ſtipulæ, fumo, nebulæ, rori, ſpumæ, quæ omnia citiſſimè diſparent, & per hoc pro nihilo reputantur. Quare *Iſaias* dicit: *Omnis caro fœnum, & omnis ejus gloria tanquam flos agri.* Cùm ergo ita ſit, quòd nimirum mundus tranſeat, & concupiſcentia ejus, quid ergo volumus, an amare temporalia, & tranſire cum tempore? an Chriſtum amare, & in æternum vivere? Unde perfecti viri indeſinenter brevitatem præſentis vitæ reſpiciunt, & tantò ſolicitiùs ad ventura ſe præparant, & tantò circumſpectiùs in præſentibus ambulant, quantò & vana eſſe atque inania tranſitoria penſant. Ferunt tali cautelâ uti vulpeculam, (*Holcot.* lect. 16. in librum Sapient.) cùm glaciem eſt tranſitura. Solerti auditu aurem ad glaciem applicat, & craſſitudinem ejus conjecturâ perpendit, nullóque modo confidit in ea, ſi aquam ſubtus fluentem audiat & currentem; ſed pede ſuſpenſo recedit, timens nimis tenuem eſſe, quam ut portare valeat, ac ſuſtinere. Simili nos quoque oportet uti cautelâ. Mundi gloria eſt pulchra quædam ſplendénsque glacies, quia delectabile apparet abundare divitiis, honorari ab hominibus, delitiari in voluptatibus, veſtiri delicatè, & ſplendidè epulari. Sed cavendum eſt, quia gloria hæc fragilis eſt, quia glacies eſt. Propter quod ſapienter monet *Jacobonus* in ſuo Cantico de mundi contemptu.

*Plus crede litteris ſcriptis in glacie*
*Quàm mundi fragilis vanæ fallaciæ.*

Huic glaciei aurem conſiderationis appone; quid audies? Fluxum utique & tranſitum temporalium: *Mundus tranſit & concupiſcentia ejus.* Audies, modò tranſiit unus Rex in mortem, modò unus Comes, modò Epiſcopus, modò dives, modò ſapiens, &c. Tranſit temporalium rerum fluvius; non igitur illi confidas, quamvis deforis appareat firmus & ſplendens adinſtar Cryſtalli, ſed verè glacies eſt fragilis, non habens ab intus aliquid quàm vanitatem.

6. O igitur inſtabilem & vanam mundi proſperitatem! ſed longè adhuc miſerabiliores ſunt, qui mundum amant & ſequuntur. Percipiamus, quidnam de his mundi ſectatoribus pronuntiet Deus per Moyſem, *Deut.* 32. 29. ſic loquens: *Gens abſque conſilio eſt & ſine prudentia. Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent!* Quæ poſteriora verba ſequenti commentario illuſtrat Doctor *Seraphicus*, dicens: Utinam *ſaperent* damnatorum multitudinem, ſalvandorum paucitatem, & rerum temporalium vanitatem. *Intelligerent* peccatorum multitudinem, bonorum omiſſionem, & temporis amiſſionem. *Providerent*

*viderent* mortis periculum, extremum judicium, & æternum supplicium. Hæc omnia si saperent, intelligerent, ac providerent, non pergerent diligere mundum, neque ea, quæ in ipso sunt; sed retrahentes pedem ab ea fragili glacie, figerent illum in fundo stabili pœnitentiæ. Ac proinde magno spiritu ad mundi contemptum, non Religiosos duntaxat, sed & cunctos Christi fideles cohortatur *Divus Joannes* in prima sua epistola, capite secundo sic omnibus inclamans: *Nolite diligere mundum*, ubi *D. Thomas* cum Glossa ait: *Vobis omnibus scribo hæc: nolite diligere amore concupiscentiæ mundum, id est, abundantiam mundi, & pulchritudinem ejus.* Vel, nolite diligere tanquam patriam, & habitationem nostram, affectu ei inhærendo, perinde ac stulti quidam viatores, qui itineris amœnitate ita delectantur, ut perversâ suavitate implicati alienentur à patria. Subdit *Joannes*: *Neque ea quæ in mundo sunt*, res temporales & caducas, quas mundus continet, & homines mundani in amore & admiratione habent, ùt opes, honores, & carnis voluptates: *Quibus* (ùt ait S. *P. Augustinus* lib. 1. cap. 4. de Doctrina Christiana) *tanquam terrestribus vel marinis vehiculis nos uti oportet, ut perveniamus ad patriam*: Non autem amore iis inhærere sine relatione ad Creatorem; sic enim diligere, non est uti hoc mundo, quod licitum est, sed frui illo, quod est illicitum. Vide dicta serm. 5. num. 12.

# PARS SECUNDA.

7. Aliud motivum, cur nimirum juxta Divi *Joannis* monitum mundum odisse, & vilipendere nos oporteat, est, quòd sit falsissimus, dolosissimus, & nullâ non amaritie refertissimus: nam mare profectò salsum est omnis hæc mundi prosperitas. Christus Dominus, mundi Salvator in Dominica Palmarum cum triumpho, cum ramis palmarum & olivarum, inter acclamationes: *O Sanna Benedictus qui venit in nomine Domini*, inductus fuit à populo in Jerusalem, quasi Rex & Messias: at quinto dein die ab eodem vociferante, *Crucifige, crucifige*, postulatus fuit ad Crucem. Quis ergo hìc non videt, quàm inconstans, quàm fallax & perversus sit mundus? Quis ergo (petit *S. Bernardus* serm. 1. in Dom. Palm.) sperare jam debeat in incerto gloriæ temporalis, cùm videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, Creatore, tempore, post exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim civitate, à plebe eadem, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloriâ, & divinis est laudibus honoratus, postmodum verò affectus contumeliis & tormento, & cum sceleratis reputatus.

8. Hanc porrò mundi instabilitatem & fallaciam optimè expertus est *Bellisarius*: Hic enim tanquam Generalis Justiniani Imperatoris Archistrategus ex urbe Roma & universa Italia Gothos expulit, profligavit Persas, Wandalos devicit, Siciliam, Regnúmque Neapolitanum Imperio Romano acquisivit, cum exercitu victorioso Romam ingressus, post recuperatum Mediolanum, & universam Liguriam, Gothorum Regem captivum fecit; unde Imperator in tanto eum pretio habuit, ut in monetis argenteis imaginem suam ex una, ex alia verò

verò parte Bellisarii effigiem imprimi fecerit cum hac subnexa Epigraphe: *Bellisarius decus Romanorum.* Sed ô dolosum mundi applausum! ô fallaciam inauditam! Bellisarius namque, quamvis totius Romani Imperii solidissima columna & fulcrum esset, ex alto honorum gradu miserrimè dejectus est; cùm enim æmuli ipsius eum apud Imperatorem perperàm accusâssent, quasi affectâsset imperium, eodem Imperatore è dignitatis suæ sublimitate in profundissimum ignominiæ & miseriæ barathrum præcipitatus fuit, etenim eruti ei fuerunt oculi, atque eo usque paupertatis pervenit, ut mendicare cogeretur, dicendo: *Date obolum Bellisario.*

9. Cùm ergo mundus sit tam infelix, suósque, ùt spectavimus, indignissimè tractet, quis proin eum diliget? quis ei fidet, & quis deniq; in magno apud eundem haberi pretio ac numero cupiet? Ast ô cæcitatem, ô insensibilitatem, ac dementiam hominum mundanorum! quotidie à mundo illuduntur, & tamen mundum amare non desinunt, quibus *S. Bernardinus* hisce verbis occinit: *Ecce tot calamitatibus replevit Deus mundum: ecce amarus est mundus, & sic amatur: ecce sic ruinosus est, & habitatur; quid faceremus, si stabilis & dulcis esset? ô munde immunde, & tenebris plene, si transiens sic detines, quid faceres, si maneres? Si amarus sic decipis, quem non deciperes, si dulcis esses?* In Pentapoli (quæ aliàs Regio adeò amœna fuit, ut sacra Scriptura illam *Gen.* 13. v. 10. velut paradisum quendam fuisse testetur) ùt *Solinus* refert, poma nascebantur exteriùs quidem ad oculum pulchra & benè colorata, nec non apparenter sapida. At verò eadem aperta cineribus plena reperiebantur. Hisce pomis meritò assimilare possumus fallacem mundum, quis enim nescit, quod hic per vanam & fucatam suam exteriorem apparentiam rapiat, & decipiat humanas mentes, ut dignitates, imperia, delitias, voluptates, & thesauros ambiant, non intelligentes, quod in omnibus his merus sit pulvis & cinis. Nam ut Apostolus *Rom.* 8. ait: *Vanitati creatura subjecta est*, in omnibus namque creaturis nullam reperies aliam substantiam, quàm vanitatem. *Nolite ergo diligere mundum &c.*

10. Ulteriùs, mundi fallaciam Dalilæ meretrici æquiparare fas est, quod enim fecit Dalila Samsoni, hoc agere solet mundus cum suis vernis. Samson enim cùm Dalilæ lenociniis irretitus, ei suam fortitudinem, in quonam consisteret, manifestâsset, illa (quam Samson fidelem suam amasiam rebatur,) dum in ejus sinu ille dormiret, præcidit ei crines, & tradidit ipsum suis hostibus, qui eruerunt ei oculos, & vinctum miserunt in carcerem, eúmque molere fecerunt. *Judic.* 16. Dalila hæc, mundus est, Samson ejus sectator, præcisio crinium innuit privationem gratiæ, & sic privatus traditur dæmonibus, à quibus expoliatur oculis, id est, visione beatificâ, & truditur ad carcerem infernalem, ubi ad molam eum statuunt, ad innumeras scilicet pœnas, ubi de cætero nec minimam quietis partem capere ei indulgebitur. *Nolite ergo diligere mundum, neque ea, quæ in eo sunt.*

11. *S. Bernardus* in quodam sermone ad nostrum sic loquitur propositum: *An tu fortè, quos in mundo florere conspicis, ab authore mundi diligi putas? Audi, quid super hæc Scriptura loquatur: Omnis, qui voluerit esse amicus hujus mundi, inimicus Dei constituitur.* Enimverò, ùt per quotidianam experientiam sæpe videmus,

videmus, reprobi in hoc mundo bonis fortunæ magis abundant, quàm justi & electi, unde satis colligitur mundum in nullo habendum esse pretio; sed potiùs vilipendendum esse; nam ùt bene *Dionysius Carthus.* de Mundi Contemptu ait: *Mundanarum rerum contemptibilitas elucescit ex hoc, quòd frequenter eas dat Deus abundantiùs hostibus suis, seu reprobis, quàm electis.* Hinc *B. Petrus Damiani* lib. 8. Epist. 6. sequens tradidit dogma: *Noli itaque hujus vitæ felicitatem pravis hominibus invidere, sed condole: imò quia ipsi non dolent, potiùs ingemisce, quia nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant.* Et reverà quis unquam in suaviori nectaris & ambrosiæ mari natavit, quàm dives Epulo? Cui se mundus blandiorem magisque propitium exhibuit, quàm ipsi? At verò inde quoque fit, quòd de nullo per testimonium Scripturæ Sacræ certius constet, quòd ad infernum sit condemnatus, quam de ipso; siquidem de eo Incarnata Sapientia testatur, *Luc.* 16.22. quod sepultus est in inferno. *Nolite ergo diligere mundum &c.*

12. Ulteriùs, quàm fallax sit mundi magnificentia, ostensum fuit ab Angelo *Joanni* Apostolo in formosa quadam meretrice, dicente eodem Angelo: *Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, cum qua fornicati sunt Reges terræ; & inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino prostitutionis ejus. Mulier erat circumdata purpurà & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua. Apocal.* 17. Ecce hîc tibi eleganter descriptam mundi fallaciam! Poculum quidem aureum erat, & quis, aut qualis liquor erat intus? subdit sacer textus: *Plenum abominatione & immunditiâ fornicationis ejus.* Enim verò in dubium nequaquam revocari potest, quia mulier hæc mundum denotaverit, quia mulier hæc Babylonia erat: *Et in fronte ejus nomen scriptum mysterium: Babylon magna, Mater fornicationum & abominationum terræ.* Audiamus *S. Antonium Patavinum*: *Poculum, vel calix aureus in manu Babylonis, est mundi gloria foris aurea, sed intus omni spurcitiò, & abominatione plena.*

13. Apposité ad institutum nostrum deservit, quod memorat *Discipulus* in suo Promptuario Exempl. 68. Dicit in Austria Virum fuisse nobilem, mundi vanitatibus impensè deditum, qui dum nocte quâdam solus ante arcem in hortum amœnum descendit animi relaxandi causâ, fœmina cultissima ei se obtulit, & accedere illum ad se propiùs jussit, se enim esse illam, quam tantoperè depereat, unicéque ferat in oculis ac in pectore. Accedit, studiosè intuetur, & totus in ejus elegantia hæret. Cùm satis pavisset oculos venustâ formâ, monet illa, ut jam à tergo contempletur, quam à fronte avidissimè aspexisset. Vertit illa tergum, iste oculos, & vidit eam fœdam, plenam vermibus, putredine, & ossibus. Territus, quærere institit, ecquænam esset, quæ facie tam formosâ alliceret oculos ad spectandum, à tergo verò usque adeò sordesceret, ut cadaveri similior esset, quàm puellæ formosæ? subjunxit illa: *Ego sum gloria mundi, & hi sunt fructus mei*; & cum dicto evanuit in auras. Vir nobilis hic totus consternatus, mundoque valedicens, se Deo in sacra quadam Religiosorum familia totum dedicavit.

14. Bellissimè itaque hæc mulier phantastica typum mundi expressit, cujus

jus anterior pars, seu initium, pulchra & jucunda est, sed videamus ejus dorsum seu exitum; & videbimus eum esse plenum horroribus & doloribus. Hoc expresse de semetipso fatetur Salomon, dum dixit: *Eccli.* 2. 10. *Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ paraveram. Cùmque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Quam bene proin mundus in Sacra Scriptura vocitatur hypocrita, quia, cùm foris mirum in modum speciosus credatur, intùs tamen plenus est corruptione, vanitate & dolo. In bonis illis sensibilibus apparet bonus, cùm reverà plenus fuco sit & mendacio: similis proinde est scorpioni, quia in fine scorpionis instar lethalem aculeum infigere gestit. Unde eandem epigraphen, quam *Ovidius* lib. 3. Fast. scorpioni inscribit, scilicet, *Extremâ parte venenat*, mundo adscribere fas est, qui post melleam voluptatis spem, vanissimè ac falsissimè ingestam, demum omnem illam amaricare, ac toxico respergere solet.

15. Dum *Joab* (ùt in Sacris Regum historiis lib. 2. c. 30. refertur) Amasam amicè salutavit, & manu dextrâ mentum ejus, quasi osculans eum, tenuit, sinistrâ gladium ejus lateri infixit & occidit. Haud aliter agere mundus amat cum suis vernis; dum enim oscula libat, dum blanditur, dum delicias offert, tunc simul occidit. Quod probè contemplans *S. Chrysostomus* sup. *Matth.* sic exclamat: *O quam miserrimus est mundus, & miseri, qui eum sequuntur! semper enim homines mundi opera excluserunt à vita.* Cui concinit *D. Bernardus* in hæc verba: *Dic mihi, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes. Attendite diligenter, quid sunt, & quid fuerunt, homines fuerunt sicut tu, comederunt, & biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic ignibus anima deputatur.* Talem catastrophen sortiuntur mancipia mundi, qui probè imitari noverat caupones, qui hospitem divertentem permanter & humanè excipiunt, & optima quæque promittunt, sed in discessu catam symbolam severo vultu rigorosè exigunt; ita mundus ab initio quidem amatoribus suis blanditur, sed in fine gravissimis suppliciis luere gustatas delicias cogit.

16. Cùm ergo ita sit, stolidè sanè ac insipienter agunt homines illi, qui relicto Ter Opt. Max. Deo mundo adhærent, præsertim cùm omne, (teste *Joanne* ep. 1. c. 2. v. 16.) *Quod in mundo est, concupiscentia carnis sit, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, quæ omnia hominem ad crepitantes erebi rogos præcipitem agunt. O reverà cæcitas mortalium densissima! O vesana hominum dementia! Verè, verè *Stultorum*, teste Sapiente (*Eccle.* 1. v. 15.) *infinitus est numerus.* Rectè exclamat *D. Bernardus*: *Mundus clamat, ego deficio; diabolus clamat, ego decipio: Christus clamat, ego reficio: & tamen superba mens nostra magis vult sequi deficientem mundum, quàm reficientem Christum.* Et hanc maximam esse vesaniam, ex cordatis inficiabitur nemo. Ne ergo & tu, mi optime frater, stultorum numero accenseаris, ac cum mundo damneris,

ab

ab amatoribus mundi te sequestres oportet, illud ante oculos ponens, quod S. *Patroclo* Anachoretæ accidisse memorat *Surius* die 19. Novembris. Nam dum à dæmonibus tentatus meditaretur reditum ex eremo ad sæculum, à Custode Angelo in celsissimam columnam fuit ductus ad videndos exin actus & scenas hujus sæculi, universámque mundi tragœdiam. Nihil verò aliud videbat, quàm furta, rapinas, fornicationes, adulteria, perjuria, & alia hujusmodi facinora. Hac visione roboratus Patroclus, omnes diaboli tentationes vicit, & in sanctæ vitæ proposito, ac solitudinis deserto constans perseveravit. Exemplum hoc, ut & nobis possit esse emolumento, nos erudit *Apostolus*, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, justè, & piè vivamus in hoc sæculo. Quid autem est abnegare sæcularia desideria, nisi impiorum sodalitia, & mundanas cupiditates, quas illi avidè consectantur, fugere? Opportunè S. *Jacobus*: *Quicúnque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur*: sunt enim contrarii & antagonistæ, hostésque internecini Deus & mundus, amor Dei, & amor mundi. Nam ùt ipse Salvator ait: *Matth. 6. 25. Nemo potest Deo servire & mammonæ*; ita impossibile est, esse amicum Dei simul, & mundi. Propterea gloriosus Patriarcha *S. Benedictus* in sua Regula singulariter commendavit suis Religiosis, ut à sæculi actibus sese faciant alienos. Nam reliquisse sæculum, & non opera sæculi, non sufficit; quoniam hæc una & unica viri Religiosi de sæculo vocati est nota, in nulla omnino re sentire cum filiis sæculi, nec gaudere, nec dolere cum illis. Quemadmodum enim corpus verè mortuum ultra non exercet ullum actum vitæ; ita & verus Religiosus, verè mundo mortuus ab omnibus actibus sæculi alienus sit, necessum est.

# SERMO XLIII.

## DE MUNDANORUM HOMINUM FUGA.

*Cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.*
Psal. 17. v. 28.

1. Tametsi Propheta Regius homines in Societate bonorum trinies repetat, dicens: *Psal. 17. Cum Sancto sanctus eris, cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris*; veruntamen mox ibidem infallibiliter futurum esse asserit, ut idem homo innocens, electus, & sanctus, quamprimum in perversi alicujus diuturnum consortium inciderit, protinus fit pervertendus. Statim enim subjungit: *Cum perverso perverteris.*

Causa verò hujus tàm acceleratæ perversionis à vitæ spiritualis Magistris hæc communiter assignatur, quia licèt firma & stabilia nobis faciamus proposita cavendi, ne à malorum torrente, in illorum rapiamur sequelam, vel mala ipsorum imitemur exempla, attamen quia natura nostra ad vitium prona est, magna cum facilitate, ad aliorum pravos mores sectandos flectimur, & trahimur. Sanè juxta Astrologiam, Planeta beneficus & benignus, maligno associatus, pessimam & ipse operatur influentiam; idem est in rebus moralibus cursus: *Cum Electo electus eris, & cum perverso perverteris.*

2. Hæc itaque est depravatæ corruptæque naturæ nostræ proprietas, ut ad malum inclinetur, & alienos facillimè imitetur defectus; unde *D. P. Augustinus* lib. cont. Fulg. Don. c. 16. ait: *Faciliùs Sanctus, qui junctus fuerit genti huic pessimæ* (malis inquam sociis) *pessimatur, quam gens ista in melius commutetur; quia procliviùs ad imitationem malorum curritur, quàm ad virtutes bonorum animus excitetur.* Quam veritatem his pariter verbis expressit *Sanctus Bernardinus* 3. serm. in Dom. 3. Pent. a. 2. c. 1. *Rerum natura sic est, ut, quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur.* Parabolam contemplantes de semine, reperiemus, alteram ejusdem partem jam radices egisse in terris, quia ùt textus asserit, supervenerunt postea spinæ, quæ viridem opprimentes sementem, omnia simul destruunt: *Luc.* 8. 7. *Et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.* Spina simul cum bono crescit semine, ipsúmque virescere, & fructificare incipiens extinguit; ita in hujus mundi campo dum boni consortibus utuntur reprobis, illi horum pervertuntur conversatione. *Pervertunt suis blanditiis*, (inquit *Sanctus Bernardinus*,) *quibus tripliciter inquinant eos. Primò blanditiis avaritiæ, secundò blanditiis luxuriæ, tertiò blanditiis superbiæ.* Nulla loci sanctitas, aut custodia ab hac immunis est contagione. Quæ schola erat sanctior & perfectior Apostolorum? utpotè in qua Magistrum agebat Ipsa Incarnata Dei Sapientia, Christus Redemptor noster: & nihilominus unius impietas & malitia Judæ ad omnes quid transfudit Apostolos reliquos.

3. Et quidem juxta *Sancti Joannis* testimonium solus Judas contra effusionem pretiosi unguenti, in Christi obsequium à B. M. Magdalena sparsi, murmuravit, nihilominus renum scrutator Deus detractionem hanc omnibus aliis exprobravit Apostolis: *Dixit ergo Jesus; sinite illam, ut in die sepulturæ meæ servet illud. Joan.* 12. 7. Solus de Magdalena sinistrè loquitur Judas, cur itaque omnibus exprobratur? respondetur, quòd Sapientissimus Magister in reliquorum discipulorum cordibus eandem adversus Magdalenam indignationem conspexerit, quamprimum enim hi Judam murmurantem audierunt, mox ejus pravo exemplo pellecti, in idem peccatum inciderunt. Unde verissimum: *Cum perverso perverteris.* Judæ dictum est, inquit *S. P. Augustin.* Ast si ad solum Judam facta est responsio; quare ergo non dixit; *habebis*, sed *habebitis*? respondet; quia non unus erat Judas, siquidem ad eundem indiscretum zelum internè concurrerunt & alii. Ita *August.* tract. 50. *in Joan.*

4. Rursùs, Divus *P. Augustinus* postquam faciliùs esse ostendisset, ut boni

boni à malis pervertantur, quàm ut mali per bona justorum exempla ad bonam frugem proficiant, hac demum utitur similitudine: sicut mellis plurimo parum absynthii injectum, velocem amaritudinem inducit; mellis verò etiamsi duplum injiciatur, non poterit eis obtineri dulcedo. Modicæ enim fellis stillæ ad integrum vas, lacte plenum, amaricandum sufficiunt, cùm tamen econtra ingens vas lactis ad tollendam modicæ fellis quantitati amaritudinem minimè prævaleat; porrò vitium fel est, virtus verò lactis instar se habet; unde Apostolus dicebat: 1. *Corinth.* 3. 2. *Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi.* Et ideò videmus, quòd ad perversum quempiam convertendum, magno opus sit labore & industriâ; non sic de bonis & virtuosis, qui longè facillimè malos sequi addiscunt. Quia *cum perverso perverteris.* Unde *Glossa* optimè monet, dicens: *Infirmi declinare debent societatem malorum, ni mala, quæ frequenter aspiciunt, imitari velint.*

5. *Sanctus Cyprianus* similiter notat, quam rarò boni, cum perditæ vitæ hominibus conversantes, in virtute perseverent, cùm tritum & vulgatum proverbium sit, à *Plutarcho* usurpatum, qui dicere solebat: *Si juxta claudum habites, subclaudicare disces.* Audiantur ipsissima sancti hujus Doctoris verba, dicentis: Omnino rarum & difficile est fieri bonum, & facile admodùm pronum esse ad malum, cùm hæc sine Magistro, & sine exemplo, & doctrina, statim à pubescentibus annis imbuamur, & doceamur. Sicut enim terra à semetipsa, & sine ulla agricolæ industriâ, lolia, vepres, urticas, aliásque inutiles ac noxias herbas, non verò triticum, vel alia utilis frumenti genera, quæ aratrum, ligonem, hominúmque laborem, industriámque exposcunt progerminat; ita quoque natura nostra ad vitium proclivis, malum facillimè addiscit & operatur, etiam deficientibus malis aliorum exemplis; bonum verò minimè, utpotè quod magistrum, regulam, & disciplinam requirit. Unde sic arguere possumus: Quòd si à nobismetipsis absque ullo impulsu alieno ad malum adeò proclives simus, quanto ad id faciliores erimus, si aliorum imitatio, si stimulus, si exhortationes, si mala contubernalium nostrorum exempla accedant, quibus pervertamur, inque communem perversorum rapiamur torrentem.

6. *Annales* referunt *Ecclesiastici*, S. Joannem Apostolum, spiritualem quendam filium, floridæ ætatis adolescentem, sibi lucratum fuisse, quem dum in spiritûs & perfectionis via diu multúmque instruxisset, ejusdem singulariter trahi cœpit, & inescari virtutibus; interea propter negotia aliqua profecturus Apostolus, eum maxima cum solicitudine cuidam recommendavit Episcopo, à quo neglectus juvenis, diversis sese adjunxit amicis, tantúmque in spiritu relaxari cœpit, ut non solùm malus inter malos effectus sit, sed & latro, imò grassatorum famosorum dux evaserit, & antesignanus; quod ùt redux S. Joannes intellexit, in eas decrepitus, ubi degebat impius, se contulit sylvas, tantúmque dictis & factis præstitit, ut ad pœnitentiam reduxerit errabundum. Ecce tibi Juvenem, tam miraculosi, tam efficacis, támque coram Deo potentis Magistri discipulum, sanctâ admodum imbutum disciplinâ, & nihilominus malorum amicorum consortio perversum.

An non igitur verissimum est, quòd *cum perverso perverteris?*

7. Moyses, primus in orbe Thaumaturgus, oculorum suorum aciem convertens ad terribile & portentosum illud exemplum, quando Core, Dathan & Abiron, qui contra Moysen & Aaron surrexerunt, & rebellàrunt, vivi à terra absorpti sunt unà cum tabernaculis, uxoribus, & liberis, qui in rebellionem consenserunt, simúlque descenderunt ad infernum viventes. Quod verò in hac plaga Moysen in stuporem rapuit, est quòd filii Core, qui æquè cum Patre in tabernaculo, sicut filii Dathan, & Abiron, qui cum parentibus periêrunt, fuerant, non perierint, unde exclamavit: *Num. 26. 10. Factum est grande miraculum, ut Core pereunte, filii illius non perirent.* Præsumi equidem potuisset, filios eâdem cum Patre infectos pice, eidem subjectos culpæ & pœnæ, nihilominus *factum est miraculum grande*, maximum fuit prodigium, filios parentis non fuisse contaminatos murmurationibus. Proinde res admiratione & stupore digna censenda est, quando juniores, qui aliàs ad omne vitiorum genus proclives, & quodammodo cerei sunt, majorum suorum prava exempla non sequuntur; hi autem rari admodum sunt ùt Phœnices, ùt corvi albi, ùt turres in mari. Nam, ùt luculenter *S. Chrysostomus* asseverat: *Ardua res est virtus & per se difficilis; maximè autem, quando qui operatur, est in magna bonorum paucitate.* Oportet proinde omni nisu & contentione pravos declinare socios, ni cum illis pariter prævaricari, & perire velimus. Veruntamen si hos evitare nequimus, quid tunc nobis agendum? Clamandum profectò est ad Dominum cum Rege Davide: *Ps. 11. 3. Salvum me fac Deus, quoniam defecit Sanctus.* Perinde ac si pluribus dixisset: ô Domine, tuo mihi semper opus fuit auxilio, modò illius vel maximè indigus sum, hoc si illicò præmunitus non fuero, perii: quare istud? Quoniam instar miraculi habendum est, pravorum sociorum, majorum suorum præcipuè, vitia, & semitam, quam illi calcant, non sequi.

8. Suam igitur assecurare salutem cupiens, quantum penes ipsum fuerit, semper à pravorum societate se sequestret, necessum est. Hinc Salvator de Cælestis ad beatitudinem, & infernalis semitæ ad damnationem, diversitate tractans; *Matth. 7. 13. Intrate*, inquit, *per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniant eam.* Ubi notandum, quòd Salvator, modum nos edocturus, qualiter perditionis viam declinare valeamus, immediatè subdat: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Quasi diceret: Recta ad cælum via, malorum sociorum fuga est, quos ut à bonis secernere possimus, mox subdit: *A fructibus eorum cognoscetis eos, nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona. &c.* Percipiamus *Lyranum*: Quia supra Dominus demonstraverat, inquit, legem evangelicam esse observandam, & quia ad eam observandam facit evitatio mali consortii, ideo dicit: *Attendite à falsis Prophetis.* Idipsum etiam Gentium Ecclesiastes fidelibus præcipit: hic enim indefessam Christiani Gregis curam gerens, ut omnes soliciti Pastoris partes, quà præsens, quà absens adimpleret, unum Thessalonicensibus

nicensibus epistolam transmisit cum edicto hujuscemodi: 2. *Thess.* 3. 6. *Denuntiamus autem vobis fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè.* *Dionysius Carthusianus* verba illa, *in nomine Domini &c.* perpendens ait: id est, authoritate Christi quâ fungimur, præcipimus vobis, ut vos subtrahatis, id est, separetis ab omni fratre ambulante inordinatè, id est, indisciplinatè & irrationabiliter conversante.

9. *Abulensis* t. 6. in *Matt.* c. 24. q. 83. seriam movet quæstionem, cui titulus: *Quomodo refrigescebat charitas in quibusdam propter aliorum iniquitatem?* Cui ipsemet his verbis satisfacit, dicens: Aliqui erant à principio conversionis suæ ferventes in charitate, postea verò videntes iniquitatem aliorum, fiebant tepidi. Quidam quando conversi sunt, videbant miracula fieri & bona opera Christianorum, & ideo ferventer acceperunt fidem; posteà verò cùm conversarentur cum aliis Christianis, videbant eorum iniquam conversationem, & sic refrigescebat in eis ardor charitatis, ut non essent tam prompti ad bona opera, sicut priùs. Móxque concludit omnibus bonis, maximè autem in virtute non solidè fundatis, summè nocivam esse malorum societatem inquiens: *Valde nocet bonis, & maximè parum aut mediocriter bonis, conversari inter malos, vel eorum mala scire, & tunc quando quis conversatur cum deterioribus, tantò fit tepedior, & refrigescit charitas.* Ne ergo, Amice frater, animæ tuæ navicula in hac scandali petra impingat, & collidatur, & tu cum perversis, quos passim obvios habebis, æternaliter pereas, attentè inspice, & perspicaciter considera mores eorum, cum quibus conversaris, & si eos juxta doctrinam Evangelicam vivere non conspicis, eorum, quamvis fratres tui essent, conversationem diligentissimè devita, próque epiphonematis loco hoc in corde tuo insculpe *S. Gregorii Nazianzeni* documentum, dicentis: *Cum sodalium nostrorum non petulantissimis & impudentissimis, sed cum castissimis consuetudinem habeamus; nec cum pugnacissimis, sed cum pacatissimis; illud nimirum exploratum habentes, facilius esse vitium contrahere, quàm virtutem impertiri; quemadmodum etiam faciliùs est, morbo alieno infici, quam salutem largiri.* Ita *Nazianz.* serm. de *S. Basilio.*

10. Pro coronide notandum, quòd licèt hactenus dicta ad omnes indiscriminatim pertineant, ea nihilominus speciali curâ ac solicitudine observare debent juniores, & alii omnes, quotquot in virtutum cultura solidas ac firmas necdum egêre radices. Nam (ùt advertit *S. Thomas* secundâ secundæ quæst. 25. art. 6. ad 5.) viris perfectis ac sanctis alia quandoque ineunda est agendi ratio; hi enim generaliter perversos fugere non debent, sed cum illis nonnunquam conversari, ut ad rectitudinem illos pertrahant, à quorum perversitate & vitiis non facilè vincuntur. Vice versâ, ex bonorum consortio ac præsentia sæpe magnum provenit perversis & indisciplinatis emolumentum. *Carbo mortuus* ait *S. Thomas* opusc. de erud. Princ. lib. 5. cap. 40. *cum vivis positus vivificatur: sic malus inter bonos bonus sæpe efficitur, juxta illud* Psal. 17. *Cum Sancto sanctus eris.* Certò non raro accidit, quòd perfectus quispiam conversans frequenter cum homine vitioso, eum ad meliora provocet tum verbo, tum exemplo, & sic quasi ad manum in paradisum eundem trahat, sicut de Paulo legitur *Actor.* 9.

*Ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damascum.* Huc facit quod scribit idem Apostolus 1. *Cor.* 7. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Sæpe enim contingit, quòd aliquis vir perversus, qui maritus est sanctæ & fidelis conjugis, per preces, merita, verba, & exempla fidelis conjugis convertatur, fiátque sanctus. Sicut S. Cæcilia maritum suum Valerianum convertit, Theodora Sisinnium, Clotildis Clodovæum, & aliæ multæ per fortem injuriarum tolerantiam & patientiam, aliásque virtutes, ac pias exhortationes viros suos ad salutem perduxerunt.

# SERMO XLIV.

## DE PERFECTIONE RELIGIOSA.

*Æmulamini charismata meliora.* 1. Cor. 12. v. 31.

## PARS PRIMA.

1. Quemadmodum ille, qui sarcinas graves, vestes, aliáque impedimenta removens, se exonerat, non ob id dicitur jam ascendisse, aut esse in vertice montis, sed in statu præfatæ ascensionis se constituit, & ascendendo de hora in horam appropinquat ipsius montis culmini: ita Religiosus, qui mundum ex corde suo expunxerit, non continuò perfectus dicendus est, sed in regia via ad perfectionis culmen esse. Unde si montem religiosæ perfectionis scandere exoptat, removere & proscribere etiam à se debet omnem socordiam & languorem, qui communiter velut prædones in ascendentes irruere solent, quò sic eos ab ascensu impedirent, & retunderent. Hos ergo grassatores ut prosternamus, strenuè certandum, itérque arreptum sine mora prosequendum nobis incumbit. Ut enim iter agentes, locum insidiis & periculis famosum citatis equis prætervolant; ita Religiosi, quia viam virtutis arduam, & ab inimicis obsessam nôrunt, magno fervore celeritatéque decurrere debent. Huc collimat Apostolus ad *Rom.* 12. dicens: *Solicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* Est igitur ad religiosam perfectionem adipiscendam fervor imprimìs necessarius: quia, ut vitæ PP. l. 3. c. 39. n. 3. referunt, sicut ad accensam ollam muscæ non appropinquant, si verò tepida fuerit, insident in eam, & faciunt vermes; ita & Monachum fervidum, divinique amoris igne succensum dæmones fugiunt, tepidum verò & ignavum illudunt, & insequuntur.

2. Quod etiam ad hunc spiritûs fervorem animique alacritatem movere & stimulare deberet, est vitæ brevitas; quis enim pauper, si unico die thesaurus ipsi regius aperiretur cum facultate, quantum vellet, exportandi, non summum in exportandis & colligendis pecuniis conatum & fervorem adhiberet? Quantò magis ergo Religiosus per animi

mi fervorem thesauros non transituros, sed cælestes colligere deberet? Hinc Divinus Spiritus per os Sapientis (*Eccle.* 9. v. 10.) monet: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu* (ob ignaviam & teporem) *properas.* Considerandum præterea est, quantum sæculares terrenas & perituras divitias, & honores quærentes fervorem adhibeant; de quo *S. Ignatius Lojola* Lusitanis fratribus sic scripsit: *Nolite pati, ut hujus sæculi homines plus laborum & molestiarum suscipiant in conquirendis studiosè voluptatibus ac rebus caducis, quàm vos in cælestibus ac divinis conquirendis: pudeat, illos majori operâ eniti ad aucupandam gratiam Principis mortalis*, quàm vos laboretis ad amicitiam cum æterno Rege conjungendam.* Et ob hoc ipsum *S. Pambo* Abbas, sicut Ecclesiastica refert historia, seipsum deplorabat. Hic enim, cùm adhortante *S. Athanasio* Episcopo ex eremo Alexandriam venisset, obviam mulierem mundanam habuit; quam cùm superbè ornatam, & egregiè comptam cerneret, in lacrymas illicò & gemitus prorupit, dicens: *Væ mihi, væ misero mihi!* Percunctantibus discipulis, Pater quid ploras? respondit ille: *An non meritò plorem, cùm mulierem hanc videam plus curæ & laboris in corpore comendo impendere, quò hominibus obscœnis complaceat, quàm ego in anima mea, quò placeam Deo?* Erubescamus itaque & nos, & præ pudore confundamur, quòd filii hujus sæculi in rerum mundanarum studio prudentiores multò & vigilantiores sint, quàm nos in divinarum: quia *filii hujus sæculi*, ait Salvator apud *S. Lucam* 16. v. 8. *prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Atque hoc nobis sufficiat ad teporem, & languorem mentis excutiendum.

3. Ulteriùs, ad religiosam perfectionem consequendam præter spiritûs fervorem, etiam requiritur *Minimorum cura*, quod nihil aliud est, quàm studium diligens ac providum rerum minimarum, sive declinandarum, cùm perfectioni nocent, sive complectendarum, cùm prosunt. Dicitur autem hæc cura ad perfectionem maximè pertinere, quia cura magnorum peccatorum præcipuè vitandorum, non tam ad perfectionem, quàm ad salutem necessaria est. Porrò, quàm grata sit Deo hæc minimorum cura, insinuat cælestis Sponsus *Cant.* 4. v. 9. suam Sponsam sic alloquens: *Vulnerâsti cor meum Soror mea Sponsa, vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Quid aliud per oculum, & quid aliud per crinem intelligi potest, quàm actiones minimæ, cum fervore peractæ? hæ enim vulnerant cor Salvatoris nostri sic, ut (teste *Ven. Blosio* c. 2. instit. spirit.) *ipsi magis rem gratam faciat, si in rebus minimis propter Deum voluntati propriæ reluctetur, ac se mortificet, quàm si multos mortuos ad vitam revocaret.* Et meritò, quemadmodum enim (ût *S. Paulinus* ep. 20. ad *Amandum* docet) granum Sinapis, etsi minimum videatur in semine, nihilominus tamen extat in olere maximum: sic minimorum cura, etsi res exigua videatur, attamen in spicas altissimarum virtutum, & altissimos cælestium gratiarum manipulos excrescit.

4. *S. Cyrillus* in illud Christi: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: Quid capilli, inquit, & capitis pili, nisi minutissimas actiones significant, quas Deus exactè obser-*

*observat, ac præmiat?* Ne verò quis hanc veritatem in dubium revocare posset, testatus hoc ipsum est æterna Dei Veritas Christus apud *Matth.* 25. v. 23. dicens: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Quò magis porrò, & efficaciùs ad hanc minimorum curam inflammemur, eámque magni æstimemus, inservire nobis poterit historia, quam subjicio. Cisterciensibus Monachis olim per Regulam præscriptum erat, ut sub mensæ finem superstites micas panis quisque colligeret, eásque vel comederet, vel in lancem conjiceret. Factum est autem, ut cùm Monachorum quispiam micas jam collectas (à lectione mensali, cui intendebat, absorptus) in manu teneret; Prior lectionis finiendæ, & à mensa surgendi signum dedit. Monachus ad se reflectens confusúsque aliud negligentiæ hujus resarciendæ remedium sibi non putavit esse, quàm ut culpam confessurus, Superiorem adiret. Ergo dictis à mensa gratiis, Superiorem adit, & ad pedes ejus prostratus humiliter culpam dicit. Et ecce rem miratione dignissimam. Nam dum Abbas à fratre collectas micas sibi ostendi postulat, eas subitò cunctis obstupescentibus in pretiosos uniones conversas reperit. Quo miraculo Deus monstrare voluit, quàm sibi ferventes Religiosi, quique non primarias solùm sed & minutas Regulas exactissimè custodiunt, placeant.

5. Enimverò ubi hæc minimorum cura viget in aliquo cœnobio, ibi disciplinam claustralem instar palmæ florere, necesse est affirmare. Certissimum enim est (inquit *S. Anselmus* ep. 6. ad Monach.) quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in Monasterio, ubi minima strictè custodiuntur, ibi rigor Monachorum inviolabilis permanet, ibi pax inter fratres, & in Capitulo proclamationes conquiescunt. Hinc *S. Maria Magdalena de Pazzis* (ùt legere est in ejus vita p. 4. c. 14.) Deo revelante didicit, inter quinque res petendas pro conservando quovis Ordine in primævo suæ religionis statu, hanc quoque perpetuò petendam, ut omnes Religiosi perfectè cognoscant, quanti momenti sit observare quamlibet minimam rem sanctæ Regulæ. Si ergo hæcce minimorum cura pro cujusdam Religionis conservatione necessaria sit, quis citra temeritatem inficiari audet, hanc non etiam exigi à quolibet privato Religioso, in arrepta virtutum semita fortiter perseverare cupiente? Quamobrem *B. Aloysius Gonzaga* (ùt Author vitæ p. 2. c. 1. scribit) persuasissimum sibi habebat, verum ac perfectum Religiosum illum esse, qui ad amussim omnes Regulas sui instituti observat, quique omnem diligentiam adhibet ad perfectam exercitationem eorum omnium munerum, & exercitiorum, etiam minimorum, quæ omnibus in dies singulos Ordo præscribit. Et hæc Doctrina est via regia ad perfectionem, & congregandas divitias cælestes. Quippè (ùt Os aureum *Chrysostom.* in paræn. prior. loquitur) sicut opes corporis accumulantur, cùm amatores illarum ne minimum quidem lucellum negligunt; ita spirituales divitiæ per minimorum sedulam curam augentur. Seu (ùt *Sanctus Isidorus* l. 2. lect. c. 36. num. 3. ait) *Sicut paulatim homo à minimis vitiis in maxima proruit; ita à modicis virtutibus gradatim ad ea, quæ sunt excelsa, contendit.*

6. Russi-

6. *Ruffinus* lib. 3. num. 91. narrat, Senem quendam rogatum à fratribus, quomodo posset sustinere voces puerorum pecora pascentium? respondisse: in veritate, fratres, plurimos dies habuit cogitatio mea, volens illis aliquid dicere, sed redargui meipsum, reputans mecum, si parum hoc non porto, quomodo, si major mihi tentatio advenerit, portabo? & ideo illis nihil dico, ut fiat mihi consuetudo portandi. Rectè *Sanctus Franciscus Xaverius* lib. 3. epist. 5. dicere solebat: *Nemo seipsum fallat, non potest quisquam in rebus magnis excellere, qui non priùs excellat in parvis; qui enim parvo oneri ferendo non sit, multò minùs magnum est laturus.* Quapropter ut majora, occasione oblatâ, sufferre valeamus, fortiter ferre minora satagamus oportet. *Æmulemur* itaque juxta *Apostoli* monitum, *charismata meliora*, sequendo videlicet nedum præcepta, verùm etiam consilia; hâc enim & non aliâ viâ ascenditur ad religiosæ perfectionis culmen. Nam sicut volucris cùm utramque habet alam, facilè se per aërem librat; quæ tamen, si unam tantùm haberet, difficulter se à terra elevaret, cùm sola sit onus, utraque verò levamen; ita qui sola statuit servare præcepta, & ea quæ sub peccato obligant, cum magna difficultate se, suámque mentem ad cælestia attollet, atque in perpetuo labendi periculo versabitur; secus verò qui & præcepta, & consilia Evangelica, nec non suæ Religionis peculiares leges, ad peccatum non astringentes, observare decrevit. Denique *Alphonsus Rodriquez* p. 1. tr. 1. cap. 10. hac de re disserens, sic concludit, aitque, tanti nos debere facere ea, quæ de hac materia dicuntur, ut servire pro generali regula debeant, scilicet, quamdiu quis æstimabit, magníque faciet res parvas, rectè incedet, & Deus suâ gratiâ ipsum provehet ulteriùs: contrà si ipsas negligat, periculosè incedet, quia scilicet per istam portam omnia mala in spiritualem Religiosi domum incurrunt; & quod ita res se habeat, fusiùs dulcidabimus in subsequentibus.

# PARS SECUNDA.

7. NEmini sanæ mentis dubitare fas est, non paucos è Religiosorum claustris ad orcum deturbari. *Sancti Basilii* sententia est, *inter Monachos paucos salvari.* Hujus sententiæ oculatus testis est *Pater Pacificus* Capucinus, qui (teste *Boverio*) positus aliquando in ecstasi, vidit non solùm hominum sæcularium, verùm etiam Religiosorum animas velut pluviæ guttas ad infernum descendere. Quinimò animæ sæcularium ab *Abbate* Silvano visæ sunt salvari, Religiosorum damnari. O rem horrendam & pertimescendam! Cupis nosse causam? hæc est primordialis, quòd minora non curent. Audiamus hac de re *Rodericium*, qui loco cit. sic discurrit. Deus se gerit erga nos, quemadmodum nos erga ipsum, si nos liberales erimus erga eum, hoc est minimos quoque defectus declinare studendo, & ille munificens erit, nos semper in sua gratia conservando, sin autem parci simus ea duntaxat obser-

vando, ad quæ ſub gravi culpa obligamur, Deus quoque in nos parcus erit, nec alia, nec plura dabit, quàm ad quæ verbo ſuo aſſertorio tenetur: dabit ſcilicet auxilia generalia & neceſſaria, quæ nulli negat, quæque ſufficientia ſunt, ut cum iis homo poſſit tentationi reſiſtere, quia tamen cum hoc auxilio non reſiſtet, ideo dum tentationi ſuccumbit, eſt culpa in ipſo.

8. Et hoc eſt, quod communiter docent Theologi, & Sancti Patres, Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Bernardus, Gregorius, D. Thomas, & alii apud præfatum Authorem, videlicet: *Peccatum ſequens pœnam eſſe præcedentis.* Quod ſic intelligendum eſt: Homo per primum illud ſuum peccatum, ſpeciale & particulare illud Dei auxilium, quod datur non ad poſſe ſolùm, ſed ad actu reſiſtendum, demeruit, eóque indignum ſe reddidit, ac proinde in aliud novum peccatum proniſſimè corruet. Idem de venialibus peccatis, imò, quod amplius eſt, de defectibus & negligentiis docent, quòd ſcilicet ob teporem animi, & exiguum in ſervitio Dei conatum, nos indignos ſæpè reddamus ſpeciali illo & efficaci auxilio, ſine quo ſæpe ſæpiùs in tentatione ſuperabimur, & in ſcelus corruemus. Atque hoc in ſenſu SS. Patres nonnulli exponunt illud *Eccli.* 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*: qui enim minima contemnit, & parvi facit, ſpeciali illâ Dei gratiâ indignum ſe reddit, quâ deſtitutus in magna & gravia proruit. Ita quoque intelligunt illud *Apocal.* 3. *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Etſi enim tepidum nondum penitùs exſpuerit, atque ejecerit Deus; jam tamen eum ejicere, & evomere incepit: propter hunc enim languorem ac teporem, quem præ ſe fert, & propter defectus, quos ſciens & prudens committit, ſpeciali illo & efficaci auxilio ſe reddit indignum: quo ſi caruerit, multoties cadet, & ſic Deus illum penitùs evomere, & à ſe rejicere perget.

9. Porrò, ne quis arbitretur, hæc nimiùm exaggerativè dicta eſſe, ipſiſſimum Veritas Æterna confirmat apud *Sanctum Lucam* 16. dicens: *Qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt*, juxta doctrinam traditam intellige. Nam *ſi*, quemadmodum *Sanctus Gregorius* lib. 20. moral. c. 9. ait, *curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti etiam majora audenter perpetramus.* Etenim à minimis (ùt *Sanctus Bernardus* de vit. & mor. inſtit. rectè advertit) incipiunt, qui in maxima proruunt, veriſſima enim ſententia eſt: *Nemo repentè fit ſummus*, aut in vitio, aut in virtute, ſed paulatim ac per intervalla, & malum & bonum accreſcit. *Sicut enim* (ùt *S. Bonaventura* in procem. relig. 5. cap. 20. ait) *ex minimis guttis multiplicatis inundationes aquarum fiunt, quæ etiam magna aliquando mœnia ſubruunt: & ſicut per modicam rimam aqua latenter in navem influit, donec ſubmergatur; ita contingit Religioſis incautis, & minima non curantibus.* Vel quemadmodum graves (ut loquitur *Rodriquez*) corporum morbi nonniſi paulatim generantur: ſic infirmitates ſpirituales ac graves animi morbi etiam ſenſim accreſcunt. Unde ſi quando turpes nonnullorum Dei Servorum ruinas videbis, ne putes, ait *Sanctus Bernardus*, primum id damni in iis enatum eſſe: quia nunquam, qui diu ſanctè & laudabiliter vixit, repentè ac ſimul in fœdum aliquod flagitium prolabitur: verùm quia priùs in rebus minutis,

minutis ac tenuibus negligenter se gessit, hinc promeruit, ut suam Deus manum paululùm ab eo subduceret. Atque ita factum, ut postea gravi ortâ tentatione, quæ eum invasit, cesserit ac succubuerit.

10. Hoc non ignorat abjuratus humani generis hostis, unde raro Religioso in virtutum via ambulanti suadebit mox primitùs, magna ut perpetret peccata; scit enim se repulsam passum iri, sed tantum suggeret, ut hanc illamve bonam actionem prætermittat; sive istum, aut illum defectum, seu leve aliquod peccatum non curet, rem esse parvam, facillimè à Deo remitti, imò aquâ lustrali perfacili negotio deleri posse. Est enim stygius tenebrio adeò versutus & fallax, qui (ùt *Sanctus Franciscus* dicere solebat) non vult de nobis plus, quàm tenuissimum capillum; ex illo enim chamum ingentem validùmque ad nostras constringendas animas, sibíque vendicandas, conficere solet. Hinc modica delicta, (ùt *B. Marcus* Eremita c. de lege Spir. §. 96. advertit) admodùm elevat, & extenuat; alioquin enim hominem ad majus malum & vitium adducere non posset. Id quod *Sanctus Chrysostom.* hom. 87. in *Matth.* exemplo Caini confirmat, cui priùs persuasit dæmon deteriora offerre, nullum esse id peccatum; deinde invidiæ veneno succendit, nihil etiam hinc mali secuturum persuadendo. Ita tandem in eum illapsus ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit. Et paulò pòst etiam Judæ exemplum adjiciens: *Nisi putasset*, inquit, *parvum esse, pecuniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset*.

11. Quamobrem non sine ratione docet *Sanctus Gregorius* 3. p. Pastor. admonit. 35. majus quadantenus venialium culparum esse periculum, quàm gravium. Magna enim peccata, quantò evidentiùs cognoscuntur, tantò magis homo satagit ea declinare, & si quandoque in ea inciderit, citiùs ad pœnitentiæ asylum recurrit. Sed peccata venialia ac levia, quantò minùs percipiuntur, tantò minùs declinantur; & quia parvi penduntur, hinc citiùs iterantur, & continuantur; imò sic iis homo quodammodò insepultus & immersus est, ut nunquam generosè ac viriliter secum statuat ea à se excutere: Unde non multò pòst à parvis ad majora committenda facilis decensus est. Audiamus Os aureum hac in re: *Mirabile quiddam*, inquit, *& inauditum dicere audeo: Solet mihi nonnunquam videri, non tanto studio magna esse peccata vitanda, quanto parva & vilia: illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura* (& horror, quem includit) *efficit*; *hæc autem hâc ipsâ re quia parva sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Unde cito ex parvis maxima fiunt negligentiâ nostrâ.* Hæc *Chrysostom.* hom. 83. in *Matth.* Propterea diabolus hac ex parte Religiosos & Dei Servos potissimum aggredi solet; perspectum siquidem habet, sperátque hâc se viâ aditum inventurum, ut eos deinde ad culpas graviores admittendas faciliùs pertrahat.

12. Et prô dolor! quis enumerare poterit eos, qui hisce satanicis præstigiis, & astibus decepti, illaqueatíque miserrimè perierunt? Sanè exempla quàm plurima ad id comprobandum

haud desunt, ex quibus sequentem, quam memorat *Zacharias Boverius* in annal. PP. Capuc. historiam afferre sufficiet. Anno 1550. grassante pestiferâ lue in Marca Anconitana, accidit, ut etiam Minorum Observantium Conventus quidam inficeretur. Periêre multi ex Religiosis, & quoties eorum quispiam moriebatur, vidêre arcis Vigiliæ clarissimum splendorem se è cælis demittere, ac cœnobio illi insidere, quo indicio intelligebant fratrem aliquem hinc evocatum ad Superos; Angelus enim, ut piè creditur, socium se animæ illi jungebat ad Deum properanti. Quatuordecim ex hac vita emigrârunt indice tali splendore. Contigit & fratrem quendam Laicum mori, cùm excubiæ solitum lumen non conspexissent, petiêre è fratribus, curiosiúsque perquisiêre ab illis, quod vitæ genus tenuisset defunctus. Fratres, quibus mortui vita laudabilis semper erat, conversationem ejus summoperè commendabant. Factum tamen tacitè secum expendebant: cœperúntque de ejus salute plurimùm dubitare. Senex quidam inter ipsos summè Venerabilis, & pietate egregiâ conspicuus offerebat suffragia pro defuncti anima, & profusis lacrymis Deum humillimè rogabat, ut pro benignitate suâ dignaretur mortui statum revelare. Dum noctu pro anima illa preces facit, ecce, ingens flamma, & in ipsa defuncti anima ferreis candentibûsque vinculis ligata apparet. Non poterat spectrum hoc intueri Senex absque animi & corporis horrore. Quærit tamen: Quis es tu? Anima laici nuper defuncti sum ego, respondet spiritus. Instititit Senex: an in loco salutis es? Defunctus: Eheu! maledicta sit dies, quæ me in lucem edidit. Ah! utinam natus nunquam fuissem, æternæ profectò damnationis sententiâ nunc non premerer, in æternos enim gehennæ cruciatus deturbatus sum. Prosequitur Religiosus Senex; & cur in barathrum præcipitatus es? respondet: quinque rosaria æternum mihi incendium paraverunt. Emeram illa ab amico, cogitans ea sanguine mihi junctis donare. Superioris mei licentiam neglexi, nec unquam confessus sum, neque grave peccatum existimabam, licèt sæpe sæpiùs oblatraret conscientia. Cùm ad Dei tribunal causa deducta esset, non levis sed magni momenti negotium visum est, & damnationis sententiam ùt proprietarius accepi. Ut autem exploratum habeas vera esse quæ dico, scabellum inspicias Oratorii, ubi preces fundere solitus eram, & reperies quinque illa Rosaria, de quibus loquor, damnationis pretium. Quibus dictis disparuit. Hinc ergo manifestè liquet, quanto se salutis perdendæ periculo exponant, qui parum pro nihilo reputant.

13. Nec quisquam Religiosorum mihi dicat: observo vota, & quidquid in solemni mea Professione Deo promisi, ac proinde divina supplicia non puto me experturum, licèt alias Regulas, & Religionis statuta non observem. Tali enim, qui similia in corde tenet, apertisque quandoque verbis idipsum proloquitur, respondeo; valde consuetum & facillimum transitum esse à Regularum transgressione ad votorum violationem, & præceptorum prævaricationem, juxta superiùs dicta. Hinc docet *Sanctus Thomas*

quodlib.

quodlib. 4. a. 23. *Difficilè esse, quòd homo præcepta servet, quibus intratur in Regnum, nisi sequendo consilia.* Et iterum: *Consilia parare viam ad servanda præcepta.* Cui astipulatur *Divus Hieronymus* in reg. Monach. *Non sunt contemnenda,* inquit, *quasi parva sint, sine quibus majora constare non possunt.* Videntur quidem similes rerum minimarum observantiæ levis & exigui ponderis negotia, verissimum tamen est, quòd absque his majora nequeant consistere. Forsan arbor sine cortice durat? aut frumentum perfectionem suam nanciscitur sine culmo, sine spica? Itaque hæc est una causa interitûs multorum Religiosorum, parvi æstimare parva. Quocircò, Amice Frater, ne salutem tuam ambiguam reddas, noli despicere minima. Ut autem magis firmiúsque in hac minimorum cura te fundes, animúmque obfirmes, accuratè, quod sequitur, perpende.

# PARS TERTIA.

14. ALtera causa, cur multi è Religiosis pereant, sumitur ex eo, quòd omnes Religiosi vi Professionis suæ teneantur tendere ad perfectionem, & quidem sub lethali culpa, ùt docet *Sanctus Thomas* secundâ secundæ quæst. 185. art. 5. ad 2. Ubi licèt asserat, non teneri Religiosum esse perfectum, tamen dicit, teneri ad perfectionem tendere, & ad hoc obligari ex statu, quem profitetur, aliter non esse Religiosum verum, sed mendacem & simulatorem, ostendentem exteriùs professionem perfectionis ex statu, cùm interiùs illam non habeat. Mendacium enim, ùt ibi in argum. 2. ex *Ambrosio* affert, non solùm est in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus. Propterea in responsione ad illud argumentum concludit his verbis: *Unde non committit aliquis mendacium vel simulationem ex hoc, quòd aliquis non est perfectus, qui statum perfectionis sumit; sed ex eo, quòd ab intentione perfectionis animum revocat.* Quæ verba explicans *Cajetanus*, notat dupliciter deficere à perfectione, ad quam quis tenetur. Uno modo *Executivè*, quia scilicet non exequitur illos perfectionis actus, quos debet; & talem dicit non esse simulatorem, neque mendacem. Alio modo *secundùm intentionem*, quia scilicet deponit intentionem perfectionem prosequendi, & de hoc secundo modo dicit, videri locutum S. Doctorem, esse in statu peccati mortalis tanquam mendacem & simulatorem facto, qui talem intentionem deponit.

15. Ex quibus liquidè constat gravissimè hallucinari Religiosum illum, qui intra semetipsum diceret: *Hæc me non obligant ad culpam: ergo non curo illa observare:* talis enim esset in statu peccati mortalis, quia contemneret perfectionem; siquidem talis loquendi modus indicat similem Religiosum interiùs deposuisse intentionem illa observandi, & consequenter etiam intentionem proficiendi, & per hoc jam

peccato mortali esse obstrictum. Nam, ùt advertit *Cajetanus*, animus proficiendi probatur, quando aliquis intendit vivere secundùm Regulam, & Constitutiones suas, in quibus non solùm præcepta & vota continentur, sed reliqua etiam conducentia ad perfectionem, ad quam quivis Religionem profitens, ex statu spontaneè assumpto obligatur: qui autem dicit, se non curare observare ea, quæ sub culpa non obligant, animum deposuisse convincitur vivendi secundùm Regulam, & Constitutiones, in quibus ista præscribuntur. Unde præfatus Doctor ponit ibi hæc verba multùm notanda. *Et propterea caveant sibi multùm Religiosi, ne animum proficiendi deponant.* Et explicans, quando hunc animum proficiendi habeant, subjungit: *Quem tunc procul dubio habent, cùm intendunt vivere secundùm Regulam, & Constitutiones suas, quamvis in multis interdum delinquant.* Ergo per oppositum, quando non intendunt vivere secundùm ea, quæ præscribuntur in Regula & Constitutionibus, animum proficiendi non habent; quod patet in eo, qui dicit saltem in corde suo: *Non curo.* Ex quo infertur, quòd ille, qui Religionis jejunia, silentium, frequentationem Chori, & hujusmodi, in quorum transgressione, licèt sit assignata pœna, non tamen incurritur culpa, si, inquam, ista non curaret, tunc se in statu peccati mortalis constitueret. Et hæc est sententia expressa Sancti Bernardi, Sancti Bonaventuræ, & Sancti Thomæ, aliorumque famosorum Doctorum, quos refert noster *Pater Ignatius* in Turri salut. fol. 177. num. 19. qui §. sequenti, ut hæc veritas magis pateat, adducit ipsa verba *D. Thomæ*, quæ sic sonant: *Sed exemplis clarius elucescet, quod dicimus. Si jubente Seniore, ut sileam, verbum mihi fortè per oblivionem elabitur, reum me fateor inobedientiæ, sed venialiter. Si ex contemptu sciens & deliberans spontè in verba prorupero, & rupero silentii legem, prævaricatorem me constituo, & criminaliter*; ubi ly *criminaliter* ostendit non quamlibet culpam, sed mortalem. Quod magìs explicans subjungit *Doctor Angelicus*: *Et si impœnitens persevero, usque ad mortem peccavi, & damnabiliter.*

16. Sed dices, si contemptus, ùt nunc ex dictis patet, faciat culpam esse mortiferam, quando censebitur datus contemptus? Respondetur, tunc quando Religiosus Regulæ & Constitutionibus se non vult subjicere, & ex hoc motivo eas transgreditur, volens suo arbitrio, & suo modo vivere, non verò secundùm Regulæ & Religionis præscriptum. Audi *Divum Thomam* secundâ secundæ quæst. 186. art 9. *Tunc intercedit formalis contemptus, quando voluntas renuit subjici ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam.* Et talis contemptus mortalis est, peccatur enim contra Regulam non ex fragilitate & negligentia, sed ex voluntatis malitia & perversitate. Frequenter item & ex consuetudine violare regulam, esse mortale, docet *Sanchez* lib. 6. mor. cap. 4. num. 18. & 20. Tum quia talis Religiosus perturbat Religiosam disciplinam: tum quia secundùm quosdam est contemptus interpretativus, vel saltem probabilissimum ejus periculum; tenetur autem

autem ſub mortali ita vivere, ut non ſit graviter perniciosus Religioni, inducendo alios malo exemplo ad Regulæ laxitatem. Ita *Sanchez*, cui aſtipulatur *Laymanus* lib. 4 tom. 5. cap. 9. Proinde ſeriò non ſine ratione monet *Sanctus Bernardus* ſerm. de Converſ. *S. Pauli* dicens: *Diſcite, Juſtum Judicem Deum non modò, quid fiat, ſed quomodò fiat, conſiderare, & cavete deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva, ſi ſcienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde ſuo: levia ſunt iſta, non curo corrigere: non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus, minimisque peccatis: hæc enim, dilectiſſimi, impœnitentia eſt, hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum, hæc blaſphemia irremiſſibilis.* Hactenus *Abbas Mellifluus.*

17. Enimverò, citra temeritatem negari nequit, nunc allata non eſſe veriſſima, utpotè tot doctiſſimorum, juxtáque ſanctiſſimorum virorum authoritate munita roboratáque. Unde nequaquam mirum alicui videri debet, multos Cœnobitas æternùm perire, cùm perſpiciamus, non paucos inter eos reperiri, qui liberrimè Conſtitutiones ſuas transgredi non verentur, quæque ad gravem culpam non obligant, parvi pendunt; nihilque curant, neque ulla media ad perfectionem aſſequendam neceſſaria arripiunt, falsò, ſed non ſine craſſa & culpabili ignorantia arbitrantes, in his transgrediendis, & illis negligendis nullum latere animæ periculum ſeu grave peccatum; sicque toti excæcati graviter allucinantur, miſerabilitérque ad portas inferni accelerant. Quòd porrò hoc non ſit vanum, fabuloſúmque commentum, docemur hâc hiſtoriâ. *Sanctus Dominicus* Prædicatorum Ordinis Fundator (ùt memorat *Bzovius* tom. 14. Annal. Anno 1213.) cùm infelicem aliquem hæreticum Albigenſem energumenum conjuràſſet, plurima ex maligno illo Spiritu ſcitatus eſt, & inter cætera, cujus ſtatûs & conditionis homines plurimùm inter Chriſtianos damnarentur? Reſpondit dæmon: Principes utriuſque ſexûs, & Prælatos ſine numero habemus, ruſticos pauciſſimos, mercatores & cives ſat multos, Sacerdotes etiam multos, at (quæ verba benè ſunt notanda) verè Religioſos nullos, plurimos autem ex his, qui nullâ Ordinis ſui Statutorum habitâ ratione, ea per temeritatem transgrediuntur. Horrenda profectò verba! Bonorum & verè obſervantium Religioſorum nullus damnatur, inobſervantium, temerariorum, qui vel ex contemptu, vel ex vitioſo habitu Statuta ſua prævaricantur, infinitus numerus in gehennæ barathrum præcipitatur.

18. Certò res commiſeratione digna, etiam illos, qui mundo valere juſſo, calcatíſque ſæculi cupediis ad Religioſorum clauſtra Deo famulaturi, animæque ſuæ ſalutem adepturi properârunt, non in exiguo numero ad orcum deſcendere. Cauſam hujus jam intelleximus, eſſe ſcilicet hanc, quòd in arrepta virtutis ſemita ſegneſcant, & delaſſentur; unde fit, quòd ſenſim & inadvertenter ſic in ſtudio perfectionis deficiant, ut, antequam ipſi ſe defeciſſe credunt & opinantur, jam non tam tepidi, quàm mali & perverſi eſſe comperiantur, à quo perverſo ſtatu ſuo difficillimè ſe emergent. Poteſt quidem Deus efficere, ut ad primos fervores, & laudabilem vitæ rationem denuò revertantur; ſed hoc miraculi

inſtar

instar haberi solet teste *Rodericio* part. 1. tract. 2. cap. 8. qui pro hac assertione confirmanda citat *Sanctum Bernardum*, qui ep. 96. *ad Richardum* Abbatem Fontanensem, ejúsque Religiosos scribens: cùm enim hi tepidum vitæ genus eatenus sectati essent; eos ipse admonitione suâ ad vitam insigniter fervidam traduxit. Itaque summâ quadam admiratione, animíque sui gaudio, hanc eis mutationem congratulatus, sic ait: Digitus Dei est iste. Quis dabit mihi, ut transeam, & cum Moyse videam visionem hanc magnam? Nec enim minùs mira, minúsve jucunda ista promotio, & miraculum est, quàm quod in rubo illo ardente, incombusto tamen, Moyses conspexit. Rarissima avis in terris est, qui de gradu, quem fortè in Religione semel attigerit, vel parum ascendat. Multò faciliùs reperies, multos sæculares converti ad bonum, quàm unum quempiam de Religiosis transire à vita tepida & remissa ad melius, vitámque fervidam. Hæc *Bernard.*

19. Ejus rei hæc est ratio, quòd sæculares non habeant tam efficacia & continua ad bonam vitam instituendam media, sicut habent Religiosi. Hinc dum fervidam aliquam audiunt concionem, vel dum repentinam & infortunatam vicini, aut amici sui mortem conspiciunt; novitas hæc terrorem quendam in illis causat, eósque ad vitæ emendationem impellit. At si Religiosus, qui isthæc remedia tam continua habet, tantam scilicet Sacramentorum frequentiam, tot spirituales exhortationes, tot de rebus divinis meditationes, tot de morte, judicio, inferno, gloria cælesti agendi, cogitandique exercitia; omnibus his non obstantibus, tepidus & perversus fit, quæ spes concipi potest, fore ut vitam is in meliorem mutet? Jam enim aures ejus hujuscemodi res assiduè audiendo occalluerunt: unde illud, quo alii ad pœnitentiam incitantur, ipsum nihil penitus movet. Hinc Religiosi, dum deficere semel incipiunt, ad malitiam summam magnis passibus properare solent. Placet audire magnum Ecclesiæ jubar *Augustinum*, qui ep. ad plebem Hipponens. 137. dicit: *Ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quam qui in Monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quàm qui in Monasteriis ceciderunt.* Asserit quoque *Bernardus* ser. 3. in festo Apost. Petri & Pauli, quàm paucissimos illorum, qui in Religione ceciderunt, ad eum denuò gradum & statum reverti, in quo antè fuerunt, sed eos semper in pejus ruere, ac deteriores fieri. Quos etiam (inquit) deplorat *Jerem.* Thren. 4. dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*: Hoc est, qui à Deo in oratione tam raris & suavibus deliciis perfundebantur, & quorum omnis conversatio in cælo erat, jam fœdissimarum voluptatum luto & cœno se oblectant.

20. Ex his ergo satis abundéque liquet, quanta animi torpor, & regularum suarum, etsi ad culpam gravem non obligantium, neglectus, mala & animæ pericula accersere solet; constat etiam, quàm necessarium sit Religioso ad consequendam salutem tendere ad perfectionem, minima scilicet Ordinis sui statuta non contemnendo, sed pro viribus eadem servando. Hinc Poëtarum non nemo rectè monet, dum canit:

*Prin-*

*Principiis obsta, serò medicina paratur,*
*Cum mala per longas invaluêre moras.*

Quocirca si veraciter inter bonos & veros, non verò inter mendaces & simulatores Religiosos numerari, & cum iisdem æternæ beatitudinis bravio potiri, desiderio flagres, principiis te mox obstare, abigendo nimirum non solùm graviora peccata, sed etiam levia, imò & ipsos affectus eradicare conando, oportet. Quod si verò nonnunquam ex humana magis fragilitate, quàm ex malitia in quædam peccata labaris, seu ex subita quadam passione Regulam & Religionis ordinationes in aliquo violasse te comperias, cave, ne propterea animo concidas, sed quamprimùm te deliquisse cognoveris, ad pœnitentiæ asylum protinùs recurre, arreptámque virtutis semitam constanter prosequere. Quemadmodum enim domus illa, quæ mox; dum aliquis sordidis pedibus ingressus est, eluitur, etiam munda dicitur; ita perfectus dici adhuc potest, qui interdum labitur in leviora peccata, modò illa statim per Confessionem & contritionem deleat. Et sicut Dux militaris, si constanter hostem impugnet & vellicet, egregii Ducis nomen obtinet, licèt non omnino expugnet & deleat, imò quandóque minùs feliciter pugnet; Ita perfectus Christi miles dici potest etiam is, qui interdum à passione vincitur, modò à contentione pugnæ non desistat.

21. Non ergo in proposito perfectionis assequendæ vacilla, si interdum in hoc spirituali certamine te languescere, aut omnino succumbere advertas, sed novas potiùs vires & fervorem assume, memor sententiæ à S. *Hieronymo* prolatæ, in ep. ad Ctesiph. *Hæc una*, inquit, *præsentis vitæ perfectio est, ut te imperfectum agnoscas.* Cui concinit S.P. *Aug.* Serm. 15. de verb. Apost. in hæc verba: *Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod non es; Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, & periisti.* Hinc ait Apostolum priùs suam imperfectionem professum esse, & postea se perfectum dixisse, quia ipsa est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum. Porrò ulteriùs notandum, perfectionem Religiosam in externis corporis asperitatibus, rigidísque pœnitentiæ exercitiis non esse sitam, uti interdum aliqui falsò sibi persuadent, sed talia duntaxat esse media ad perfectionem; uti rectè *Abbas Moyses* apud *Cassianum* in collat. P.P. coll. 5. advertit, dicens: *Jejunia, Vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illa pervenitur ad finem.* Perfectio igitur in perfecta duntaxat sita est charitate, ut testatur *Apostolus Coloss.* 3. dum monet: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

22. Quisquis ergo ob debiliorem naturæ complexionem magnas subire haud valet austeritates, non propterea tristetur, quasi minùs perfectus esse posset, quia dantur & alia media longè faciliora, non tamen ideo minùs efficacia ad pertingendam Religiosæ perfectionis metam. Egregiam *Rodericius* ad nostrum solatium hac in re doctrinam tradit, part. 3. tract. 5. cap. 16. aitque, quòd inter maximas, optimásque corporis asperitates & mortificationes, principem locum obtineat, si quis ita totum vitæ tempus in Religione traducat, nihil ut partitulare in ea habeat, & ad finem usque vitæ in sancta hac abstinentia & integritate maneat, communem Reli-

Religionis rigorem in omnibus obſervando, communi omnium cibo, veſtitu, opere ſemper contentus vivendo, nullum ſibi privilegium, exemptionem, aut ſingularitatem ambiendo. Hæc ergo tua præcipua ſit pœnitentia ac mortificatio in Religione, nihil ſingulare admittere, nedum conquirere. Hoc pœnitentiæ genus ſine ullo evaneſcendi periculo ſuſcipere potes: quia ſic nullam videris ſubire pœnitentiam, nec advertunt alii, utrùm te mortifices, nec ne. Eſt denique hæc pœnitentia una ex optimis, Deóque gratiſſimis, quas ſubire auſteritates potes. Simplex quidem & commune id vitæ genus eſſe videtur, coram Deo tamen ſingulare eſt, & ſolida ſecuráque perfectio & Sanctitas. Ita *Alphonſus Rodericius*, qui erat vir omnino doctiſſimus, parique vitæ Sanctimoniâ celebris; docuit námque non ſine ſingulari ſolertia, ſuorúmque diſcipulorum utilitate & profectu Sacram Theologiam 12. annos; poſtmodum conſtitutus fuit Magiſter Novitiorum, in quo munere 30. annis continuis permanſit; adminiſtravit etiam officium Patris Spiritualis ſeu Directoris Patrum illorum, qui in Tertiatu (ut vocant) ſe in ſpiritualibus exercitiis ſingulariter exercere ſolent, etiam annos 12. quo tempore volumen de perfectione Chriſtiana, quod hodiéque inter Religioſorum manus frequentiſſimè verſatur, conſcripſit. Hinc iterum Novitiis præficitur. Denique omnibus Eccleſiæ Sacramentis probè munitus mortuus eſt Anno 1606. 21. Febr. ætatis ſuæ 90. ex quibus 70. conſumpſit in Societate JESU, cujus laus exſtat pagina 20. Bibliothecæ Societatis JESU, unde clarè colligere eſt, eum cuncta, quæ docuit, opere ipſo impleſſe. Hoc ideo huc retuli, ut hujus Venerabilis Viri doctrina hoc in libro ſæpè allata pluris æſtimetur.

23. Cæterùm advertendum eſt, quòd tametſi aliquis Deum ex toto corde diligere, ejúsq; præcepta obſervare nõ modicum conaretur ſic, ut nullius, aut certè non multarum culparum ſeu imperfectionum ſibi conſcius eſſet, non tamen continuò ei fas eſt credere, ſe jam eſſe perfectum. Nam ut ſapienter S. *Gregorius* lib. 4. dial. dixit: Plerumque hi, quos jam perfectos homines æſtimant, adhuc in oculis ſummi Opificis aliquid habent imperfectionis. Sic ſæpe imperiti homines necdum perfectè ſculpta ſigilla conſpicimus, & jam quaſi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex conſiderat, & limat: laudari jam audit, & tamen ea tandem meliorare non deſinit. Proinde tametſi nullum in anima noſtra defectum latere videremus, haud tamen dubiè multos habemus, quos ſupremus Artifex optimè perſpectos habet; Unde magis ac magis ad perfectionem oportet anhelare; Nam ut S. *Bernardus* docet: *Nemo perfectus eſt, qui perfectior eſſe non appetit, & eò perfectiorem quiſquis ſe probat, quò ad majorem tendit perfectionem.* Et iterum *Indefeſſum*, inquit, *proficiendi ſtudium, & jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.* Et *Sancto Patre Auguſtino* teſte tract. 4. in epiſt. 1. Joan. *Tota vita boni Chriſtiani Sanctum eſt deſiderium proficiendi.* Hic finus noſter eſt, hic ſaccus, & quia anguſtus eſt, extendendo facis capaciorem.

24. *Sanctus Hieronymus* exponens hæc Matth. 5. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt Juſtitiam*; eos hîc vocari ait beatos, qui quamvis juſtiſſimi ſint, nunquam tamen juſtitiâ ſuâ ſaturantur, nec ſibi ſufficere credunt ea, quæ habent, ſed ad majorem virtutem & perfectionem

ceu famelici ac sitibundi anhelant, uti anhelabat *Propheta* ille, qui dicebat & à Deo precabatur: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Ps.* 50. Non sufficit mihi, quòd à peccatis mundus, quòd dealbatus sim; sed velim insuper, ut nivis instar, & etiam supra nivem me dealbes. *Asperges*, inquit, *me, Domine hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.* Sic & nos ad Deum clamare, eúmque precari debemus, dicentes: Domine, humilitatem majorem, patientiam fortiorem, charitatem ardentiorem, plus mortificationis, indifferentiæ & resignationis &c. & amplius lava me. Denique ut Sermoni finem imponamus, ad Religiosæ perfectionis semitam alacriter decurrendam non modicum conducit legere Vitas & Exempla Sanctorum, eorúmque acta & facta ante mentis obtutum collocare. Nam ut *Sanctus Gregorius Nyssenus* lib. de vita Moys. ait: *Credendum est, idcirco vitas præstantissimorum virorum exquisitissimè perscriptas esse, ut vita nostra imitatione ad Virtutem & bonum rectius deducatur.* Unde quemadmodum pictores, quando imaginem ex imagine pingunt, identidem ad exemplar respicientes, characterem ad suum opificium inde transferre conantur; ita oportet eum, qui studet seipsum omnibus virtutum partibus perfectum reddere, Sanctorum vitas, velut simulachra quædam viva, & efficacia respicere, illorúmque bona opera per imitationem sua facere. Hoc si præstiterimus, dubium non est, quin ad optatum perfectionis portum, feliciter enataturi, indéq; ineffabili perfusi gaudio Civitatem cœlestem Jerusalem subituri simus.

# SERMO XLV.

# DE MORTIFICATIONE.

*Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis.* Galat. 5. Vers. 24.

## PARS PRIMA.

1. Quemadmodum necessarius est victus ad conservandam corporis vitam, ita necessaria est quotidiana mortificatio ad spiritualem animæ vitam sustentandam. Mortificatio porrò nihil aliud est, quàm suppressio malarum affectionum, quæ ex vitio depravatæ naturæ, vel suggestione dæmonis in homine solent oriri. Ratio verò, cur continua mortificatio in homine Christiano requiratur, est, quòd sit secundùm naturam ab incunabulis ad malitiam pronus; hinc necesse habet, quotidie laborare, ut rebellantem carnem per mortificationem deprimat, ac spiritui subjuget: Sine quo studio ac conamine neque officio hominis,

neque Christiani, neque Religiosi satisfacere quis potest, sed contingit (ut *Rodriquez* part. 2. tract. 1. cap. 18. perhibet) quod in horto imaginibus ex myrto, aut alio herbarum genere efformatis evenire videmus, ut scilicet nisi assiduò luxuriantes herbæ amputentur, hominis aut alterius rei figuram amittant. Hinc rectè S. *Bernardus* sup. *Cant.* Serm. 58. dixit: Parùm est semel putâsse, sæpè putandum est, imò si fieri potest, semper, quia semper quod putari oportet, si non dissimules, invenies; Putata enim repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, sopita denuò excitantur, ideo hæc putatio necessaria. Necessaria, inquam, ad virtutum fructus progerminandos, vitiáque profliganda. Nam quemadmodum terra sibi relicta non nisi carduos, spinas & tribulos profert; ita neque ab animæ nostræ agro sperari aliud poterit, quàm vitiorum lolium, si aratro mortificationis non fuerit excultus.

2. Porrò tametsi aliquis, sive continuo mortificationis studio, sive singulari Dei beneficio inordinatas animi sui affectiones sic vicisset, aut rationi subjectas haberet, ut se ab illis nihil oppugnari sentiret, non tamen ideo à studio mortificationis recedere debet, quasi jam securus foret, sed prudenter invigilare, ne forte hostis domesticus in occulto lateat, & se, dum minimè putat, aggrediatur. Unde S. *Bernardus* Serm. 5. in *Cant.* monet: *Quantumcunque enim in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa: velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebusæus; subjugari namque potest, exterminari nequaquam.* Quare in hac vita mortali à mortificationum exercitio nunquam abstinendum est, sive vitia palàm contra nos desæviant, sive occultas tantùm radices agant. Bellè proin quemlibet nostrûm ad hoc mortificationis studium provocare conatur *Rodriquez* loc. citato cap. 4. scitâ hâc similitudine: Sicut equus, inquit, etiam mansuetissimus nunquam facilè sine fræno relinquitur à sessore; ita nec animus noster ab homine sine fræno mortificationis relinquendus est, quantumcunque in virtutis studio profecerit.

3. Hoc ipsum egregiè præstitit S. *Antonius Abbas*, hic enim, ùt refert S. *Athanasius*, cùm in adolescentia maximas pœnitentias fecisset, multísque annis incredibiles pugnas cum dæmonibus sustinuisset, quando ad extremam senectam, in qua aliquid quieti dandum videbatur, pervenit, renovare cœpit omnia pristina pœnitentiæ exercitia. Quò nos doceret, nunquam cessare debere à mortificationibus. Idémque S. *Franciscus Seraphicus* faciebat. Ad quem scopum collimat *Apostolus* 2. Cor. 4. *Semper mortificationem JESU in corpore nostro circumferentes, ut & vita JESU manifestetur in corporibus nostris.* Hinc 1. *Cor.* 9. rursus de seipso sic scribit: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Quomodo verò corpus nostrum mortificandum sit, suggerit S. *Bernardus* ep. ad fratr. de Monte Dei his verbis: *Docendus est homo sic habere corpus suum, sicut ægrotum, cui etiam multa volenti inutilia sunt neganda, utilia verò etiam nolenti ingerenda.* Ad hanc porrò mortificationem nos æquitas invitat frequentandam. Quid enim æquiùs, quàm ut ancilla dominari non sinatur? quid æquiùs, quàm ut equo frenum

ſemper applicetur? Quid æquiùs, quàm ut hoſtem, vitæ & quidem æternæ inſidiantem, aſſiduò perſequamur? quid æquiùs, quàm ut is, qui toties Dei Filium occidit, ad mortem ſaltem ſpiritualem damnetur? Quòd verò hoc non ſit crudelitas (quemadmodum non pauci mundanorum falsò opinantur) docet ſæpè citatus Rodriquez hiſce verbis: Sicut infirmus, licèt brachium ſuum propter bonum totius corporis uſtulari permittat, non tamen odiſſe illud, ſed amare cenſetur: ita & nemo animam ſuam odiſſe dicendus eſt, licèt ferro mortificationis eam propter bonum totius hominis aduri permittat.

4. S. *Eucherius* myſticam dedit rationem, cur Deus in antiquis Sacrificiis prohibuerit ſibi offerri mel. *Nec quicquam mellis adolebitur in Sacrificio Domini.* Levit. 2. v. 11. Quia reſoluti blandimentis delitiarum, aut dulcedine voluptatum non poſſunt Myſteriorum Dei eſſe participes. Hinc videmus, quòd non priùs Iſraëlitis Manna in deſerto datum ſit, quàm panis Ægypti defecerit, ad denotandum, quòd homo cæleſtibus conſolationibus non citiùs reficiatur, quàm per mortificationem terrena ſolatia abjecerit. Unde Chriſtus S. *Catharinæ Senenſi* dicebat: *Quantò magis morieris in te, tantò magis vives in me: & quò purgatius ejicies, quod tuum eſt, tantò abundantius ipſe reponam, quod meum eſt.* Et S. *Franciſco* dicebat: *Me deſideras? Amara tibi dulcia, dulcia amara ſunto.* Monet proinde pius *Aſceta* l. 3. c. 43. *Stude mortificationi vitiorum, quia hoc amplius tibi proderit, quam notitia multarum difficilium quæſtionum.* Nihil quippe pretioſiùs in anima reperiri poteſt, quàm ſi indefatigabiliter ad Deum ſuſpiret; hoc autem bonum per vitiorum mortificationem obtinetur, quemadmodum S. P. *Aug.* in *Pſ.* 41. his docet verbis: Cervus Serpentes necat, & poſt ſerpentium interemptionem majori ſiti inardeſcit, peremptis ſerpentibus acriùs ad fontes currit; Serpentes vitia tua ſunt, conſume ſerpentes iniquitatis, tunc ampliùs deſiderabis fontem Veritatis. Et Serm. 3. de Aſcenſ. ſic idem S. *Doctor* fatur: *Aſcendamus etiam poſt illum per vitia & paſſiones noſtras. De vitiis noſtris ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus: attollent enim ipſa nos, ſi fuerint infra nos.*

5. Cum quidam ex antiquis illis eremi Patribus nullum corporis affligendi modum teneret, ideóque ab aliis de rigore temperando moneretur, reſpondit ille: Mihi credite, filii, ſi & locus & ſtatus, conditióque Beatorum in cælis dolorem aliquem admitteret, diſplicentiæque alicujus capax eſſet, profectò hoc unum maximè dolerent, quòd plures & graviores affligendi ſe mortificandíque occaſiones non quæſiviſſent. Digna ſanè tali viro reſponſio, cui contradicere, temeritatem ſaperet; præſertim cùm infinita propemodum SS. Virorum exempla exſtent, aſſertionem hanc probantia; Tanta enim pœnitentiarum, & mortificationum exercitia ſubierunt, ut humanas vires longè exceſſiſſe videantur. S. *Simeon Stylites* in diverſis columnis ultra 50. annos jugiter ſtetit, & integro anno uni ſolummodò pedi innixus. S. *Moyſes* Æthiops ſex annis pernox ſtetit, ut ſomnum vinceret. Trienniò in ſepulchro *Siſinius* noctibus atque diebus, nunquam ſedens, acclinans, aut jacens, aut egrediens hæſit. S. *Elpidius* omnes noctes ſtando, & pſallendo peragebat tantâ conſtantiâ, ut nec à ſcorpione læſus ſe commoverit. S. *Wlphus* (ut *Gregor. Turon.* lib. 8. hiſt. Franc. c. 15.

perhibet) de se dicere potuit: Columnam statui, in qua cum grandi cruciatu sine ullo pedum tegmine stabam; cùm hyemis tempus advenisset, ita frigore glaciali urebar, ut ungues pedum meorum vis frigoris sæpius excuteret, & in barba mea aqua gelu connexa candelarum more dependeret. S. *Zoërardus*, teste *Mauro Episcopo* in vita, tamdiu ad nudum corpus catenam portavit æream, quoad carnibus putrefactis cute obduceretur. Latuisset hoc martyrium, nisi post mortem ad umbilicum apparuissent nodi ligantis metalli, quod dum è cadavere extrahitur, auditus est sonus elisarum costarum. S. *Simeonis Stylitæ* jam memorati pes catenâ ferreâ ligatus in tantum computruit, ut cimices inde excrescerent, qui si fortè dilabebantur, reponebat in ulcera dicens: *Manducate, quod vobis Dominus dedit.*

6. S. *Lupicinus* (ut *Gregor. Turon.* sup. cap. 7. testatur) in sua cellula grandem habebat lapidem, quem duo homines vix levassent, hunc cervici impositum per totum diem psalmos canendo portabat in sua cella, quo fiebat, ut assidua depressione thoracis pulmones corrumperentur, ipséque sanguinem copiosè exspueret; Noctu verò tanquam lapis non sufficeret mortificationi, baculum quem manu gestare solebat, duabus desuper sudibus aculeatum mento supponebat, ne unquam somno corpusculum recreare valeret. Hinc multi de nocte ad ejus cellam accedentes, audierunt concentum Angelorum. *B. Elphegus* ex Monacho Episcopus (teste *Osberno* Monacho in vita) in hyemali frigore & glacie, cùm somnus noctu omnes detineret, ipse clam nudis pedibus solâ tunicâ indutus de strato surgere, foras ire, & usque ad auroram orationibus vacare consuevit. S. *Rodulphus* Monachus noctu, quantumvis gravis bruma rigeret, nudis pedibus ac cruribus, usquedum dilucesceret, psallebat. S. *Dominicus Loricatus* vestes non ultra tibias demittebat, ut frigus nudatos pedes adureret.

7. S. *Christianus* Eremita in hyeme stabat in aqua gelida usque ad collum immersus, deinde se verberabat, usque dum virgæ disrumperentur. Ut auctor est *Vinc. Bellov.* lib. 19. cap. 11. S. *Petrus Damiani* ùt testatur *Hieron. Rubeus* in vita, contra æstum libidinis noctibus è cubili surgens, aquis se immersit, dum totus frigesceret, atque inde egressus, non in lectum, sed in preces se volvebat. S. *Orientius* Eremita omni die in aqua frigida stans usque ad umbilicum Davidis Psalterium absolvebat. Lib. 4. *Vit.* PP. S. *Edmundus* Cantuariensis Episcopus, referente *Surio* in ejus vita, non tantùm Zonâ, sed etiam caligis utebatur cilicinis: solo pane vilique cibo contentus, nec pisces, nec carnes comedebat, ut labia dirumperentur: ad quietem nocturnam capiendam nec lodicibus, nec stragulo, nec pulvino utebatur, sed propriis tantùm vestibus tectus considebat, idque per 30. annos, etiam ad Archi-Episcopi dignitatem evectus, continuabat. Prôh! omnia similia Sanctissimorum Virorum mortificationum genera referre, quantum onus ac labor foret?

8. Ast nihilominus non omittendum, quod de Venerabili Patre nostro *Joanne à S. Guilelmo* referunt vitæ ejus scriptores; adeo enim eum rigidè vixisse testantur, ut etiam antiquorum Patrum austeritatem supergressus fuisse videatur: Inter alia mortificationum genera sunt ista: In regionibus calidissimis commorans, capite discooperto & ad solem exposito

in æstate incedebat: hyeme verò summo manè nudis pedibus super glaciale solum, & spinas pluviarum tempore ambulabat, suosque ad similia agenda venustè admodùm & lepidè hortabatur, dicens: *qui timet sclopetariorum pilas pumbeas, non eat ad bellum, qui timet pati, non quærat cælum, & si per multas tribulationes in cælum intrare oportet, veniant super me omnia mundi mala.* De nocte sæpissimè cellulæ suæ fenestram habebat apertam, ut sic faciliùs ex aëris intemperie molestaretur, & ingredientes culices & sciniphes aculeis suis eum durissimè affligerent. Præterea semper nudis pedibus ambulabat, quorum plantæ glacie, lapidibus & spinis in minutissimas partes incisæ copiosum sanguinem aliquando emittebant. Nec quidem hyemali tempore ad ignem accedebat: Ad imitationem S. *Guilelmi* pro indusio ferreâ loricâ utebatur, ne autem ferruginem contraheret, aliam de novo sumebat; tres enim habebat, quibus unâ post alteram utebatur; earum aliquas penitùs consumpsit. Per cellulæ ejus rimas, cùm habitum exueret, loricæ annulos ita carnem penetrasse quidam semel viderunt, ut vix discerni posset, an loricam haberet. Neque illi ad corporis ornamentum deerant Zonæ & armillæ, ingenti etenim catenâ ferreâ utebatur, quæ à scapula dextra ad latus sinistrum, & à scapula sinistra ad latus dexterum in Crucis figuram supra pectus extensa erat: alterâ insuper cingebatur, quam adeò contractam portabat, ut anno 1605. cùm in periculosam infirmitatem incidisset, Socius ejus Frater Laurentius, cùm eum in lectum transportaret, præfatam vidit catenam adeò constrictam, corporique adhærentem, ut carnem ipsam jam purulentam penetraret. Quare illam non sine maximo P. Joannis dolore simul cum carne multis in locis affixa extraxit. Aliquando etiam in locum illius catenæ ferreo circulo cum quibusdam aculeis utebatur, quæ omnia magnâ veneratione Populoniæ asservantur.

9. Verùm enim verò, hæc & alia Sanctorum acta non ideo narro, ut imiteris, Sancti enim homines divino spiritu afflati multa egerunt, & fecerunt, quæ mirari potiùs, quàm imitari debemus. Unus etiam altero robustioris naturæ est. Discretio velut Regina virtutum, consiliúmque Seniorum in corporalibus mortificationibus nos moderari debent. Quocirco hæc duntaxat ideo memorata sunt, partim ut nos saltem studeamus parva mortificationum exercitia sedulò obire, confidentes de gratia Divina, quæ ad hoc profectò nobis haud deerit, dummodò nos ipsi per socordiam non ponamus obstaculum. Partim etiam, ut hisce heroicis actis inspectis non inflemur, & evanescamus ob exiguas aliquas peractas mortificationes, eásque ne plùs æquo æstimemus, considerantes has propemodum nullas esse, si cum SS. *Patrum* austeritatibus conferantur. Itaque ut ad alias nobis magìs convenientes, nec tamen ideo minùs utiles Deóque gratas mortificationes divertamus, necesse erit breviter de his tractare.



# PARS SECUNDA.

10. O Ptima ergo mortificatio est, vincere seipsum, juxta commune illud axioma: *Fortior est, qui se quàm qui fortissima vincit mœnia.* Consistit porrò hæc victoria in abnegatione propriæ voluntatis; id est, si quod appetitus desiderat, non concedamus, & quod horret, amplectamur. Præclarè in hoc certamine se gessit quidam ex antiquis Monachis, ùt *Pelagius* in *Vitis* PP. refert; Hic námque cùm Seni cuidam inserviret, contigit, ut ulcus Seni in corpore pronasceretur, ex quo multa sanies cum grandi fœtore profluebat Dicebat autem cogitatio sua illi fratri: Discede hinc, quia non potes sufferre fœtorem putredinis istius: Quam cogitationem ut reprimeret, tulit vas, & lavit ulcus Senis, recollegitque aquam in vase, & quoties sitiebat, ex ea bibit. Cœpit autem iterum cogitatio sua solicitare eum dicens: Si non vis fugere, saltem non bibas fœtorem hunc. At ille toleranter ferebat bibens lavaturam vulneris sui Patris. Et cùm ita ministraret Seni, vidit Deus charitatem laboris illius, illam ulceris lavaturam vertit in aquam mundissimam, & Senem invisibili medicamento sanavit. Secutus est hunc S. *Franciscus Xaverius*, nam ut seipsum, & nauseam, quam ex ægri ulcerosi servitio sentiebat, vinceret, saniem ex illius ulceribus exsuxit.

11. Plures præterea alii non desunt, qui hoc ipsum mortificationis genus sunt amplexi, inter quos vel apprimè numerari debet devota Christi Sponsa S. *Catharina Senensis*; Hæc cùm aliquando decumbenti ex morbo mulierculæ (à qua S. Virgo antè fœdis omnino conviciis proscissa, & velut infamis lupa proclamata fuerat) serviret, intolerabili afflata fœtore nauseam sensit, quam cùm à stygio Veteratore motam suspicaretur, ut hâc à sancto proposito sese dimoveret, ipsa sibimet offensa hæc secum: *Quid? inquit, adeóne exosa tibi Soror Christi Sanguine redempta? an non es ipsa tu simili magisque fœdo morbo obnoxia? utique:* Dixit, & nares cancro mulierculæ laborantis admovit, hiantíque ore putidam mephytim hausit, donec rebellis carnis affectum domaret. Aliàs etiam generosius facinus tentavit, nam cùm putidam ejusdem mulierculæ laborantis tabem exhorruisset, & aquâ cancrum eluisset, eandem patinâ exceptam avido hausit ore, itaque tentationem vicit, suóque Confessario fassa est, nunquam in omnem vitam quidquam suavius à se gustatum. Placuit adeò hic heroicus actus Christo Domino, ut sequenti nocte ei apparuerit, gloriosæque adeò victoriæ congratulaturus patulam sui lateris plagam exhibuerit, de quâ S. Virgo tantas cælestes delitias suxit, ut earum etiam vis in ejus corpus redundaret. Si igitur ob victoriam sui ipsius tam raræ à Divina Bonitate præstentur gratiæ in hoc mundo, quanta ergo merces & gloria manebit in Patria, ubi proprius est remunerationis locus?

12. Quòd si verò hoc seipsum vincendi genus, utpotè Sanctis duntaxat proprium, alicui nimis durum videretur, non desunt alia, quibus fructuosè homo seipsum mortificare, ac rebellem carnem spiritui subjugare potest, videlicet per mortificationes sensuum, hæ enim sunt saluberrimæ; Sicut enim per sensus hominis plurima vitia subin-

subintrant in animam; Sic etiam per eorum mortificationem pleraque vitia præcaventur, Virtutésque acquiruntur. Idcirco de quinque sensuum mortificationibus breviter agendum censeo, de Visu, auditu, olfactu, & tactu in præsenti; de gustu verò in subsequenti Sermone differemus. Visus itaque mortificari potest, 1mò Cohibere oculos ab aspectu earum rerum, ex quibus posset sumi aliqua occasio peccandi, uti sunt v. g. comœdiæ profanæ, choreæ, familiares conversationes virorum cum mulieribus, & similia, quæ quamvìs in se subinde peccaminosa non sint, animum tamen incauti spectatoris facilè à Deo avertere possunt. 2dò Visum mortificare oportet, cohibendo oculos ab aspectu mulierum; vide dicta Sermone 18. num. 21. & consequenter.

13. Tertius mortificandi visum gradus est, refrænare oculos à curioso aspectu pomparum mundanarum, vel rerum artificiosarum, aut casualium eventuum, qui aliquando sub fenestris, aut quocunque transitu solent occurrere. Ita fecit *S. Carolus Borromæus*, qui cum in conclavi suo juxta fenestram soleret audientiam dare, nunquam ad extra prospexit, esto qualiscunque tumultus aut rumor oriretur in platea. Quartus gradus est, cohibere subinde oculos ab aspectu earum rerum, quæ visum maximè delectant, uti sunt, v. g. horti delitiosi, artificiosi aquæductus, flores rariores, thesauraria Principum, & his similia. Quemadmodum olim fecit nunc memoratus Sanctus Cardinalis, qui cùm à Prælato quodam invitaretur, ut pro captanda aura dignaretur se conferre ad hortum, duabus leucis Mediolano dissitum, & eâ tempestate præ omnibus totius Lombardiæ hortis celeberrimum; ivit quidem, ubi tamen ad hortum illum introductus fuit, semel tantummodò illum, & quidem obiter & per modum insensilis statuæ circuivit, ita ut artificiosissimas illas fontanas, elegantissimas areolas, flores rarissimos, & alia id genus selectissima hortorum delectamenta, quæ aliorum animos in maximam admirationem rapere solebant, ipse vix uno respiceret oculo. *S. Franciscus Borgias* etiam cum adhuc sæcularis miram ex falconum aucupio voluptatem caperet, ut se mortificaret, ipso, quo falco herodium insectabatur, & occidere parabat, tempore oculos claudebat. Item P. *Joannes Berghman* è Societate JESU sic oculos frænabat, ut eos nunquam terrâ attolleret, nisi ratione aut necessitate cogente. Aliquando coactus interesse Dramati, nunquam oculos sustulit, ita ut Nobilis quispiam id advertens, socio in aurem diceret: Profectò hic Pater Sanctus est. Nunquam etiam adduci potuit, ut hortos, vineas, solennes equitationes Romæ aspiceret. In *Vit.* p. 2. fol. 74. & 77. *Sara* Virginum Sacrarum Antistita, teste *Drexelio* in Nicet. lib. 1. §. 6. in Monasterio Scythiotico sexaginta annis prope aquam limpidissimam habitavit, & nunquam eam aspexit. Quod idem fecit è Societate JESU quidam Novitius, qui Neapoli moriens fassus est, scilicet ob oculos à jucundo maris vicini aspectu custoditos hoc habere præmii, ut in morte Angelorum fuerit aspectu recreatus. *Nadasi* in ann. Angelico.

14. Quintus mortificandi visum gradus est, cohibere oculos ab aspectu faciei alterius, qui secum loquitur, sive sit ejusdem sexûs, sive disparis. Ita fecit *Sancta Clara* de Monte Falco ex Sacro Ordine nostro. Hæc quoties alteri cuicunque loqueretur, semper oculos

ſuos velabat, ne faciem ejus videret: neque adduci poterat, ut vel ſaltem fratri ſuo germano pariter Religioſo revelatâ facie, oculiſque è terra ſublatis colloqueretur, dicere ſolita, ſe ad loquendum non egere oculis, ſed linguâ tantùm. Hoc ipſum etiam monet *Mellifluus Bernardus* in form. honeſt. vit. dicens: *Nunquam alicui oculum in faciem figas.* Tandem perfectiſſimus hac in mortificatione gradus eſt, non elevare oculos à terra, niſi ad aſpiciendas res ſacras, vel ad ea tantùm, quæ ex præciſa neceſſitate ſunt videnda, & cùm hic gradus cæteris ſit perfectior, ideo etiam eſt difficilior, practicatus tamen à multis ferventibus Dei Servis, quibus exemplo præluxit Salvator noſter, cùm enim vellet benedicere panem, *ſublevabat oculos. Joan.* 6. verſ. 5. quod (teſte *Ven. Beda*) ideò tam ſpecialiter *Evangeliſta* commemoravit, ut ſignificaret, eum non fuiſſe ſolitum oculos huc atque illuc convertere. Secutus eſt imprimìs Salvatoris Exemplum *S. Bernardus*, velut diſcipulus ſuum Magiſtrum, mortificationi quippe oculorum adeò deditus fuit, ut quamvis Eccleſiam, & cellam ſuam diligentiſſimè incoleret, poſt unius tamen anni decurſum neſciret, an cella illa eſſet fornicata, an verò haberet tantùm laquear ligneum? & an eſſet in Eccleſia feneſtra tantùm una, an verò plures? Aliàs etiam, cùm integro fere die juxta flumen quoddam iter ageret, & ſub veſperam ſuos comites de hoc lacu differere audiret, valde miratus eſt colloquentes, negavitque ſe lacum vidiſſe, neque noſſe, quemnam lacum memorarent. Nec abſimilis fuit *Palladius Abbas*, qui per ſolidos viginti annos nunquam in cella ſua ſuſtulit oculos in altum, ita ut ſuperiorem illius cellæ partem videret, an eſſet fornicata, an verò ſimplici laqueari conclusa. His annumerari poteſt *Thomas Sanchez* Vir omnino doctiſſimus, juxtáque Sanctiſſimus, qui, ut proditum in annal. PP. Societ. 1610. defixis ſemper humi oculis inceſſit, aut ſedit in menſa, ita ut nec aſſidentem, nec miniſtrantem cognoſceret; Ductus ſemel à PP. Dominicanis per Monaſterium, laudabat quidem omnia, ne adverterent, oculos tamen ſemper clauſos habebat.

15. Auditus ſic mortificari poteſt, 1*mò* fugere occaſionem audiendi propriam laudem, aut ſi quid in hujuſmodi laudem ab aliquo proferatur, ſubitò ſermonem divertere. 2*dò* Non inquirere Novalia, & ſi de illis fiat mentio, diſcurſum divertere in aliquid utilius. Hoc docuit *S. Hugo Epiſcopus* (ut refert *Petrus Dorlan.* in in Chron. Carthuſ. lib. 3. & *Surius* in vita *S. Hugonis*) Hic cùm poſt conciliatam pacem inter Reges Franciæ & Angliæ divertiſſet ad Monaſterium Carthuſianorum, interrogatus de modo initæ pacis, triſtitiâ affectus, & zelo plenus Ordinis ſacri, reſpondit: *Rumores audire ac referre, etſi licet Epiſcopo, Monachis tamen non licet.* Quamobrem iidem Carthuſiani jure ſtatuerunt de Converſis, qui ſæpiùs, quàm Monachi egrediuntur, ſæculares rumores ubi audiunt, ibi dimittant. Item *S. Clara* de Monte Falco quoque vetuit famulas cœnobii, quæ rei familiaris ergo domo prodibant, quidquam ſacris Virginibus referre eorum, quæ foris vel audiiſſent, vel vidiſſent, ne quid inquietis eis afferrent. 3*tiò* Avertere aliquando aures à ſuavi concentu vel muſica, quæ auditui ſit gratiſſima. Ita fecit *S. Franciſcus Seraphicus*, qui vice quadam acutiſſimis doloribus morbi exagitatus, confratrem

trem suum rogavit, ut sibi pro allevia-tione dolorum paululum luderet in fidibus, mox autem se recolligens, vetuit id fieri, ne fortè videretur pro cælesti consolatione terrenam quærere: Deus autem remuneraturus hunc mortificationis actum, misit Angelum, qui unicâ tantùm vice plectrum per chordas fidium duxit, & tantam consolationem Beato Viro attulit, ut non tantùm omnes ei dolores leniverit, sed etiam inexplicabili gaudio internè afficeretur. 4*tò* Ingratos tumultus & clamores patienter audire, nec indignari, si vicinus aliquis canis importuniùs latret, aut submurmurans musca & vespa per cellam diutius circumvolet: aut tumultuosi Opifices, uti sunt vietores, fabri, bractearii & similes, qui in vicinia laborent tempore studii aut somni captandi.

16. Olfactus mortificari potest, 1*mò* denegare naribus omnes suaviores odores, eósque ita spernere in animo, ut etiamsi contingat aliquando ad aliquem locum, vel hominem odores hujusmodi à se diffundentem, pervenire, nulla tamen vana inde delectatio captetur, sed potiùs ex animo spernantur tanquam vana oblectamenta, quæ sensualitati serviant, & spiritui obsint. 2*dò* In cultioribus hortis, ubi suaveolentium florum habetur copia, non decerpere quidquam pro fovendo delectamento narium, sed omnibus his sese privare ex amore JESU, qui est flos florum, & pascitur inter lilia. 3*tiò* Res fœtidas & grave olentes (quantum sine præjudicio sanitatis fieri potest) patienter sufferre ad imitationem *Sancti Arsenii*, de quo *Ruffinus* Aquil. narrat, quod sportulas suas conficiens aquam in pelvi retinuerit ad emollienda palmarum folia, quæ cùm fœtida redderetur, nunquam, ut mutaretur, admisit, sed aliam infundebat, ne putor cessaret. O Pater, inquiebant Monachi, cur aquam non mutas? nonne percipis tuam infici cellam? Respondit *Arsenius*: Pro odoramentis & unguentis, quibus in sæculo usus fui, nunc fœtorem istum ferre oportet, ut in die Judicii de illo gehennæ inenarrabili fœtore liberet me Dominus.

17. Tactum quomodo mortificare possimus, & debeamus, diximus jam Ser. 18. num. 31. & consequenter; quibus sequentia addi possunt; quòd videlicet ad mortificationem tactûs spectet patienter & cum resignatione sufferre calorem, frigus, ventum, & alias temporum injurias, corpori contrarias, nec contra hæc quærere remedia, quâmdiu lex discretionis id concedere videtur. Item muscas, pulices, & id genus importuna animalia æquanimiter sufferre, etiam dum molestissimè infestant. Et iterum, corpus voluntariâ asperitate mortificare, putà ciliciis, disciplinis, grossiori veste, duriori lecto, incommodâ sede, & aliis hujusmodi pœnalitatibus. Nec non stare in cella, vel flectere usque ad lassationem virium, vel manibus expansis aliquamdiu orare, vel humi per aliquod tempus cubare, aut aliam similem violentiam corpori cum discretione inferre.

18. Hæc igitur sensuum mortificatio magni omnino meriti apud Deum est, quemadmodum innuit *Ven. Blos.* in inst. spirit. cap. 1. his verbis: *Si quis propter Deum voluntati suæ etiam in minimis rebus reluctetur, rem ipsi Deo gratiorem præstat, quàm si multos mortuos ad vitam reducat.* Et ut hoc obvio quodam exemplo declararet, ait: *Duo simul proficiscentes conspiciunt in via raræ pulchritudinis florem, quem dum prior jam jam decerpere pararet,*

*non nihil sese recolligens intra se dicebat: Amore Domini mei JESU Christi hunc flosculum non attingam. Alter verò absque omni prævia consideratione prædictum florem carpsit. Hic flosculum decerpendo minimè peccavit; attamen qui eum intactum propter Deum reliquit, excedit tantum in merito, quantum excedit cælum in altitudine terram.* Proinde non sine ratione *S. Dorotheus* Serm. 1. de Obed. ad hoc mortificationis genus nos provocat, dum ait: Inter ambulandum titillat animum cogitatio, caput flectendi in partem alteram, circumspiciendíque, quid isthic rerum agatur. Ne feceris. Dum colloqueris aliis; incessit te cupiditas addendi colloquio quidpiam proposito valdè accommodum, ex quo prudens audias. Cave, illud dixeris. Suadet tibi cogitatio tua, adi coquum, & interroga, quid paret obsonii? Non obtemperes. Cernis fortè quidpiam? suadet tibi cogitatio; ut interroges, quisnam illud attulerit? missumne sit, an pretio emptum? Non interroges. Venit hospes aut peregrinus: cuperes statim nosse, quisnam sit, undenam, quonã tendat, ad quid veniat? noli velle scire, sed mortifica in hoc appetitum tuum. Hactenus *Sanctus Dorotheus*. Quamobrem verus Dei servus (monet rectè *S. Bonavent.*) sæpe apud semetipsum dicat: Propter te & amore tui, Domine JESU, hanc rem videre, vel audire, bolum hunc gustare, vel hoc oblectamenti genus accipere nolo.

19. Habes ergo hìc, Frater chare, optimam ac saluberrimam teipsum mortificandi methodum, quam si observare studueris, dubium sanè nullum est, quin gratissimus Deo futurus sis, ac cum omnibus illis, qui carnem suam juxta monitum *Apostoli Gal. 5. crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis*, cælesti gaudio æternùm fruiturus. Ne porrò tuus inordinatus animi affectus ab hoc mortificationis studio te abducat, & abstrahat, cogites oportet, quàm plurimos quotidie miserè omnino perire, eò quòd sensus suos non sat cautè, ùt deberent, custodiant. Solet enim mors in animam ascendere per fenestram, per externos videlicet corporis sensus, juxta commune illud axioma: *Nihil in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Quàm insipienter proin agunt homines illi, qui ad mundi vanitates passim oculorum lumina evibrant, cùm per talem conspectum in anima perversam concupiscentiam (quæ teste *Apostolo* causa est omnium malorum) suscitent. Quippe quis eum non fatuum proclamaret, qui sciret, se ob alicujus rei aspectum in febrem, aut alium morbum gravem lapsurum, & nihilominus à tali re videnda non abstineret? Ita sanè cùm ob rerum caducarum obtutum non rarò homines in febrem concupiscentiæ incidant, ac difficultatem aspirandi ad cælestia sentiant, ille qui ab his sibi non temperat, demens esse comprobatur. Hinc *S. Greg.* l. 21. moral. c. 2. ait: *Deprimendi sunt oculi quasi raptores ad culpam; quisquis enim per has corporis fenestras incautè exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis incipit velle, quod noluit.* Hoc non esse vanum commentum, agnovit *Regius Psaltes*, ideo ad Deum conversus sic precatur: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Ps. 118. v. 37.* Intelligis ergo, quanti intersit custodire visum. Quapropter *S. Dorotheus* te admonet; *Consuesce*, inquit, *non circumferre oculos ad aliena & vana, hæc enim deperire faciunt omnes labores monasticos.* Quod de visu dictum, de aliis sensibus idem intellige. Cæterùm quia variis in locis de mortificatione aliqua jam insinuavimus, ideo ne eadem bis repetamus, sermoni finem impono.

SER-

# SERMO XLVI.
# DE JEJUNIO ET ABSTINENTIA

*Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis & orationibus in conspectu Domini.* Judith. 4.

1. QUia commune sonat adagium: *Ignoti nulla cupido*; quocirco ut majori quis cum facilitate suavitateq; jejunia frequentate valeat, non modicum juverit ruminasse ejus naturam & præstantiam. Teste S. Athanasio, in Breviar. Dom. 3. Nov. *Jejunium morbos sanat, distillationes corporis exsiccat, dæmones fugat, pravas cogitationes repellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus sanctificat, denique ad thronum Dei hominem sistit.* Et S. Leo Papa in Brev. Dom. 3. Adv. *De abstinentia*, inquit, *prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia: & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur.* Cui astipulans S. *Basilius* ibid. Dom. 4. quadr. ait. *Jejunium tentationes propulsat, ad pietatem armat, in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet, Nazaræum sanctificat, Sacerdotem perficit.* Plura videri possunt locis citatis. Similia etiam habet S.P.N. *Aug.* serm. de Jejun. *Jejunium*, inquit, *purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit.* Tandem D. *Hier.* vocitat jejunium non solum perfectam virtutem, sed cæterarum virtutum fundamentum.

2. Per Jejunium & orationem Deum flectimus ad exaudiendas preces nostras, & ideo dicitur *Tob.* 10. *Bona est oratio cum jejunio.* Et *Judith* 4. *Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis & orationibus in conspectu Domini.* Sic *Ester* misericordiam populo suo petitura ab *Assuero*, jejunavit cum ancillis suis & *Mardochæo*; hinc omnia dexterrimè eidem evenerunt. *Ester* 4. Dominus *Achab* pœnam comminatus fuit, sed propter jejunium, quo se humiliavit, eam temperavit. 2. *Reg.* 21. Ninivitarum civitas intra 40. dies subvertenda fuisset, sed propter jejunium, quo se Ninivitæ omnes à minimo usque ad maximum afflixerunt, Deus illis pepercit, & pœnam remisit. *Jonæ* 3. Jejunium confert victoriam contra hostes tam corporis quàm animæ. Ita Christus cum dæmone præliaturus 40. diebus jejunavit, & in tribus, quas opposuit, tentationibus illum debellavit. *Matth.* 4. *Josaphat* Rex Judæ jejunavit ipse, & aliis jejunium indixit, & ita victoriam de hostibus obtinuit. 2. *Paral.* 20. Postquam *Judith* diuturnum jejunium & orationem præmisit, præclaram de Holoserne victoriam reportavit. *Judith* 8. & 13. Filii Israël bis debellati, postea ad jejunium confugerunt, &

de Filiis Benjamin triumpharunt. *Judic.* 20. Iterum debellantur Filii Iſraël à Philiſtæis, ſed poſtquam fleverunt, & jejunaverunt, victoriam obtinuerunt. 1. *Reg.* 4. & 7. Patet ergo hinc, quantas jejunium vires in ſe includat, ad debellandos cùm viſibiles, tum inviſibiles hoſtes. Quocirco quiſquis hoſtes ſuos, domeſticum præcipuè, rebellem ſcilicet carnem debellare & humiliare diſcupit, ad jejunium confugiat, neceſſe eſt. Quemadmodum enim Rex aliquis (eſt ſimilitudo *Veterum Patrum*, ut habetur in *Vit.* PP. lib. 5. libell. 4. num. 19.) volens civitatem occupare, ante omnia, ſi poteſt, alimentorum & aquæ ſubtractionem procurat; ita qui vult corpus animo ſubjicere, reliquóſque inimicos ſuos proſternere, & ditioni ſuæ ſubjugare, non citiùs id, quàm per jejunium & abſtinentiam obtinebit. Conſtat etiam carnem noſtram bellè aſſimilari effræni equo; ergo ſicut equis fræna imponimus, ne alioqui per præcipitia nos ducant; ita multò magis, ne anima noſtra ad inferni præcipitia delabatur, corpus per jejunium & abſtinentiam frænare debemus.

3. Præterea jejunium & abſtinentia plurimùm conferunt ad corporis morbos arcendos, vitámque prolongandam. Exemplum nobis proponit *Drexelius* in Aloë l. 1. c. 5. § 4. de viro quodam in Italia, qui miſerè divexatus fuit à Podagra & Chiragra, & reliquo membrorum uſu privatus. Hic, cùm ab hoſte comprehenſus, ac in turrim incluſus, ac quotidie non niſi pane atro, & aquâ modicâ refectus eſſet, ac quatuor annos in hoc carcere exegiſſet, tandem rebus mutatis ſalvus & incolumis, vultûs colore commendabili à carcere dimiſſus eſt. Hinc rectè canit *Schola Salernitana.*

*Ex magna cœna ſtomacho fit maxima pœna;*
*Ut ſis nocte levis, ſit tibi cœna brevis.*
*Pone gulæ metas, ut ſit tibi longior ætas:*
*Eſſe cupis ſanus? ſit tibi parca manus.*

Et Florileg. p. 1.

*Multa tibi multos coacervant fercula morbos:*
*Ferre ſolent paucas fercula pauca cruces.*

Igitur qui vult comedere multum, comedere debet parùm; ſi enim parùm & parcè manducat, tunc diu manducabit, & per conſequens multum. Porrò, hoc exemplis ſtabilire, quantus foret labor? Quid enim S. *Paulum* primum Eremitam, quid S. *Romualdum*, *Antonium*, *Arſenium*, *Hilarionem*, & innumeros alios ad tam longævam provexit ætatem? nonne jejunium, & ciborum temperantia? Quid è contrario quotidie tot ad mortem rapit, qui multos facilè adhuc numerare annos potuiſſent, an non eſculentorum poculentorúmque redundantia? Proinde ſalubre dat conſilium *Schola Salernitana*:

*Quo minùs ægrotes, non extra tempora potes.*

Et *Matthæus Tympius*:

*Si tibi deficiunt Medici, Medici tibi fiant*
*Hæc tria, mens hilaris, requies moderata, diæta.*

Grues (ùt S. *Vincentius* Sabb. ante Reminiſc. notat) antèquàm in remotas regiones volitent, nihil niſi arenam comedunt, ne pingueſcant, & in volatu retardentur. Docemur ergo vel ab ipſis avibus abſtinentiam colere. Itaque ſi ad cælum, tanquam ad remotiſſimam Regionem, commodè agilitérque volare diſcupis, neceſſe habes, ut te per abſtinentiam ad viam præpares. Et ſicut naves leviores faciliùs mare percurrunt, & nimis onuſtæ ſubmerguntur; ita abſtinentia reddit hominem expeditum, ut facilè

curgat

currat per viam salutis & mandatorum Dei, crapula autem in barathrum demergit. Ut verò huic virtuti majori cum fervore incumbamus, scire oportet, quòd nunquam in perfectione insignem aliquem profectum faciemus, nisi in abstinentia priùs excellere allaboremus, uti *S. Climacus* grad. 9. rectè advertit, dum dixit: Nunquam à Pharaone liberaberis, neque supremum Pascha celebrabis, nisi amaritudines comederis; amaritudines sunt jejunii violentia & afflictio, azyma verò sensus minimè inflatus. Alterum est, ut pari modo nobis persuadeamus, non esse adeò facilè ad perfectionem hujus virtutis pervenire, sicut primo aspectu apparet; Nam (ùt benè *S. Gregorius* l. 30. moral. notat) sic plerúmque voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas expleri desiderium suggerit, & tantò gula securiùs in præceps ruit, quantò sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. Quod idem S. P. N. *August.* lib. Conf. confessus est dicens: *Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantum extra metas necessitatis? Quisquis ille est, magnus profecto est, magnificet nomen tuum; Ego autem non sum, quia homo peccator sum.*

5. Cæterùm quod de Sanctorum virorum jejunio passim in eorum vitis legere est, admiranda potiùs quàm imitanda sunt. Idcirco hæc duo scire nos oportet: 1mò Ut artem continentiæ sic teneamus, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidamus. Hinc S. *Hieronymus* dixit: *Parcus cibus, & venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur, & multo meliùs est quotidie parum, quàm rarò sumere.* Sed & ipse Christus *Sanctæ Gertrudi* lib. 4. Infin. c. 23. dixit: Mihi quidem ad hoc oblatum erat vinum myrrhatum cum felle mixtum, quò citiùs morerer, sed desiderium multa patiendi pro homine retraxit me, ne biberem. Tu verò è contra in eodem amore sume omnia necessaria & commoda, ut per ea diutiùs in servitio meo viva conserveris. 2dò Nosse debemus generalem hunc continentiæ modum esse, ut secundùm capacitatem virium, vel corporis, vel ætatis, tantum sibimet cibi unusquisque concedat, quantum desiderium saturitatis exposcit; ut autem hæc mensura cognoscatur, suadet S. *Dorotheus* serm. 9. ut quisque experientiâ Magistrâ discat, & observet, quanta cibi copia soleat stomachum gravare, ac deinde paulatim de copia illa detrahat, donec nullam ampliùs in digestione difficultatem sentiat. Contrà notet quoque, quanta cibi tenuitas & parsimonia imbecilliorem reddat, ut officio, quod sustinet, ægrè satisfacere possit, quo animadverso paulatim eo usque commeatum augeat, donec integras vires sentiat ad munus suum commodè obeundum. *Nicolaus Lancizius* perdoctus vir è Societate JESU opusc. 2. n. 60. scribit, à suo Magistro Novitiorum hanc regulam temperantiæ & sobrietatis præscriptam fuisse, ut tantum quis comedat, ut absoluto prandio vel cœnâ ad orationem se dispositum sentiat. Et hoc est, quod etiam Angelus S. *Pachomio*, ut refert *Pallad.* in Lausiac. hist. cap. 38. in dictatis regulis præcepit: Concede unicuique, ut comedat & bibat pro viribus, neque jejunare prohibe, neque comedere. Et meritò. Nam teste *Clemente Alexandrino* apud *Lanciz.* loc. cit. n. 31. periculosa sunt extrema, media autem bona sunt, medium autem est, quidquid non eget necessariis rebus.

6. Verùm enim verò, cùm juxta S. P. N. *Aug.* & *D. Gregorii* sententiam nihil difficilius,

ficilius fit, quàm corpus absque gulæ furtivè se insinuantis illecebrâ reficere, quocirco operæ pretium fuerit diligenter annotare, quæ ad gulam arcendam conducere videntur, pro quo servire possunt sequentia. 1mò Ante refectionem consideres oportet, quàm indignus sis ob tot peccata, imperfectiones & ingratitudines tuas, ut à Deo tam largè & misericorditer conserveris. 2dò Quot pauperes & innocentes te meliores, Deóque gratiores fame, sitíque premuntur, qui delitias reputarent communiores escas, quas tu subinde nauseas. 3tiò Quàm piè & frugaliter optares te sub horam mortis, & Judicii particularis usum fuisse necessariis vitæ conservandæ subsidiis tanquam medicamentis, non delectamentis. Ad hæc renova puram intentionem cum protestatione, te in alimentis percipiendis non velle voluptati indulgere, sed necessitati pro divino beneplacito servire, omnésque sensualitatis illecebras, cibos delicatiores expetentis, aut communiores fastidientis, contra tuam voluntatem esse, semperque fore, optaréque insuper, si Deo placeret, omni ciborum suavitate carere, aut vilissimo ferculo, aut pane cibario famem sedare. His præmissis pete gratiam sic corporis vires reparandi, ut mentis integritas, & Angelica puritas nullum detrimentum patiatur.

7. In ipsa porrò refectione satage præfixam antè intentionem continuare, & quinque gulæ laqueos à D. *Gregorio* lib. 5. moral. cap. 27. assignatos evitare, videlicet 1mò Consuetam refectionis horam non prævenire, nec statim in appositas escas involare, sed paulisper ad Deum suspirare pro dono continentiæ & castitatis obtinendo. 2dò Lautiores ac pretiosiores cibos non appetere. 3tiò Nec communes exquisitiùs præparatos desiderare. 4tò Non plus cibi sumere, quàm necessitas exigit. 5tò Inordinatam in quovis quantumvis etiam vili edulio, nimiámque aviditatem cohibere, hæc enim magis bestiis quàm hominibus convenit. Quæ omnia assequêris, si durante refectione aliquos mortificationis actus inserueris, cujusmodi sunt: 1mò Ex appositis semper aut plerúmque in iis maximè, in quæ immoderatiùs fertur appetitus, quantumvis modicum subtrahere, quò occultiùs, eò meliùs. 2dò Strictè sensus omnes custodire maximè oculos ab omni inordinata evagatione, linguam etiam ab omni otioso verbo, vultum ab omni inordinato risu & motu cohibere. Denique eâ civilitate comedere & bibere, quæ omnes ædificet, ac nullum offendat. Mensæ refectionem claude piâ gratiarum actione & suspirio.

8. Enim verò quò refectionem corporalem fructuosiorem adhuc tibi reddas, junge prædictis etiam sequentia, videlicet; Ante cibi sumptionem dic hanc precatiunculam: *Domine JESU, da ut sanctè & continenter sumam cibum ac potum ad Gloriam Nominis tui, in unione illius amoris, quo Tu Deus meus pro me factus homo cibum potúmque sumpsisti in terris ad honorem Patris, & Salutem totius Generis humani.* Sub ipsa verò manducatione piè ruminare satage hæc & similia verba: *Virtus Divini Amoris tui, amantissime JESU, incorporet me totum tibi.* Et bibendo ista: *Effectum Divinæ charitatis tuæ, dulcissime JESU, qui in intimis tuis vehementer prævaluit, transfunde & conserva in me, ita ut ille penetret totam substantiam meam, & jugiter distillet per omnes meatus, vires ac sensus corporis ac animæ meæ ad laudem tuam æternam.* Vel breviùs: *Dulcedo divinæ charitatis, amantissime JESU, influat in intima mea, &* pene-

*penetret totam substantiam meam ad laudem tuam æternam.* Verùm ne ab hoc pietatis studio desistas, scire te velim, Christum S. *Gertrudi* lib. 4. Insin. c. 33. hos affectus ruminanti dixisse: Quoties quis inter manducandum & bibendum talia ruminaverit, toties ego fatebor me cum illo comedisse & bibisse, refectionémque valdè gratam ab eo accepisse. En ergo modum, quo non minori fructu Deo Ter Optimo Maximo placere possis per sobriam refectionem, quàm Viri Sancti per austeram abstinentiam. Tene ergo eum, & haud dubiè jejunii fructum à SS. *Patribus* superiùs insinuatum reportabis.

9. Præter jam memorata, aliqua ad præsentem materiam spectantia adhuc annotanda supersunt, quæ breviter, quò uberiorem ex abstinentia fructum colligamus, in lucem afferre lubitum fuerit. Igitur perfectionis studiosus, cùm ob virium imbecillitatem pro voto jejunare non possit, satagere debet, quò sibi ab his, quæ citra sanitatis diminutionem præstari valent, temperet, qualia sunt: Abstinere à bellariis, fructibus, & similibus esculentis, quæ sensualitati potiùs, quàm necessitati naturæ deserviunt. Quemadmodum fecit S. *Nicolaus* noster *Tolentinas*, qui triginta totis annis abstinuit ab omnibus omnino fructibus, lacticiniis & bellariis, imò & carnibus, & piscibus. Item *Ven.* noster *Joannes à S. Guilelmo* inter alia mortificandi gustûs exercitia etiam abstinuit à fructibus. Quantoperè porrò talis abstinentia Deo grata sit, hinc colligere fas est. Quidam magnæ Sanctitatis Eremita latere discupiens ad montium deserta cùm fugisset, & in via fame molestatus, poma pulcherrima conspexisset, certabat intra se, num comederet? & cognito, quia fortè cibo amplius alliceretur, illa libare inde contempsit. Ob quem mortificationis actum ab Angelo Domini recreatus, ac ductus est ad locum, ubi radice dulcedinis mirabilis, fontéque admirandæ suavitatis fruebatur. Si sic Deus remunerat vel modicam duntaxat abstinentiam, qualem non mercedem sperabit, qui amore Dei esu fructuum sese penitùs privat?

10. Secundus modus mortificandi gustum est, extra tempus prandii & cœnæ nihil penitùs comedere aut bibere: Ita *Cassianus* l. 5. Instit. c. 20. suasit his verbis: Monachus hanc imprimis cautionem sibi indicat, ut non potûs quidquam, non esûs, ullâ oblectatione devictus, ante stationem legitimam, communémque refectionis horam extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat. Certè S. *Philippus Nerius*, teste *Lancizio* opusc. 2. n. 47. dicere solebat, neminem fore virum spiritualem, qui extra tempus aliquid comederit. Hinc S. *Sabbas* adhuc juvenis, ut *Surius* memorat in ejus Vita, cùm in horto laboràsset, vice quadam irretitus ab appetitu vehementiori, pendulum ex arbore pomum decerpsit, sed ubi se recollegit, acriter semetipsum corripuit, pomum in terram projecit, pedibúsq; contrivit, ac deinceps statuit in pœnam hujus modicæ sensualitatis omni pomo in perpetuum abstinere, quod & fecit. S. *Maria Magd. de Pazzis* etiam in pueritia non sumebat jentaculum, & in summo æstu nullo refrigerio utebatur, quod adeò Deo placuit, ut post viginti quatuor annos ei revelaverit, propter hanc mortificationem gulæ ei præparatam esse in cælis mensam plenam pretiosissimis cibis. In Vita cap. 5.

11. Quod ad abstinentiam potûs attinet, docent id nos suo exemplo quàm plurimi Sancti, in quorum classe vel apprimè censendus est S. Rex *David*, qui, ut registra-

registratur in Sacris paginis 1. *Paral.* 11. v. 17. cùm valde desideraſſet aquam de ciſterna Bethlehem, poſtquam ea allata eſt, noluit bibere, ſed Domino eam libavit. S. *Carolus Borromæus* etſi vehementiſſimâ æſtuaret ſiti, nunquam tamen extra tempus bibit; & dum ſuam diœceſim viſitaret, quamvis ſubinde ſol ſuos ferventiſſimos caloris radios in terram evibraret, non tamen à ſuis flecti potuit, ut vel minimâ æſtuantem linguam aquæ guttulâ recrearet. S. *Lambertus Epiſcopus*, dum in quadam die Paraſceve ſe longâ oratione, & meditatione de Chriſto paſſo defatigaſſet, cœpit æſtuare acri ſiti, quam tamen ut refrænaret, decrevit nil bibere uſque ad veſpertinam collationem. Quo tempore juſſit ſibi ſecundùm ſuam conſuetudinem porrigi aquam, quam cùm libare vellet, cognovit eſſe vinum, quod cùm ſecundâ vice accidiſſet, non fidit amplius ſuo ſervo, ſed aquam tertiò ab eo petitam & à famulo allatam miſit ipſemet S Epiſcopus in ſolitum ſcyphum, & ecce cum in præſentia omnium ſuorum Clericorum bibiſſet, reperit tertiò aquam in vinum divinitùs mutatam eſſe. Hinc vir Sanctus in miraculo attonitus non potuit ſatis divinam benignitatem prædicare; ſtatuítque impoſterum adhuc generoſiùs ſiti reſiſtere, & extra conſuetam refectionis horam nil bibere. Ad hanc mortificasionem diligenter frequentandam nos ulteriùs provocat exemplum Salvatoris noſtri JESU Chriſti, qui in Crucis ligno pendulus tantam pertulit ſitim, ut, ſi S. *Cyrillo* fidem adhibemus, hæc fuerit unum ex graviſſimis tormentis, quod in paſſione ſua ſuſtinuit; unde exclamare coactus fuit: *Sitio*. Si hoc Dominus amore ſervi ingrati pati voluit, quò nempe eum redimeret, an non æquiſſimum ſit, ut ſervus quoque reciproco Domini ſui amore per aliquod ſaltem temporis intervallum ſitim forti patientiâ ſuſſerat? Qui hoc non poteſt, neſcio, num ſincerè, quemadmodum decet, diligat Salvatorem ſuum. Sciendum præterea, quòd talis abſtinentia nedum non debilitet corporis vires, verùm etiam eas magìs conſervet, quia ſtomachus cibum & potum in prandio ſeu cœna ſumptum faciliùs digerit, & conſequenter etiam hominem ſaniorem reddit.

12. Tertius mortificandi guſtum modus eſt, ſibi ſubinde denegare ea ad quæ appetitus ſenſualis vel maximè fertur, exemplo S. *Macarii Alexandrini*, cui uvam quis fortè attulerat recentem delectámque, ad quam ſingulari ferebatur appetentiâ, tamen ut hanc refrænaret, abſtinuit, gulámque domuit; uvam verò alteri cuidam Monacho deſtinavit, qui acceptam porrò miſit alteri, & hic rurſus alteri. Et ſic cùm per omnes cellulas, quæ longè per eremum diſperſæ erant, uva circumlata eſſet, ignorantibus eis, quis eam primò miſiſſet, denique ipſi S. *Macario* relata fuit illibata prorſus & intacta. Quod ut S. *Abbas* advertit, ſibi gratulatus eſt, quòd tantam in Fratribus abſtinentiam videret, Deum laudavit, nec ipſe de uva quamvis ſecundò jam oblata quidquam libavit. De Angelico Doctore S. *Thoma* etiam legere eſt in ejus vita, quòd cùm vice quadam ſic ægrotaret, ut vix ullam refectionem poſſet admittere, mox tamen ut virium nonnihil collegit, cœpit ei ſubvenire orexis halecum, quorum Lutetiæ magna copia, at in Italia nulla notitia eſt. Medicus, qui Virum Sanctum curandum ſuſceperat, magìs ut ægro faceret ſatis, quàm quod ſperaret, id piſcium genus poſſe reperiri, in forum ſeſe contulit. Hic primum obvium habuit piſcatorem, ciſtellâ aliud piſcium genus

ab

ab eo, quod *Thomas* appetierat, longè diversum deferentem. Reclusâ porrò cistellâ reperit omnes illos pisces in haleces esse conversos. *Thomas*, ut miraculum à DEO patratum didicit, optatósque sibi pisces allatos aspexit, ingentes Deo grates egit; attamen, ut appetitum amore Dei refrænaret, optatissimis halecum cupediis prorsus abstinuit.

13. Occurrit hîc etiam Portuensis Congregationis Auctor *Petrus Ravennas* Canonicus Reg. *S. Aug.* Hic (ut meminit *Joannes Navar.* in Chron. l. 7. c. 11. & 12.) cùm Anno 1119. quarto Calen. April. jam Senex animam ageret, petiit sibi dari piscem, qui *Lampreda* Italicè dicitur. Quam statim coctam Minister Patri obtulit, & ut sumeret, hortatus est. Dominus autem JESUS Christus veniens, ut animam servi sui in cælum assumeret, etiam in extremis ad exemplum nostrum tentavit. Nam dum piscis illi porrigitur, ut comedat, illicò campanula ad portam Monasterii crebris ictibus pulsatur. Quod audiens Sanctus Pater; curre, ait ad ministrum, velociter, & vide, quid sit. Ille ad portam accurrens pauperem senem & infirmum præ foribus reperit. Ad quem, cur tam importunè, inquit, strepitas? At ille; Pater miserere mei pauperis, & senis, & infirmi. Et minister, patientiam habe, tibi eleëmosyna panis & vini tribuetur. Panem & vinum, ait pauper, nolo; sed rogo, ut detur mihi lampreda, alioquin moriar. Quod audiens minister stomachatus ad Patrem rediit. Cui Pater, quidnam est hoc fili? indica mihi. At ille subridens, comede, inquit, Pater, postea edisseram. Nequaquam, ait Sanctus Vir, sed magìs negotium explica. Cui minister: Pauperem ad portam reperi senem & infirmum, dicentem se nolle eleëmosynam panis & vini, sed lampredam. Quod audiens Pater; Vide, inquit, Fili, Dominus JESUS est, qui me usque ad extremum vitæ probare vult. Defer pauperi piscem. Cúmque minister ivisset, ut daret lampredam, pauperem non invenit. Reversus autem ad Patrem eundem migrâsse reperit; nec dubium, quin cum Christo, qui formam pauperis acceperat, in cælum conscenderit. Hinc ergo liquet, quantoperè placeat Deo peculiaris aliqua gulæ mortificatio.

14. Aliquando etiam gulam mortificare possumus eo modo, quem tenuit *S. Romualdus*, qui ut scribit S. *Pet. Damiani* in ejus vita, nobili astu gulam fefellit, ac fregit. Si enim appetitus eum proritabat ad cibum esculentiorem, accuratè illum parari jussit, allatúmque ori, naribúsque admovens, solóque capto odore dixit: *O gula, gula, quàm dulcis, quàm suavis modò tibi saperet iste cibus: sed væ tibi: ex eo nunquam gustabis.* Sicque intactum misit ad cellarium. *B. Osanna* ex Ordine *S. Dominici* in vehementi siti suâ, quâ continuò affligebat seipsam, apprehendit scyphum frigidâ plenum, cúmque hâc os implesset, seipsam compellebat dicens: *Osanna*, quantum tibi causares oblectamentum, si hanc amphoram aquæ ebiberes, aut saltem eam, quam in ore habes, deglutires? hinc haustam aquam rursus in terram effudit. Similia egisse quendam Monachum in *Vitis* PP. legitur; Sitiens enim pendebat ante oculos suos amphoram aquæ limpidæ per quadraginta dies, & non bibit; cúmque super hoc ab aliis requireretur, respondit: Ideo hoc facio, ut ex majori desiderio, cui non satisfacio, majorem coronam accipiam.

15. Demum gustum mortificabimus, si inter sumptionem cibi longâ & tardâ masticatione mandibulam fatigamus, per hoc enim, præterquam quòd palati voluptas nonnihil impediatur, etiam valetudini corporis & animæ plurimùm consulimus.

fulimus. Item si nullum condimentum superimponimus ultra id, quod cocus apposuit, esto subinde per hujus incuriam videantur cibi deficere sale, oleo, aceto, vel pipere. Uti fecit *Thomas Sanchez* è Societate JESU, qui nihil unquam tale cibis suis admiscuit, quamvis essent insipidissimi. Tandem aliud mortificationis genus est, cibis melioribus subinde admiscere absynthium, vel simile quid, per quod fiant insipidi. Ita facit *Ven.* noster *Joannes à S. Guilelmo*, qui semper secum pixidiculam quandam ferebat absynthii, rutæ, herbæ *S. Mariæ*, matricariæ, aliarúmque herbarum amarissimis pulveribus plenam, quibus pultem, aliósque cibos conditos in Refectorio vel extra Conventum aspergebat. Hoc verò sic imitandum, ne sanitas detrimentum patiatur; Discretio quippe est virtutum Mater. Possent hîc plures alii mortificationis actus subjungi, qui ad præsentem facerent scopum, quia tamen ex his, quæ hactenus dicta sunt, plura alia facilè colligi possunt, & proprius cujuslibet affectus divino Spiritu succensus, ultroneo conatu plura adinvenire solet, ideo hæc tanquã generaliora documẽta pro interim dixisse sufficiat.

# SERMO XLVII.
## DE GULÆ ET EBRIETATIS VITIO.

*Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* Luc. 6. vers. 25.

1. Quam detestabile sit gulæ vitium, facilè cognoscere est ex pœnis, quibus Divina Justitia ob hoc homines castigavit. Protoparentes nostri propter gulæ peccatum se omnésque suos posteros in infinitas miserias præcipitârunt. *Gen. 3. In diebus Noë edebant, & bibebant usque in diem, quâ intravit Noë in arcam, & venit diluvium, & perdidit omnes. Luc.* 17. Filii Israël fastidientes Manna, carnes concupierunt, & ecce, *dum adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus, furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis. Num.* 11. Diviti illi Epuloni, de quo meminit *Sanctus Lucas* 16. quòd indies opiparè cœnare solebat, in extrema fame, & siti suâ vel unica aquæ guttula denegata fuit. Quòd etiam nostris temporibus non pauci ob gulæ scelus æternis se addicant pœnis, citra temeritatem inficiari nequit. Afferam in lucem aliquos, qui irreparabili suo damno meliora sectari nos docebunt. *Zacharias Boverius* Anno 1577. narrat *Patrem Joannem Illyricum* Capucinum, perfrequentem fuisse in jejuniis. Habebat hic asseclam in mensa, ventri adeò deditum, ut edente *P. Joanne* nuces, ipse se pasceret elixis gallinis, has sui stomachi nuces esse dictitans. At DEUS non irridetur. Nam cùm quadam vice delicatum ventrem in cella similibus deliciis infarciret, horrendus per monasterium cœpit audiri strepitus & tumultus, quo Fratres

exciti, cùm tandem ad ejus cellulam venirent, repererunt eum mantili, quo utebatur, à dæmone suffocatum. Ita Deus gulosum hominem punivit.

2. S. *Elphegus* Monachus posteà Episcopus, cùm suis Cœnobitis Sobrietatis legem indixisset, & plerique eam exasperantes furtivos cibos mediis noctibus ederent, ac ebrietati operam darent, repentè ira Dei illum, qui transgressorum dux, & antesignanus fuit, horrendo subitóque Judicio involvit, & extinxit. Nocte, quæ diei sepulturæ ipsius successerat, cùm S. *Elphegus* sacras de more excubias in Ecclesia fortè celebraret, audivit infra ambitum Monasterii validas voces, quare concitè ad Monasterium properavit. Et ecce is, qui nuper obierat, miserè afflictus solo jacebat, super quem horrendi aspectûs homines stetêre, qui bubulis nervis, & ignitis serpentibus eum crudelissimè flagellabant. Cùm verò miser præ doloris angustia ulularet, improperabant truculenti carnifices: *Nec tu Deo, nec nos tibi.* Deo non pepercisti, nec nos tibi. In Deum pius minimè fuisti, nec nos in te erimus. Deum, ejúsque Vicarium ac Ministrum non audisti, nec te audimus. Quibus dictis miserum abduxêre. Discessit tunc Vir Sanctus, & quod reliquum erat noctis, inter lacrymas insomne duxit. Orto autem sole Cœnobitas insimul compulit, & quæ manifestante Deo viderat, retulit. Ite, inquiebat, & perquirite, an cadaver illud in suo reperiatur tumulo. Parent, inspiciunt, nihil reperiunt. Quamobrem hi, quos mortui scelus sodales habuerat, medii prosiliunt, errorem fatentur, pravè gesta postulant ulcisci, ne divinæ ultioni manerent obnoxii. Requisiti autem, ubi convivandi locum habuissent, illum ei locum designant, quo defuncti animam spiritus nequam cruciârunt. Hinc reliqui didicêre declinare gulam.

3. Si his amariora cupis, audi sequentem tragœdiam. *Boverius* in annal. 1606. narrat, fuisse quendam, nomine Franciscum, Burgundum, hic cùm se Ordini Capucinorum consecrasset, vidit Superiores in mensa vel propter præsentes hospites, vel propter officii dignitatem subinde tractari meliusculè; Ut ergo & ipse his lautitiis etiam frueretur, omnem suam vitam fucatâ Sanctitate ornavit, adeò ut promotus in Guardianum Mauritanæ Urbis in Sabaudia, cœperit frui desideratis, ùt imaginabatur sibi, cupediis. Sed DEUS non diu impunitum reliquit hominis intemperantem animum, quia guttur ejus afflixit anginâ pœnâ delicto proportionatâ, quâ cùm ad extrema venisset, hortatu P. *Tiburtii* Sacramentaliter quidem confessus est, verùm divino epulo ob angustias faucicium frui non potuit; allatum tamen humi prostratus adoravit, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Deinde vota solemnia palàm renovavit, tandem extremo quoque oleo inunctus est. Quare tantæ præparationi nihil deesse videbatur, quàm lætus obitus. Sed cùm paululùm perstitisset in alto silentio, ex imo pectore traxit suspirium, vultúque ac voce penitùs immutatâ, in hæc verba prorupit: O Fratres, Fratres! verè non omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum. O, ô Fratres! nulla pars est mihi cum hæreditate Sanctorum. Gula & ambitio totum rapuerunt, idcirco justo Dei Judicio in æternum damnatus sum. Ad hæc astantes attonitis similes hæserunt, monebant proinde miserum, ut suæ Religiosæ vitæ recordaretur, & ille: Quid opera mea commemoratis, quæ me potiùs accu-

sunt? Cui Confessarius, cùm adhuc vivas, noveris non omnino tecum actum esse, adhuc spes est, & misericordia DEI aperta. Ad quod ægrotus: Tempus pœnitendi modò recessit, Dei misericordia & omnis salutis spes occlusa mihi est. Heu dulces boli! heu amaræ bonorum epulæ! quàm duram mihi concoctionem causatis? Confessarius allatâ Crucifixi imagine misero multis inculcat vulnera, sanguinem, mortem, charitatem Salvatoris erga peccatores. At ille, frustra hæc mihi narras, jam damnatus sum, nihil omnia juvant, quia ùt alter Judas sub ementito Religionis titulo Christum velut osculo tradidi. Nulla mihi erga Deum charitas fuit, sed ambitio & gula cuncta mea opera depravârunt. Instat Confessarius, ut saltem Nomen Jesu, & Mariæ proferat. Non possum, inquit, nec vellem, etsi possem. Post hæc Regulam, Agnum Dei cum rosario de manica projiciens, ad singula clamavit; *Damnatus sum.* Quid agerent Fratres in tam lugubri tragœdia suiGuardiani? Currunt ad Ecclesiam, prostratísque in terram corporibus, suspiriis, precibus, lacrymísque pro salute miseri coram venerabili Sacramento Deum solicitant, sed cùm ille identidem clamaret, *damnatus sum, alter Judas fui*, Confessarius accepto SS. corpore Christi cum solenni pompâ ad desperatum perrexit, monuítque, ut saltem DEI Majestatem veneraretur. Verùm ille caput, oculósque avertens vociferabatur: *Damnatus sum, alter Judas fui.* Post hæc horrendùm ululare cœpit ac clamare: *In æternum, in æternum*, & adhuc altius *O in æternum*, simúlque miserrimè exspiravit. Ejus facies post mortem tetra, nigra, horridáque apparuit, ut cunctis metum incusserit, nec oculi, nec os claudi ullâ arte potuerunt, sed hiantia manebant informiter supra modum terribili spectaculo. Talem exitum gula meretur.

4. Quantâ proin contentione non allaborandum foret ad profligandam gulam, quæ tot quotidie ad orcinum damnat rogum? Quod optimè perspectum habens æterna Veritas, Christus Redemptor noster, ideo seriò ad hoc malum declinandum nos adhortatur, dira comminando gulosis dicens: *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* O utinam infelices hi nunc memorati religiosi cum plurimis aliis hanc seriam Christi admonitionem cordi suo impressissent, profectò haud tam miserè æternùm periissent. Hinc etiam Apostolus *Rom.* 13. ℣. 13. exclamans ait: *Non in comessationibus & ebrietatibus &c. sed induimini JESUM Christum.* Dicit præterea rectè *Siracides.* c. 37. ℣. 33. *In multis escis erit infirmitas*; quia gula est causa infirmitatis tam corporalis quàm spiritualis. In corpore causat podagram, chiragram, cholicam, calculum, hydropisin, febrem &c. Unde ad hoc propositum ait *S. Chrysostomus* hom. 21. *Quod necessitatem in edendo excedit, id non alimentum sed pestis est; satietas morborum omnium origo.* Cui astipulans *S. Ambrosius* serm. de *Cain & Abel.* dicit: *Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas: innumeris vina nocuerunt, nulli parsimonia.* In anima porrò gula causat *Superbiam*, dum alios passim præ se contemnunt. *Avaritiam*; dum plures semper appetunt divitias, ut pluribus delitiis semper frui queant. *Iram*; dum per vinum & epulas accenduntur, & quosvis adoriuntur. *Invidiam*; dum aliis, qui ejusmodi delitiis fruuntur, quibus ipsi carere coguntur, invident talem sortem. *Luxuriam*, quia teste *S. Hieronymo*: *Semper saturi-*

*saturitati juncta est lascivia; Vicina sunt igitur venter & genitalia, pro membrorum ordine ordo vitiorum.* Hinc etiam S. *Climacus* grad. 14. ait: Qui ventri obsequitur, & interim fornicationis spiritum vincere cupit, similis est ei, qui oleo incendium extinguere nititur. *Acediam*; Quia plenus venter uti non studet libenter, ita nec libenter orat. Ut adeò rectè dixerit S. *Gregorius*: *Ex uno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad animæ conflictum produci.*

5. Itaque operæ pretium fuerit, omnem gulæ devitare occasionem, præsertim convivia, quia non rarò Deus in his offenditur, ubi dum sensualitati tam affluenter & abundanter satisfit, linguæ expediuntur, proximi diffamantur, vini calore ira accenditur, aliæq; turpitudines damnáque sequuntur. In conviviis, de quibus in Scriptura fit mentio, semper humano sanguine litatum est. *Pharaon* in augusto quodam convivio unum ex famulorum turba mandavit suspendi. *Gen.* 40. *Ammon* in convivio Absalonis sui fratris vitam reliquit. 2. *Reg.* 13. *Holophernes* capite spoliatus est. *Judith.* 13. *Aman* ex mensa Regis Assueri ad furcam ductus est. *Hest.* 7. *Herodes* in convivio in Galilæa habito jussit S. *Joannem Baptistam* obtruncari *Matth.* 14. Populus Israëliticus benè potus surrexit ad idololatrandū, & vitulum adorandum. *Exod.* 32. Hæc similiáq; quotidiana sunt in magnis sæcularium conviviis ac festis, qualia instituebant filii *Job*: quapropter offerebat pater illorum indies Sacrificium DEO, illi ipsosmet commendans: Vix enim convivia possunt celebrari sine peccato, quæ dum filii epulantes committerent, pater Sacrificiis expiabat. Qui tamen vinum bibentes ruinâ domûs oppressi sunt. *Job.* c. 1. *Melius igitur est*, ut rectè Divinus Spiritus *Eccle.* 7. innuit, *ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii.* Super quæ verba S. *Hieronymus* sic ratiocinatur: Utiliùs est ad exequias funeris, quàm ad domum ire convivii: quia ibi recordatione conditionis nostræ & fragilitatis humanæ ex præsenti cadavere commonemur: In convivii autem lætitia, etiamsi quid timoris habere videbamur, amittimus. Meliùs denique erit, quia ut S. *Gregorius* in cap. 5. *Jobi* advertit: *Nulla sunt convivia, ubi non mortalia committuntur peccata.* Agnovit etiam hanc ipsam veritatem *Diogenes Philosophus*; hinc Juveni cuidam dicenti, se ad convivium invitatum esse, dixit: *Noli ire, deterior redibis.* Cui astipulans S. *Ambrosius*, dicere solitus: *Tria esse, quæ nulli hominum suadere vellet: nempe Matrimonium, bellum, & Convivia.*

6. Porrò ut ulteriùs cognoscatur, quàm luctuosum nonnunquam sortiantur exitum convivia; subjungere lubet hunc tragicum casum. Erat in quadam Urbe Italiæ quidam Comes, *Leontius* nomine, qui suis cupiditatibus habenas laxans, ad tam perversam devolutus est vitam, ut nullum Numen vel agnosceret, vel agnoscere simularet. Hinc identidem ad modum illius Athei *Epicuri* verba repetebat, quæ sic sonant: *Ede, bibe, lude; post mortem nulla voluptas.* Itaque cùm aliquando reliquis Nobilibus lautum appararet convivium, & interea deambulationis gratiâ domo prodiisset, cœmeterium fortè transiens, reperit juxta viam calvariam jacentem, quam petulanter pede protrudit, deinde in re maximè seria jocabundus in hæc verba prorupit: Audi testa arida, quæ interrogo, & responde: Verumne illud est, quod passim credunt mortales, immortalem spiritum humano claudi corpusculo? Quòd si te aliquando etiam talis hospes inhabitavit, dic, obsecro, postquam excessit, periitne totus, an superest? Salvusne est, an plectitur? Num alter orbis æternitatem habet?

habet? Aut an fabulæ sunt, quidquid de illa mortuorum regione garriunt Mystæ? Hæc & alia ubi Comes effutiit, ipsam hominis mortui calvariam, cui loquebatur, inter reliquos convivas mensæ suæ adesse jussit, ut ad propositas quæstiunculas velut convivales responderet. Ita abiit domum, invitatos hospites exspectaturus, quos adventantes consuetæ urbanitatis officiis excepit. Discumbitur, inferuntur longo ordine fercula, initium datur epulo, & communi gaudio. Apponitur vinum generosissimum, personant suaviter symphoniaci; estur, bibitur genialiter: eunt in orbem pocula, & cum his impura dicteria. Dúmque vel maxime ferveret hilaritas convivalis; quidam è servitio domestico famulus citato gradu, anhelo spiritu, pallido vultu, hero fert, ante fores astare non tam peregrinum hominem, quàm vivum mortis simulacrum, ex solis ossibus compactum, & admissionem petere. Territis omnibus Comes famulo imperat, ut examinet monstrum, quid sibi vellet? Et cur ingressum peteret? Quæ jussa famulus ut exequitur, intellexit adventorem illum osseum unum ex convivis esse, & quidem ab hero suo vocatum hodie, cùm cœmeterium transiret, quamquam verò non condixisset, venire tamen, ut super gravissimis quæstionibus suam, quam rogabatur, sententiam diceret; hæc dum *Leontius* à famulo audit, expalluit, memor calvariæ, quam in matutina ambulatione malè habuit. Itaque ex famulitio mittit animosiores, qui osseum hospitem ad corvorum pabula ablegent, alios interim jubet festinos currere ad obserandas fores, & pessulum obducendum, si vim moliretur spectrum. At mortualis hominis larva omnes obices disrupit, & intravit convivii locum, magnisque passibus ad Comitem properavit, ejus jam lateri proxima, jussit confidentes prosequi, quam cœperant antè lætitiam, aitq;: Etsi multum jam temporis fluxisset, quo nullum aut cibum, aut potum admisisset, nunc tamen se adesse, velut hospitē, alios ad præbibitos haustus animandi gratiâ. Quis hîc satis describat, quantus pavor convivas istos, & præsertim convivatorem invaserit, quis pallor in vultu, tremor in membris, sudor per artus omnes dimanârit? Jam nemo esurire, nemo sitire; hoc unum singuli agere, quomodò se periculo subducant. Igitur alius post alium è triclinio se proripuit, nemóque in mensa cum Leontio (cui monstrosus assessor fugam interclusit) remanere voluit. Hinc Comitem affatus; Hem, inquit, ego sum ille, quem hodie in calva ludificando ad convivium, & acroama philosophicum proponendum vocasti. Thesis est: an æternitas maneat aliqua vitâ functos? an commissa à viventibus piacula suum Vindicem, & rectè facta suum sint habitura Remuneratorem? Adsum jussu Dei, cujus tu Providentiam protervè exsibilas, ut tibi demonstrem, non omnia cum homine mori. Vitam suam in alterum orbem tranfert anima, semper ibi superfutura, vel inter gaudia perennia, vel inter perpetuos ignes. Et noli de hoc dubitare, quia te fallere haud possum, sum enim ego, si nescis, tuus Avus, tu nepos meus. Sed heu! uterque infelix. Sceleribus meis factum est, ut jam dudum stygiâ flammâ urar, utinam comburar aliquando in siccos mortuósque cineres! nunc ignis mihi immortalis est, vita quoque semper renascens ad juge supplicium justo Numinis decreto; Idem heu! te nepotem meum jam feriet; postquam excusâ pietatis disciplinâ in præceps flagitiorum omnium prolapsus es. Para igitur te itineri

itineri sanguis meus; abeundum est hinc, commutandus orbis iste cum ignoto, mortalis hæc vita cum æternitate.

Hæc ubi feralis larva dicendo finivit, Leontium complexa tam validè parieti vicino allisit, ut dispersum adhæserit cerebrum. Verùm quia reliquum corpus nusquam comparuit, creditur à spectro illo inferis fuisse illatum. Ex quibus omnibus inspectis, facilè deprehendimus, in quam irreparabilia ducant vitiorum prærupta voluptates corporis, maximè gula; ac proinde ne cum miseris hisce hactenus memoratis æternùm pereamus, infrunitum gulæ appetitum rationis fræno cohibeamus oportet.

7. Enim verò, licèt ea, quæ de gula modò memoravimus, ad ebrietatem facilè extendi possint, cùm communiter velut individui comites sibi cohæreant, nihilominus tamen peculiaria quædam de hoc vitio subnectere libet. Verùm quis mala & damna, ex ebrietate pullulascentia, satis penetret? Certò Loth (teste ipsomet Deo *Gen. 7.*) in generatione hac justus & Sanctus, & quem Sodomorum & Gomorrhæorum impietas vincere non potuit, à vino victus, gemino sese polluit incestu. *Gen. 19.* *Samson* repletus vino per meretricem hostibus traditus est. *Judic.* 16. In hæc & similia alia infortunia ebrietas suos asseclas præcipitare solet. Seriò proinde *Apostolus* suos *Ephesios* cap. 5. ad hujus vitii fugam adhortatur dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et D. Hieronymus in Reg. Mon. ait: *Omnes qui ebrietatem sectantur, filii Belial vocantur, quia venter mero æstuans facilè despumat in libidinem.* Ad quam veritatem comprobandam plurima non desunt exempla, ex quibus aliqua libabo. Erat in Flandriæ Comitatu aliquod monasterium, in quo tres Monachi degebant helluones, & concubinarii, sua cuique erat, nec pudor ullus aderat simul helluari ac libidinari. Quadam die in seram noctem compotatione protractâ, unus, qui minùs sceleratus; Sat (ait:) Baccho libidiníque datum: Deo gratias saltem. Ego verò, subinfert alius procacior, cacodæmoni gratias ago, & agendum censeo, cui operamur, & cum risu, mensâ relictâ, ruit in cubiculum. Singuli cum scorto vix decubuerant, ecce tibi, in triclinium vi januâ reseratâ dæmon magni, atri & trucis viri specie, habitu venatorio, & cum eo coci duo parvuli obambulabat, & lectos circumspexit torvo vultu, deinde horrendâ voce dixit: Ubi est, qui mihi gratias egit? Referam, lectóque abstrahit pavitantem, & ferè præ metu animam efflantem. Traditum cocis jubet infigi veru, & luculento igne probè assari. Parent promptè: assatur infelix planissimè. Deinde Orcinus venator ad superstites sub stragulis trepidantes, & quasi exanimes ait: Et vos digni estis pari supplicio, nec mihi voluntas deest. Vetor tamen vi majori: invitus abeo, & moneo; resipiscite, aut remanent terribiliora. Disparent larvæ, nec tamen his aliis animus rediit, vel vox, nisi clarâ jam luce; ubi surrexêre, collegam inveniunt mortuum, & planè assatum.

8. Itaque non sine ratione ait S. *Chrysostomus* hom. 9. in *Gen.*: *Sicut navis, quæ aquis impletur, si exhauriri nequit, in profundum mergitur; ita homo, cùm crapulæ & ebrietati se exponit, in præceps vadit, rationémque omnem amittens, demergetur in profundum inferni.* Quod videmus accidisse infelici huic homini, qui religiosa sua statuta contemnens, tantis sese impiavit flagitiis, ut ei par in malitia vix fuerit reperiri. Ecce ebrietatis fructum.

Quamobrem Christus Salvator noster apud S. *Lucam* 21. ℣. 34. seriò monet : *Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Quod idem Doctor Gentium nobis inculcat 1. *Cor.* 6. *Nolite*, inquit, *errare; neque ebriosi, neque maledici Regnum Dei possidebunt.* Quid porrò aliud est ebrietas quàm mater litium, furoris genitrix, virtutum contemptrix, petulantiæ magistra? *Si posses* (exclamat S. *Chrysostomus* hom. 28. in *Matth.*) *animam hominis, peccatis, gulæ præsertim & ebrietatis, involutam oculis cernere, non dubitares, multò melius esse in sepulchro jacere vivum corpus, quàm jacere animam in vivo corpore, vino sepultam.* Ad blasphemias etiam non rarò accedit temeraria oris temulenti petulantia; ita ut protervâ invitatione inferi quoque lacessantur, præsentissimo perditorum hominum exitio. Optimè ad rem affert historiam *Thomas Cantipratanus* l. 2. apum. c. 56. Cùm tres, (inquit) compotores in taberna mero incaluissent, de alterius orbis arcanis, de immortalitate animæ, de suppliciis gehennæ sermonem injecerunt inter facundos calices. Hîc unus procacior, vanissimè (inquit) à Clericis istis decipimur, qui dicunt animas sine corporibus vivere post ruinam. Hoc dicto omnibus in risum concitatis advenit homo staturâ fortis & magnus; & residens cum illis vinum postulat, bibit, ecquid ô viri, ait, sermonis? quid risûs & hilaritatis est? de anima (inquit protervus ille) Sacerdotum somnia narramus. Addit etiam, si quis esset, qui meam vellet emere animam, haud magno pretio darem, quin & pecuniam pro sympofii symbola conferrem. Tunc cachinnantibus omnibus, ille qui supervenerat, quanti, inquit, eam mihi indicas? emptorem habes, si tu velis esse mercator. Nec mora; conveniunt de pretio. Numerat emptor præsentem monetam, addicitur illi anima; potatur strenuè; liberalitas emptoris commendatur, cachinnis & poculis certatur. Denique sub adultam noctem: equidem, ait emptor, succumbimus vino, & in somnum fatiscimus, tempus est, ut suam quisque domum repetat. Sed, ô Socii, jus dicite; Si quis equum emerit, capistri vinculo alligatum, nunquid cum equo in jus ementis cederet & capistrum? Cui omnes pariter responderunt, utique cederet. Nec morâ venditorem, quæstionis & responsionis horrore trementem, emptor cum anima & corpore, videntibus omnibus, sursum levavit in aëra, & ut certum est, ad inferos pertraxit.

9. Aliud huic non absimile tragicum spectaculū subnecto. Anno Domini 1595. die 14. Martii natum est monstrum horrendum & maximè prodigiosum, anteriore superioréque parte homini, posteriore inferioréque Serpenti simile, caudam habens tribus ulnis longam, nec diutius vixit, quàm quoad munere suo, propter quod missum erat, perfunctum esset. Cùm enim Pater homo impius, contemptor Dei & hominum, ebriosúsq; Dominicâ Quinquagesimæ in cauponam abiisset, ut secundùm consuetudinem suam ad vomitum potaret, luderetque aleis, omnémqur exerceret improbitatem. Uxor verò illius partui vicina eum secuta admonuit, ut ab ista impietate abstineret, homo impius non tantùm monitricis verba contempsit, verùm etiam miserè eam percutiens præcepit cum vivo suo dæmone, quem utero gereret, & qui illi in partu opitularetur, domum concederet, si non pareat, gladium suum capulo tenus in ventrem illius impacturum. Illa verò, eja mi vir, ego ne vivum gero dæmonem? esto igitur, nec plura

locuta

locuta domum reversa est, maritum inter combibones relinquens. Cùm domum venisset mulier, dolores partûs sensit, & terribile hoc monstrum omnibus, qui aderant, horrorem incutiens peperit. Intereà Vir ex taberna domum redux ingressus est, ubi & puerpera & partus jacebat. Et ecce, mox monstrum instar falconis in eum illatum sibilans, caudæ suæ implicatum hominem venenosis ictibus eum in modum pupugit, ut toto corpore tuberibus contusionibúsque pleno paulò post infelicem animam exhalaverit. Marito mortuo, puerpera quoque extincta est, & tandem monstrum vivere desiit. Ex his ergo, & id genus aliis tragœdiis, quas brevitatis gratiâ silentio involvo, sat abundéque liquet, quàm severè Divina Justitia in eos animadvertat, qui se velut irrationabile pecus vino ingurgitare amant. Tametsi verò pro nunc raró in similes incidant pœnas ebrietati dediti, non tamen profectò horribiles illos flammarum globos, ebriis apud inferos paratos, subterfugient. Proinde non in joco exaltat vocem suam Propheta *Joël.* c. 1. ℣. 5. dicens: *Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.* Quamobrem, Amice frater, ne te crapula, & ebrietas in peccatorum abyssum, & inde in inferorum cavum præcipitem quondam agat, utere nunc vino moderatè juxta doctrinam in sermone præcedenti allatam; sic enim haud dubiè malum sempiternúmque exitium, in quod etiam Religiosi nonnunquam, ob vinum absque mensura sumptum, cadunt, declinabis, salutémque tuam in tuto collocabis.

# SERMO XLVIII.
# DE ORATIONE.

*Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joann. 16. 23.

## PARS PRIMA.

1. ORatio, ut eam S. *Damascenus* lib. 3. de fid. definit, *est elevatio mentis ad Deum.* Vel S.P. N. *Aug.* in Ps. 85. vult, *est locutio ad Deum*: quando enim legis, tibi loquitur Deus, quando oras, cum Deo loqueris. Fusiùs P. *Balthasar Alvarez* è Societate Jesu; Orare (inquit) est spiritum suum ad Deum elevare, eique res suas familiariter, magnáque cum reverentia communicare, sicut solet amicus cum amico, cui fidit. Qualem porrò oratio præstet effectum, pulcherrimè id innuunt Sancti Patres, qui ejus dignitatem, efficaciam, & necessitatem mirum in modum commendant, ut frequens illius exercitium fidelibus persuadeant. S. *Dionysius Areopag.* l. de divin. nom. pulcherrimo symbolo, & erudienti hieroglyphico aureæ catenulæ, è cælis emissæ, ad sydera & ad ipsum Deum nos trahentis orationem depinxit, & adumbravit. S. *Chrysostomus* (l. 2. de Orando Deum) orationis necessitatem hâc scitâ declarat

declarat similitudine: Quemadmodum, inquit, corpus nervis cohæret, currit, stat, vivit, & compactum est: adeò ut si nervos incidas, universam corporis harmoniam dissolves: ita animæ per Sanctas preces sibi constant, & compinguntur, ac pietatis cursum facilè peragunt. Quodsi temetipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris, ùt enim pisci vita est aqua, ita tibi precatio. Per hanc datur velut ex aquis subvolare, cælúmque transcendere, ac prope Dominum fieri; hactenus Os Aureum *Chrysost.* Et *S. Bernardus* serm. 49. in Cant. asserit, quòd oratio sit cella vinaria, in quam Sponsus introducit Sponsam, hoc est animam dilectam, & ubi inebriatur vino devotionis, quod lætificet cor, & torrente voluptatis potatur.

2. Denique *Oratio Justi* (inquit S. P. N. *Aug.* serm. 126. de Temp. *est clavis cæli: ascendit precatio, & descendit* DEI *miseratio. Licet alta sit terra, altum cælum, audit tamen Dominus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam.* Et alibi idem *S. Doctor* in laudes Orationis totus effusus, sic exclamat: Quid oratione præclarius? Oratio est animæ Sanctæ præsidium, Angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, columna Sanctarum virtutum, animæ scala, fundamentum fidei, Religionis laus, perfecta gloria, spes certa, sanitas incorrupta. O Oratio Sancta! beatus qui te amat, sed beatior qui te frequentat. Hactenus S. P. Ulteriùs oratio, ex mente *S. Thomæ de Villa nova*, præstat, quòd calor naturalis in stomacho, nempe vitam hominis conservat, alimenta concoquit, membra vegetat, totúmque hominem restaurat. Sine hac est Religiosus velut miles sine armis, imbellis scilicet, imò nudus, ut *S. Thomas Aquinas* apud *Rodriq.* p. 1. tr. 5. c. 14. docet. Quemadmodum ergo miles, ut idem *S. Doctor* loquitur, sine armis ludibrium est hostibus, utpotè sine quibus neutiquam nocere, facilè autem ab iis superari potest; ita homo sine oratione, cùm se contra insultus dæmonum tueri non valeat, haud difficulter ab iis vincetur, & subjugabitur. E contrà (ùt Os aureum *Chrysost.* l. 1. de orando Deo ait) Si dæmones nos conspexerint deprecatione munitos, illicò resiliunt, non aliter ac prædones & facinorosi, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari.

3. Oratio etiam vel maximè facit ad virtutes comparandas: Est enim inter virtutes & orationem reciproca quædam & inseparabilis conjunctio, ùt Abbas Isaac apud *Cassianum* collat. 9. c. 1. loquitur: Nam sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum; Ita nisi hujus culmine omnia fuerint colligata, nullo modo firma poterunt vel stabilia perdurare. Hinc *S. Climacus* grad. 28. vocat orationem Matrem, & Reginam, & cibum, & fontem virtutum, & gratiarum ministram, & profectum invisibilem. Id quod ipse Christus etiam *S. Catharinæ Senensi* Dial. c. 66. manifestavit dicens: *Noveris filia charissima, quòd in oratione humili, continuâ, & fideli, cum vera perseverantia, lucretur anima perfectionem & omnem Virtutem.* Quocircò, ut majori contentione huic precationis exercitio nos addicamus, promittit nobis æterna Veritas, omnia per orationem posse obtineri. *Amen, amen dico vobis*, ait apud *S. Joannem*, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ergo certum est, orationem omnia à Deo consequi posse, cùm id dicat noster Salvator, qui nec falli,

nec fallere potest. Proinde qui experitur sibi parcum esse Deum in donis largiendis, debet seipsum inculpare, quòd hactenus ea non per preces instanter petierit, aut saltem non eo modo quo precari Deum debuisset; Deus enim nihil vult dare, nisi mediante oratione, quemadmodum iterum Servator noster apud *S. Joan.* 16. vers. 24. indicavit dicens: *Petite, & accipietis.*

4. Porrò, ratio, cur multi non exaudiantur, licèt sæpè apud Deum precibus instent, est prima, quam innuit *Jeremias Thren.* 3. v. 44. quia opponunt nubem peccati, ne transire possit orationis vis, & quia manus, Sanguine Christi pollutas, ad Deum extendunt; hinc quia is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur, ùt rectè advertit *S. Gregorius.* Quid enim iniquiùs, quàm à Deo exaudiri velle, & illum è contrario in eis, quæ mandat, non exaudire? Similium oratio Deum ad iram magìs quàm misericordiam provocat. *Plus placet*, inquit *S. P. N. Aug. Deo latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quàm cantus Clericorum luxuriantium.* Unde *Salomon* Prov. 28. v. 9. dicit: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Cujus rei veritas narratione sequentis historiæ stabilita manet. *Justinus* Beatæ memoriæ Capucinus (ut perhibet *Boverius* Anno 1547.) aliquando raptus in ecstasim pervenit in spiritu ad Ecclesiam, cùm Religiosi matutinum officium peragerent. Speravit bonus Pater auditurum se concentum Angelorum, sed ecce nihil percipere aliud potuit, quàm horrendos latratus canum, grunnitus porcorum, mugitus boum, & verba blasphemiæ. Territus hoc tam monstroso matutino, supplex à Deo poscit, quid hoc sibi velit? Et vox ad eum: Illorum Religiosorum preces, qui dissolutè vivunt, regulam negligunt, aliósque rectè viventes impediunt, nihil aliud esse, quàm blasphemias, ac voces belluarum. Et meritò, quid est enim talium Religiosorum Psalmodia aliud, quàm mera mendacia? Repetunt enim quotidie illa *Psalmi* 118. verba: *Quomodo dilexi legem tuam Domine? totâ die meditatio mea est.* An non hoc mendacium, cùm meditationes, ceu monstrum refugiant? *Quàm dulcia faucibus meis*, dicunt iterum cum *Psalte Regio, eloquia tua? super mel ori meo.* Et ecce, eorum sermocinationes de quibus sonant? de rebus facetis, ludicris & mundanis; & estne hoc, *eloquia tua super mel ori meo? Juravi & statui*, porrò concinunt, *custodire judicia justitiæ tuæ*; Et heu! nec somniant de vita reformanda & melioranda. Pergunt; *Anima mea in manibus meis semper; & legem tuam non sum oblitus.* Ast proh dolor! non curam de anima, sed de corpore potiùs gerunt, legésque suas, & religiosa statuta flocci faciunt, cùm ea liberè sine conscientiæ remorsu prævaricentur. An non meritò dixerim horum malevolorum Religiosorum cantum, execrationem potiùs, quàm orationem censeri debere? Hinc Deus peccatori dixit: *Quare tu enarras Justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. Ps.* 49. v. 16. Benè itáque dicitur: *Eccli.* 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Ex quibus palàm constat, cur nimirum Deus multos non exaudiat, quia peccatis polluti ad Deum accedunt. Hinc apud *Evang. Joan.* cap. 9. vers. 31. cæcus natus ait: *Scimus, quia peccatores Deus non audit; sed si quis cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Et rursus:

*Si manseritis in me*, (inquit Salvator apud S. *Joan.* 15. v. 7.) *& verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Idcirco quisquis à Deo exaudiri suis in precibus efficaciter discupit, pro viribus voluntatem ejus, servando nimirum præcepta, impleat oportet.

5. Alia ratio, cur aliqui in suis precibus non exaudiantur, est, quia non precantur cum filiali fiducia. Monet proinde Christus; *omnia quæcunque orantes, petitis, credite quia accipietis, & venient vobis. Marc.* 11. Hinc commune Theologorum dogma est, mensuram credendi, esse mensuram impetrandi, juxta quam S. *David, Ps.* 32. dixit: *Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te.* Tertia ratio, quòd petita non accipiamus, est, quia non petimus perseveranter. Quare nos monet S. *Gregorius* hom. 1. in Evang. dicens: Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci; Ideo tibi dicitur: *Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Esto igitur sedulus in oratione; esto in precibus importunus; cave ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, ut regnum cælorum accipias: esto violentus, ut vim etiam ipsis cælis inferas. Bona violentia, quâ Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur, sed juvatur: peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, quâ non quæritur lucrum citò periturum, sed regnum acquiritur sine fine mansurum. Hactenus *Romanus Pontifex.* Hoc ipsum etiam nobis mandat Salvator apud S. *Lucam* c. 11. v. 8. loquens: *Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios.* Itáque in oratione perseveraturis evenire solet, quod accidit tenebricosum cubiculum subituris, isti tametsi principio nil videant, si tamen isthic morentur, perspiciunt omnia, quæ in eo sunt; ita idem spectare potest, qui in oratione primò parùm videns, tamen in ea perseverat. Hinc rursus Servator noster *Luc.* 11. *Petite*, inquit, *& dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Quæ verba ponderans *Cornelius Jansenius*: *Petite, quærite, pulsate.* Tribus, inquit, istis sententiis unum & idem significatur, nisi quòd congeries sententiarum commendet fidentem, instantem & ardentem precationem: Nam ipsum *petere* fiduciam in oratione necessariam indicat: *quærere* verò diligentiam; *pulsare* ardorem & perseverantiam.

6. Verùm enim verò, quamvis nunc memoratum Christi effatum verissimum sit, nihilominus tamen non paucos reperire licet, qui de hoc subdubitare incipiunt: quippe qui crebriùs fores cælestium pulsando, tanquam ære fusæ essent, nullis eas suspiriis emollire potuerint; rogitabant instanter, petebant ferventer, quærebant sedulò, nihil tamen acceperunt, vel invenerunt: Unde in multorum pectoribus remittit illa concepta in Deum fiducia, & precandi ardor refrigescit. At tales scire debent, quòd S. P. N. *August* tom. 8. in Ps. 140. dicat: *Quando Deus non dat, quod petitur, ideo non dat, ne obsit quod datur.* Paradoxon quidem videtur, sed certissimæ veritatis est: Sæpe quantò minùs à DEO audimur, tantò magis exaudimur. Id quod subsequentis historiæ narratione demonstratur.

7. Inter Alexandriæ Cives fuit nonnemo nomine Philochristus, qui mercaturam mari faciebat, navésque in ultimam

timam Africam mittebat, merces advecturas. Hic, ut prosperum ex Africana navigatione reditum filio unigenæ, fratríque suo à Deo impetraret, accessit S. *Joannem Eleëmosynarium*, & septem ac dimidiam auri libras in egenos distribuendas offerens, id unum rogabat, ut S. Præsul suis precibus vectores Deo commendaret; Quod etsi S. Patriarcha fideliter præstaret, non tamen exauditus erat; paulò enim pòst adfuit nuntius, qui & filium lethali febriculâ tentatum obiisse, & sævâ coortâ tempestate, onerariam cum omnibus mercibus periisse, ac solos homines evasisse cum fide exponit. Concussit paternum pectus non simplex dolor, navis interitus, mercium jactura, immaturus filii obitus, aurum frustra in pauperes expensum; continuit tamen se, ut non in querimonias adversus Deum, aut Patriarcham eruperit. Porrò quamvis S. *Antistes* id simul intelligens Philochristum consolari laboraret, parùm tamen effecit. Ergo cùm humanum deesset auxilium, adfuit divinum. Sequenti nocte afflictissimo Civi visus est in somnis astare Antistes, & hæc dicere: Quid angeris, frater, & cur mœrore dissolveris? An non rogâsti me, peterem à Deo, ut salvum haberes filium? en salvus est, & Beatorum sedibus adscriptus nunc inter Cives paradisi lætus degit. Crede mihi, si provixìsset, sibi, tibi, Deo, non minùs animo quàm corpore periisset. De navi tua hoc scito: nisi tibi Deum eleëmosynâ tam liberali conciliasses, illa cum omnibus, qui eâ vehebantur, fuisset fluctibus hausta, inter quos & fratrem tuum jam mare sepeliisset; quem tamen sospitem recepisti: Surge igitur, & Deo gratias age de filio jam salvo, & fratre insuper recepto. Ab hoc somnio Philochristus evigilans, mox ad S. Patriarcham accurrit, & ad illius genua advolutus narravit, quæ sibi per proximam noctem species fuisset objecta, quantumque solatium verbis affusum.

8. Ex hoc ergo eventu palam liquet, quanta sit subide Dei misericordia, si preces nostras non exaudiat ad votum, ut exaudiat ad sanitatem, ùt S. *Isidorus* lib. 3. sentent. cap. 3. loquitur, qui simul addit: *Multi orantes non exaudiuntur, providente illis DEO meliora, quantum petunt, sicut contingere solet parvulis, qui ne in scholis vapulent, Deum exorant, sed non datur illis postulationis effectus, quia impeditur tali auditione profectus.* Unde quando Salvator noster dicit *Joan.* 16. v. 24. *Petite, & accipietis*, intelligendum est de petitione ad æternam nostram salutem pertinente, quemadmodum ibidem insinuavit, dicens: *Si quid petieritis Patrem meum*, &c. *dabit*: Ad quæ verba *Glossa* sequentem adhibet expositionem: *In Nomine meo*, id est, pertinens ad salutem. Hæc eadem verba *Theophylactus* hunc in modum exponit: Nullus ex iis, qui mundana petunt, & animabus damnosa, in nomine Christi petit, ideo neque accipit; Nomen enim Christi divinum est, & salutare, quando autem quis petit, quæ ad perditionem animæ pertinent, quomodo dicemus in salutaris nomine petere? Quod idem etiam paucis quidem, sed nervosis verbis confirmat *D. P. Aug* dicens: *Non petitur in nomine Salvatoris, quicquid petitur contra rationem salutis.*

9. S. *Albertus M.* ponderans citata illa verba: *Si quid petieritis* &c. inquit: Hoc est, si aliquid est, quod petitis, quia vanum & malum nihil est; Bonum etiam temporale in se vanum est. Citátque *S. P. Augustinum* dicentem: *Quicquid aliter petitur, quàm quod ad vitam*

*æternam*

*æternam cedit, nihil petitur, non quia res omnino nihil est, sed quia in tantæ rei comparatione quicquid aliud concupiscitur, nihil est. Cassianus* Collat. 9. cap. 23. Abbatem Isaac rationem assignare volentem, cur Deus res caducas & fragiles à se postulari nolit, in hæc verba ad propositum nostrum sermocinatum fuisse refert. Nihil caducum vult à se; nihil vile, nihil temporale æternitatum Conditor implorari. Itáque magnificentiæ maximam irrogabit injuriam, quisquis sempiternis petitionibus prætermissis, transitorium aliquid & caducum ab eo maluerit postulare, & offensam potiùs, quàm propitiationem Judicis sui vilitate orationis incurrit. *Quid enim mihi est in cælo,* ajebat olim *Psalmista: & à te quid volui super terram? Ps. 72.* Magna profectò injuria irrogaretur potenti alicui Principi, si quis ab eo postularet fimum, vel alia similia stercora, potiùs enim eum puniri faceret, quam præmiari: At verò temporalia sunt stercora, sic enim ea vocat *Apostolus Philip.* 3.9. dicens: *Omnia arbitratus sum ut stercora,* quæ (ùt in expositione morali hujus textûs *Hugo Cardinalis* inquit) non sunt digna, ut à tanto Domino petantur. Citátque illa Christi verba: *Usque modò non petiistis quicquam,* id est nihilum, quia petiistis temporalia. S. P. *August.* in *Glossa* super versum illum *Psal.* 62. *In Nomine tuo levabo manus meas,* his verbis nos exhortatur: *Eja fratres, quando levatis manus, quærite, quid petatis, ab Omnipotente enim petitis: aliquid magnum petite* (quæ sequuntur, valde sunt notanda) *non qualia petunt, qui nondum crediderunt.*

10. Porrò, si quando Deus hæc bona temporalia concedat, nequaquam à nobis magnoperè æstimanda sunt, si ad consecutionem bonorum cælestium non conducant. Non enim quasi magna videri debent, quæ possunt donari & malis, ut rectè dicit S. P. *August.* S. *Bonavent.* in *Psal.* 54. inquit: Est oratio, quam contemnit, quæ est pro temporalibus; DEUS quandóque audit, unde illud: *Petierunt, & venit coturnix, & adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira DEI ascendit super eos.* Quandóque non audit: *Clamaverunt ad Dominum, & non exaudivit eos.* Etenim sæpe in beneficium nostrum redundat, si non exaudiamur. Nam ut D. *Chrysost.* in *Psal.* 145. ait: Sæpè postulas damnosa, & periculosa vota concipis, quocircò ille, ùt anxius de tua salute, istiusmodi flagitationibus aurem non præbet, & solummodò, quid tibi utile, ubique spectat.

11. At verò fortasse dices, Cælestem Magistrum nostrum in oratione quotidiana, à se composita, nos docere etiam temporalia bona petere his verbis: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ubi panis nomine quævis alia intelliguntur vitæ huic præsenti conservandæ necessaria. *Abulensis* hoc idem movet dubium; scilicet an in oratione liceat petere bona temporalia? Et respondet affirmativè, ita tamen, ut in his non ponamus finem nostrum, sed tantùm ea petamus, in quantum nobis sunt auxilio ad bonorum æternorũ consecutionem. Si ergo quandóque bona temporalia à Deo petimus, nunquam ea petenda sunt absolutè, sed semper conditionatè, id est, si illa ad salutem nostram conducibilia sint. S. *Bernardinus* tom. 4. serm. 41. de magno quodam S. *Thomæ Cantuariensis* amico refert, quòd dum post hujus mortem in gravem quandam incidisset

diffet infirmitatem, multos ad ejus sepulchrum sanari intelligens, eò quoque & seipsum portari fecerit, ibidémque sanitatem absoluté à S. Martyre petierit, pariter & obtinuerit. At verò quia deinceps natus est ei scrupulus, eó quòd sanitatem non conditionatè petiisset, scilicet si sanitas saluti animæ expediens foret, denuò ad S. Martyris sepulchrum cum hac ind fferentia, & conditionata petitione redierit, móxque in pristinam indispositionem denuò reinciderit. *D. Bonaventura* Serm. 3. in Rogat. rationem assignat, cur modum orandi ignoremus: *Homines orare nesciunt*, inquit, *quia proprias necessitates ignorant.* Hæcque est ratio, cur orando esse debeamus indifferentes, & divino beneplacito conformes. Ubi vero de bonis æternis agitur, illa sinè ulla conditione, & modo quodam imperativo postulari debent, ut ipsemet Salvator docet: *Adveniat Regnum tuum.* Circa bona verò temporalia in ejus voluntatem remittere debemus. Hæcque est gratissima oratio quam Deo offerre possumus, quemadmodum docet *Ludovicus Blosius* in suis Institutionibus spiritualibus cap. 8. §. 1. his paucis quidem, sed admodum nervosis verbis: *Nulla præstantior oratio est, quâm ut quis petat gratissimam Dei voluntatem in se, & in omnibus aliis fieri.* Quod ulteriùs in oratione observandum, ut illa exaudiri mereatur, occurrit, est, ut sit attenta, & non voluntariè distracta, uti patebit parte sequenti.

# PARS SECUNDA.

12. PRæter conditiones jam enumeratas, quæ orationibus nostris formam ac valorem in Dei conspectu dant, etiam hæc censetur, ut scilicet non sit oratio nostra voluntariè distracta; Siquidem orationis essentia minimè consistit in voce exteriori, sed in lingua interiori cordis nostri. Proinde Gentium Ecclesiastes, *S. Paulus*, ne sua oratio vacua, ac sine fructu foret, dicebat de seipso (1. *Cor.* 14. 15. *Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.* Atque hanc orationis formulam præscribere & inculcare volens idem *Apostolus*, sic monet omnes Christi fideles: (*Ephes.* 5. 19.) *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino*; nec sine causa hoc nobis inculcatur, siquidem, ut vulgari dicitur parœmiâ: *Si cor non orat, frustra tunc lingua laborat.* Hanc ob causam Deus per os Isaiæ (*Isa.* 29. 13.) lamentabatur, quod populus suus secundùm exteriorem apparentiam se ostenderet velut Deum orantem, cùm tamen reverà cor illius longè esset ab ipso. *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me.* Proinde *D. P. Augustinus* omnibus suis in Christo filiis (ne in choro sacros decantantes hymnos orationis merito destituantur) hoc salubérrimum tradidit præceptum: *Cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Augustin.* in Regula.

13. Orandum igitur est cum attentione cordis: Sicut enim hi, qui ad audientiam magni Domini admittuntur, famulos suos extra conclave relinquunt: Pari modo, qui ad Deum oraturi accedunt, creaturas & negotia (quæ ad famulandum homini datæ sunt) extra cordis conclave, vel templum relinquant opor-

oportet. Nam magnæ ſanè inurbanitatis actus, imò manifeſti contemptûs ſignum eſt, quando quis cum perſona illuſtri loquitur, eodem pariter tempore dorſum ipſi obvertens, cum perſonis vilibus loqui non vereatur. Quemadmodum quis coram rege aſtans (verba ſunt S. *Ephrem*) & cum eo colloquens, à conſervo autem ſuo vocatus, rege relicto, cum illo ſermones miſcet; ita Monachus, qui in ſua Pſalmodia cum Deo colloquitur, intentione interim mentis ſuæ aliò reflexâ. Optimè ad rem quadrat mirabile quoddam viſum, quod S. *Bernardo* uſuvenit. Hic S. Abbas vice quadam nocturnis vigiliis aſſiſtens, vidit Angelos diligentiſſimè ſingulorum orationem notantes, & illorum quidem, qui cum fervore eam peragebant, aureis; eorum qui minùs ferventer orabant, argenteis; qui voluntatem bene orandi abſque effectu habebant, atramento: qui ſomnolenter, & pigrè, ac oſcitanter Deum laudabant, aquâ ſcribebant: de illis, qui vel peccato mortali obnoxii, vel voluntariè diſtracti erant, nihil notabant.

14. *Bellovacenſis* ſpec. mor. lib. 3. p. 10. diſt. 33. ad debitam præparationem, & attentionem ſub oratione continuandam nos ſtimulare volens, ſequenti utitur diſcurſu: Debet homo omnes curas extrinſecas à ſe amovere, & cor ſuum in ſe recolligere, ſicut dicit *Eccleſiaſticus* cap. 30. *Congrega, & contine cor tuum in Sanctitate ejus.* Adverte quid reus ante ſententiam Judicis diligenter cogitat, quomodo poſſit Judicem ad miſericordiam flectere: Pauper eleëmoſynam petiturus cogitat, quomodo poſſit cor divitis efficaciùs ad pietatem movere. Advocatus ſolicitè meditatur rationes, quibus cauſam ſuam poterit facere meliorem. Quâ fronte, quâ temeritate, quâ præſumptione audebit homo ſinè præparatione prævia, ſacra verba reſonare, coram ſummo Judice reus accedere, coram ſumma Majeſtate, etiam ſummis ſpiritibus tremendâ, non præmeditatus aſſiſtere? Hinc etiam monet S. *Cæſarius Arelatenſis* hom. 21. ut caveamus, ne ex medicina venenum nobis adſciſcamus, id eſt: ne inde acquirat peccatum, ubi habere potuit remedium. Cùm enim oratio animæ admodum ſit ſalutaris, ſit tamen, ut, ſi cum diſtractione culpabili conjungatur, damnum potiùs nobis afferat, quam utilitatem.

15. Ponderanda quoque hoc loco eſt definitio quædam, quam S. *Joannes Climacus*, in materiis ſpiritualibus expertiſſimus, & in dogmatibus perfectionis tradendis luculentus Magiſter, de oratione differens, in hæc verba tradit: *Oratio eſt abdicatio cogitationum alienarum ab oratione.* Cujus definitionis veritate, ùt infallibili, ſuppoſitâ, dicere neceſſum erit, quod quotieſcunque mens noſtra ab importunis cogitationibus, & diſtractionibus voluntariis obumbrata fuerit, non poterit, nec velit habere locum oratio, quia ſicut lux & tenebræ ſe mutuò non compatiuntur; ita quoque, ex mente magni hujus præceptoris ſpiritualis, non bene inter ſe conſentiunt oratio, & diſtractio. In Sacra *Geneſeos* hiſtoria cap. 15. refertur, quòd Patriarcha Abraham omni cum induſtria aves rapaces, ſacrificium, quod offerebat, circumgyrantes repellere conatus fuerit. Ad quod Abrahæ Sacrificium alludens S. *Gregorius* lib. 16. mor. cap. 19. ita ſcribit: *Sæpe in ipſo orationis ſacrificio importunæ ſe cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare contendunt,*

*tendum, quod in nobis Deo flentes immolamus; Unde Abraham cùm ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiosè, ne oblatum Sacrificium raperent, abegit: Sic nos cùm in arca cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat.* Porrò, per aves illas, quæ sacrificio Abrahæ insidiabantur, rectè spiritus infernales præfigurantur. Audiamus, quid de his *S. Ephrem* dicat; ita enim scribit: *Si cùm oras, mens tua distrahatur, sive per oculos, sive per aures, sive per cogitationes, aut per quamcunque aliam causam, scito hoc inimici ipsius esse opus.* S. *Laurentius Justinian.* de orat. cap. 4. monet, nè lamentemur, si quando orationes nostras non exaudiri experimur, cujus sequentem assignat rationem: *Abundantia enim malarum cogitationum plurimum, ne exaudiatur oratio, obstat. Meritò non exaudiri meretur, qui obscœnis* (vanis & mundanis) *irretitus cogitationibus non intelligit, quid oret.* S. *Laurent. Justin.* Tract. de Orat. cap. 4.

16. Ad has igitur mentis evagationes propulsandas consulit S. *Bernardus* (quod ipsummet quoque usurpâsse & factitâsse verisimile est) Veniens (inquit in specul. monachor.) ad Ecclesiam, pone manum tuam super os tuum, & dic: *Exspectate hic cogitationes malæ, intentiones & affectus cordis, & appetitus carnis: Tu autem anima intra in gaudium Domini Dei tui, ut videas voluntatem Domini, & visites templum sanctum ejus.* S. *Climacus* grad. 18. refert, quòd, dum die quadam Religiosorum quendam observaret, qui inter Psallendum præ cæteris attentior erat, & devotior, viderétque, quod specialiter in principio hymnorum vultus ejus mutaretur, videretúrque quasi alteri colloquens, ab eo instanter petierit, ut sibi diceret, quidnam idipsum significaret. Respondit Monachus: Ego in principio officii divini, quantum in me est, cor & cogitationes meas soleo colligere, eísque ad me convocatis, dico: *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus, & oves pascuæ ejus.*

17. Verùm, absque omni mentis evagatione orare hoc opus hic labor est. Fratres quidam *Abbatem Agathonem* interrogabant: Pater quæ virtus in conversatione plus habet laboris? Et dixit eis: *Ignoscite mihi, quia puto non esse alium laborem talem, qualem orare Deum. Dum enim voluerit homo orare Deum suum, semper inimici dæmones festinant interrumpere orationē ejus, scientes, quia ex nulla re impediuntur, nisi per orationem ad Deum; siquidem omnem laborem alium, quem homo in religiosa conversatione positus assumpserit, quamvis instanter & toleranter agat, habet tamen, & possidet aliquam requiem: Oratio autem usque ad ultimam exhalationem opus est, ut habeat laborem magni certaminis.*

18. Sed ô Deus! cujus mens non aliquando alienis distrahitur cogitationibus? S. *Hilarion* oravit aliquando fixo in terram capite, & (ùt natura fert hominum) abducta ab oratione mens nescio quid aliud cogitabat, insilivit dorso ejus festinus agitator diabolus, & latera calcibus, cervicem flagello verberans: *Eja, inquit, eja curre, quid dormitas?* cachinnánsque desuper, si defecisset, an hordeum vellet accipere, sciscitabatur. S. *Franciscus Seraphicus* evagationes mentis pro gravi peccato habebat, eásque statim confitebatur. Cùm semel oraret Tertiam, & incideret ei vasculum, quod paulò antè fecerat, finitâ oratione vasculum conjecit in ignem,

 dicens:

dicens: *En sacrifico te ei, cujus sacrificium impedivisti.* Verè ars artium est inter orandum mentem sic figere, ut furtim quandóque non exspatietur. In hac porrò inconstantia & miseria consolatur nos sententia S. *Climaci* grad. 4. dicentis: *Si, dum oras, inimicus subtilissimè irrepit, animique intentionem clam, ut fur avertit, bono animo esto, dum semper lubricam revocas mentem; Angelis enim solis datum est hujusmodi non patere furibus.*

19. Hanc ob causam antiqui Eremi Patres utilius censuerunt breves orationes, sed creberrimas fieri. Unde S. P. *Augustinus*: *Fratres*, inquit, *in Ægypto crebras quidem habent orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, nè vigilanter erecta* (quæ oranti plurimum necessaria est) *per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio.* Ab instructione Angeli descendit hic modus; qui cùm *Pachomio* per diem non nisi duodecim orationes præscriberet, & Pachomius nimis paucas esse quereretur, respondit Angelus: Has constitui, ut parvi quoque possent procedere ad perficiendam regulam, nec eis esset molestum: Perfectos autem non indigere regulâ, cùm totam vitam in suis cellis possint peragere. Hinc etiam *S. Benedictus* in Regula vult, ut Fratrum oratio sit brevis & pura. Et meritò: Nam, teste *S. Romualdo*, melior est unus Psalmus ex corde, quam centum cum distractione. Rectè itáque de oratione percunctantibus, quænam foret optima? Respondit *Sanctus Macarius*: *Non est opus multâ verborum copiâ: manus ad Deum crebriùs pandendæ, clamandúmque: Domine quomodo vis, & sicut tibi placet, ita fiat. Vitæ PP.* libro 5. libell. 12. numero 10.

20. *Bellovacensis* spec. mor. libro 3. parte 10. dist. 33. aliam quandam similem doctrinam, ex iisdem vitis PP. desumptam, his verbis adducit: In *Vitis Patrum* interrogaverunt *Abbatem Evagrium*, quomodo esset orandum? qui ait: *In oratione non est multum loquendum, sed extendite manus vestras frequenter ad Deum, & dicite: Domine, sicut tu vis, & scis, miserere mei.* Hanc ipsam doctrinā etiam nobis inculcat *Sanctus Climacus* grad. 28. sic monens: Sit tota oratio tua sincera & sine fuco, unico enim verbo & Publicanus, & Prodigus Deum sibi conciliaverunt; nihil est, quod in precibus exquisita excogites verba; sæpiùs enim puerorum, seu parvulorum simplicia & tertiata verba Patrem illorum, qui in cælis est, propitiârunt, neque multa verba facias, nè dum quæris quod dicas, mens ipsa distrahatur. Ad hoc facit exemplum de muliere devota, quæ in angulo Ecclesiæ in oratione prostrata, perseverabat in oratione totâ die, *Pater noster, Ave Maria, & Credo* cum maxima devotione iterabat, liquescens tota lacrymis. Episcopus autem illius Ecclesiæ illuc respiciens, videbat columbam descendentem de cælo, & ejus lacrymas haurientem, & cùm pluries vidisset, accersit eam, inquirens quid oraret? Quo audito, ait: O quam felix esses, si scires Psalterium! Hinc eam edocuit Psalterium recitare, quod cùm oraret, Episcopus lacrymas non vidit, nec columbam sicut prius, ideóque abstulit ei Psalterium, præcipiens, ut rediret ad consuetas orationes, quod cùm fecisset, redierunt & lacrymæ, & devotio, & columba visa est descendere, & lacrymas haurire.

21. Non absimilem in quopiam Authore me legisse historiam memini de quo-

quodam fratre Converso, qui cùm frequenter intonari Psalmum 50. perciperet, tandem tria initiativa verba edidicit, sed quia literatus non esset, locò Ly *mei* intellexit *tui*: unde identidem in cella magna cum devotione repetebat: *Miserere tui Deus.* Hanc orationem Deo summoperè placuisse inde erat colligere, quod ex ejus cella suavissimus emanans odor transeuntes afflaverit. Cúmque postmodum ab Abbate de oratione sua interrogaretur, hícque errorem adverteret, eum monuit, ut diceret: *Miserere mei Deus.* Quod cùm Conversus ille exequeretur, odor ille evanuit; unde denuò à Præposito jussus est pristinam orationis formulam repetere, cum qua etiam suavis ille odor rediit.

22. Novi ego senem, ait *Rodriq.* p. 1. tr. 5. c. 19. n. 6. quendã in Societate nostra Patrem, & quidem insignem concionatorem, qui aliam orationem multo tempore non faciebat, quam magna cum humilitate, & simplicitate Deo dicere: *Domine, ego bestia, & orationem facere nescio, tu me, quæso, illam doceas:* Atque hac ipsa oratione mirificè in spiritu profecit, & ad eminentem orationis gradum pervenit. Idem Author ad memoriam nobis revocat orationem, quam *S. Paphnutius* Thaidem docuit, postquam illam conversam angustæ cuidam cellæ in perpetuum inclusit, eam aliud nihil docere voluit, quàm ut versus orientem prostrata, sic oraret: *Qui me plasmasti, miserere mei.* Et cum hac oratione ad eminentem Sanctitatem evecta fuit. De *S. Francisco* etiam refertur, quòd perdius & pernox in illa oratione hæserit: *DEUS meus, & omnia*: Ex hac brevissima oratione ita divino amore succensus fuit, ut sæpè visus sit corpore sublevatus à terra, & nubeculâ quâdam fulgente circumdatus. Ex quibus patet, quantoperè Deo placeant, nobísque salutiferæ sint preces jaculatoriæ; proinde hoc orationis exercitium nullo non tempore à Christianis, Religiosis præcipuè, usurpari deberet, quia facillimum est, nec ullum occupationibus & negotiis nostris impedimentum causat, quin imò omnia opera nostra facilia reddit, & coram Deo valdè pretiosa efficit. Ad hæc videre oportet, ne, dum orationi incumbere solemus, socordia, animíque tædium nobis obrepat, quantoperè enim Deus orationem socordem aversetur, ex iis quæ subsequuntur, intelligemus.

# PARS TERTIA.

23. Quoniam dæmon (inquit *S. Basilius*) orationem, medium ac veluti canalem esse novit, cujus adminiculo universum ad nos bonum derivatur, omni quo potest studio & conatu ipsam impedire, & mille in ea nobis remoras atque obices objicere connititur, ut, isthoc sublato præsidio, faciliùs illi ad animam nostram per fraudes & tentationes aditus, & accessus pateat. Pari ille nobiscum modo agere, nósque intercipere & subvertere conatur, quo archistrategus Holophernes Bethuliam sibi resistentem *Judith.* 7. 6.: utì enim ille aquæ ductus, & canales, quibus ad urbem aqua derivabatur, incidit: ita dæmon omni operâ hunc orationis canalem & conductum, per quem ad animam nostram gratiæ, omniúmque spiritualium bonorum aqua dimanat,

aut penitùs frangere, aut aliò saltem divertere connititur. Placet percipere historiam sequentem, quæ reperitur in Magno Speculo Exempl. verb. *Oratio.* exempl. 53. Erat Miles quidam, cui ex famulitio suo famulus diu fidelissimam præ cæteris exhibuit servitutem. Tandem (qua ex causa nescio) rescitum fuit fidelem illum servum, non hominem, sed ipsum cacodæmonem esse. Quare herus, cur tam promptè sibi serviret, & quodnam pro tot exantlatis laboribus præmium peteret? percunctatur. Hoc unum respondit diabolus, pro meo tibi præstito famulatu efflagito præmium ac mercedem, ut erigi cures campanam in hac (illam indigitando) Ecclesia, cujus sonitu homines ad divina evocarentur obsequia. Quam petitionem miles miratus, eum iterum percontatur, cur hoc posceret, cùm tamen ipse sit omnis pietatis inimicus? Ideo, subjungit Alastor, id fieri discupio, ne homines tam maturè ad templum properent, dum enim nullum audiunt pulsum, præmaturè domo exire, Ecclesiámque adire solent, timentes ne tardè venientes Missam negligerent; sicq; tempus antevertendo perlongas frequentant preces; At si campana erigetur, semper domi remanentes, exspectabunt ejus sonitum, unde fiet, quod eorum oratio decurtabitur, & aliquando etiam Missæ pars negligetur ab eis, tardiùs domo exeuntibus; ex quo magnum mihi lucrum accrescere certò spero. Videat ergo nunc aliquis, quanto orcus conamine piorum preces retardare, ac impedire conetur.

24. Quid non etiam attentârunt inferorum satellites, quo S. *Hilarionem* ab oratione avellerent? Spectaculum pugnantium gladiatorum præbuerunt, sic ut unus quasi interfectus, & ante pedes ejus corruens sepulturam rogaverit. Coram S. *Pachomio* multi convenientes, unum arboris folium magnis funibus colligare videbantur, & summo conamine trahere dexterâ lævâque ductis ordinibus, ac sese mutuò cohortantes, sic insistere nitebantur, ac si maximi lapidis moverent pondus immensum. Atque hinc facilè patescit, quòd orationem cacodæmon cane pejus & angue detestetur, & quocunque potest modo, orantem interturbare, ac impedire conetur, uti præclarè S. *Nilus Abbas* cap. 44. de Orat. observavit. Quælibet alia bona, putà jejunium, flagra, cilicii gestationem, diabolus tam ægrè non fert, nec ea tantoperè disturbare nititur; at orationi, quòd tempus impensum sit, ferre nequit, sed ipsam omni studio impedire, & mille in illa impedimenta objicere contendit. Hinc rectè summus ille veteris Asceseos Magister, S. *Joannes*, cognomento *Climacus* ait: *Sicut ad campanæ sonum fideles, & Religiosi visibiliter ad Deum tum precandum, tum laudandum in Ecclesia congregantur: ita quoque inimici nostri, dæmones inquam, tunc invisibiliter ad nos tentandos, & in oratione interturbandos conveniunt, ac coëunt.*

25. Tempestivè prorsus venit, quod *Heribertus Rosvveidus* lib. 2. cap. 29. ex vitis Veterum Patrum commemorat dicens: Veniebat ex his malè feriatis nebulonibus unus ad S. *Macarium* dicens: Surge Abba, eamus ad collectam nocturnam. Cui Vir Sanctus: O Mendax & veritatis inimice, quid tibi consortii, quid societatis est cum collectis & congregatione Sanctorum? At ille: Latet te ergo Macari, quòd finè nobis nulla collecta agitur? Veni, & videbis. Tunc ille: Imperet tibi Dominus. Et conversus ad orationem, petiit à Domino ostendi sibi veritatem.

tem. Itaque abiit, & ecce vidit per totam Ecclesiam quasi parvulos æthiopes discurrere, huc atque illuc volitando deferri. Moris est autem inibi sedentibus cunctis ab uno dici Psalmum, cæteris vel audientibus, vel respondentibus. Discurrentes ergo illi æthiopes parvuli, singulis quibusdam sedentibus alludebant, & si cui digitulis duobus oculos compressissent, statim dormitabat: Si cui verò in os immersissent digitum, oscitare eum faciebant: Ubi verò post Psalmum ad orandum se projecissent fratres, percurrebant nihilominus singulos, & ante alium jacentem in oratione quasi mulierum specie ferebantur, ante alium, quasi ædificantes atque portantes aliquid, ac diversa quæque agentes apparebant; Et quæcunque dæmones quasi ludendo formâssent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant, ùt postea singulorum relatione monstratum est. A nonnullis tamen, ubi aliquid horum agere cœpissent, quasi vi quadam repulsi, præcipites dejiciebantur, ita ut nec stare quidem prorsus, aut transire juxta eos auderent.

26. En, mi frater, petulantiam ac invidiam hostium nostrorum, eorúmque conatus & stratagemata, quibus præpedire nunquam non contendunt orationem nostram, vel saltem eam quò distractam socordemque efficiant, nil omittunt. Ad has autem dæmonum versutias à nobis propellendas optimum fuerit medium, quod nobis præscribit *Siracides* cap. 18. ℣. 23. sic monens: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat* DEUM. Nam, ut ait S. *Thomas* 2. 2. q. 97. a. 3. ad. 2. *Qui ante orationem ad devotionem se non disponit, non facit quod in se est, ut audiatur à* DEO, *& ideo quasi interpretativè tentat* DEUM. Proin talis, qui sine ulla præparatione aut reverentia DEUM orat, non solùm nihil emolumenti, sed plurimùm potiùs refert ex sua oratione nocumenti; nam DEUS simili oratione, quæ cum tepiditate ac fastidio peragitur, non tam placatur, quàm ad iram provocatur: dicitur enim apud *Prophetam Jeremiam* cap. 48.: *Maledictus est, qui facit opus Domini fraudulenter.* Septuag. vertunt: *negligenter.* At verò quodnam opus inveniri poterit, quod majori jure *Opus Domini* appelletur, quàm oratio? Igitur quæ in ea committitur negligentia ac torpor, DEO exosa est & abominabilis, & ideo maledictionem potiùs, quàm benedictionem ex ea reportamus.

27. At dices: ergone damnationi erit obnoxius, qui in oratione, in Choro, in Ecclesia, in Altari aliquatenus negligenter se habet? Ergone hujusmodi tepor ac negligentia peccatum erit mortale? nemini siquidem maledictio intentatur nisi ob crimen grave. Respondet *Magister Angelicus* 2. 2. q. 54. a. 3. in Corp. & hunc difficultatis nodum dissolvit, dum explicat, quomodo tepiditas & negligentia peccatum mortale fit. Dicit ergo: Potest dupliciter contingere, quòd negligentia sit peccatum mortale: uno modo ex parte ejus, quod prætermittitur per negligentiam: quod quidem si sit de necessitate salutis, sive sit actus, sive circumstantia, erit peccatum mortale. Alio modo, ex parte causæ; si enim voluntas in tantum sit remissa circa ea, quæ sunt DEI, ut totaliter à DEI charitate deficiat, talis negligentia est peccatum mortale; & hoc præcipuè contingit, quando

quando negligentia sequitur ex contemptu. Alioquin si negligentia consistat in prætermissione alicujus actûs vel circumstantiæ, quæ non sit de necessitate salutis, nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu fervoris, qui impeditur interdum per aliquod veniale peccatum; tunc negligentia non est peccatum mortale, sed veniale. Ita in terminis D. *Thomas.*

28. Idem *Angelicus Præceptor* 2. 2. q. 35. a. 3. in Corp. differentiam explicans, quæ est inter peccatum veniale & mortale in communi, ad acediam deveniens, inquit: *Motus acediæ in sola sensualitate quandoque est per repugnantiam carnis ad spiritum; & tunc est peccatum veniale; quandoque verò contingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam, & horrorem, & detestationem boni divini, carne contra spiritum omnino prævalente, & tunc manifestum est, quòd acedia est peccatum mortale.* Quapropter hæc in divinis officiis torpedo & negligentia, seu indevotio periculosa satis res est, & nimis à viro sapiente formidanda, utpote quæ veram devotionem tollit, & hominem morosum & inidoneum ad obsequia divina efficit, atque in bene operando promptitudinem aufert, & omnibus piis exercitiis vehementer obsistit. Nam ex *Sancto Joanne Damasceno* lib 2. *Acedia est tristitia aggravans mentem, ut nihil boni ei agere libeat.*

29. Quàm autem talis homo, qui se ab acedia abripi, & in transversum agi sinat, DEO sit invisus, aliquo modo metiri licebit ex eo, quod commemorat *Nebridius* in suo Antiquario Monastico Epistolâ 68. de quodam Monacho Carthusiano, cui ex eo, quòd acediam non satis caverit, cuncta in Cœnobio erant fastidiosa & onerosa. Unde cùm aliquando tædio victus, à divino Vesperarum recessisset officio, deambulatum (ut solebat) in Capitulo; vix pedem intulit, & imago Christi in crucem fixi ob ingredientium oculos collocata, aversâ facie, dorsum fastidienti Monacho præbuit. Quo viso miser è vestigio amens efficitur, cadénsque in desperationem per medium annum sic permansit. Quo elapso Fratrum precibus sibi quidem restitutus est, sed nulla vitæ inertissimæ subsecuta est emendatio. Quippe eo usque processit hominis malitia, ut ex Sententia Generalis Capituli ab Ordine sacro projiceretur. Perspicitis modò, quale præjudicium ac damnum hominibus Claustralibus inferat tepor, ac socordia, præcipuè in oratione? Et ideo opportunè monet S. *Cæsarius Arelatensis* homil. 21. nimirum, *ut nobis vigilanter attendamus, ne acedia, dum divinis assistimus officiis, animum nostrum subeat, efficiatque, ut ex medicina nobis venenum adsciscamus; id est, ne inde orans acquirat peccatum, ubi habere potuit remedium.* Hæc, pie lector, bene nota, ne verò exinde præter mentem scrupulosus & pusillanimis fias, modò dictis adjunge dicenda.



PARS

# PARS QUARTA.

30. ADvertendum est ea, quæ hactenus in duobus præcedentibus paragraphis diximus, intelligenda esse de distractionibus voluntariis, seu de illis, quibus culpâ nostrâ causam dedimus, seu etiam quas ex parte nostra non abigimus, dum id possumus, illásque advertimus. Cæterùm si ad imitationem Abrahæ omne nostrum ad illas repellendas, seu ad ponendum illis remedium, collocemus studium, orationis merito nequaquam privabimur, quia talis perturbatio non sequitur ex defectu nostro, quin potius voluntas nostra illi, quantùm potest & valet, resistit; neque Deus per illam offenditur; quia [ ùt verbis *Psalmistæ* utar ] *Sicut miseretur Pater filiorum, misertus est Deus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Super quæ verba *Josephus Mansi* tra. 58. disc. 34. authoritatem citans *Patris Rodriquez* sequentem adducit » similitudinem: Sicut Pater, qui filium » habet phreneticum, eidem compati» tur, & ingentem in animo suo sentit » dolorem, dum filium suum, mox ut » loqui incipit, delirare in sermonibus » audit: Ita quoque pientissimus Pater » cælestis ad pietatem & compassionem » erga nos movetur, quando videt, tan» tam esse naturæ debilitatem & infirmi» tatem, ut dum cum ipso sensatè loqui vo» lumus, subitò in mille deliras cogita» tiones incidamus. Ac proinde tametsi » quis nullam sentiat in oratione devo» tionem & succum, sed econtra ingen» tem ariditatem variarumq; cogitationũ » conflictũ, in eoque toto tempore oratio» nis perseveret, propter hoc orationem » non deserat, utpote quæ Deo gratissima » est magnique in divino ejus conspectu » valoris, & meriti; Imò certò credat ta» lem orationem sæpe Deo magis esse » gratam, magísque meritoriam, quam » si illam magna cum devotione & con» solatione perfecisset, eò quod in illa » ex amore Dei majorem sustinuerit la» borem & difficultatem.

31. S. *Antoninus* circa distractiones ex » directione *Doctoris Angelici* sequen» tem tradit regulam: *S. Thomas* in 4. » dist. 15. ait: Quòd attentio in oratione » semper debet manere secundùm suam » virtutem, quando quis accedit ad ora» tionem cum intentione aliquid ope» randi, vel Deo debitum obsequium » reddendi. Etsi in prosecutione oratio» nis mens ad alia rapiatur, nisi tanta » sit vagatio, quòd depereat vis primæ » intentionis; ideo oportet, quod fre» quenter homo cor revocet ad seipsum; » Non tamen requiritur, quod intentio » comitetur actualiter totam orationem, » quia nec hoc requiritur in quibuscun» que operibus bonis, nec hoc est possi» bile propter evagationem mentis hu» manæ. Requiritur tamen, quod orans » scienter non distrahat mentem ab ora» tione. Evagatio verò, quæ est præter » intentionem, & propter occupationem » præcedentem licitam, peccatum non » est, secus si propter illicitam. Hucusque » *S. Antoninus* part. 3. tr. 13. c. 3. §. 8.

32. Ex qua doctrina abigitur inanis nonnullorum scrupulus, dum arbitrantur se distractionum, quibus in oratione inquietantur, causam præbuisse culpabilem propter talem v. g. actionem præcedentem licitam, quam si vitassent, distracti non forent. Quia si ob futuras distractiones, actiones honestas prætermittere teneremur, Deus bone! Quàm multas

multas etiam virtuosas negligere deberemus occupationes. Sciendum igitur est, quod notat *Josephus Mansi* tract. 58. discur. 34. num. 6. in hæc verba scribens: Qui hic in terris vivimus, & cum aliis communicare & conversari cogimur, quantùm fert uniuscujusque vocatio, sentire quoque nonnunquam cogimur in mediatione distractiones ex domesticorum, amicorum, vel aliorum etiam perfectorum hominum præsentium amore, vel saltem ad minus eorundem memoriâ, idque non ex culpa & defectu nostro, sed quia id causant hujus nostræ mortalitatis miseria. Non absimilem ad propositum nostrum adfert doctrinam eximius ille vitæ Spiritualis magister Alphonsus *Rodriquez* p. 1. tr. 5. c. 19. dicens: Hoc generatim omnibus persuasum sit, servo Dei imprimis esse curandum, ut cor suum expurget, se mortificet, ab omni sibi crimine caveat, sempérque id propositum habeat ac decretum, quidvis potius pati & amittere, quam vel unum lethale crimen committere. In hoc se in oratione imprimis fundet, huicque identidem insistat, ac sæpius id iteratis actibus repetat: hos enim quamdiu in ista vita mortali agimus, nobis pernecessarium est, & huic fundamento inædificare quisque nostrum debet, quidquid postea perfectionis vult superstruere; Quod qui fecerit, næ ille perutilem fecerit orationem; Sanctitas enim non consistit in præcellenti orationis dono, sed in voluntatis divinæ exacta observantia.

33. Quando ergo in oratione [inquit idem Author] illam attentionem, devotionem, & intimam illam unionem, quam desideras, non sentis, operam saltem da, ut hoc ipsum ardenter velis & desideres; ita nimirum supplebis, quod sibi arbitraberis deesse. Neque enim minus bona hæc voluntas ac desiderium Deo satisfacit, quam sublimis quædam & excelsa oratio; nec minus voluntate hâc sanctoque desiderio lætatur, quam si tota anima amore liquefacta plenè sibi jungeretur. Hoc ipsum medium à Deo B. Virgini Gertrudi propositum fuisse testatur *Lud. Blosius.* Cum enim Sancta hæc quodam tempore quereretur, quòd cor suum tam altè in Deum librare non potest, quàm ut ipsa vellet, aut facere debere sibi videretur; divinitus edocta fuit, satis Deo esse, quòd homo sincerè ac ex animo ardens quoddam ejus rei desiderium habere velit; quando exiguum, & fortè etiam nullum ipsa in se sentit. Tantum quippe homo coram Deo desiderium habet, quantum ipse habere vellet. Et addit: Deum non minus libenter commorari ac delectari in corde hujusmodi desiderium habente [desiderium, inquam, ac voluntatem talis desiderii habendi] quàm aliquis nostrûm in vernantissimo ac floridissimo prato. Sublimi tuâ oratione Deus non indiget: aliud præter cor tuum non quærit, hoc unum spectat, hoc operis loco acceptat. Totum te illi in oratione offer, cor tuum illi repræsenta, ac tali in ea fervore versari desidera, quo ardentissimi Seraphini coram eo consistunt; & hanc Deus voluntatem pro ipso opere respiciet, & recipiet.

34. Porrò, in hoc genere nullum fructuosius nec utilius exercitium est, quàm opera nostra cum operibus Christi conjungere, & ejus sacratissimæ passionis meritis defectus nostros, tam in oratione quàm in reliquis operibus nostris commissos supplere; offerendo orationes nostras æterno Patri in illius amoris & fervoris, quo Christus ipse olim in terris oravit, & ipsum laudavit, unione; jejunia verò nostra in unione jejuniorum

ejus, eúmque rogando, ut impatientiam nostram filii sui patientiâ, superbiam ejus humilitate, &c. supplere & instaurare dignetur. Exercitium hoc Dominus quibusdam particularium amicorum suorum [ut ait *Ludovicus Blosius*] revelavit, ut aliquod hac ratione operibus nostris meritum & valorem conciliemus, atque infinito inexhaustóque meritorum Christi thesauro paupertatem nostram sublevemus.

35. Ulteriùs scire oportet, quòd afflictio & amaritudo illa, quam nonnunquam Dei servus sentit, quod scilicet orationem suam non debitè, ut oportet, se facere putet, particulare quoddam Dei donum & singularis gratia sit, illiusque erga illum amoris signum, quemadmodum arguté annotavit *Alphonsus Rodriguez* p. 1. tr. 8. c. 27. qui hanc solidam dat rationem: quòd nimirum nullus sit sine amore dolor, nulla de non fideliter serviendo displicentia sine fideliùs ac meliùs serviendi proposito ac voluntate. Hæc proinde angustia & dolor nonnisi ex amore Dei ac meliùs ei serviendi desiderio enascitur. Si enim non contristaretur, nec angeretur, quòd illi malè serviat, quòd malè oret, quòd exercitia sua non pro eo atque debet, exequatur; malum id signum foret: at, angi ipsum & cruciari, quòd malè his fungi se putet, bonum signum est.

36. Aliud idem Author non minoris consolationis punctum adducit in hæc verba: Etiamsi aliud in oratione non agas, quàm quòd ibi præsens in regiæ ac divinæ illius Majestatis conspectu adstes, magnum nihilominus per hoc obsequium Deo præstas; Sicut ad Regum & Principum terrenorum majestatem non parum facere videtur, quòd Magnates & Proceres sui quotidie regiam frequentent, sibi præsentes adsint, inque suo conspectu assiduè versentur. *Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.* Divinæ Majestatis gloria, conditionis nostræ vilitas, negotii, quod tractandum suscepimus, magnitudo exigit, ut frequenter ad palatii ejus cælestis januam exspectemus: quam cum ipse tibi aperire dignabitur, ingentes illi gratias age; sin nolit, humilia te, agnoscendo in corde tuo, id minimè te promereri: itáque oratio tua semper optima, semper fructuosissima est. Omnibus his aliisque id genus observationibus nos uti oportet, ut in hac desolatione, & derelictione spirituali, Dei voluntati conformemur, ipsam à manu ejus cum magna gratiarum actione acceptando, ac dicendo: *Salve amaritudo amarissima, omnis gratiæ & bonorum plena.* Vide quæ diximus serm. 28. num. 36.

37. Ex dictis sequens deducitur conclusio practica: quòd nimirum ob nullam cordis ariditatem, nec ob molestam malarum cogitationum turbam, nec ob alias varias mentis distractiones oratio sit omittenda. Hoc enim facere cælestis Sponsus docuit S. *Catharinam Senensem*, dum eidem dixit: Scito filia, quòd anima perseverans in humili fidelique oratione adipiscitur omnem virtutem, unde nullo modo orationis studium negligendum, aut omittendum est propter aliqua adversantia, sive ea procedant ab illusione satanæ, sive à fragilitate propria, sive à cogitationibus immundis, sive ab inordinatis stimulis, & carnali motu corporis; frequenter enim diabolus orationis tempore animam variis imaginibus & phantasmatibus magis infestare conatur, quàm extra tempus orationis. Tunc callidè suggerit oranti, quòd talis oratio nihil illi prosit, cùm alia cogitare non debeat,

quam illa quæ orat. Malignus hostis hoc persuadere nititur, ut is, qui orat, tædium, confusionémque mentis incurrat, atque ita omittat exercitium orationis, quæ est armatura fortissima adversus omnes inimicos. Hactenus Salvator noster ad S. Virginem Catharinam, uti refert *Ludovicus Blosius* in Conclavi animæ cap. 3.

## Quædam de Oratione mentali.

# PARS QUINTA.

38. S. *Teresia* in itin. perf. c. 28. scribit, quod oratio mentalis sit omnium virtutum comparandarum principium, & in qua omnium Christianorum vita sit constituta: cujus vel unicus quadrans legitimè insumptus, teste *S. Ignatio Loyola*, sufficit ad hominem brevi tempore ad apicem perfectionis perducendum. Hinc eam tanti æstimavit *P. Franciscus Suarez* è Societate Jesu, qui omnem Theologiam compluribus tomis egregiè illustravit, ut ingenuè fassus sit, malle se, quidquid scientiæ acquisivisset, perdere, quàm unicam solitæ meditationis horulam intermittere. Etenim nihil ad cor humanum divini amoris igne succendendum tam efficax est, ùt meditatio attenta, teste *Psalmographo* dicente: Ps. 38. 4. *Concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardescet ignis.* Quemadmodum enim chalybis affrictu [ùt loquitur *S. Cyrillus Alexandrinus Præsul*] ignis copiosè ex lapide exsilit; ita dum mens discursu, meditationéque quasi percutitur, ignis amoris divini, & desiderium perfectionis excitatur.

39. Præclare etiam meditationis fructum *S. Bernardus* l. 1. de Consid. c. 7. his adumbrat verbis: Consideratio rerum particularium mentem, de qua oritur, purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, comprimit mores, vitam honestat & ordinat, agenda prærordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat incorrectum, aut correctione egens. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit. Cui concinit *S. Laurentius Justin.* de casto connub. c. 22. »dum per hæc excurrit verba: Nihil aptiùs »Deum possidere facit, & mentem refrænat, quàm attenta meditatio, quæ in ora»tione proponitur. Hæc siquidem cor a»movet ab exterioribus, & ad se redire »compellit. Hæc est disciplina mentis, spi»ritualis Pædagogus, orationis funiculus, »incipientium eruditio, & intentionis »mentis provida gubernatrix. Ex ipsius »assiduitate stabilitur mens, purgantur »cogitationes, solitudo sapit, delectat De»us, ingenium acuitur, castificatur sen»sus, illustratur ratio, loquela restringi»tur, & animus ad alta suspenditur. Ipsa »est Spiritualis janua orationis, per »quam Verbum ab ingredientibus ag»noscitur, & puris manibus honoratur. »Quamdiu mentis oratio veraciter possi»detur, tanquam oculi pupilla custodien»da, & velut quoddam spirituale deposi»tum servanda.

40. Unde liquet, si fidem præfatis SS. Doctoribus adhibemus, quàm necessaria, quàm utilis, & quàm fructuosa sit meditationis

tationis frequentatio, sine qua nullus sanè sibi persuadeat, posse effici bonus cœnobita. Hanc ob causam sacræ Constitutiones nostræ sanciunt, omni die ut bis orationi mentali semper per horam omnes incumbant. Et non immerito hoc præcipiunt, cùm hujus religiosissimi exercitii usum & frequentiam tantoperè nobis sacra commendet Scriptura. *Beatus vir*, inquit *regius Propheta* ps. 1. *qui in lege Domini meditatur die ac nocte; quia erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Qualem porrò fructum meditationi sedulò incumbens proferre soleat, indicat idem *Hebræus Vates*: Ps. 36. Postquam enim præmisit: *Os Justi meditabitur sapientiam*; mox hujus meditationis fructum subjungit dicens: *Et lingua ejus loquetur judicium.* Ecce tibi frenum linguæ, quod virum perfectum efficit: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*, ait *S. Jacobus.* Subjungit idem Regius Psaltes: *Lex Dei ejus in corde ipsius*, nimirum legem divinam in medio cordis collocavit, & ideo sequitur: *Et non supplantabuntur gressus ejus.* Quasi diceret, meditando talem sibi acquiret in via Dei firmitatem, & stabilem perseverantiam, ut à serpente infernali supplantari nequeat. Ecce igitur meditationis dignitatem, & uberes fructus ex ea pullascentes.

41. Ejus porrò necessitatem rursus indicat *David* psal. 118. dicens: *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea*; id est in meis angustiis & afflictionibus, uti id exponit *S. Hieronymus.* Certum enim est, nisi meditationis adminiculo sublevaremur sæpe in nostris adversitatibus, tentationibus & pressuris, animo concideremus, ac in pusillanimitatis vitium, & inde forsan etiam in desperationis abyssum præcipiti cursu devolveremur, à quibus malis nos nedum præservat meditationis exercitium, verùm etiam nostras cruces mirum in modum alleviat ac dulcorat. Proinde una de majoribus laudibus, quas Sancti meditationi ac considerationi adscribunt, est, quod sit singularis omnium virtutum, universorúmque bonorum adjutrix.

42. Porrò, quoniam juxta Philosophos *opposita juxta se posita magis elucescunt*; idcirco ut necessitas meditationis magis cognoscatur, considerare oportet mala & damna, quæ ex ejus neglectu & omissione nasci soleant. Sed quis hæc satis explicet, cùm penè innumerabilia sint? Etenim una de præcipuis causis malorum omnium, quæ in mundo fiunt, est considerationis defectus, ùt ipse Deus per Prophetam loquens, testatur: *Jeremiæ* 12. *Desolatione desolata est terra, quia nullus est, qui recogitat corde.* Unica, cur tanta sit in rebus spiritualibus in terra desolatio, cur tot, tantáque in mundo peccata effusis habenis dominentur, causa est, quia vix ullus seipsum ingreditur, ad Dei Mysteria in corde suo recogitanda, & animo versanda. Quis enim audeat peccatum aliquod lethale committere, dum cogitat, Deum propter peccatum mortem oppetiisse, tantamque ejus malitiam esse, ut Dei filium necesse fuerit humanam carnem assumere, ut ex rigore justitiæ pro eo Patri suo faceret satis? Quis peccare ausit, cùm recogitat, Deum vel ob unum peccatum mortiferum impios incendiis æternum duraturis adjudicare?

Quòd si ergo homines peccati gravitatem debitè, ut par est, mentis obtutu contemplarentur, næ fieret, illos non ita iniquitatem velut aquam bibere, sed frenum foret, quo à peccando facilè retraherentur.

43. Hanc ob causam dæmon omni conatu nobis hanc meditationem, & considerationem dissuadere contendit. Ut Philistæi Samsoni, quem jam vinctum in potestate habebant, oculos ante omnia eruerunt; ita & diabolus cum peccatore ante omnia agit: cùm fidem illi dissuadere, & eripere nequeat, hoc saltem procurat, ut ita credat, tanquam si non crederet, *ut videntes non videant, & audientes non audiant neque intelligant Matth.* 13. ℣. 13. Procurat, inquam, ut non consideret id, quod credit, nec magis idipsum ad animum admittat, quàm si planè non crederet; oculos scilicet illi occludit. Certè per experientiam videmus, quòd veritates fidei nostræ credantur, nihilominus tamen etiam videmus in praxi, quòd multi credentes vivant, ac si non crederent. Quod si impium aliquem interrogaveris: Credisne Deum esse? alterum, num aliam post hanc vitam superesse credis? Credisne infernum? credisne animam esse immortalem, & suo tempore in judicio particulari & universali coram Deo judice sistendam? Unicumque peccatum mortale hominem secundum præsentem justitiam constituere in abyssum æternæ perditionis? Respondebit utique, se omnia hæc credere. Quænam verò est causa, cur hæc omnia credens non emendetur? Certè non alia quam, *qua nullus est, qui recogitet corde.* Ubi ponderandum est verbum istud: *recogitet*: non enim sufficiebat Prophetæ dicere *cogitet*, sed dixit *recogitet*, id est iterum & iterum cogitet.

44. Quocircò ut Mysteriorum fructum & efficaciam in mediatione perscrutamus, magna cum attentione in ea versemur, oportet, tractim videlicet, & non præcipitanter mysteria singula ruminando, & minutim enucleando. Quod enim non masticatur, nec amarizat, nec sapit: ideo infirmus pillulam medicam integram deglutit, ne illius amaritudinem gustet. Pari modo, ideo nec peccatum, nec mors, nec judicium, nec infernus peccatori amara videntur, quia ea minutim non masticat, sed integra deglutit, rudi & crasso modo, ac velut uno fasce compacta accipiendo considerandóque. Ex eodem fonte procedit, quòd mysterium Incarnationis, Passionis, Resurrectionis Dominicæ, reliquorúmque Dei beneficiorum meditatio nullum tibi gustum ac saporem spiritualem adferant, quia ea minutim non expendis, non ruminas, nec uti debes, excutis. Quare hoc Sinapis & piperis granum mastica ac comminue, & videbis quomodo paulatim te aduret, & lachrymas oculis tuis excutiet, nec non in spiritu te proficere quodammodo coget. Audi, quid *Evangelista Lucas* cap. 2. scribat de B. Virgine Maria: *Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Nimirum, verba & facta filii sui JESU cum summa veneratione pensavit, ac inde eminenter profecit, inquit *Dionysius Carthusianus.*

45. *Divus Chrysostomus* hom. 41. in *Matth.* ex manna de cælo lapso opportunam nobis eruit moralitatem: Etenim quando Hebræi manna illud primâ vice viderunt, & gustarunt, prout per manus Angelorum cælitus præparatum fuerat, stupefacti acclamârunt dicentes: *Manhu*, id est, *Quid est hoc?* Cujus mysterii hanc fuisse rationem ait præfatus Doctor: Ut quotiescunque audimus verbum, admoneat nos hoc ipsum verbum requirere, quid est hoc, quod audimus? Indéque percipiat verbum Dei effectum faciendi

fructum

fructum in auditoribus, dum illud ruminant, & sæpius meditantur. Manna minuti nomine appellatum fuit, scriptura dicente: *Exod. 16. Apparuit minutum in solitudine.* Non enim integrum deglutiebatur, sed trituratum, & molitum erat instar seminis coriandri, & quasi pilo tusum. Sed hæc *Omnia in figura contingebant illis.* Si enim anima ex fidei nostræ mysteriis recipere vult substantiam & vigorem, necessarium est, ut per orationem mentalem trituretur, & conteratur. Unde *S. Gregorius* ait: *Verba Dei, quæ aure percipitis, mente retinete*: Quasi diceret; auscultatas præcipuas Fidei nostræ veritates, ad salutem æternam spectantes, nolite obiter transcurrere, sed attentè meditemini; qui enim sinè mentis applicatione mysteria salutaria obiter transcurrit, & meditatione non ruminat, irreparabilia sibi præjudicia conciliat. Recole dicta serm. 38. num. 11.

46. Pro coronide advertendum est, meditationis perfectionem, ejusdémque profectum haud consistere in sensibili aliqua devotione, sed in perfecta cum divina voluntate conformitate vitiorúmque extirpatione. Unde tametsi sæpe numero videatur meditatio valde sicca & arida, nihilominus tamen erit Deo pergrata, nobisque utilis & fructuosa, si in ea fideliter permaneamus. Quare summoperè caveas oportet, ne propter frequentiores ariditates hoc saluberrimum negligas exercitium; sed fac quantum in te est, & Deus suâ gratiâ tibi nequaquam deerit, sed dabit, quod saluti tuæ magis expediens judicaverit. De *Joseph* Patriarcha habetur Gen. 42. quòd quanquam suos fratres, ad se in Ægyptum venientes duris verbis exceperit dicens ad eos: Gen. 42. 9. *Exploratores estis, ut videatis infirmiora terræ venistis*: Attamen jussit interea œconomum saccos ipsorum frumento, & pecuniis implere: *Jussit ministris, ut implerent eorum saccos tritico,* &c. Gen. 42. 25. Haud aliter Deus cum suis servis agere solet; sæpe enim eos probat & affligit in meditatione ariditate cordis; ex alia verò parte mentem eorum cælestibus replet donis & gratiis. De Rosa, flosculo fragrantissimo compertum habemus; quòd licet sit gratior dum viret, attamen fragrantior est dum arescit; haud dissimili modo de interna oratione discurrendum est, quæ sæpe numero nobis utilior, & in Dei conspectu fragrantior existit, dum arida est. Audiamus S. *Franciscum Salesium*, eximium Christianæ perfectionis Dogmatistam, ita ad nostrum scopum ratiocinantem: Actiones nostræ sunt ad instar rosarum, quæ, dum recentes sunt, plus quidem præferunt elegantiæ & nitoris; at cum arefactæ, plus odoris & virtutum exerunt: pari modo, esto opera nostra, in sensuali cordis teneritudine facta, nobis sint gratiora, magisque placeant, [nobis inquam, qui nonnisi propriam delectationem spectamus] in ariditate tamen & sterilitate obita plus in Dei conspectu odoris & valoris continent. Ita præfatus Sanctus in introduct. ad vitam devotam part. 4. cap. 14. Noli ergo, mi optime frater, meditandi exercitium, quod omnibus Religiosis religiosè vivere cupientibus summè est necessarium, unquam deserere; ut autem in eo te dirigere possis, diligenter inspice, tuæque memoriæ inprime quæ sequuntur, quæque in meditatione sunt observanda & practicanda. Hæc enim si non solùm speculatione, sed etiam operatione tenueris, comperies utique, quàm suave sit servire Deo, quin & exultabundus exclamabis cum Regio Psalte: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.*

PRAXIS

# PRAXIS.

## Fructuosè ordinatéque meditandi.

47. ORatio mentalis est duplex: affectiva & intellectiva. Affectiva est, præsupposità simplici rerum divinarum apprehensione, piorum affectuum excitatio. Intellectiva est, mediis intellectûs operationibus voluntatis in Deum elevatio. Intellectiva rursus subdividitur in cogitationem, meditationem, & contemplationem. Cogitatio est, improvisa Dei, aut rerum ad Deum pertinentium consideratio. Meditatio est, attenta mentis consideratio cunctanter procedens, & rei cujusque naturam, proprietates, actionésque utiliter inquirens, ut Deo cultum exhibeat, affectus moveat, orationes puras ferventésque depromat, & vitæ emendationem afferat. Contemplatio est, Sincera Dei & rerum divinarum inspectio, discursibus carens, Dei amorem inducens.

Materia seu causa materialis meditationis est triplex, juxta tres vias distributa; Viam scilicet Purgativam, Illuminativam, & Unitivam. In via purgativa materia meditationis est, quodvis peccatum, tentatio, passio, quatuor hominis novissima, aliáque motiva contritionis. In via Illuminativa materia est vita Christi aut Sanctorum, Regula, item actio reformanda. In via unitiva materia est; Attributa Divina, beneficia nobis collata aut promissa, gloriosæ vitæ Christi meditatio. Formalis causa seu ratio formalis continetur descriptione paulò antè allatâ, quòd sit: attenta & cunctabunda ponderatio, ad serium in omni perfectionis genere profectum spiritûs promovendum directa, uti Contemplatio.

## De remota & propinqua Præparatione ad Meditationem.

REmota præparatio consistit in tribus præcipuè. 1. In removendis obstaculis fructuosæ meditationis, cujusmodi insinuantur à *Divo Bernardo* ser. 23. in Cantica, sequentia quatuor: Culpa mordens; Cura pungens; Sensus agens; Phantasia distrahens. Culpa mordens amovenda est, per frequentem mentis compunctionem, crebram conscientiæ discussionem, accuratam errorum Confessionem, & seriam occasionum relabendi declinationem. Cura pungens oriri solita ex nimia scrupulositate, aut ex nimia de futuris contingentibus, vel de muniis sibi impositis anxietate, præcavenda est cum filiali fiducia, Divinæ Providentiæ se committendo, respectus humanos contemnendo, Deo, non hominibus placere studendo. Sensuum & phantasiæ evagationes præcludendæ sunt per assiduam mortificationem, & seriam ad res salutares applicationem. 2. Ad præparationem ritè instituendam requiritur, ut potentiæ animæ necessariis præsidiis instruantur, pios libros lectitando, media ad omnimodum profectum spiritûs, Dei Servitium, salutaria revolvendo; certas denique methodos piè meditandi

tandi accuratè acquirendo. 3tiò. Requiritur bona corporis diſpoſitio, prudenter præcavendo, ne vires ejus indiſcretis mortificationibus onerentur, ac debilitentur. Proximè ſe præparaturus, priùs meditationem ſibi prælegere debet aliquo tempore antè, juxta inſtructionem *S. Ignatii.* Perlectam in pauciora, utpotè tria ſuccinctè dividens puncta memoriæ mandabit, ne nimia multitudo ſenſus obruat; divinámque implorabit opem, quò meliorem profectum ſortiatur. Quò meliùs autem in hac diſtributione punctorum progrediatur, ſequentem modum adhibere poterit. E. G. in aſſumpta meditatione.

## De aliquo Sancto.

Primò. Conſiderare poterit, quomodo Deus Sanctum N. elegerit, vocârit, juſtificârit, & ad illum Sanctitatis gradum perduxerit. 2dò. Quomodo Sanctus divinæ gratiæ ſit cooperatus, ſerio ſtudio perfectionis, maximè harum vel illarum Virtutum. 3tiò. Quomodo Deus eum remunerârit, & glorificârit, in hac vita donis & miraculis, in morte ſolatio, in altera vita coronâ gloriæ & conſortio Sanctorum.

## In Meditatione de Virtute, aut vitio.

Primò. Conſiderare poteſt, quænam natura hujus virtutis aut vitii, quæ proprietates, qui actus, quæ auxilia gratiæ neceſſaria à Deo offerantur, quæ lumina, ſtimuli, occaſiones Virtutem hanc exercendi, aut vitium hoc vitandi. 2dò. Quomodo Chriſtus, Beatiſſima Virgo, aut alii Sancti hos vel illos virtutis actus exercuerint, hos vel illos vitii actus fugerint, & quonam modo evitandi ſint. 3tiò. Incitamenta, cujuſmodi ſunt. v. g. Commoda ex Virtute, damna ex vitio provenire ſolita, in hac vita, in morte, & in altera vita.

## In Meditatione de Regula, aut Actione aliqua ordinaria.

Primò. Quis finis & ſenſus Regulæ, quis finis & modus talis actionis perfectè obeundæ, quæ auxilia gratiæ & ſtimuli addantur ad ſtrenuè cooperandum. 2dò. Quàm perfectè Sancti hanc Regulam, aut actionem obierint, quàm verò tu imperfectè. 3tiò. Incitamenta ut ſupra.

## De Praxi ipſa meditandi.

Perfectis ſupra dictis, meditaturus ſiſtat ſe vivâ fide in conſpectu Dei lucem habentis inacceſſibilem, in conſpectu Sanctiſſimæ Matris ejus, & in tota Angelorum Divinæ Majeſtati aſtantium curia, & coram iisdem magnâ cum humilitate, reverentiáque divinum imploret auxilium, quò fructuoſiùs propoſita meditatio inſtituatur. 2dò. Præmittat orationem præparatoriam, quâ gratiam petat, vires & actiones ſuas hac meditatione ad Dei gloriam cultúmque dirigendi. Cujusmodi oratio poterit eſſe ſequens.

## Oratio ante Meditationem.

O Beata Trinitas unus Deus, miſerator & miſericors, longanimis & multum miſericors, in cujus conſpectu ſum proſtratus, loquar ad Dominum meum, &

& audiam, quid in me loquaris, cùm ſim pulvis & cinis, & terra ſine aqua tibi, indignus conſpectu tuo ob innumera peccata, de quibus doleo. Sed ecce, Domine, nihil poſſum ſine te, omnia in te. In manibus tuis ſum, fac mecum hâc horâ, & in æternum quidquid vis, modò gratiâ & amore tuo non deſtituar. Tuum ſolum beneplacitum intendo, non meum ſolatium. Rege memoriam meam, illumina intellectum, accende voluntatem, & trahe me totum ad te cognoſcendum, amandum, glorificandum, & poſt te currendum in odorem unguentorum tuorum. Attentè & devotè orare jubes Deus, da quod jubes, & jube quod vis, idque non pro me ſolùm, ſed pro omnibus mecum oraturis ſuppliciter peto, per merita Domini noſtri JESU Chriſti, Beatiſſimæ Virginis Matris ejus, Patronorum & omnium Sanctorum. O glorioſa Mater Dei & Virgo, Sancte Angele Cuſtos, Patroni mei, Sanctique omnes, orate pro me, & benedicite, laudate & ſuperexaltate Dominum mecum, nunc, ſemper, æternùm. &c.

## De modo diſcurrendi in Meditatione.

Ad diſcurrendum faciliùs & uberiùs de ſingulis punctis, præſertim materiæ hiſtoricæ, confert aliquas circumſtantias ſequenti verſu comprehenſas expendere.

*Quis? quid? quis fructus? cur? quomodo? quidnam? ubi? quando?*

Seu perſonas, verba & opera, effectus ſeu fructus, cauſas, modum, virtutes & attributa divina, locum, tempus. E. g. In Paſſione Domini; quis paſſus eſt? Innocentiſſimus JESUS. Quid? admiranda & inaudita tormenta. Quis fructus? ut viles terræ vermiculos à malo culpæ & pœnæ liberans omni bono gloriæ & gratiæ impertiat. Quomodo? patienter amore noſtri. Quænam? Ubi? quando? In hyeme natus in ſtabulo, in Paſchate paſſus &c.

Qui modus tametſi proprius ſit materiæ hiſtoricæ, poteſt tamen ad alias etiam materias accommodari, expendendo nimirum in qualibet meditatione tria præfixa puncta, ùt ſupra dictum eſt. Et in primo quidem puncto virtutis, aut actionis, aut vitii cujusdam particularis, qualitatem, cauſas, effectus, modum, locum, tempus &c. In ſecundo puncto expendendo modum, quo Sancti in hac terra degentes ad plantandam hanc Virtutem, aut extirpandum vitium proceſſerint. In tertio puncto, ruminanda incitamenta huic virtuti aut vitio accommoda, quæ puncta pro opportunitate temporis protrahi poterunt, inſtituendo diſcurſum aliquem ex tribus ſequentibus, quos *P. Jacobus Alvarez* proponit meditationi crebrò inſerendos.

Primus modus eſt, dirigendo conceptus & cogitationes noſtras ad nos ipſos. v. g. O anima mea! En, quid pro te tam ingrato patitur Chriſtus, quàm dira, & ex quàm gratuito amore? Quàm meritò illi compati, illum redamare & imitari deberes! Secundus eſt, ad Deum præſentem ſic: O Bone JESU, Tu Rex gloriæ pro indigniſſimo ſervo tuo, cujus nec amore, nec exiſtentiâ vel minimum indiges, tanta pateris ſpontè? Ex amore? Quid me viliſſimum mancipium tuum, qui te toties offendi, amore tui non oporteret pati? Tertius modus eſt; audiendo Deum ita nos alloquentem:

quentem: Ecce homo, ego Creator & Salvator tuus patior pro te tam ingrato, idque ut te à peccatis & pœnis inferni liberem, ad imitationem mei invitem, & æternæ Beatitudinis consortem faciam; an non meritò me redamare, & amore mei multa ardua facere & pati deberes?

## De Affectibus & actibus.

Per prædictos actus aut potiùs discursus meditans excitare conetur pios animi motus seu affectus, quorum licèt alii sint proprii Viæ purgativæ, ut Contritionis; alii Illuminativæ, ut imitationis; alii Unitivæ, ut amoris. Tamen in omni ferè materia usitatiores hi decem, ad quos alii facilè reducuntur, occurrunt exercendi: videlicet, Fidei, Spei, Amoris, Timoris, Admirationis, Gratitudinis, Gaudii, Contritionis, Compassionis, Imitationis, qui omnes sequentibus versiculis complexi sunt.

Crede Deo, spera, time, ama, mirator, & esto
Gratus, gaudeto, geme, luge, imitator honestum.

Hi actus aut affectus interseri poterunt meditationi aut discursibus, valde enim meritorii sunt, & perfaciles, dummodo benè discursus instituantur, ex iis enim animus vel maximè excitatur ad amandum Deum, Virtutésque amplectendas, eásque cordi inserendas. Porrò affectus hi excitari possunt primò. Exercendo illos quoad actus internos & pia desideria. 2dò. Optando semper hucusque eosdem perfectè exercuisse, dolendóque de nostra socordia. 3tiò. Proponendo deinde perfectiùs eosdem frequentare, corde, & ore, & opere. 4tò. Idem ut omnes præstent, optando. 5. Gratiam ad id necessariam efflagitando, prout sequenti paragrapho de singulis ostenditur.

## De modo eliciendi prædictos affectus.

Fides excitatur ex consideratione infallibilis Veritatis, infinitæ Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis Divinæ; aliorum item motivorum credibilitatis; ut miraculorum, consensûs Patrum, Constantiæ Martyrum. &c. Exercetur verò primò assentiendo omnibus à Deo revelatis, & desiderando pro illorum veritate mori. 2dò. Optando sic eam semper exercuisse, dolendóque de nostra in rebus fidei stupiditate. 3tiò. Proponendo eam imposterum intrepidè conservare, confiteri, rudes docere, ejúsque actus per diem crebriùs renovare. 4tò. Gratiam ad hæc præstanda implorando. Porrò ut majori cum facilitate ac fructu id præstare possit, sequentes affectus practicos observet, oportet.

E.G. Affectus Fidei. Credo, Domine, credo. Tu adjuva incredulitatem meam. Suggerit alia mundus, caro, dæmon; non credo. Verbum tuum manet in æternum. Pro hoc exige à me, Domine, sanguinem, exige spiritum: Ecce paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Mille gladiis, ignibus, rotis exhibebo hoc corpus, ut tua stet illæsa Veritas. *Vel sic.* Quis me separabit ab hac veritate? Certus sum, quòd nec gladii, nec cruces, nec tela, nec ignes, nec inferorum tormenta me poterunt ab ea separare. Tua Veritas, Deus, fallere non potest, tua sapientia falli non valet. Tu dixisti: satis hoc mihi est præ omni ratione humana, ut etiam sanguine subscribam.

Spes excitatur ex consideratione infinitæ misericordiæ & Charitatis Dei. Exercetur primò. Suis quidem viribus diffidendo, sperando tamen sibi & aliis per misericordiam Dei veniam, gratiam & gloriam. 2dò. Optando, sic semper in Deum sperâsse, & dolendo de nostra pusillanimitate. 3tiò. Cum hac spe ardua quæque aggredi, actúsque fiduciæ etiam in arduis & adversis frequentare proponendo. 4tò. Eadem, ut alii velint, optando. 5tò. Gratiam petendo. Affectus Spei. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? habes bonitatem Dei & misericordiam paratam, quæ vult salutem tuam, non perditionem; habes Omnipotentiam assistentem, quæ potest opitulari; habes Sanguinem & & merita Christi, quæ pro te apud æternum Patrem perorant. Projice te ergo anima mea in brachia misericordiæ & Omnipotentiæ Dei. Quàm nihil potes ex te, tam omnia potes in eo, qui te confortat. *Vel sic.* In te Domine speravi, & quis mundi impetus, quæ carnis illecebra, quæ dæmonum astutia prævalebit? Non, non confundar in æternum. In te Domine speravi, quod vitium non extirpabo? quam Virtutem tuâ gratiâ non assequar? &c. Dicant omnia ossa mea; tu es Spes mea, Deus meus in æternum.

Charitas excitatur potissimum consideratione attributorum Dei. E. G. Bonitatis, Charitatis, &c. Item beneficiorum, omniúmque quæ Christus amore nostri dixit, fecit, passus est. Exercetur primò. Gaudendo de tanta potentia & Majestate Dei in Sanctis, omnibúsque aliis creaturis relucente. 2dò. Optando semper Deum perfectè amasse, dolendóque de tepiditate in amore Dei. 3tiò. Proponendo ardentiùs deinceps amare, illius voluntati tuam reformando, omnia opera ex motivo charitatis faciendo. 4tò. Eundem amoris zelum aliis precando. 5tò. Gratiam petendo. Affectus Charitatis. Domine, Tu scis, quia amo te; quoniam tu solus bonus, tu solus sanctus, tu solus dignus omnium creaturarum amore. Supplete vos, ardentia Cherubim, Tu ardentior Cherubinis Virgo, quidquid deest amori meo. O vivam! ô moriar amore tui. Moriar potiùs, quàm te non amem. *Vel sic.* Domine, quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Tu solus Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Diligam te Domine, non quia mihi beneficus aut remunerator liberalissimus, sed quia in te ipso es summa & infinita Bonitas, sola & una super omnia amabilis. Moriar, Domine, hoc momento, quo te amo, priusquam succedat aliud, quo te non amem. *Vel sic.* Exigis à me cor meum, Domine: O si mille, ô si infinita haberem! Omnia tui unius amore occuparem. Vis amorem operibus experiri? Confunde me, contunde me, contere me, in infernum demerge me; non dimittam te. &c.

Timor excitatur consideratione inscrutabilium Judiciorum Dei, suppliciorum damnatis paratorum, Passionis Christi ob aliena peccata susceptæ, &c. Exercetur. Primò. Divinam Majestatem & Justitiam humiliter agnoscendo, reverendo, timendo. 2dò. Dolendo de nostra in hoc timore concipiendo negligentia. 3tiò. Proponendo omnes conscientiæ maculas seriâ pœnitentiâ eluere. 4tò. Eundem timoris affectum aliis optando. 5tò. Gratiam postulando. Affectus Timoris. Timor & tremor venerunt super me, quia irritavi iram tuam, Domine. Quò fugiam à facie iræ

tuæ? quando undique tu me circumstas, & quem Patrem habere nolui, strictissimum Judicem meorum scelerum formido. O Domine, ne intres in Judicium cum servo tuo.

ADMIRATIO excitatur ex profunda contemplatione incomprehensibilium divinorum Attributorum, Sapientiæ, Justitiæ, Misericordiæ; ex consideratione item mysteriorum fidei, dignitatis animæ rationalis, gravitatis peccati, cæcitatis mundi. &c. Exercetur primò. Magni supradicta æstimando, & humanâ comprehensione majora agnoscendo. 2dò. Dolendó de nostra in his suscipiendis insensibilitate. 3tiò. Optando sic semper affectum fuisse, pium hunc erga Deum sensum per diem frequentare proponendo. 4tò. Idem aliis favendo cum petitione gratiæ. AFFECTUS ADMIRATIONIS. O cæcitas mea! ô impudentia! ô audacia! ô Bonitas tua Deus! ô patientia incredibilis! ô misericordia infinita! Tu, non ferre tantùm delinquentem, sed novis etiam beneficiis cumulare potuisti.

GRATITUDO excitatur consideratione divinorum beneficiorum tam admirandorum ratione personæ conferentis & recipientis. Exercetur primò. Beneficia intimè & infimè agnoscendo, pro iis se totum divino obsequio devovendo. 2dò. Dolendo. &c. 3tiò. Statuendo ea compensare pro viribus. 4tò. & 5tò. ut supra. AFFECTUS GRATITUDINIS. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? O inauditam Dei Bonitatem! quis te Deus bone satis laudare sufficit, dum pro me redimendo de cælo ad terram venire, crudelissimúmque mortis genus subire voluisti, tantùm ne ego vilissimus terræ vermiculus perirem. Quid igitur retribuam? O vos omnes, qui timetis Deum, venite & audite, & narrabo vobis, quantum fecit Deus animæ meæ. Magnificate ergo Dominum, mecum, gratitudinis hymnum ei cantate. &c.

GAUDIUM excitatur, consideratione Divinæ gloriæ & Majestatis ab omnibus Creaturis Deo debitæ. Exercetur, primò. Gaudendo de tanta illius Majestate. 2dò. Dolendo. 3tiò. Proponendo omnia læto animo à Deo acceptare. 4tò & 5tò. ut supra. AFFECTUS GAUDII. Tu es, qui es, & hoc unum mihi placet, ac de hoc summè gaudeo, quòd es, qui es, infinitè perfectus, in Sapientia, Potentia & Bonitate. Non possum hoc exprimere, nisi verbis illius amantis: Si tu Deus esses Augustinus, & ego Augustinus essem Deus; ego Deus vellem, ut tu Augustinus esses Deus: Ita mihi placet, ut tu sis tu. Igitur cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Salio extra me Deus meus, ut veniam ad te.

CONTRITIO excitatur, consideratione gravitatis & malitiæ cujusvis peccati; Suppliciorum ei debitorum; bonorum ob illud amissorum; cruciatuum à Christo ad illud expiandum susceptorum; novissimorum; divinorum Beneficiorum. &c. Exercetur primò. Sua omnia peccata ex amore Dei super omnia dilecti detestando. 2dò. Dolendo. &c. 3tiò. Statuendo deinceps crebrò de peccatis dolere, præteritásque negligentias majori perfectionis studio resarcire. 4tò, & 5tò. ut supra. AFFECTUS CONTRITIONIS. Deus meus, Summa Bonitas, omnium creaturarum, tuóque ipsius amore sola & infinitè digna; doleo quòd tam impudenter te offenderim. Doleo, non quia timeo, sed quia amo. Si sanguine fieri possit, ut non sis offen-

offensus; ecce me, discerpe me, paratum cor meum. Si tormentis inferorum deleri possit: ecce me, nullum est, quod non merui; nullum quod amore tui non præeligo peccato, quod tantopere odisti. Si vides, qui omnia vides, quòd aliquando, post quotquot annos te offensurus sim, hoc potiùs momento acerbissimâ morte me tolle, quàm permittas ad infelicissimum illud tempus supervivere.

Compassio excitatur contemplatione cruciatuum Christi, cæcitatis, periculorum, suppliciorúmque pereuntium animarum Christi Sanguine redemptarum. Exercetur primò. Christo tam indigna amore nostri patienti compatiendo, & de peccatis propriis & alienis, ùt causis dolorum Christi, dolendo. Item dolorum de interitu tot animarum, cum zelo eas juvandi, concipiendo. 2dò. Dolendo. &c. 3tiò. Eis imposterum quà precibus, quà aliis auxiliis subveniendo. Reliqua ut supra. Affectus Compassionis. Amabilissime JESU, Tu propter nos homines, & propter salutem nostram descendisti de cælo, quot hoc fine sustinuisti elementorum injurias? quot suscepisti itinera? quot labores & dolores? quot mortes exantlâsti? Effudisti te ad omnes, divites & pauperes, honoratos & abjectos, senes & pueros, in urbibus & pagis, in campis & desertis, die ac nocte. Tanti tibi fuerunt animæ nostræ, quanti tuus sanguis, hunc enim pro illis dedisti. Quid igitur me non etiam oporteret sustinere? quomodo non laborare ac sudare, quò vel unam animam Christo lucrifacerem. O animæ Christi Sanguine redemptæ! O si omnes, ô si vel unam meo sanguine, & acerbissimâ morte salvare possim!

Imitatio excitatur consideratione perfectissimarum Virtutum Christi, Beatissimæ Virginis MARIÆ, & aliorum Sanctorum. Exercetur primò. Exardescendo cupiditate omnium Virtutum nobis maximè necessariarum, quas in Christo, Beatissima Virgine, Sanctisque suspicimus. 2dò. Desiderando id nos solicitiùs præstitisse, ingemiscendo præterea, quòd tam longè adhuc ab illorum perfectione culpâ nostrâ absimus. 3tiò. Earum actus per diem exercere proponendo. 4tò. Gratiam pro omnibus ad id exequendum enixè efflagitando. Affectus Imitationis. Cùm in forma Dei esses, amor meus JESUS, exinanivisti temetipsum divitiis, honoribus, & sapientiâ, factus es pro me egenus ac despectus, & ludibrio habitus. Fac possim esse dives; nolo, quia tu fuisti pauper. Fac possim esse ab omnibus honoratus; nolo, tu contemni elegisti. Fac possim sapientiæ famam lucrari; nolo, quia tu fatuus haberi maluisti. Electio tua est regula electionis meæ. Et sic eligo solùm ad majorem tui imitationem. Porrò hi ac similes alii affectus non debent in meditatione simul exerceri; sed nunc hi vel illi, prout Spiritûs Sancti impulsus moverit, elici possunt, magnóque studio continuari, error enim est temerè ex uno affectu in alium transilire.

## De Colloquiis rectè in Meditatione instituendis.

Colloquia desideriis & suspiriis intermixta variè dirigi possunt. Primò. Ad Sanctissimam Trinitatem, aut quamlibet Divinam Personam, admirando scilicet & extollendo Divinam Majestatem, Bonitatem, Justitiam, Potentiam, Sapientiam, Charitatem. &c. 2dò. Ad Beatissimam Virginem, vel Sanctos, iis

congratulando, Deum pro collatis iis donis gratiæ & gloriæ laudando, nos ipsis dissimiles dolendo, eorum suffragia implorando. 3tiò. Ad impios & hostes Christi, eorum cæcitatem & duritiem malitiosam detestando, deinde nos iis tantò pejores judicando, quantò à Deo majoribus præventi sumus gratiis, quibus tam segniter cooperamur. 4tò. Ad nos ipsos, nostram cæcitatem, ingratitudinem & tepiditatem arguendo. 5tò. Ad res etiam sensu carentes, mirando & dolendo nos iis ingratiores, surdiores ac insensibiliores.

## Causæ & Remedia Distractionum.

Distractionum causæ tres sunt præcipuè; naturæ infirmitas, culpa & negligentia nostra, & dæmonis astutia. Contra has remedia distractionum itidem triplicia sunt, remota, proxima, & in ipsa meditatione præstanda. REMOTA sunt tria præcipuè. Primò. Crebra & fervens postulatio doni attentè meditandi, resignandi se humillimè ad omne placitum Dei. 2dò. Serium studium extirpandi amorem sui & rerum caducarum; proficiendi verò in amore Dei, & rerum æternarum; anima enim magis ibi est, ubi amat, quàm ubi animat. 3tiò. Assiduum studium exercitii resignationis & conformitatis cum Divina voluntate, quo spectat, ut quis non nimium de rebus ad suum officium & salutem pertinentibus angatur, sed ubi moraliter fecerit, quod in se est, Divinæ Providentiæ & Bonitati confidere, & penitus acquiescere consuescat.

REMEDIA proxima immediatè meditationi præmittenda etiam tria sunt. 1mò Manè quamprimum quis expergiscitur, revocare in memoriam materiam meditationis, & altissimè amabilem JESU Christi memoriam cordi insculpere. 2dò. Firmum propositum concipere non admittendi spontè distractiones cum renovatione intentionis, & gratiæ petitione, juxta doctrinam *D. Bernardi*: Veniens ad Ecclesiam pone manum tuam super os tuum & dic: Expectate hîc cogitationes pessimæ, intentiones & affectus cordis, & appetitus carnis: Tu autem anima mea intra in gaudium Domini tui, & visites templum sanctum ejus. 3tiò. Constituere se sub initium meditationis in conspectu Dei juxta illud *Psal. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*

REMEDIA in ipso meditationis decursu distractiones abigendi, sunt generatim hæc. Primò. Ordinatè discurrere circa singula materiæ puncta. 2. Præterire surdâ quasi aure ingerentes se cogitationes, animum avertendo potiùs quàm discutiendo, quales sint. 3. In defectu materiæ & discursûs, ad hæc & similia suaviter ruminanda animum convertendo. v.g. 1. Divina attributa. 2. Beneficia nobis collata. 3. Merita Christi. 4. Ingratitudinem & nostras miserias. &c. 5. Quomodo Beatissima Virgo aut Sancti vixerint. 6. Alloqui seipsum, quid de proposita materia aliis dicere vellet, si sibi imponeretur, idque quod occurrit, sibi applicando.

## De Causis Illusionum.

Illusiones, quæ meditanti occurrere consueverunt, à triplici Spiritu emanant, videlicet à spiritu carnis, spiritu mundi, & spiritu maligno. Spiritus

carnis

carnis utitur rationibus è prudentia carnis, ex amore & judicii proprii instinctu desumptis ad illaqueandam voluntatem sub specie boni, pro fine intendens commoditatem, voluptatem, & carnis libertatem. Mundi spiritus utitur rationibus ex mundi legibus petitis ad decipiendam voluntatem, cui sub specie boni suadet cupiditatem mundanarum & fluxarum rerum, honorum, divitiarum, ultionis inimicorum, &c. Malignus spiritus utitur hoc utroque spiritu tanquam instrumento, & ad eundem finem tendit per varias illusiones intellectûs & voluntatis, quarum sequentes præcipuæ sunt.

*Primum* genus Illusionum quoad materiam meditationis est, non habere materiam selectam pro meditatione, sed pro cæco amoris proprii impetu, seu mali spiritûs impulsu tales materias meditationis assumere, quæ sibi non conveniunt; ut si, v. g. plenus pravis habitibus & indomitis passionibus deligat sibi materias subtiliores de Attributis divinis; vel si pusillanimis & scrupulosus aliquis assiduè meditari præsumat de infinita Justitia Dei, de peccatis præteritæ vitæ, de suppliciis peccatoribus æternùm inflictis, &c. Quibus ad desperationem potiùs quàm emendationem disponatur. *Secundum* genus, quoad modum meditandi, est contemnere ordinariam meditandi praxim, absque præparatione, nullâ formâ servatâ, nec proposito fine temerè ad meditandum prosilire. *Tertium* genus est: aut nimium suis viribus confidere existimando se propriâ suâ industriâ absque peculiari concursu Divinæ gratiæ bene posse meditari; aut è contra nimium sibi diffidere omni cooperatione sepositâ. *Quartum* genus est: aberrare à vero fine & scopo meditationis, quod potest contingere. 1. Si quis speciosis Sathanæ præstigiis fascinatus excitet se non ad veras, sed umbratiles virtutes consectandas sub specie boni. e.g. Si quis negligat mortificationes sub specie discretionis, vel externas virtutes, ne ob eas magni fiat: si quis amicitias particulares, sensuales & periculosas foveat sub specie fraternæ Charitatis: si quis negligens sit in cura perfectionis sub specie majoris gloriæ Dei in aliis promovendæ; si quis desideret sublimia officia sub specie majoris fructûs in se aliísque promovendi; si quis in iis tantùm obedire velit, in quibus humana prudentia parendum suadet, sub specie veræ Sapientiæ, discretionis & zeli gloriæ Dei. 2. Si ejusdem Sathanæ versipellis astu delusus aliquis excitet se sub specie majoris boni ad affectus quantumcumque pios, alienos tamen à propriæ vocationis gratia cum inquietudine mentis, & constantiæ periculo. e.g. Si quis solitariam & contemplativam vitam amplexus, sub prætextu zeli convertendarum animarum, quarum salutem Deus tantopere desiderat, speciosis rationibus ad vitam activam aut mixtam desiderandam inclinare se sinat cum periculo propriæ vocationis deserendæ, ex claustro ad sæculum, si non potiùs ad infernum decidendi.

## De Remediis Illusionum.

*Contra primum genus* illusionum, quoad materias meditationum expeditum remedium est, non temerè, sed juxta consilium Patris Spiritualis aut peritioris cujuspiam assumere materias, quæ suæ necessitati spirituali, non curiositati conve-

conveniunt. *Contra secundum*, quoad modum, illud optimum censendum est, praxim ordinariam meditandi studiosè observare. *Contra tertium* præsentissimum antidotum est cum profunda humilitate gratiam divinam sibi necessariam agnoscere, eámque obnixè implorare, quasi nihil omnino ex parte sua ad bene meditandum conferre posset: nihilominus tamen cum prædicta demissione omnem adhibere conatum in requisitis ad bene meditandum præstandis, quasi totus meditationis successus ex sua industria dependeret. *Contra quartum.* Tria potissimùm serviunt remedia, quorum primum est, sibi omnino persuadere, verum ac præcipuum meditationis nostræ fructum esse, meditari eo fine, ut acquiratur perfecta defectuum emendatio, passionum refrænatio, victoria tentationum, puritas conscientiæ, quotidianarum functionum perfecta executio, solidarum Virtutum acquisitio. Circa quæ si proposita practica seriò instituantur, neque tamen interna statim consolatio advertatur, non ideo desperandum est, sed Divinæ Providentiæ committendum, quæ juxta *D. Bernardum* ser. 5. in quadr. instar amantissimi Patris panem nobis porrigit, quo alamur, non cultrum, id est consolationes, quibus abutentes nosipsos jugulemus. Secundum est, cognoscere essentiam & actus præcipuarum virtutum, uti & oppositorum vitiorum (quæ omnia satis abundéque in præsentibus Sermonibus videre licet) illorúmque perfectioni seriò studere, actus earum internos & externos frequentando, ex pura intentione, & quidem majori indies conatu & proficiendi desiderio, etiam in minimis defectibus eradicandis. Tertium est: Vocationem suam, institutum & modum ejus vivendi sibi ut efficax prædestinationis suæ medium præordinatum divinitùs ac prævisum, intimè amare, grato animo amplecti, séque tanto Dei beneficio indignum agnoscere.

## De observandis post meditationem.

Ut circa meditationem ritè, rectè, & cum debito fructu procedatur, nonnulla etiam in fine meditationis præstanda sunt, quæ infra subjiciuntur.

## De Recollectione post Meditationem instituenda.

Finitâ meditatione examinandus est accuratè successus, qui si malè successit, causæ requirendæ sunt cum dolore & proposito emendationis, & offerendæ aliorum ferventiores meditationes æterno Patri in unione meritorum Christi pro se & aliis; sin benè, gratiæ agendæ sunt cum proposito eundem modum deinceps servandi, imò & perfectiorem, illum nimirum, quem Sancti degentes in terris divinæ Majestati obtulerunt. Ad quod ritè præstandum, recolere expediet signa tam boni, quàm mali successûs. Signa porrò boni successûs sunt. Primò. Elapsâ horâ sentire se paratum ad diutiùs meditandum, si obedientia & vires paterentur. 2dò. Non spontaneè distractionibus variis inhærere. 3tiò. Servare ordinarium modum benè meditandi. 4tò. Proposita non tantùm in meditatione proponere, sed opere complere, & in executione propositorum sentire solitò majorem facilitatem, robur & gaudium, non tantùm tempore

tempore consolationis, sed etiam tempore tentationis. Signa verò mali successûs sunt his contraria. Primò. Cum tædio horæ signum expectare, avidéque ad finem meditationis anhelare. 2dò. Negligentem fuisse in repellendis tentationibus aut distractionibus. 3tiò. Non servâsse modum, ordinémque bonæ meditationis. 4tò. Nulla proposita practica proposuisse efficaciter, aut proposita non exercuisse. 5tò. Exiguum fervorem sentire in perfectione obtinenda.

Secundò finitâ meditatione revocanda sunt in memoriam proposita practica in meditatione facta, firmiùs proponenda, memoriæque infigenda; vel si nulla, vel certè non satis in particulari formata sunt, tunc aliqua præsenti diei accommoda formanda erunt, prospiciendo simul occasiones, & præordinando illa exequi hoc vel illo modo, hâc vel illâ opportunitate, cum tali reflexione, attentione, intentione & devotione. 3tiò. Consultum est aliquando insolidos quosdam & solidos meditationis successus, motiva efficaciora, seu proposita majoris momenti adnotare, imò etiam ex veritate per solidum aliquem discursum evidentiùs cognitâ aspirationem aliquam jaculatoriam sibi interdiu repetendam proponere, quâ affectus excitati, & proposita practica in memoriam revocentur. e. g. Excitatum desiderium cavendi peccata venialia renovari potest hoc vel simili modo: Peccatum venialissimum non esset committendum, etiamsi mille mundi possent per hoc obtineri; & ego tam facilè deinceps veniale committam? deliberatè nunquam in æternum. 4tò. Quærendæ sunt occasiones per diem, & acceptandæ, ut proposita concepta in actum redigantur.

## Proposita practica Viæ purgativæ accommoda.

Triplex via proponitur volenti proficere. Purgativa una. Illuminativa altera. Tertia Unitiva. Purgativa est, quâ homo à vitiis & defectibus se purgare studet. Illuminativa, quâ virtûtes plantat. Unitiva, quâ in amore Dei perficitur. Juxta has tres vias proposita practica instituenda sunt, & quidem volenti fundamentum perfectionis jacere, hæc priùs in via purgativa proposita statuenda sunt. Primò, Omnia etiam minima venialia peccata, maximè magis voluntaria, in quæ pronior esse solet prolapsio, conari vitare his vel illis mediis. e. g. Excitatione præsentiæ Dei, memoriâ novissimorum, beneficiorum à Deo collatorum. &c. 2. Cavere occasiones talium tentationum, portas sensuum strictè custodiendo, submisè de se sentiendo, Dei gratiam implorando. 3. Mortificare has vel illas passiones tanquam radices peccatorum hâc vel illâ ratione. e. g. Viriliter iis resistendo, post lapsum statim resurgendo, viriliùs decertare proponendo, de victoria non desperando. 4. Solito devotiùs Sacramentum Confessionis obire, dolorem de peccatis totius vitæ cum firmo proposito emendationis concipiendo. 5. In fine hebdomadæ instituere seriò recollectionem hebdomadariam, dispiciendo profeceris-ne, an verò defeceris? Causas defectuum inquirendo, media proficiendi indagando, serióque proponendo. 6. Certas pœnitentias & mortificationes assumere ad noxas emaculandas, vitámque emendandam, idque amore

Christi passi. 7. Abstinere à risu, jocis, otiosis verbis, omni specie læsionis fraternæ charitatis, impatientiæ. &c. 8. Quotidie quasi inchoare seriò servire Deo, in eximia mentis puritate, & cogitare, quod si hæc dies ultima esset vitæ tuæ, quid, inquam, faceres ad majorem animæ serenitatem consequendam & augendam?

## Proposita practica Viæ Illuminativæ accommoda.

Primò imitari Christum, Beatissimam Virginem, & Sanctos in virtutibus, quibus illi degentes in terris enituerunt, iterare per diem actus earum externos & internos cum tali pia reflexione ad hæc vel illa incitamenta, quibus quis senserit inter discurrendum maximè se commotum: Quod idem in reliquis propositis intelligendum est. 2. Candidè se Patri Spirituali manifestare, optare corrigi, observari, emendari, despici, idque ex animo humilitatis intimæ, abnegationis sui. 3. Indifferentem paratúmque se offerre Deo ad serviendum illi quocunque in munere, statu, gradu, loco, sicut illi placuerit. 4. Studere exactè observationi votorum, Regularum, Ordinationúmque proprii instituti, maximè illius, cujus frequentior solet esse transgressio, idque his, illisve adminiculis. 5. Bonam intentionem actualem singulis operibus bonis & indifferentibus præfigere, eámque certis quibusdam suspiriis sæpius instaurare. 6. Accuratam pretiosi temporis gratiæ rationem habere, nullam ejus partem otio terendo, sed aliquibus studiis & exercitiis vocationi suæ congruis impendendo. 7. Assuescere omnes homines intueri, ùt vivas Dei imagines, capaces æternæ gloriæ, pretioso Christi Sanguine purpuratas, atque secundùm hanc piam reflexionem humiliter ac reverenter agere cum singulis. 8. Affectare, quærere, & acceptare occasiones virtutum exercendarum, illarum maximè, quibus potissimum egere videmur. 9. Non invidere aliis dona Dei, sed pro iis gratias agere, omnes honorare, benignè omnes alloqui, onera & defectus illorum patienter ferre. &c.

## Proposita practica Viæ Unitivæ accommoda.

Primò Deum ubique præsentem revereri, amare, per actus amoris, aut jaculatorias preces ad illum aspirando, cum hac vel illa pia reflexione ex creaturis ad Creatorem ascendendo, quâ se quisque senserit vehementer commotum. 2. Attentè & devotè obire orationem, tam vocalem, quàm mentalem juxta proprias de his industrias ante & infra contentas. 3. Omnia opera bona & indifferentia eo fine perficere, ut soli divinæ Majestati placeant. 4. Visitare sæpè Christum in Venerabili Sacramento, piè isthic præsentem adorando, intimè se illi uniendo, ad omnia resignando, gratiam humiliter petendo. &c. 5. Uti frequenter Communione Spirituali, singulisque horis se recolligere, renovare actus aliquarum Virtutum additâ Salutatione Angelicâ cum zelo gloriæ Dei, Beatissimæ Virginis, Sanctorúmque, & salutis proximorum. 6. Singulis mensibus & hebdomadis instaurare spiritum, fervorémque seriò proficiendi in omnimoda perfectione, amoréque peculiari Dei, Beatissi-

mæ Virginis, & Sanctorum Patronorum, cum ferventi & ardenti zelo eorum virtutes imitandi. 7. In omnem vitam cupere multa ardua facere & pati pro gloria dilecti Sponsi JESU, Beatissimæ Virginis Immaculatæ Matris ejus, & salute animarum, sin minùs, cupere dissolvi, & esse cum Christo. Possent hîc plura subjungi, quæ ad præsentem materiam facerent, quia tamen ex his, quæ hactenus dicta sunt, plura alia facilè colligi possunt, & proprius cujuslibet affectus divino Spiritu succensus, ultroneo conatu plura adinvenire solet, ideo hæc tanquam generalia documenta pro interim dixisse sufficiat. Quanta tamen hæc ipsa sint, si animo serio, ferventi & constanti ea observare conatus fueris, colliges effectu & fructu, quem haud dubiè nunc in tempore & olim in æternitate exultabundus metes.

# SERMO XLIX.

## DE FRUCTU MEDITATIONIS PASSIONIS DOMINICÆ.

*O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Thren. I. 12.

## PARS PRIMA.

1. INter reliqua Spiritualia exercitia primatum sibi vendicare videtur devota ac amorosa Passionis Christi meditatio, quemadmodum spiritualis vitæ Magistri passim tradunt, ùt mox fusè patebit. Porrò, fructum ex hacce meditatione pullulascentem *Venerab. Blosius* his depingit verbis: Beata prorsus anima illa, quæ amabilem vitam, & Passionem dilecti sui JESU Christi tanquam pretiosam margaritam in scrinio memoriæ suæ semper reconditam habet, & ubique secum circumfert. Dici non potest, quantum utilitatis adferat devota & frequens meditatio, vel lectio Passionis Domini JESU; hinc enim peccatorum venia, & pravorum affectuum extinctio: hinc cordis puritas, & mentis illuminatio: hinc conscientiæ pax & tranquillitas, sanctáque erga Deum fiducia: hinc in adversis consolatio, & gaudium in Spiritu Sancto: hinc vera humilitas, vera charitas, cæterarúmque virtutum numerosa cohors: hinc denique certa felicitatis æternæ expectatio nascitur. Hactenus *Ludovicus Blosius* in Præfatione Margaritæ Spiritualis. Huic mellifluæ doctrinæ magnum addit robur, eámque suo munit calculo *Sanctus Leo Papa* serm. 9. de Quadrages. dicens: *Audite & percipite sublimissimum Divinæ misericordiæ Sacramentum; nam certa atque secura est*

*est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis.*

2. Quoniam ergo vel apprimè Christi passionem in ejusdem attenta meditatione participamus, inferre licet, quòd per eam etiam magnis ad æternæ Beatitudinis gaudia passibus appropinquemus. Certum quippè est (inquit *Origenes* apud Fabr. Conc. 6. in Dom. pass.) quia ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum; est enim tanta vis Crucis, ut, si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut ipsam mortem Christi intentis mentis oculis inspiciamus, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia; sed continuò ad ejus præsentiam totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus. Porrò, quòd meditatio de Christo passo efficacissima sit ad omnigenas virtutes comparandas, clarè id indicat *S. Bonaventura* sequentibus verbis: *Si vis, ô homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie, quantâ potes devotione mediteris Domini passionem, quia hæc mentem alienat, & non solum reddit Angelicum sed divinum; nihil enim in anima ita operatur universalem sanctificationem, sicut meditatio passionis Christi.* Sententia *Beati Alberti Magni* tract. de Sacrif. Miss. est. Quòd simplex recordatio vel meditatio passionis Christi plùs valeat, quàm si quis per annum jejunaret in pane & aqua quâlibet sextâ feriâ, vel se usque ad sanguinem cæderet, vel quotidie Psalterium legeret. Cujus rationem dat *Ludovicus de Ponte* 4. p. introd. ad medit. hisce verbis: *Quia prædicta opera, etsi bona valde, & utilia, non habent tantam vim ad purificandum cor à suis vitiis, illúdque veritatibus & virtutibus illustrandum, & inflammatis amoris divini affectibus perficiendum, atque attenta & profunda Passionis Christi meditatio.*

3. Proinde haud immeritò Pater *Balthasar Alvarez* omnes incipientes hortabatur ad meditandam Christi passionem, tanquam spiritualis eorum profectûs fontem; & in ordinariis suis exhortationibus frequenter hoc repetebat: *Ne existimemus nos aliquid fecisse, donec perveniamus, ut semper Christum crucifixum in corde habeamus.* Meritò autem hic à Deo specialiter illuminatus Vir hancce suis novitiis instillavit doctrinam, quippe non nesciebat, quid Christus *S. Gertrudi* lib. 3. in fin. cap. 41. revelârit, dicens: Sicut impossibile est, ut aliquis farinam tractet, & inde pulverem non contrahat: sic fieri non potest, ut aliquis cum devotione etiam parva Dominicæ intendat passioni, & nullum inde fructum percipiat. Et rursus eidem Sanctæ Virgini lib. cit. dixit: *Quicunque quamlibet gravi pondere peccatorum oppressus, respirare poterit in spem veniæ, offerendo Deo Patri innocentissimam meam Passionem & mortem. Et credat se per hoc saluberrimum fructum indulgentiæ obtinere, quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, quàm devota memoria meæ passionis cum vera pœnitentia, & fide recta.*

4. Quippè *si sanguis hircorum & taurorum*, ùt loquitur Apostolus *Hebr.* 9. v. 13. *& cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* Hanc autem emundationem vel maxi-

mè participamus per compassivam Christi passi meditationem. Hinc si hujuscemodi meditatio tam copiosos progerminet fructus, insipienter sanè agunt illi, qui eam ex ignavia, & torpore mentis negligunt. Exclamat proinde *Sanctus Hieronymus* sup. *Matth. Omnis creatura compatitur Christo morienti. Sol obscuratur, terra movetur, petræ scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur, solus homo miser non compatitur, pro quo solo Christus patitur.* Porrò, de similibus, qui Christi passi memoriam in postremis habent, terribile tulit Judicium *Sanctus P. N. Augustinus* dum ait: *Domine, qui tibi non servit, quia creatus est, infernum meruit; sed qui non servit tibi, quia redemptus est, meretur, ut novus pro ipso infernus fiat.* Quomodò porrò Christo servire censebitur ille, qui rarò, forsánque nunquam ejus passionem compassionis affectu reminiscitur? Quamobrem ne quondam ob execrabilem hanc ingratitudinem ad æternos condemnemur rogos, audiamus nunc, simúlque exaudiamus Christum per Prophetam *Thren.* 1. nos invitantem ad Sanctissimam suam Passionem recolendam: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Ad quod etiam exercitium ponderosis omnino verbis nos provocat *Sanctus Pater Augustinus*: *Inspice* (exaltat vocem suam lib. de Virg.) *vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis: caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint, cogitate; hæc in statera vestri cordis appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.*

5. Porrò, ut ad hoc saluberrimum exercitium, sedulò frequentandum, efficaciùs provocemur, commoda inde scaturientia ulteriùs indagemus oportet. In *Ezechiele* cap. 9. jubentur omnes occidi, qui signum T. in frontibus expressum non habebant; quò docuit Propheta, eos omnes perire, qui in cordibus & ante oculos passionis Dominicæ memoriam non circumferrent. Ergo è contrario, quicunque hanc in mente retinet, vivet, & quidem vitâ æternâ. Etenim nihil ita Deum placat, & ad largiendam finalem gratiam movet, sicut devota passionis Christi meditatio, teste Venerabili Virgine *Annâ* de *S. Bartholomæo* Carmelitanâ, quæ multa arcana à Deo didicit; hæc dicere solebat de Passione Christi, quòd hujus meditatio tantæ sit efficaciæ, ut, si quis semel tantùm in die vellet cum affectu meminisse pœnarum, quas Christus pro nobis in passione sustulit, hoc solùm ei sufficeret ad consequendam salutem æternam, & obtinendas magnas à Deo gratias. Idem etiam didicit *Sanctus Edmundus* Cantuariensis Episcopus. Hic enim cùm in juventute sua solus quadam vice obambularet in agro, habuit sibi obvium Christum Dominum in specie formosi juvenis, qui inter cætera documenta, hoc ei tanquam saluberrimum dedit; ut si vellet à Satanæ insidiis præmuniri, virtutes & gratias quaslibet à se impetrare, & pro felici morte se dignè disponere, recoleret quotidie unum mysterium sacratissimæ Passionis suæ; hoc enim esse infallibile remedium, per quod posset omnia prædicta obtinere. Quod ipsum

ipſum quoque didicit *Sanctus Joannes* Apoſtolus à Dei Matre (ùt *Engelgr.* in Domin. Quinq. §. 8 refert) cùm enim hic Sanctus Evangeliſta adhuc in terris exiſtens arderet videre Deiparam glorioſam, illa ipſi apparens bene longum cum eo de cruciatibus Chriſti ſermonem texuit, & inter alia dixit, Filium ſuum ei, qui jugiter paſſionem ejus recoleret, tres prærogativas conceſſurum. Primò. Ut ante mortem ferventis contritionis actum exercere poſſit. 2dò. Ut Deipara in agone ipſum ſpecialiter defendat. 3tiò. Ut per ipſam quidvis impetrare poſſit. An non hæc magna promiſſa? Aſt ut luculentiùs pateſcat hujus exercitii fructus, conſideratè perpendere lubet, quod ſequitur.

6. Chriſtus (ut *Taulerus* in explic. paſſion. perhibet) quondam ſervorum ſuorum cuidam totus vulneratus apparens dixit: ſcias, quòd nullum obſequium tam gratum mihi ab homine præſtari poſſit, quàm ſi acerbiſſimam meam paſſionem, & vulnera in corde ſuo portat. Sciſcitanti verò qualem inde utilitatem ex meditatione paſſionis reportabit? reſpondit Chriſtus: Novem ſpeciales favores ex hoc exercitio metet. *Primus eſt*, quòd à peccatis omnibus emundatur, & quidquid neglexit, ex meis meritis reſtituitur. *Secundus eſt*: quòd ad reſiſtendum hoſtibus ſuis ita confortatur, ut nullum ab eo triumphum referre queant, nam tametſi ipſe ex infirmitate nonnunquam labitur, dexteram tamen meam ſuppono, ne collidatur & pereat. *Tertius*: quòd ad bona quæque opera, diversáſque virtutes peragendas vires accipit. *Quartus*: quamlibet brevi cogitatione eandem paſſionem meam revolvat, ſemper anima ejus in gratia mea renovatur. *Quintus favor*: quòd devotè illam commemoranti libenter ipſe commoror. *Sextus*: quòd arcana mihi à Deo Patre manifeſtata, illi ſimiliter aliquando pandam. *Septimus*: Quòd eum ante mortem ad perfectionem ducam, eúmque mihi placentem reddam, & defunctum eum cum charis amicis meis remunerabor. *Octavus*: Quòd nihil eorum, quæ ſeriò & rationabiliter petit, illi negabo. *Nonus*: Quòd in morte illi adverſus hoſtes ejus aſſiſtam, & de vita æterna illum faciam certum atque ſecurum.

7. Quæ cùm ita ſint, quiſnam poſt tot ac tantas, támque ſalutares præclaráſque promiſſiones Chriſtum crucifixum in intimo cordis ſui imprimere negliget? Quis non poſthàc adhibito omni conatu in hac piiſſima Chriſti paſſi meditatione ſe exercitare ſataget? Et ſi non omnes, ſaltem pleráſque meditationes ſuas de cruciatibus Salvatoris inſtituet? Cùm videat, quàm certum quámque ſecurum ſalutis æternæ conſequendæ pignus ſit ſimilis exercitatio. Quamobrem, ſi & tu, amice frater, diſcupis virtutes conſequi, ſi victoriam à mundo, carne, & dæmone referre deſideras, ſi poſt emenſum præſentis vitæ ſpatium ſecurè ad æternam Patriam ſubvolare optas, addic te apprimè meditationi, & attentæ lectioni cruciatuum ac dolorum, à Chriſto per totam ſuam vitam, præcipuè verò ſuæ paſſionis tempore, amore noſtrì toleratorum. Quæ ſi præſtiteris, facilè experiêris vera eſſe, quæ memoravimus. Verùm ut ferventiùs hoc in exercitio progredi valeas, perpende ſequentia.

PARS

# PARS SECUNDA.

8. Ludolphus *de Saxon.* in vit. Christi, memorat quendam Eremitam, (qui certior fieri cupiebat, quibus maximè obsequiis divinum Numen demereri posset?) semel Christum nudum, plagis lividum, & cruce onustum conspicuum habuisse, qui ei dixit, rem sibi gratissimam fore, si ejus cultores in cruce ferenda eum adjuvarent; hoc autem facturos, si recordatione suorum cruciatuum eum prosecuti, partem eorum in sui cordis sensum derivârint. Idem docemur ex eo, quod *Sancto Francisco* evenit: hic cùm à Deo peteret, quo exercitio maximè Deo placere posset? ter Missale aperuit, sempérque Passionem reperit. Item cùm *Sancta Maria Magdalena*, postquam se in eremum contulerat, supplex à Deo petiisset, ut qua in re potissimum se occuparet, ostendere dignaretur, Sanctus Michael Archangelus ei Crucem pulcherrimam in aditu speluncæ sic constituit, ut in oculos Magdalenæ semper incurreret, neque illam unquam mysteriorum patratorum oblivisci pateretur. Ex his & id genus aliis exemplis colligere pronum est, quod meditatio Passionis Christi facilè reliqua quamvis religiosa pietatis exercitia longo post se intervallo relinquat. Hinc non immeritò Sancti, Christo placere cupientes, in contemplatione Passionis Christi sese sedulò exercuerunt; quibus exemplo præivit gloriosa Virgo MARIA, quæ de se ipsa olim dixit: (in revel. *S.Birgitt.* lib. 2. cap. 21.) *In sepulchro filii mei semper cogitatio & cor meum versabatur.* De *Sancta Clara* de Monte Falco Ordinis nostri testatur *Surius*, quòd in JESU crucifixo sive vigilans, sive dormiens hærebat. Cùm semel in hoc exercitio graviter confixa fuisset, apparuit ei Juvenis, crucem ferens, & dicens: Filia mea Clara, quæsivi locum solidum, in quo hanc crucem plantarem, & inveni cor tuum: ibi eam figere volo, oportet ergo, ut moriaris in hac cruce, si filia mea & hæres vis esse. Exinde adeò impressum cordi habuit passionis mysterium, ut quidquid comederet, vel biberet, ei amarum foret in memoria passionis, & quidquid videret, intelligeret, & diceret, felle crucis Christi aspersum crederetur. Unde post mortem omnia instrumenta passionis cum Christo crucifixo cordi impressa cernebantur. *Sanctus Bernardus* de seipso sup. *Cant.* dicebat ad fratres: Ego ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, fasciculum hunc colligare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Primum scilicet infantilium illarum necessitatum: deinde laborum quos pertulit in prædicando: fatigationum in discurrendo: vigiliarum in orando, tentationum in jejunando; lacrymarum in compatiendo: insidiarum in colloquendo; postremò periculorum in falsis fratribus: convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum,

tionum, clavorum, horúmque similium.

9. *Tygranes* Rex cum sua conjuge à Cyro Rege Persarum captus, cùm interrogaretur, quid pro uxoris liberatione dare vellet? respondit, se libenter vitam pro uxoris redemptione oblaturum. Quæ responsio adeò Cyro placuit, ut mox ipsum cum uxore liberum dimiserit. Cùm verò in reditu Tygranes conjugem quæreret, quomodo ipsi vultus Cyri placuisset? respondit illa, se id nescire, ab eo enim tempore, quo ipse pro ea vitam obtulit, se in neminem alium oculos conjecisse, quàm in eum, à quo se tantoperè amari advertisset. Profectò, si veri amoris scintilla erga Salvatorem in nobis foret, tunc multò magìs mentis obtutum in eum assiduò conjicere deberemus; quippe qui non solùm affectu, verùm etiam effectu pro nobis vitam, & quidem tali modo dedit, quíque non à terreni Regis mancipatu nos vindicavit, sed à stygis tyrannide liberavit, ac in libertatem filiorum Dei constituit, & asseruit. Ad hunc scopum collimare videtur *Sanctus Petrus* cap. 4. dicens: *Christo in carne passo, & vos eâdem cogitatione armamini.* Benè dicit armamini, (inquit *Sanctus Thomas*,) quia memoria passionis Dominicæ contra insultus, & tentationes diaboli roborat nos, & munit. Hâc consideratione homo devotus ita armatus persistit, ut totus ferreus appareat, aut meliùs dicam, totus ignis videatur; impii verò sicut fœnum & stupa.

10. Cæterùm, methodum Christi passionem cùm fructu recolendi tradit *Venerab. Beda* tom. 8. meditat. passion. Christi in præfat. dum ait: *Necessarium est, ut aliquando ista cogites in contemplatione tua, ac si præsens tunc temporis fuisses, quando passus fuit, & ita te habeas in dolendo, ac si Dominum tuum coram oculis tuis haberes patientem.* Sic faciens brevì ex idiota evadet in virum doctum. Audiamus *Ludolphum* Carthusianum de hac re part. 2. cap. 58. sic discurrentem: Frequens passionis memoria indoctum reddit doctissimum, imperitos & idiotas facit proficere in Magistros; Magistros, inquam, non scientiæ, quæ inflat, sed charitatis quæ ædificat. Ipsa est velut quidam liber vitæ, in quo omnia saluti necessaria inveniuntur; felix qui ejus studio seriosè intendit, quia in contemptu mundi, & in amore Dei proficiet, cunctarúmque virtutum & gratiarum incrementum sumet. Hactenus præfatus scriptor. Hunc librum sedulò volvit & revolvit Doctor Gentium *Divus Paulus*, uti ipse testatur ad Corinthios epist. 1. cap. 2. sic scribens: *Non judicavi me scire aliquid nisi JESUM Christum, & hunc crucifixum.* Ex hoc etiam libro *Sanctus Bonaventura* totam suam hausit doctrinam & sanctitatem. Cùm enim *Sanctus Thomas Aquinas* quâdam vice Virum sanctum visitâsset, & bibliothecam ostendi petiisset, unde tam multiplicem eruditionis ubertatem hauriret? Sanctus Bonaventura ostendit ei imaginem Crucifixi, à quo fonte uberrimo se accipere professus est, quidquid vel legeret, vel scriberet.

11. Præterea quod nos etiam ad Passionem Christi frequenter recolen-

colendam invitare debet, est quòd sit hæcce meditatio antidotum efficacissimum ad dulcorandas quaslibet animi afflictiones. *In omnibus adversitatibus* ( inquit *Sanctus Pater Augustinus* in manual. cap. 22. ) *non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi, in illis dormio securus, & requiesco intrepidus.* Hoc ipsum jam olim præfiguratum fuit in veteri testamento. *Exod.* 15. v. 23. Populus Hebræus à servitute Ægyptiaca liberatus, dum post Pharaonis submersionem ad terram promissionis proficisceretur, in itinere passus est penuriam aquæ, & tametsi ad aquas *Maræ* pervenisset, hæ tamen aquæ salsæ & amaræ erant. *Nec poterant bibere aquas de Mara*, ùt refert Sacra historia, *eò quòd essent amaræ; & murmuravit populus contra Moysen dicens: quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit illi lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Quis porrò per lignum hoc, aquas amaras indulcorans, virtutem Crucis repræsentari non videt? Sic enim docet *Sanctus Antoninus* part. 2. tract. 3. cap. 7. §. 4. loquens: Legitur, quòd filiis Israël in deserto invenientibus aquas amaras, quas non possent bibere, misso ligno de mandato Dei in aquis, dulcoratæ sunt, ut biberent delectabiliter. Aquæ sunt tribulationes, quæ frequenter occurrunt in deserto hujus mundi, & in se amaræ sunt; sed ligno Crucis misso, id est meditatione habitâ de passione, efficiuntur dulces.

12. Hinc legere est in *Speculo Exemplorum* distinct. 9. exemp. 101. de Juvene quodam Religioso, cui apostatare volenti apparens Christus, latúsque discooperiens, & sanguinem effluentem ostendens, jussit reverti ad monasterium, & omnia rigorosa Ordinis sui intingere in latus istud, & mox in dulcedinem vertenda dixit. Quod ille audiens rediit, sanctéque vixit. Venit ( inquit *Cæsarius* lib. dialog. cap. 80. ) ad cœnobium Claravallense Clericus quidam delicatiori vitæ generi assuetus, qui cùm panem Conventûs abhorreret, & vehementer nausearet, nocte quadam Salvator JESUS ei apparuit, eique frustum panis, quo fratres vescebantur, porrigens dixit: Comede panem hunc. Cui cùm Novitius responderet; nequaquam vesci possum pane hordeaceo: Christus vulneri lateris sui hunc panem intinxit, & porrectum comedere jussit; de quo cùm gustâsset, factus est sicut mel dulcis in ore ejus. Ab illo enim tempore panem ac reliquos cibos communitatis, quos priùs vix tangere potuit, magnâ cum delectatione & sapore comedit. Alius Religiosus, ( ùt *Ludolphus de Saxon.* part. 2. cap. 58. memorat; ) cùm initio suæ conversationis aliquando gravissimâ desperatione oppressus, in cellula sua tristis sederet, audivit vocem dicentem: *Surge, & meam Passionem devotè pertracta, & in amaritudine mea tuum dolorem vinces.* Surrexit, &, quod jussus erat, fecit, & à desperatione liberatus est. O si plures è Religiosis, suis in afflictionibus ad hanc antidotum recurrerent, non ita sanè tristitiæ fluctibus involverentur; sed quia hoc saluberrimum exercitium prætermittunt, non raró fit, ut rigorem monasticum non ferentes, de facta pro-

professione pœnitudine ducantur, ac in vitiorum imum prolabantur.

13. Verum enimverò, præter alia emolumenta, qui libenter passionem Domini memoriâ recolit, habere etiam potest singularem spem, & fiduciam de futura beatitudine obtinenda, uti ex dictis jam constat, quibus addo verba, quæ quondam Christus ad dilectam suam Sponsam *Beatam Angelam de Fulginio* dixit; O vos verè beati, & omnino benedicti! si in cruce pro meis Crucifixoribus cum lacrymis & fletu rogavi Patrem meum, & excusavi dicens: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Quid ergo pro vobis, qui mihi compassi, devoti, & consocii fuistis, dicturus sum, cùm non in cruce, sed in gloria felicissimus orbem judicabo? In Parabolis *Salomonis* cap. 3. vers. 34. Deus ita loquitur: *Beatus homo qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.* Quid itaque aliud per hasce fores intelligi potest, quàm Sacratissima Christi vulnera? Ac proinde advertendum *Sanctum Joannem* cap. 19. non sine mysterio in Evangelio suo in hæc verba scripsisse: *Unus militum lanceâ ejus latus aperuit*, non dicit vulneravit, aut percussit, sed aperuit, ut intimaret per hanc aperturam nobis esse fores ad beatitudinem cælestem reseratas; hinc beatus, qui ad hasce fores quotidie vigilat, vulnera Christi meditando. Hoc expertus est quidam Laicus Ordinis Canonicorum Regularium, qui post suum obitum suo Superiori apparuit, eique significavit, quemadmodum rectâ ad cælum viâ volârit; simúlque causam addidit, quòd videlicet ideo hanc consecutus sit gratiam, quòd in summa veneratione Christum Crucifixum habuerit, & quòd in transitu imaginis Crucifixi semper Christum rogaverit, ut propter amaritudinem in cruce toleratam, in egressu animæ suæ misereatur. *Specul. Exemplor.* dist. 6. cap. 10.

14. De alio Juvene in *Prato Florid.* lib. 1. cap. 22. exemp. 6. legitur, quòd æternis ignibus fuisset addictus, si se non toties JESU crucifixo commendâsset. Hic namque quotiescunque ad lectum concederet, vel inde resurgeret, signo Crucis in fronte, & pectore se communiendo hæc verba proferre consuevit: *JESU Nazarene miserere mei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Simúlque Christum Crucifixum rogavit, ne sine confessione moreretur. Accidit autem, quòd morte repentinâ extremum diem suum clauserit; cúmque dæmones advolantes animam ipsius secum ad infernum raptare niterentur, splendidus quidam Juvenis stygios hostes abigens, prædictam animam in locum tenebrosum deduxit, ibique reliquit. Paulò pòst denuò comparuit Juvenis ille (qui Angelus è cælo missus fuisse creditur) eíque dixit: Quòd tametsi ad inferni tormenta condemnari mereretur, Judex tamen propter merita devotionis erga passionem suam, & crucis suæ titulum exhibitæ hanc ei largiretur gratiam, ut in vitam denuò redire, suáque peccata per Confessionem sacramentalem expiare posset, quâ peractâ demum in pace quievit. Quis nunc ex hac historia non clarè perspicit, quanti intersit amo-

rosâ quâdam devotione ferri erga Christum amore nostri crucifixum ; quippe hic Juvenis æternùm periisset, si hoc pium exercitium neglexisset.

15. Porrò, audire ulteriùs lubet de Passione Dominica loquentem *Beatum Henricum Susonem*, qui in Dialogo introducit Sapientiam æternam, Christum JESUM de Passione sua, cum suo Ministro ita colloquentem: Mihi longè gratiùs est cor hominis, si omni caduco amore sit vacuum, atque ad imitandum vitæ meæ præclarum exemplar perpetuâ sedulitate intentum, quàm si continuis me prosequatur lamentis, tótque fundat lacrymas, quot unquam pluviæ guttæ ex aëre defluxerunt. Siquidem acerbissimæ mortis perpessione hoc potissimum spectavi, & volui, ut me homines imitarentur, quanquam & piæ lacrymæ mihi cum primis acceptæ sint. Si tu ipsam passionem meam amantissimam humescentibus oculis commemorare non potes, facias nihilominus jucundo animo ob bona immensa, quæ ex illis capis. Quòd si nec hilariter, nec lacrymabundus eam cogitare potes, vel arido saltem corde in mei laudem eam percurras. Ita enim non minùs gratum mihi præstiteris obsequium, quàm si præ lacrymis, & dulcedine totus colliquesceres. Nam hâc ratione opus efficis ex amore nihil teipsum spectans. Ut verò eadem passio meâ magis tibi cordi sit, eíque plùs afficiaris, audi, quæ dicturus sum. Anima, quæ se multis obstrinxit peccatis, poterit ipsius passionis meæ thesaurum adeò ad se adjungere, sibique applicare, ut, etiamsi vel mille annis punienda sit in purgatorio, brevi tempore & culpam, & pœnam omnem dissolvat, ita ut absque purgatorio libera commigret in cælum. Debet autem id fieri hâc ratione. *Primò*. Ut quis corde contrito sæpe & graviter magnitudinem, & multitudinem immanium peccatorum suorum, (quibus tam irreverenter offendit oculos cælestis Patris sui) expendat ac ponderet. *Secundò*. Ac deinde propriæ satisfactionis opera non quidem omittat, sed parvi pendat; utpotè quæ cum ipsis collata peccatis non plus sint, quàm aquæ guttula una erga mare universum. *Tertiò*. Meæ verò satisfactionis immensitatem mirificè evehat ac extollat, quando vel minima pretiosi Sanguinis, ex toto corpore meo undique largiter nimis manantis, gutta etiam mille mundorum peccatis delendis suffecisset: Quamquam nihilominus satisfactionis hujus meæ tantum quisque sibi applicet, & ad se trahat, quantum se mihi compatiendo conformat, atque quatenùs suæ satisfactionis exiguitatem in meæ expiationis infinitatem humiliter & obnixè demergit. Et ut verbo dicam; scias, quòd nec Arithmetici, nec Mathematici, aliique numerorum, mensurarum, & ponderum tractatores omnia illa bona, quæ in Passionis meæ commeditatione latent, numerare aut ponderare queant. Ita Sapientia æterna, non quidem voce sensibili, sed intellectuali ad beatum virum *Henricum Susonem*, prout ipse refert in Dialogo cap. 14.

16. At verò, licèt singula hæc verba, attentâ consideratione sint digna, illa tamen præ aliis ponderanda, nempe: *Siquidem acerbissimæ mortis perpessione*

*pessione hoc potissimum spectavi*, & *voluì, ut me homines imitarentur.* Ex quibus docemur, vanam esse compassionem, si desit patientis Christi imitatio. Passus pro nobis Deus homo est, non ut corde solo recogitemus dolores ejus, & vulnera, sed ut sequamur ejus vestigia. Ita monet Apostolorum Princeps *Divus Petrus* epist. 1. cap. 2. v. 21. dicens: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Quæ verba explanans *Divus Thomas*, ait: *Christus passus est pro nobis*, tam Apostolis quàm aliis, tam præsentibus, quàm absentibus, seu futuris. *Vobis* scilicet absentibus, qui ipsam Passionem non vidistis, sicut nos præsentes, *relinquens*, quasi retro linquens, sed nobis præsentialiter tradens *exemplum* tribulationum, contumeliarum, flagellorum & mortis crucis, *ut sequamini vestigia ejus*; prout dicebat de se *Sanctus Job* cap. 23. 11. *Vestigia ejus secutus est pes meus.* Vestigia nimirum humanitatis ejus, quæ secundùm *Divum Bernardum* sunt spontanea paupertas, cumulata vilitas, tam assumpta, quàm illata pœnalitas. Et hæc Christi vestigia sequi possumus, imò debemus, & væ nobis, si id recusamus, vel negligimus. Audite, quid in *Regum Fastis* legere sit: quomodo nimirum acriter senserit Rex David, quòd in fuga sua, cùm nudis pedibus ascenderet clivum Olivarum, secutus non fuerit Miphiboseth, Regis commensalis: quare acerbis eum verbis *David* perstrinxit: *Quare non venisti mecum Miphiboseth?* 2. *Reg.* 19. 25. Claudus erat Miphiboseth, & sequi Regem commodè non poterat: quòd tamen secutus vel claudo pede non fuerit, fortunis suis excidit. Quanto ægriùs sentiet filius David, ter benedictus JESUS, si imitari patientem nolimus, qui socii mensæ & gloriæ ejus fieri participes affectamus? Igitur *scientes quòd sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis*: ait Sanctus Paulus 2. *Cor.* 1. 7. Socius autem Passionis Christi ille solùm censetur esse verus & sincerus, qui Christum passum per crebram meditationem in memoria tenet, & per imitationem eundem forti & constanti sequitur animo.



# SERMO L.
## DE GRATITUDINE.

*In omnibus gratias agite ; hæc est enim voluntas Dei.* 1. Thess. 5. 18.

## PARS PRIMA.

1. CUm variæ reperiantur meditationis materiæ, quarum aliquæ cæteris sunt nobiliores, de una eáque excellentissima jam sermone præcedenti disseruimus, nunc de gratitudine (quæ non minùs utilis meditationis materia est) aliqua in medium afferre libet. Deus, cujus natura Bonitas est, sic cum gratis facere amat, ut majores & cumulatiores semper iis favores & gratias impertiat, quò ipsi magis gratitudinis pensum persolvunt. Proinde quisquis intendit inoffenso pede in perfectionis semita feliciter progredi, divinisque cumulari beneficiis, necesse habet, ut suis in meditationibus collata sibi à Deo dona sæpe mente pertractet, debitásque pro iisdem gratiarum actiones rependat. Ad hæc porrò præstanda consultò egeris, si imitatus fueris tres pueros in fornace Babylonis existentes, qui omnes creaturas tam cælestes, quàm terrestres ad Dei laudem concinendam invitârunt. Sciendum verò, non debere duntaxat nos gratos exhibere pro magnis beneficiis, sed etiam pro minimis; sic enim homo disponitur, & capax efficitur ad majora recipienda, teste *Cassiodoro* epist. 4. qui ait: *Invitat ad magna, qui gratanter suscipit modica, & spem de futuris recepit, qui transacta beneficia recognoscit.* Et sicut exiguum pharmacum (ùt loquitur *Sanctus Damascenus* in vit. Barlaam) è magnis plerumque morbis hominem eripuit; ita gratiæ etiam pro minimis beneficiis persolutæ bona ingentia conciliant. Cui astipulatur Mellifluus *Bernardus*: *Felix*, inquit, *qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora accipere mereamur.* Proinde rectè paucis sed nervosis verbis monet *Thomas Kemp.* dicens: *Esto gratus pro minimo, & eris dignus majora accipere.*

2. Quamobrem si Dei beneficia in nos absque interruptione influere discupimus, per gratiarum actiones memores acceptorum simus oportet. Siquidem (ùt *Sanctus Chrysostom.* in tract. de symb. advertit) *Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum.* Et in *Psalm.* 49. idem Gloriosus Doctor sic ad propositum loquitur: *Nihil*

*æquè*

*æquè facit in virtute crescere, atque cum Deo assiduè versari & colloqui, quàm ei perpetuò gratias agere & psallere.* Hæcce veritas nequaquam latebat sanctos viros, qui vel ideo gratitudinem sic amplectebantur, ut nullâ re magis delectari viderentur, quàm cùm dicerent DEO GRATIAS. Scribit *Sanctus P. N. Augustin.* epist. 47. ad Aurel. *Quid meliùs, quid præstantiùs & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm* Deo gratias? *Hoc nec dici breviùs, nec audiri lætiùs, nec intelligi gratiùs, nec agi fructuosiùs potest.* Quid si, dicebat *Sanctus Ambrosius* lib. 2. de Virgin. primus discendi ardor nobilitas est Magistri? Sed quid nobilius Dei Matre? quid splendidius eâ, quam splendor elegit? Dei Mater adinventrix fuit & Magistra hujus DEO GRATIAS, ùt testatur Doctor Seraphicus *Sanctus Bonaventura* cap. 3. opusc. de vit. Christ. *Beata Virgo*, inquit, *sine intermissione benedicebat Deum; & ne fortè in salutatione sua à Dei laudibus tolleretur, si quis eam salutabat, illa pro salutatione sua*, Deo gratias *respondebat.*

3. *Zacharias Boverius* in annalibus suis Anno 1587. narrat *Sanctum Felicem* Laicum Capucinum, cùm aliquando audivisset Apostolica illa verba DEO GRATIAS à præstantissimo Concionatore *Alphonso Lupo* vel maximè commendari, sic ea suo animo impressisse, ut iis deinde quacunque sese offerente occasione salutationis loco usus fuerit; ingesserat enim Deus pectori ipsius profundum eorum sensum, iisque sic affectus est, ut deinceps, ubi pueros reperisset congregatos, eos prædictis verbis ad benedicendum Deum provocaret: quod cùm frequentiùs egisset, pueri statim confluere visi sunt, ubi Beatum Virum conspexerunt in plateis Romanis eleëmosynas colligentem, exclamabántque: DEO GRATIAS, *Frater Felix*, DEO GRATIAS. In pronuntiandis his verbis tanto gaudio internè perfundebatur, ut Sacerdoti ad aras celebranti inserviens, ea proferre lacrymarum abundantiâ prohiberetur. Inflammemur ergo, ut & nos assiduè hoc ipsum exerceamus, dicamúsque cum Regio Vate *Ps.* 102. *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini Sancto ejus.*

4. Ad hanc porrò pro in nos collatis beneficiis gratam Deo reponendam vicem variæ nos admonent, & stimulant Veteris Testamenti figuræ & symbola. Per *Ezechielem* olim Deus præcepit, ut, qui templum ingrediebantur, per aliam portam egrederentur, ne Propitiatorio terga verterent, cùm à templo exirent; ut hinc doceremur, accepto à Deo beneficio non esse illi per oblivionem terga vertenda. Cùm populus Israëliticus per desertum pergeret, absumptâ farinâ, quam ex Ægypto secum tulerant, & premente fame misit benignissimus Deus de cælis Manna, cibum qui omnem complectebatur saporem, qui etiam, ut merito titulo insigniretur, Angelorum panis dictus est. Præcepit deinde, ut de manna aliquid colligerent, aureo vasi imponerent, & in arca conservarent. *Exod.* 16. Et cur Manna voluit asservari? Quia gratitudinem à nobis requirit, quia vult continuam beneficii memoriam in nobis vigere.

Hanc

Hanc rationem aſtruit *Divus Thomas* primâ ſecundæ quæſt. 102. art. 4. ad 6. *Quia Manna*, inquit, *ex divina Miſericordia eſt populo ſuo datum; & ideo in memoriam divinæ miſericordiæ conſervabatur.* Intelligisne, amice frater, quid Deus à te exigat? Quando dulcedine divinæ pietatis & miſericordiæ frueris, vult Deus, ut memoriam ejus conſerves in arca pectoris tui, in urna aurea grati animi, & cordis ardentiſſima charitate pleni. Præcepit olim Deus per Moyſen ſuo populo, ut ignis ſemper in altari arderet, neque unquam deficeret. *Levit.* 6. v. 12. Cupis noſſe cauſam & myſterium hujus præcepti? Audi *Philonem* Hebræum lib. de vict. offer. ſic loquentem: *Ignis in Altari ſemper ardebit. Meritò ut equidem arbitror; nam quia perennes Dei gratiæ nec deficiunt, nec intermittuntur, ſed interdiu noctuque fruendas ſe præbent nobis hominibus; gratiarum actionem hæc flamma figurat ſemper inſtaurandam, ne quando extinguatur.*

5. Verùm enimverò, quamvis fermè innumera ſint Dei beneficia nobis collata, ob quæ nos gratos eſſe oportet, tamen brevitatis ergo pauca duntaxat, eáque præſtantiora, ac nobis notiora in præſenti afferam, quæ non ſine magno ſpirituali emolumento & fructu in meditatione ponderari fuſiùs poſſunt. Perpendere itaque lubet, quantum ſit beneficium, creatio hominis cujuslibet, & quidem ad imaginem Dei; patet enim hinc ſummus amor Dei erga quemlibet hominem in individuo exiſtentem; plus enim vel unum hominem diligit, quàm omnes creaturas poſſibiles, ùt *Theologi* in tractatu de Voluntate Dei perhibent; quia diligere eſt velle, & conferre bonum. Deus autem cuilibet homini creato, vel creando vult aliquod bonum, nempe exiſtentiam actualem in ipſa creatione conferendam, quam denegat creaturis poſſibilibus, quibus nunquam exiſtentiam communicabit, ex quo liquidò conſtat plus amari à Deo vel unum hominem, quàm reliquas omnes creaturas ſolùm poſſibiles. Quanta proin gratiarum actio à quolibet noſtrûm Deo non retribuenda erit ob creationis beneficium? *Faciamus*, inquit Deus *Gen.* 1. *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Unde *Sanctus Anſelmus* Deum alloquens ait: *Fateor, Domine, & gratias tibi ago, quia me creâſti ad tuam imaginem, ut tui memor ſim, te cogitem, te diligam, te intelligam.*

6. Secundò, gratum animum requirit Deus ab homine ob dominium, quod ei contulit ſuper omnia creata. *Dominanimi*, inquit *Gen.* 1. *piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus ſuper terram. Ecce dedi vobis omnem herbam, & univerſa ligna.* Item quia homini famulantur non tantùm omnes creaturæ terreſtres, uti ſunt, terra, aqua, aër, ignis, piſces, & reliqua cujuſcunque generis animantia teſte Pſalmographo *Pſalm.* 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi; volucres cæli & piſces maris.* Non, inquam, hæc terreſtria duntaxat homini obſequium præſtant, verùm etiam creaturæ cæleſtes, nimirum Beatiſſimi Spiritus Deo volente hominem defendunt, eique innumera exhibent beneficia; quemadmodum rurſus id indicat Regius Pſaltes *Pſalm.* 90. dicens: *Angelis ſuis*

*Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* An non ista magna dignitas homini à Deo concessa? Qualem proin non etiam à nobis gratitudinem exposcet? Hinc *Sanctus Pater N. Augustinus* exclamat, de Civitat. Dei. *Quisquis Dei beneficia non videt, cæcus est, nec laudat, ingratus est, quisquis in laudando reluctatur, insanus est.* Qualem porrò olim rationem reddent ingrati, innuit id *Sanctus Chrysostomus* super *Matth.* dicens: *In die illa nihil est, quod respondeamus, ubi cælum & terra, aqua, sol, luna, dies & noctes, & mundus totus stabunt adversus nos in testimonium peccatorum nostrorum.*

7. Tertiò, quod vel maximè ad perpetuas laudes Deo concinendas eos conciere deberet, est infinitus & incomprehensibilis amor, quo Deus hominem fuit prosecutus, cùm eidem ad suam similitudinem creato nedum omnia alia creata subjecerit, verùm etiam pro eodem redimendo filium tradiderit. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan. 3.* Sanè non minùs peccavit homo, quàm Angeli Apostatæ, ideóque & cum illis incessabili igni divinâ sic exigente Justitiâ addici debuisset; ast nihilominus relictis Angelis, etsi nobilioribus creaturis in sua æterna perditione, Dei Filius in mundum adventare voluit, ut miserum hominem ab orci tyrannide vindicaret, hæredémque cælestis gloriæ institueret; ac proinde non recusavit acerbissimum mortis genus oppetere, ne homo æternùm periret. Quantam igitur non gratiarum actionem à nobis meritò exposcet, cùm proprio suo Sanguine nos redemerit? Hinc rectè nobis occinit *Siracides c. 29. Ne obliviscaris gratiæ Fidejussoris tui, posuit enim pro te animam suam.* Ah! quis ille Fidejussor? Unigenitus Dei Filius, Rex Regum, & Dominus Dominantium, hic animam suam (in qua omnes sunt thesauri Sapientiæ & Scientiæ Dei *Col. 2.*) pro nobis vilissimis terræ vermiculis ac captivis diaboli mancipiis posuit. Quomodo verò hanc animam posuerit, significat id nobis *Isaias* cap. 53. dicens: *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus. Vidimus eum despectum, & novissimum virorum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus ipsum quasi leprosum & percussum à Deo.* Quæ causa tantæ ignominiæ, dolorum, & cruciatuum? Pro nobis Fidejussorem se Patri æterno obtulit; hinc sequitur: *Attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus; posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm.*

8. Hanc summam Christi Fidejussoris nostri charitatem contemplans *Sanctus Bernardus* serm. 3. de nativitat. per hæc excurrit verba: *O debitis immensis obstricte, & in servitutem diaboli abrepte peccator! ex magnitudine lytri agnosce captivitatem tuam; ex satisfactione Fidejussoris collige molem debitorum tuorum.* Seriò proin monet *S. Pater Augustin.* serm. 41. in append. *Agnosce ô homo, quantum valeas, & quantum debeas, & dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem.* Et rursus *Divus Bernardus*: Si totum (non sine admiratione exclamat) me debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto? &

& refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus, quàm factus, in primo opere me mihi dedit; in secundo se; & ubi se dedit, me mihi tradidit; datus ergo, & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid ergo Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependerem, quid sum ego ad Deum? Quid dulcius hisce verbis ad agnitionem beneficii Redemptionis seu Fidejussionis? Quid efficacius ad redamandum eum, qui tantoperè nos dilexit? Sed ah! nos hæc audimus, hæc legimus, hæc scimus; & tamen quæ est perversitas, & ingratitudo nostra, quid pro tanta charitate, nisi odia, pro tanta liberalitate nisi malefacta rependimus? Et hoc est, quod lacrymas Christo in Cruce expressit juxta Apostolum *Hebr.* 5. *Cum clamore valido & lacrymis offerens*, *seipsum scilicet.* Quid sibi vult hic clamor, hæ lacrymæ? Respondebit *Sanctus Bernardus* apud *Sanctum Bonaventuram* serm. 6. in Parasc. *Flevit Christus in Cruce*, *quia cùm passio sua sufficeret in redemptionem omnium*, *profuit in redemptionem paucorum.* Et iterum ibidem serm. 2. sic ait: In Christo super omnes dolores exteriùs, fuit dolor humanæ ingratitudinis interiùs; unde apud *Psalmistam* ait: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et *Hugo de S. Victore* Christum in Cruce sic loquentem inducit:

*Cerne homo, quid pro te patior;*
*Vide pœnas, quibus afficior;*
*Vide clavos, quibus confodior;*
*Cùm sit tantus dolor exterior;*
*Intus tamen planctus gravior;*
*Tam ingratum dum te experior.*

9. Quid igitur restat, quàm ut illud Apostolicum monitum, indelebiliter cordibus nostris imprimamus: *Mortuus est Christus, ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est*: 2. *Cor.* 5. Ac si diceret: Non vivunt suæ vanitati, non propriæ voluntati nec voluptati, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, ei qui satisfactionem præstitit, ac nexus debitorum exsolvit; ei denique qui sanguine suo è dira cacodæmonis servitute eos redemit. Dicat ergo quilibet cum eodem Gentium Ecclesiaste: *Vivo ego, non jam ego, vivit verò in me Christus.* *Gal.* 2.

# PARS SECUNDA.

10. VErùm, quò ferventiori feramur erga Redemptorem nostrum gratitudinis affectu; æquâ rationis trutinâ pensitemus, oportet doctrinam quandam Doctoris Angelici *S. Thom.* quæst. 113. art. 9. dicentis: Donum gratiæ impium justificantis est majus, quàm donum gloriæ beatificantis. Unde rectissimè infertur, unicum gradum gratiæ majoris esse pretii & valoris, magisque æstimandum, quàm bona omnia naturalia totius universi. Unde *Sanctus P. Augustinus* lib. 2. ad *Bonifacium* cap. 6. *Gratia*, inquit, *non solùm omnia sydera*, *& omnes cælos*, *sed etiam omnes Angelos supergreditur.* Cui suffragatur iterum *S. Thomas* loc. cit. art. 9. ad 2. inquiens: *Bonum gratiæ unius majus est*, *quàm bonum naturæ totius universi.* Verùm si ita res se habeat cum

dono gratiæ, impium justificantis, quantum itaque gratitudinis pensum à nobis non exiget Deus, cùm multoties variis immersos peccatis ex immensa sua clementia nos eruerit, mundârit, ac in suam gratiam denuò receperit? Si bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ totius universi, quid ergo divinæ beneficentiæ retribuemus, cùm sua gratia nos toties prævenerit, ac comitatus sit, nè in tentationibus positi in peccatorum cœnum relaberemur? Quamobrem rectè monet doctissimus *Cajetanus*, dum citata *Sancti Thomæ* verba ponderans, in commentario illius articuli hæc scribit: *Ante oculos tuos semper die noctéque tene, quòd bonum gratiæ unius est majus, quam bonum naturæ totius universi, ut continuò videas damnationem imminentem non æstimanti tantum bonum oblatum.*

11. Ex dictis infertur, quòd nulla possit dari major demonstratio divinæ erga nos beneficentiæ, quàm si Deus nos, postquam illum mortaliter offendimus, à pœnarum infernalium æternitate eximat, ac proinde David adulterii & homicidii à se commissi memor, vidénsque se ab imminenti æternæ perditionis supplicio præservatum, inquit, *Psalm. 93. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea.* Heu! quot animæ justo Dei judicio in barathrum delapsæ inextinguibiliter ardent ob unicam duntaxat culpam mortalem commissam, & tamen is, qui *bene omnia fecit*, & qui *omnia, quæ facit, in vero judicio facit*, tot mensibus & annis te innumeris peccatis onustum æquanimiter sustinuit, & in statum salutis perduxit. *Sanctus Bonaventura* fidelem quandam animam his verbis alloquitur: *Heu quanto tempore te in peccatis tuis toleravit? & quot & quantos ante tuam conversionem in peccatis damnavit, & te semper peccantem misericorditer expectavit.* In simili re erudita fuit *Sancta Mechtildis* à Christo dicente: *Bonum est homini, ut sæpè recogitet, quàm benè de ipso cogitaverim, quámque amanter illum expectaverim, etiam cùm in peccatis jaceret, & quàm benignè mala ejus in bonum converterim.* Quod beneficium *Sanctus Pater Augustinus* ponderans, exclamat: *Quoties me jam absorbuerat ille Draco? & tu Domine ab ore ejus extraxisti me. Quoties enim peccavi? & ipse paratus fuit deglutire me. Sed tu Domine Deus meus defendisti me. Descendi usque ad portam inferni, & ne illuc intrarem, tu me tenuisti. Sciebas tu, quidem Domine, quia si tunc mors me occupàsset, infernus animam meam suscepisset, & perpetuò damnatus fuissem; sed tua misericordia, & tua gratia prævenit me, eripiens me de morte corporis, & de morte animæ.* Ita clarissimum Ecclesiasticorum Magistrorum jubar *Augustinus* in suis Soliloquiis cap. 18. Hoc maximum beneficium nobis immeritis misericorditer à Deo collatum, dum perpendimus, exclamare cogimur cum Regio Hymnographo *Psalm. 47. Exultent filiæ Judæ propter judicia tua Domine.* Nimirum animæ confitentes admirentur judicia Dei super alios, & timeant judicium quoque super se tantæ bonitatis, & exultent cum gratiarum actione, quòd erutæ sint à tremendis illis judiciis, & pœnis jam paratis, dum peccarent.

12. Præsenti huic proposito non videtur inopportuna doctrina quædam *Divi Chrysostomi*, quæ hanc continet

moralitatem, scilicet quòd proximi excessus, errores, peccata & scelera, à quibus nos sumus liberi, sint divinæ misericordiæ singularia beneficia, quibus nos ornat. Quocirca cùm ejusmodi excessus in aliis notamus, ad hoc adstringimur, ut Deo gratias referamus, quòd, cùm essemus nos tam miserabiles quàm illi, iisdémque subjecti peccandi periculis, alios occulto suo judicio permisit in tales delabi excessus ac scelera, nos autem suâ misericordiâ ab iis servavit. Sunt plena divinis mysteriis verba Domini ad *Job*, quibus illi exposuit, quantas boni Angeli retulerint illi, deferántque semper gratiarum actiones, dum ruinam casúmque considerant Angelorum apostatarum. Cùm enim essent omnes ejusdem naturæ, quòd ipsi constantes permanserint, dum alii corruerunt & perierunt, divinæ hoc misericordiæ, gratiæque tribuendum, quam ipsis impertiit, negavit aliis. *Ubi eras* (inquit Deus) *quando ponebam fundamenta terræ &c. cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* *Job.* 38. 7. De Sanctis loquitur Angelis, ut exponunt *Divus Gregorius* lib. 28. moral. cap. 14. & *Divus Hieronymus* in cap. 38. *Job* nominibus illos compellat valde mysticis: *Astra matutina, & filios Dei vocans.* Illi (inquit *Paraphrastes Chaldæus*) nempe Angeli ab orbis exordio Deum opificem laudârunt, & jubilârunt. *Septuaginta* legunt: *Laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei.* Quæris, quam ob causam? hanc ut intelligas, expende nomen, quo illos appellat: *Astra matutina.* Videtur huc alludere voluisse Sanctus Joannes (*Apocal.* 12.) in visione illa notissima, quâ vidit Luciferum, draconem terribilem, qui caudâ suâ tertiam partem stellarum secum de cælo ad inferos & interitum detraxit, hoc est, superbiâ suâ instigavit Angelos quosdam alios, ut adversus Deum erigantur, quo factum est, ut pars illorum tertia deciderit, perierit, & in obscuras noctis stellas sit miserè transmutata. His delapsis, perstiterunt boni velut astra matutina, & cùm se viderent tales, & gratiæ luce confirmatos, & factos filios Dei, & illi similes in gloria, ante omnia Deo pro collato sibi beneficio tam singulari grates rependerunt; cùm enim omnes ex eadem essent natura, masśáque Angelica creati, se confirmatos lætabantur in gratia & gloria perfectos, aliósque spectabant misero casu corruisse per peccatum perduellionis, & in culpa sua manere obstinatos, pœnisque addictos sempiternis. O quàm immensas Deo pro tam singulari beneficio egerunt gratias!

13. In hujus discursus prosecutionem perpendit *Divus Bernardus* serm. 22. in *Cant.* illud, quod de Christo ait Apostolus: *Qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* 1. *Corinth.* 1. 30. Advertas (inquit) verbum illud: *Factus est nobis*: cujus hic est sensus: Jam inde à principio fuit justificator, sanctificator & redemptor Angelorum, natus autem in mundo, factus est sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio mortalium: Nostram enim assumens carnem, quando *Verbum caro factum est*, & in ea moriens, per illam mortem nos justificavit & redemit, eo modo quo sæpius idem de-

clarat

clarat *Apostolus* : Si ex me percuncteris (inquit idem mellitus *Abbas*) qua ratione fuerit redemptio, vel Angelorum redemptor, cùm boni nunquam fuerint captivi, & mali nunquam fuerint redempti, vel restituti, & dicas: *Angeli nunquam redempti sunt, alii utique non egentes, alii non promerentes: illi quidem, quia nec lapsi sunt, ii autem irrevocabiles sunt.* Quomodo ergo affirmas, quòd illos Verbum Divinum redemerit? Audi breviter: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur; sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens, & hac ratione fuit utrique redemptio, solvens illum, & servans istum*: Si enim bonos non servâsset gratiâ suâ singulari, sicut ceciderunt illi, qui mali fuerunt, factíque sunt dæmones, sic hi quoque cecidissent: cùm enim omnes ejusdem essent naturæ, tam facilè cecidissent hi quàm illi, si Deus, qui suam illis subtraxit manum, & his similiter negâsset suam opitulationem. Quocircà quotiescunque boni Angeli casum perpendunt malorum, ad Deum se convertunt, & grates rependunt debitas, divinámque adorant misericordiam: in malorum namque ruina divinam sibi collatam attendunt laudántque bonitatem.

14. Hoc quoque & tu (si nomen & omen veri Christiani, aut Religiosi habere cupias) in proximi tui, seu confratris casu debes considerare, prout monet *Sanctus Paulus*, qui postquam dixerat: Verbum æternum nobis factum Justificatorem, sanctificatorem, & redemptorem, hoc est, quòd ab illo habeamus quidquid in nobis boni invenimus, & quòd ipse sit, à quo dependet nostra justitia, sanctificatio, & redemptio, subjungit: *Ut, quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Corinth. 1. 31.* Non habes, cur superbias, aut supra alterum te extollas, quem vides peccatorem, ut Pharisæus faciebat videns Publicanum; si namque tu illi similis non sis, non est hoc merè manuum tuarum opus, sed divinæ misericordiæ id acceptum referre debes, cui immensas referre teneris gratias, quòd in illas miserias, peccata & scelera non corrueris, in quæ proximum & fratrem tuum corruisse cernis, & cum Apostolo (1. *Corint.* 15. 10.) dicere: *Gratiâ Dei sum id quod sum.* Cui addere placet illud *Sancti Patris Augustini*: *Gratiâ Dei non sum quod non sum.* Hæc consideratio justos semper inflammat ad Deum laudandum. Unde *Psalm.* 117. dicitur: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum.*

15. Cæterùm, si gratitudine, amoréque erga Deum magis inflammari cupimus, communia ponderare debemus beneficia, quasi propria nobisque solis collata. Dum Deus populum Israël è Ægyptiacæ servitutis jugo liberâsset, & per mare rubrum mirabiliter deduxisset; conspicientésque suos hostes aquis haustos, Moyses ubi admirandam hanc liberationem conspexit, stupendo Spiritûs fervore succensus exclamavit: *Fortitudo & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: Iste Deus meus, & glorificabo eum. Exod.* 15. Videtur, quòd Moyses potiùs dicere debuisset: *Fortitudo nostra, & laus nostra Dominus, & factus est nobis, & omni populo in salutem.*

*lutem.* Et cùm Deus omnium Deus est, cur dixit Moyses, *Iste Deus meus*? Ecce rationem; quia gratus animus communia beneficia ut propria reputat, ut magis se obstrictum agnoscat, & vehementiori divini amoris flammâ succendatur. Hinc *Dionysius Carthusianus* ait: *Hoc ad Servum Dei specialiter gratum, devotum fidelêmque pertinet, ut de generalibus beneficiis Creatoris speciales gratias referat Domino, quasi sibi soli condonata ab illo.*

16. Sic fecisse *Sanctum Paulum* ipsemet testatur ad *Galat.* 2. sic scribens: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Porrò cùm ad *Romanos* 8. ait: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ideo videtur Sanctus Apostolus paradoxum docere; si enim (ùt ad *Roman.* testatur) pro omnibus tradidit, quomodo ergo *Galathis* ait; *tradidit semetipsum pro me*? *Sanctus Chrysostomus* utramque authoritatem conjungit, & dum citatum locum ad Galathas explanat, interrogat Apostolum: Quid facis, ô Paule! cur communia, propria tibi vendicas, quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Quid est igitur, quod hìc dicis? Sic loquitur, inquit *Chrysostomus*, quia totus erat amore succensus. Declarat hoc, ut quisque nostrûm non minùs agat gratias Christo, quàm si ob ipsum solum advenisset, & passus esset. *Et certò*, (inquit ulteriùs Os aureum) *quid interest, si & aliis præstitit, cùm, quæ tibi præstita sunt, ita integra sint, & ita perfecta, quasi nulli alii ex his fuerit præstitum*? Quemadmodum enim Sol suo splendore sic omnes homines collustrat, quantum unum, nec uni minùs suæ virtutis vigorem communicat, quàm tribuit omnibus: Sic sol Justitiæ, Christus JESUS in tantum seipsum tradidit pro uno, in quantum pro omnibus, nec plus pro omnibus, quàm pro uno. Hinc Pastor ille Evangelicus, relictis nonaginta novem ovibus in deserto, quæsivit unam perditam: Quænam sunt oves illæ nonaginta novem, in deserto relictæ? Angeli. Quænam est ovis illa, quam perditam requirit? Homines. Sed cùm homines multi sint, quomodo nomen unicæ ovis sortiuntur? Respondet idem *Chrysostomus*: ideo quia sic Dominus venit pro omnibus, quasi pro unoquoque in particulari venisset, pro te solo, & pro me solo. Audi Sanctum Doctorem: Ideo denique & illa boni Pastoris parabola non dicit: quia venit oves multas quærere, sed unam, una námque est: quia sic omnibus quasi uni divina beneficia conferuntur. Communia proinde beneficia velut propria censenda sunt & pro iis quasi sibi soli collatis gratias referre oportet.

17. Porrò quantoperè Deo placeat beneficiorum memoria, liquet ex sequenti historia, cujus meminit *Nicephorus* lib. 1. cap. 30. Mulier illa, nomine Hæmorrhoissa, quæ à fluxu sanguinis à Christo sanata est, Cæsareæ ante domum suam (quò nimirum se pro tanto beneficio gratam exhiberet) columnam erigi curavit, in qua suam imaginem, ex ære fusam, flexis ante Christum sospitatorem suum genibus collocari voluit. Gratitudinem hanc Salvator noster ratam habuit, eámque alio miraculo comprobavit; crevit enim apud pedes imaginis Christi herba ignota, quæ ubi ejus vestimenti fim-

briam contigisset, omni morborum generi medebatur; si verò hæc herba, antequam adusque fimbriam imaginis Christi crevit, decerpta fuisset, nullum ad morbos pellendos effectum habuit. Porrò, quamvis hæc civitas, in qua isthæc statua erecta erat, sæpe ab hostibus depopularetur, ac devastaretur, nunquam tamen hæc imago vel minimum damnum est passa, sed indemnis ad trecentos annos perduravit non sine singulari Numinis protectione. Liquet hinc, quàm grata sit Deo frequens beneficiorum ab eo acceptorum memoria. Ut ergo novis à Deo auxiliis & donis impertiamur, pro collatis ei, identidem gratias referamus oportet.

# PARS TERTIA.

18. ENimverò, cùm contraria juxta se posita magis elucescant, ideóque, ut gratitudinis necessitas porrò pateat, de ingratitudinis vitio aliqua addere consultò egerim. *Theologi* docent, quòd unum peccatum sit pœna alterius, & hæc sunt maxima & terribilissima supplicia, quæ Deus infligere novit, quando nimirum in peccatorum nostrorum pœnam justè permittit, ut in alia prolabamur crimina. Hæc planè est ingratitudinis pœna, nam & illa, prima peccati origo est. Ob hanc permisit Deus primos parentes nostros in peccatum incidere. Adamum creat Deus nobilissimum, summam ei scientiam infundit, & abundanti gratiâ ditat: silet Adamus. Transfert eum in paradisum terrestrem, beatum illum & amœnissimum locum, delitiis & voluptatibus plenum, & Adamus tacet. Ex una costarum Evam efformat, omnis venustatis compendium, sponsam ei ac sociam jungit, nec tamen semel quidem gratias agit. Quid hoc est? Cur non loquitur? an fortè ad instar piscium mutus creatus est? minimè; ubi enim mulierem conspexit, mox eam laudare cœpit. Ecce linguam habuit Adamus ad mulieris elegantiam deprædicandam, referendis verò suo Largitori gratiis non habui. Ecce ingratitudinem, ecce primum ostium, primam originem, primum peccati ingressum; statim námque dæmonis tentatio adfuit, Evæ consensus, levitas creduli Adami, & ecce peccatum, & ecce humani generis ruina.

19. Conquerebantur nonnulli apud *Isaiam* 63. v. 17. dicentes: *Quare nos errare fecisti, Domine, de viis tuis: indurásti cor nostrum, ne timeremus te?* Vultisne nosse causam, cur Deus vos in varia prolabi scelera sinat? Ingratitudo vestra est, ob hanc permittit Deus, ut præcipites in malum culpæ ruatis, & pedem retro non feratis, & deinde æterna subsequatur pœna. Ajunt hìc *Forerius*, & *Cornelius à Lapide.* Ingratitudo ferè est causa, cur Deus permittat nos in peccatum mortale labi: ingratitudo enim, licèt venialis tantùm, hominem ad amissionem gratiæ divinæ disponit. Licèt porrò Deus summè bonus & misericors sit, scias tamen erga ingratos rigidum & severum esse, nec misericordiam ipsis impendere,

pendere, sed Justitiam erga eos exercere, quia ingratitudo etiam ipsam mansuetudinem ad vindictam armat. Cùm *David* junctis sibi militibus, ut Saulis furori se subtraheret, per deserta circumvageretur, sæpe sæpiùs greges & armenta Nabal Carmeli plurimis periculis eripuerat. Die quadam Nuntios ad Nabal mittit, rogátque ut sibi, sociísque annonam largiatur. At ille obstinatè se aliquid daturum negat. Redeunt nuntii, &, quæ obvenêre, referunt. David, quid factum sit, simul intellexit, totus excandescens milites ad arma convocat, ac mortem Nabali inferre statuit. 1. *Reg.* 25. Sed unde in Davide tam mansueto tantus vindictæ ardor? nonne patientissimè injurias, à tot aliis sibi illatas, perpessus est? nonne ille est David, qui absque ullo periculo vindictam sumere potuit de tot injustitiis & persecutionibus Saulis, & tamen abstinuit? Qui convitiis à Semei affectus, acriter illum reprehendit, qui Semei insolentiam ulcisci voluit? Qui in aliis occasionibus gravissimè offensus, lædentes minimè corripuit? Nonne ille ipse David, qui summâ fiduciâ nixus, Deo dixit: *Psalm.* 130. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus?* Quomodo ergo nunc tam præceps arma, & necem cogitat? Quia Nabal ingratus erat, & ingratitudo etiam mansuetiores ad vindictam armat. Tot à Davide beneficia accepit, deinde eorum obliviscitur, & ingratitudinem rependit. Hoc tam grave scelus est, ut etiam ipsam mansuetudinem exasperet, & ad vindictam stimulet. Christus Dominus, Mysticus David, infinitè bonus, mansuetus, & misericors est, & quidem ultrà hominum captum, quòd si tamen ingrati fuerimus, timeamus ejus indignationem, formidemus iram, & severissimam vindictam expectemus.

20. Et certò, si parùm attentiùs perscrutati fuerimus causam, cur potior pars, juxta communiorem Sanctorum Patrum sententiam, ex Catholicis ad inferos devolvatur, reperiemus esse ingratitudinem primordialiter, ex qua reliqua mala culpæ, velut vivo à fonte ortum ducunt. Cùm enim nos Christiani plurima acceperimus à Divina liberalitate beneficia, &, ùt *Regius Vates* ait: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Quemadmodum nobis; & quia, non obstante tantâ gratiâ, speciali nempe vocatione ad veram fidem, Catholicorum plurimi sese ingratos exhibent, nec Deo debitum gratitudinis pensum exsolvunt, imò, quod planè detestabile est, nec hoc beneficium agnoscunt; ideo nemini mirum videri debet, quòd hos ingratos homines suæ clementiæ obtutu non respiciat, neque eis efficacem consequendæ salutis æternæ gratiam impertiat. Unde etiam ruina non paucorum Religiosorum? Ab ingratitudine. Multi enim ex his reperiuntur, qui vocationis beneficium ad Religiosum statum non solùm non agnoscũt, verùm etiam de jam facta Professione dolent & tristantur; unde pro vocationis dono maledictiones potiùs, quàm gratiarum actiones Deo rependunt. Et quæ major ingratitudo esse poterit? Proinde nequaquam mirandum, quòd multi male feriati Religiosi de vita tepida in perversam, & de uno malo in alterum, ac tandem ad ima inferni ruant; siqui-

siquidem teste *Sancto Petro Chrysologo* serm. 15. *Nihil est, quod adeo indignationem provocat Altissimi, sicut ingratitudo; ipsa enim est malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio.* De hac *Sanctus Bernardus* serm. 52. sic loquitur: *Ingratitudo est inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccánsque fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Hinc *Sanctus Pater noster Augustinus* in soliloq. c. 18. ad Deum sic exclamat: Recolam ad mentem meam omnia bona Domine, quæ fecisti mihi à juventute mea, in omni vita mea. Scio námque, quòd ingratitudo multùm tibi displiceat, quæ est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans & urens omne bonum, obstruens fontem misericordiæ tuæ super hominem, quia & mala jam mortua oriuntur, & viva jam opera moriuntur. Ita *Augustinus.*

21. Christus Salvator noster, cùm teste *Sancto Luca* cap. 17. decem leprosos sanâsset, & eorum unus duntaxat, Sospitatori suo gratias acturus, reversus esset, aliorum novem ingratitudinem reprehendens, dixit: *Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo.* Hanc sanè reprehensionem multi è Religiosorum Cætu audire quondam à Deo cogentur. Nonne vos præ cæteris dilexi, cùm vos ad statum Monasticum vocavi, ut mihi serviretis; ubi est ergo laus mea? ubi gratiarum actio, ob tam singulare beneficium vobis gratuitò exhibitum? *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ* (vobis præcipuè Religiosis) *& non feci? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas? Isai.* 5. Proinde non mirum, quòd divina Justitia acriter in similes ingratos homulos animadvertat, eósque addicat pœnis æternùm duraturis. Siquidem, ùt loquitur *Divus Chrysostomus* Homil. 38. in *Matth. Quantò majora beneficia hominibus sunt constituta, tantò majora peccantibus judicia.* O hominem ingratissimum! exclamat *Angelus Paciuchellius* tom. 2. lect. 40. §. 9. num. 30. Magistro sanè indiges, ut gratitudinem addiscas, ut docearis turpissimum ingratitudinis vitium fugere. Non te ad Theologorum, aut Philosophorum, Aristotelis, Senecæ, aut Plutarchi, sed aliam scholam mittam, quam patientissimus *Job* ostendit cap. 12. v. 7. Quænam est schola illa? Brutorum, jumentorum & volatilium. *Interroga,* inquit, *jumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi.* Declarat *Sanctus Thomas*: hoc est, quòd omnia se confiteantur à Deo facta esse. Omnes creaturæ irrationales fatentur, & agnoscunt Deum suum esse Creatorem, & meliori, quo possunt, modo illi benedicunt, & gratias referunt. Bruta naturali instinctu gratissima sunt iis, à quibus beneficium accipiunt, & suo docent homines exemplo, ut pariter grati sint.

22. Quæ fera truculentior & ferocior leone? & tamen hic gratitudinis plenus est. Refertur in vita *Sancti Macarii Alexandrini*, cùm solus in occlusa cella degeret, affuit leæna, cæcum suum catulum attulit, vestibulúmque ostii ejus capite percussit, & ingressa ad eum sedentem, catulum vestigiis ejus advolvit. Ille non ignarus quid fera posceret,

poſceret, Dominum precatus catuli oculos inſpuit, iisque videndi vim protinùs impertivit. Poſtero die, quò ſe bellua gratam declararet, grandis ovis pellem attulit, Viróque ſancto obtulit. Qui ſimul eam vidit, ait: niſi alienam ovem comediſſes, mihi pellem non offerres. Quamobrem nolo, quod offers, accipere, quod cum damno alterius rapuiſti. Bellua tamen ſubmiſſo vertice ad viri ſancti veſtigia pellem depoſuit. Cui rursùs ille: jam dixi me non accepturum, niſi promiſeris nullum te porrò damnum pauperum gregibus illaturum. Et bellua cùm propoſitæ conditioni annuiſſet, Vir ſanctus oblatam pellem accepit, ſuſceptámque *S. Athanaſio* donavit. *Democritus* apud *Paciuchellium* loc. ſup. cit. rem planè ſtupendam narrat. Emerat puer quidam *Thoas* nomine draconem juvenem, hunc magnâ curâ educabat, cúmque creviſſet, loquebatur velut cum intelligente, ludebat, dormiebátque cum illo. Verùm jam grandior effectus, dimiſſus juſſu Magiſtratûs in ſolitudinem fuit. Pòſt cùm puer adoleſcentior factus, à ſpectaculo reverſus cum coæqualibus fortè in latrones incidiſſet, haud procul à nemore, in quo draco iſte latebat, & clamorem extuliſſet, ecce præſtò adfuit draco, & in latrones exſiliens, alios interemit, alios in fugam vertit, & notum ſibi adoleſcentem tuitus eſt, ac ſervavit, velut beneficii anteacti memoriam refricans.

23. Porrò, plura alia ab animalibus hominibus in ſignum gratitudinis exhibita beneficia hìc referre liceret, niſi ſermonis brevitas obſtaret, attamen hoc adhuc memorare libet. Ciconia quædam (ùt Author eſt *Ælianus* lib. 8. cap. 22.) cui Heraclidis vidua crus obligârat, ſtatuto anni die reverſa ad ædes illius, magni pretii gemmam è gutture projecit, ac crus tractandum objecit. Meritò proinde exclamat *Sanctus Ambroſius*: *Quis non erubeſcat gratiam de ſe merentibus non referre, cùm videat etiam beſtias refugere crimen ingrati?* Et homines minùs grati erunt quàm feræ? Ratione deſtituta animantia gratitudine ſuperabunt ratione præditos? Et tamen, prô dolor! verum eſt ad æternam hominum ingratorum infamiam. Verùm cùm ex his quilibet facilè colligere poſſit obligationem ſuam in reddendis Deo gratiis, ideo plura ſuperaddere deſino.



SERMO

# SERMO LI.

## DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

*Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Psalm. 37. 19.

## PARS PRIMA.

1. QUamvis multa sint, quæ de Confessione tractari possunt, nos tamen omissis aliis subtilioribus quæstionibus duntaxat ea, quæ ad hoc Sacramentum ritè obeundum faciunt, in medium afferemus, ac exempla aliqua selectiora proponemus, quæ ad scopum conducere videntur, quò nimirum intelligatur, quantoperè Confessio Sacramentalis, si ritè peragatur, spirituali profectui prosit, sicut è contrario, si malè frequentetur, noceat. *Est autem Confessio* (ùt Concilium Trident. Seff. 14. cap. 1. definit) *Sacramentum, in quo peccata sua detestanti, & legitimè confitenti, vera à Sacerdote absolutio, remissióque conceditur.* Requiruntur autem ad legitimam Confessionem conditiones tres; *Prima* est Contritio seu animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. *Secunda* est narratio peccatorum. *Tertia*, eáque integralis duntaxat (nam priores sunt de essentia hujus Sacramenti) est ipsa Satisfactio. Porrò, ut frequens Confessionis exercitium nobis commendarent SS. Patres, illud summoperè laudibus extulerunt. *Confessio*, exclamat *Sanctus Pater Augustinus* in lib. de pœnitent. *est salus animarum, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix dæmonum.* Quid plura? obstruit os inferni, portas aperit paradisi. Et, ùt loquitur *Sanctus Isidorus* lib. 1. cap. 12. *Confessio sanat, Confessio justificat, Confessio peccatis veniam donat. Omnis spes in Confessione consistit. In Confessione locus misericordiæ est. Nulla tam gravis est culpa, quæ per Confessionem non habet veniam.* Hactenus *Isidorus.*

2. Cùm ad Cœnobium quoddam aliquando devenissem (ait *Sanctus Climacus* grad. 4.) animadverti Judicis, Pastorisque optimi terribile Judicium. Nam dum illic moram traherem, contigit quendam ex latronum ordine ad monasticæ conversationis gratiam venire. Quem optimus ille Pastor quiete omni perfrui jussit, ut Monasterii statum, normámque omnem perspiceret. Post diem verò septimum seorsum accitum Pastor interrogat: Num censeret optimum cum illis unà habitare?

tare? Annuente illo, rurſus quid in ſæculo iniquum operatus eſſet? interrogat. Cùm omnia promptè & accuratè ediceret, volo (inquit *Abbas*) ut hæc cuncta in præſentia omnium Fratrum ediſſeras. Ille reverà ſua deteſtans ſcelera, omnique confuſione calcatâ, & jam in Alexandriæ civitatis medio, inquit, id peragam. Itaque collectis in Eccleſia omnibus fratribus (erant autem numero 220.) cùm conſummarentur divina Myſteria, lecto Evangelio inferri reum jubet, quibuſdam illum ex fratribus trahentibus, modicéque verberantibus, vinctum poſt terga manus, aſperrimóque cilicio amictum, conſpersúmque cinere caput præferentem, adeò ut ex ipſo aſpectu cuncti attoniti hærerent. Cùm verò jam Eccleſiæ januis appropinquaret, magnâ illum, ac terribili voce compeſcuit Paſtor. Sta, inquiebat, non enim es dignus, ut hujus loci limen attingas. Tunc ille Paſtoris voce perculſus, ac tremebundus, & omni pavore turbatus, in faciem protinus corruit. Cùm verò jaceret humi, & pavimentum madefaceret lacrymis, permittitur ab admirabili Medico cuncta, quæ geſſerat, ſingulatim & per ſpecies dicere. Ille verò cum horrore ingenti omnia ſigillatim confeſſus eſt, (quæ audiens omnis Cœtus ſupra modum exhorrebat) non tantùm quæ per corpus præter naturam, ac ſecundùm naturam in mutis ac brutis animalibus deliquerat, verùm etiam veneficia & homicidia, & ſimilia, quæ audire vel ſcribere horror eſt, nihil omnino reticens. Confeſſum igitur ſtatim tonderi, fratribúſque aggregari fecit. Porrò Paſtor de cauſa hujus facti à *Climaco* percunctatus, ait: ut per temporalem confuſionem ab æterna liberarem, quod & factum. Neque enim ex pavimento ſurrexit, quin peccatorum omnium remiſſione potitus eſſet: nec in hac re (ait ad *Climacum*) dubites; nam unus ex fratribus, qui illic aderant, mihi procerum quendam ac terribilem virum ſe vidiſſe aſſeveravit, conſcriptam chartam ac calamum tenentem, & cum frater ille humi proſtratus peccatum confitens pronuntiaret, hoc ille calamo delebat.

3. *Cæſarius* apud *Diſcipulum* narrat, Sacerdotem quendam violâſſe conjugem cujusdam militis, qui ex certis indiciis ſuſpicionem de hoc habuit. Experturus igitur rei veritatem, Sacerdotem illum amicè ad aliquod invitavit colloquium, dum verò miles cum Sacerdote ad quandam villam veniſſet, ubi obſeſſus erat, qui circumſtantibus peccata, per veram Confeſſionem non detecta, improperabat, & Sacerdos ſibi conſcius ſuſpectum habuit militem, & ne à dæmoniaco proderetur, neceſſitatem naturæ ſimulans, intravit illius villæ ſtabulum, & coram ſtabularii pedibus proſtratus dixit: Rogo te propter Deum, ut audias Confeſſionem meam. Factâ verò confeſſione, cùm ſibi aliquid Sacerdos injungi peteret, reſpondit ille dicens: quantum alteri Sacerdoti pro tali crimine injunxeritis, hæc ſit ſatisfactio veſtra. Sicque exiens ſecurior cum milite Eccleſiam adivit, in qua dæmoniacus erat, qui requiſitus à milite in hæc verba: Noſcis aliquid de me? hoc enim ex induſtria fecit, ut Sacerdoti tolleret ſuſpicionem. Cui dæmon: neſcio quid reſpondeam. Adjecit; quid videtur de iſto homine? reſpondit: Nihil de eo ſcio.

Et cùm dixisset hoc linguâ Teutonicâ, latinè mox subjunxit: In stabulo justificatus est, quia tunc nullus aderat Clericorum. Ex qua historia ad oculum liquet, quantæ sit efficaciæ humilis & sincera suorum peccatorum accusatio, tametsi enim hujus Mystæ Confessio ob Sacerdotis defectum sacramentalis non erat, quia tamen in paratione animi erat confitendi vero Sacerdoti, si adesset, cum proposito hoc peccatum proximè apud legitimum Confessorem expiandi, ideo divina Bonitas (ut nobis constaret, quàm fructuosa sit pura & submissa confessio) Sacerdoti prædicto veniam impertire voluit. Audiamus hac de re *Sanctum Joannem. Si confitemur*, ait epist. 1. cap. 1. v. 9. *peccata nostra, Deus fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Cujus sententiæ veritas ex veteri testamento comprobata manet. *David* à Nathan Propheta reprehensus (ùt sacra Regum historia lib. 2. cap. 12. perhibet) super peccatum adulterii & homicidii, dixit: *Peccavi*, & ecce vix hanc voculam *peccavi* contrito corde protulit, continuò audire meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.* Proinde rectè *Sanctus Ambrosius* super *Psal. Beati immaculati*, ait: *Qui se accusat, etiamsi peccator sit, justus esse incipit, quia nec sibi parcit, & Dei Justitias confitetur. Cessat enim vindicta divina, si confessio præcurrat humana.* Hinc Psalmista *Psal.* 37. v. 19. *Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Sciebat nimirum non reperiri amuletum præstantius ad expianda peccata, quàm eorundem confessionem. Quæ omnia stabilita manent narratione historiæ sequentis, quam refert *Cæsarius* in dial. apud *Discipulum.*

4. Sacerdos quidam, cùm tempore quadragesimali in Ecclesia sua sederet, ut sibi commissorum subditorum confessiones audiret, aliis recedentibus, atque aliis illic accedentibus, inter expectantes quidam stabat, quantum ad apparentiam corpore juvenis & robustus, confitendi tempus expectans. Omnibus igitur expeditis, ipse novissimè accessit, qui tanta & tam enormia confessus est crimina, ut Sacerdos tam horrore, quàm tædio gravatus, diceret: Si mille esses annorum, essent hæc peccata nimis multa. Cui ille; amplius, ait, quàm mille sum annorum. Unde Sacerdos territus, quis ergo es tu? percontatur. Ego sum unus, respondit ille, ex illis, qui cum Lucifero ceciderunt, peccata mea ex minima parte tibi confessus sum, sed si velles audire residua, ea confiteri paratus sum. Sciens autem Sacerdos peccatum diaboli esse insanabile, dixit: Quid tibi cum confessione, maledicte spiritus? qui ait: Stabam ex opposito tui, vidíque ad te peccatores accedere, & redire Justos, ita & ego hanc gratiam sperans ad Confessionem accessi. Cui Sacerdos, poteris consequi similem indulgentiam, si pœnitentiam à me tibi imponendam contrito corde expleveris. Et dæmon; si tolerabilem mihi injunxeris satisfactionem, parebo tibi. Ego, inquit Sacerdos, valde modicam imponam, nempe hanc: Vade, & tribus vicibus in die jacta te in terram, & dic: *Domine Deus, Creator meus, ego peccator peccavi tibi, ignosce mihi.* Quam pœnitentiam, cùm diabolus nimis gravem esse diceret, dixit Sacerdos: Quare in

tam modico gravaris? Non possum, ait dæmon, in tantum me humiliare ei; aliud quidquid injuxeris mihi, id libenter suscipiam. Tunc indignatus Sacerdos subjunxit: O diabole! Si tanta est cordis tui superbia, ut nec velis, nec possis te in tam modico humiliare Creatori tuo, recede à me, quia neque hîc, neque in futuro misericordiam consequêris. Ad quam vocem dæmon mox evanuit.

5. Confessio igitur tantam habet vim, ut homines variis peccatis fœdatos in nive candidiores transformet; quocirca meritò eam stygius veterator summè perhorrescit. *Magister Thomas Theologus* in lecto decumbens jamjam moriturus vidit diabolum in angulo stantem, quem proinde verbis à *S. Martino* olim usurpatis (quid astas cruenta bestia? dic mihi, quid est, quod maximè vobis noceat?) alloquens, cùm nihil ab initio responderet, per Deum, qui judicaturus est vivos ac mortuos, & sæculum per ignem, respondere coëgit, & sic loquentem audivit: Nihil est in Ecclesia, quod tantum nobis noceat, quod sic vires nostras enervet, quàm frequens Confessio, quia per hanc vincula peccatorum mortalium, quibus nos illum constrictum tenemus, rumpuntur. *Specul. Exemplor.* verb. Conf. exemp. 15. *S. Astion* Martyr adhuc juvenis (ùt videre est l. 1. Vit. PP. in vita c. 11.) acrem pugnam cum dæmone habuit, quam quoad celavit Magistrum *S. Epictetum*, frustra pugnavit: ùt verò immunditiam cordis aperuit, mox à turpi cogitatione liberatus est, & diabolus ab eo in specie nigri pueri cum ignea face discedens dixit: *Confessio tua, ô Astion, magnas meas vires contrivit, & inermem me reddidit.* Igitur si & nos cupimus contra diabolum prævalere, accedamus sæpiùs corde humili, & contrito ad sacram Confessionem. Sicut enim araneus vitat cubicula divitum, quæ sæpe purgari consueverunt, eò quòd in illis suæ telæ mox detergantur; ita & diabolus, dum videt suas tentationes frequenti Confessione dissipari, fugit eos homines, qui frequenter confitentur.

6. Verùm enimverò, tametsi Confessio ingentia generet bona spiritualia, si ritè peragatur, secus tamen si malè. Quippe qui sciens prudens peccatum mortiferum in Confessione omittit, non medicinam, sed venenum sumit, ac peccata peccatis cumulat. Quod colligitur ex hoc tragico eventu, cujus meminit *Discipulus* in hæc verba: Erat Matrona quædam nobilis, quæ multis annis in Confessione adulterium perpetratum ob verecundiam omisit, ad cujus fœminæ castrum cùm duo Dominicani (quorum unus erat Pœnitentiarius Papæ) divertissent, ibique etiam celebrassent, multùm gavisa est prædicta Domina ob tam opportunam occasionem peccata sua confitendi. Quamobrem Pœnitentiarium rogavit, ut suam Confessionem excipere dignaretur, quod ille libens volens præstitit. Itaque dum mulier confiteretur, ad singula peccata, de ore ejus exivit bufo abominabilis, & saltavit per Ecclesiam. Tandem enorme peccatum, dum confiteri voluit, de ipsius ore terribilissimus draco caput suum emittere cœpit, exire tamen non valuit, quia fœmina verecundiâ devicta crimen celavit. Unde mox omnes bufones antè expulsi redeuntes, ad confitentem mulierem saltârunt, & in os ejus rursùs intrârunt. Confessione peractâ, mox dicti Religiosi

giosi itineris sui cursum prosecuti sunt. Hinc alter omnia, quæ in spiritu viderat, Pœnitentiario narravit. Unde territus ad Dominam exhortandam rediit, at illam jam repentè extinctam invenit. Unde ambo tristitiâ obruti, statuerunt tribus diebus jejuniis & orationibus insistere, ut misericos Deus huic defunctæ animæ misericordiam præstaret, aut saltem illis statum, in quo esset, manifestare dignaretur. Elapsis igitur tribus diebus defuncta apparuit, draconem horribilem equitando, cujus collum duo venenati serpentes amplexando cingebant, & ubera ejus sugendo dentibus diripiebant; unde ambo territi corruerunt; quibus illa: Amici Dei Omnipotentis, ne timeatis, nam ego sum illa infelicissima, quæ vobis pridie de multis peccatis confessa sum fictè & non integrè, quia unum peccatum, quod cum consanguineo meo commisi, ob verecundiam in confessione celavi, ideo in æternum damnata sum. Cúmque causas aliquas, quæ mulieribus exitium parant, recensuisset, etiam hanc adjecit, quòd multæ earum fictas faciant confessiones, ex verecundia reticendo, quæ inverecundè ab eis commissa fuerant. Quibus dictis, misera cum dracone disparuit. Discant hinc mulieres, præsertim quæ sæpe pudenda committere nequaquam erubescunt, erubescunt autem fateri. Quocirca unicuique earum inclamat *Sanctus Pater Augustinus*: *Heu! cur erubescis* (inquit) *confiteri, quod facere nequaquam erubuisti?*

7. Omnia quamvis rigida pœnitentiæ opera frustra sunt, nihil prodest oratio, etsi per multas horas protracta, nihil jejunium, nihil reliquæ austeritates, si vel unum grave peccatum in Confessione scienter ex damnata verecundia silentio involvitur. Lubet percipere exodium tragœdiæ sequentis. Hugoberto, Regi Angliæ erat filia tantæ pulchritudinis ac prudentiæ, ut miraculum orbis audiret; unde non pauci ex Monarchis eam sibi ab Hugoberto in sponsam poposcerunt; at illa Patri nuptias suadenti modestè respondit, se jam habere Sponsum JESUM Christum, cui virginitatem suam devoverat; quod ut Pater intellexit, mox misso ad Summum Pontificem Legato filiæ dispensationem impetravit. At illa propositi sui tenax ad Regem ait: O Regia Majestas, amantissime Domine Parens, ne, quæso, me molestet de statu conjugali, sum enim planè determinata in virgineo statu, quoad vixero, permanere. Pater eam percontatur, num vitam Religiosam amplecti gestiret? Cui filia, se id non desiderare, respondit, sed votum suum fore, ut in civitate quapiam cum aliquibus nobilibus Virginibus separatim sibi vivere liceret. Rex ejus petitis satisfacturus, mox certum designat locum, copiosáque vectigalia pro sustentatione filiæ impertit, sicut & selectissimum Gynæceum, ut sic vitæ cursum inter nobiles ac virtutibus præditas puellas sanctè terminare posset. Regia Principissa voti sui jam compos nihil magìs habuit, quàm ut labentes Ecclesias restauraret, novásque construeret; Monasteria & hospitalia fundaret, unum quidem non procul à propria domo, in quo pauperibus ac infirmis instar ancillæ obsequium præstabat. Vita ejus sic virtutibus coruscare videbatur, ut nulla prorsus deesset. Exceptis Do-

minicis

minicis diebus jejunium protraxit per integrum annum, veste cilicinâ utebatur ad operiendos artus, orationi multis horis indefessè vacabat, tenerum corpusculum suum rigidis pœnitentiæ operibus affligebat, in cunctis virtutibus excellebat adeò, ut sicut antè miraculum naturæ, ita nunc etiam miraculum Divinæ gratiæ ab omnibus suspiceretur & crederetur. Cúmque hanc tam sanctæ vitæ methodùm constanter prosequeretur, à morte præventa novissimum diem suum obiit. Interea Matrona nobilis, quæ defunctam à teneris annis educârat, vehementer nosse discupiit, quidnam circa eam in altera vita ageretur, & ideo multis apud Deum precibus institit. Et ecce, dum vice quadam in hac oratione vigilaret, repentè porta conclavis cum impetu aperta fuit, horrenda spectra intrant, in quorum medio anima erat in specie mulieris, constricta undique ignitis catenis, & induta vivis scorpionibus, quorum unus major & crudelior cæteris cor ejus adeò torquebat, ut miserabiliter anima ejularet. Pia Domina ob hoc visum sic consternabatur, ut semianimis in terram corruerit, ad quam conversa anima proprio eam nomine compellabat dicens: Noli metuere, scias verò me esse Regis *Hugoberti* filiam, ante hàc tuam bonam amicam: Quo audito illa adhuc magis exhorrescebat, ac ad Deum conversa in hæc & similia prorumpebat verba: O Domine Deus! Ubi est rectum Judicium tuum? ubi est infinita clementia & misericordia tua? Quomodo est possibile, ut tam honesta vita tam severè puniatur, & tam virtuosa anima æternùm damnetur? Ah Deus! Quis ergo salvus fiet? Sed anima, scias, inquit, omnis causa damnationis est mea, Deus non est in causa, sed mihi imperat, ut ad meum proprium quidem pudorem, ad aliorum verò cautelam manifestem totam seriem damnationis meæ, quæ sic se habet: Notum tibi est, quemadmodum ego jam ab incunabulis librorum lectioni addicta eram, & dum ipsamet ex lectione fessa fueram, curavi mihi prælegi ab aliquo Ephebo, erga quem aliquo ferebar amore. Vice quadam dum lectionem finiisset, amicabiliter petiit osculari manum meam, quam mox exosculandam ei porrexi. Quod cùm postmodum sæpius peteret, ego ter vel quater id permisi, & ille singulari amoris affectu osculabatur manum meam, quam etiam diutius tenebat & premebat, dúmque nullam advertisses resistentiam, audacior factus, aliud à me poposcit, sic cum ipso lapsa virginitatis meæ florem corrupi. Quod flagitium sic confessa sum meo Confessario: Reverende Pater, accuso me, quod nescio qualem petulantiam cum aliquo Ephebo commiserim: Unde ille in me vehementer & imprudenter invectus dicebat: Quid hoc rei? Illustrissima Princeps, aliquid tale? Sic rubore suffusa dixi, tantùm in cogitatione habui. Ast Confessarius adhuc imprudentiùs dixit: Nec in cogitatione decet tantam personam. Animo proinde cecidi, decrevique peccatum reticere, affirmavíque me hoc tantùm somniasse, sicque absolutionem à Confessario accepi, non tamen à peccatis absoluta fui, quinimò majoribus me sceleribus ob sacrilegam Confessionem impiavi. Postmodum, quò nimirum Deus meum occultum delictum mihi remitteret, cœpi pauperibus largas elargiri

giri eleëmosynas, ac carnem meam rigidis atterere mortificationibus, arbitrans per hoc misericordiam Dei consequi. At Deus omnia hæc bona mea opera remuneravit per salubres suggestiones, & interna incitamenta, ut tandem semel confiterer meum peccatum. In gravem tandem incidi infirmitatem, in qua Deus ad cor meum loquebatur, ac me monebat hanc esse ultimam ægritudinem, in qua certò moritura sim. Proinde ut faciam legitimam Confessionem, se enim paratum fore mihi misericorditer peccata relaxare. Omnes etiam Medici de vita mea desperârunt. Imò planè vocem è cælo missam in hæc verba audivi: Confitere, est quidem tardè, attamen adhuc est tempus. Quamobrem curavi vocari Confessarium, cui incepi confiteri, dicens: Ah! quàm magna peccatrix sum ego: sed Confessarius mihi dicebat, has esse diaboli tentationes, proinde, ut eas non curarem, monuit, sícque de occultis meis delictis nullam feci mentionem pudore devicta. Paulò pòst venit extrema vitæ hora, in qua sum mortua. In illo momento egressûs animæ è corpore justo Dei Judicio tradita sum infernalibus spectris, quæ me in abyssum maximorum tormentorum præcipitârunt, ubi nunc patior cruciatus sine fine duraturos. Quibus dictis disparuit cum tam terrifico fragore, ac si mundus totus ruere videretur; implevit prætereà conclave intolerabili fœtore, qui in testimonium hujus maledictæ animæ multis diebus duravit.

8. Quis lectâ hâc tragicâ historiâ, non omnibus contremiscat artubus? dum videt cuncta hujus fœminæ opera, quamvis rigida, in auras abiisse. O si peccatum confessa mox ab initio fuisset, & vitæ tenorem, quem hactenus observabat, prosecuta fuisset, dubium non foret, quin ad magnum sanctitatis gradum evecta fuisset. Ah! quia ob verecundiam peccatum celabat, non tantùm omnia perdidit, sed ad æternum quoque ejus pudorem Deus peccatum, quamvis occultum, prodi voluit, quò cæteri mortales alieno damno cautiores fierent. Meritò ergo ait *Sanctus P. Augustinus* sup. *Psalm. Non operui, sed aperui, ut operires; non celavi, ut tegeres; nam quando homo detegit, Deus tegit; cùm homo celat, Deus nudat; cùm homo agnoscit, Deus ignoscit.* Docemur præterea etiam ex hoc eventu, quanti referat prudentem, peritum, piúmque conscientiæ moderatorem habere; ob cujus defectum hæc anima tam miserè periit. Insipienter proinde agunt illi, qui nonnisi rudes aut laxos Confessarios deligunt. Quæ enim est ista vesania, in morbis corporis peritissimos medicos adhibere, & undique conquirere, in periculis verò animæ se rudibus & imperitis committere?

9. Terribile exemplum in hoc argumento est, quod scribit *Pater Philippus Doutreman* Societ. JESU in pædag. Christiano tract. 1. part. 2. cap. 14. Vir quidam nobili ortu in Italia, iniquissimo assuetus fœnori, & obstinatè inhærens, eóque nomine infamis, cùm diu neque à suo Curione, neque à Societatis Patribus, neque ab aliis plerisque Religiosis absolutionem à peccatis impetrare potuisset, invenit tandem è quadam Religiosa familia unum aliquem, qui alios nimiæ Religionis incusans, quoties ille vellet, toties impio fœneratori aures daret, & absolveret. Fuit hic conscientiæ arbiter peracceptus impio usurario, quem, ut eò etiam haberet

beret benigniorem, sæpe ad familiarem mensam invitabat, & habebat liberaliter. Dum ergo ita vivitur, nocte quadam vir ille nobilis, cùm paulò antè cum egregio suo Confessario cœnasset, subitò extinguitur. Sub idem autem tempus dæmones duo famulorum habitu Monasterio adsunt, pulsatisque foribus Religiosum evocant afliturum agenti, ùt ajebant, animam. Non est ille tergiversatus, sequitur cum socio non segniter. Ventum erat ad forum, & ecce cernitur homo ille nobilis in herili toga obambulare; cúmque Religiosus jam in famulos, quòd ab iis delusum se crederet, bilem acueret, adest tristis umbra, aitque inter mortuos se esse, & jam æternis uri ignibus, quòd in turpi vita turpiori deditus lucro, sacra toties profanare ausus esset; & te quidem (horrendâ voce subjicit) Sacerdos perditissime, à quo ex officio corripiendus essem, connivente; quapropter eris mihi pœnæ socius, qui sceleris fuisti approbator. Hoc dicto, duo illi ficto habitu famuli, singuli singulos nobilem ac Sacerdotem secum ad inferos abripiunt, socio Cœnobitæ præ terrore penè exanimato; qui deinde revocato animo ad Monasterium rediit, & funestum Sacerdotis exitum, rémque totam, ùt gesta erat, enarravit.

10. In hujuscemodi Confessarios jure intorquetur illud Christi pronuntiatum: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum; cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Matth.* 15. Id quod in præfata historia factum intelleximus, timendúmque, ne simile infortunium pluribus aliis accidat; nam error sequitur ex errore; & cùm Pastor, qualis deberet esse Confessarius, per abrupta graditur, necesse est, ut grex in præcipitium feratur. *Sanctus Gregorius* ait: Bonus animorum Medicus Evangelicum Samaritanum imitatur, qui sauciatum in itinere offendens, *alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum.* Luc. 10. *Sanctus Pater noster Augustinus* à Glossa citatus ait: *Alligavit vulnera ejus*, id est, peccata redarguendo cohibuit; sed quomodo alligavit? Infundens oleum & vinum, rigorem socians clementiæ. Hinc rursus *Sancti Gregorii* part. 2. moral. post. cap. 11. ad Ministros hujus Sacramenti instructio est: Per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur; miscenda est lenitas cum severitate; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæviens; sit pietas, sed non plus quàm expediat. Unde primò delinquunt Moderatores conscientiæ, qui leniendo tantùm & ungendo ægrotum graviter decumbentem sanare volunt, cùm tamen acrioribus remediis opus esset, malúmque secando, & urendo rescindendum. Væ Confessoribus doctrinam hanc respuentibus. Nam, ùt Deus per *Ezechielem* c. 3. & 30. loquens ait: *Qui si non locuti fuerint, ut peccator avertatur à via sua impia, & vivat, ipsi cum impio pares pœnas dabunt*, & medicus cum ægroto peribit, cujus sanguis de manu ejus requiretur.

11. Peraptè ad nostrum propositum observat *Sanctus Albertus Magnus* in illum locum *Luc.* 7. Quando Christus Viduæ filium à morte suscitaturus, dixit: *Adolescens, tibi dico, surge*; ut videlicet Confessarius priusquam dicit *Surge*, nempe *absolvo te*, exemplo Salvatoris tangat loculum, id est, conscientiam peccatoris fœtentem per correctionem: Stent portitores, hoc est, occasiones

&

& opportunitates peccandi. Nam teste *Sancto Patre Augustin.* lib. de dogmat. ecclesiast. cap. 54. *Satisfactio pœnitentiæ, est peccatorum causas rescindere; præsumptio est, non pœnitentia, in lubrico stare velle, ubi tot alii ceciderunt.* E contrariò porrò cavendum est conscientiarum arbitris, ne alligent onera importabilia. Equidem quid medicus prodest, qui vulnera non sanat, sed exasperat? & plagas detegenti, plagas accumulat? Itaque qui paternè vult agere cum pœnitente, contritionem eliciat, non indignationem; in spem peccatorem erigat, non conjiciat in desperationem. Etsi enim nonnullis induratis malleo opus sit, ut conterantur, sunt tamen & alii, qui acri monitione penitùs franguntur, ideo circa tales oleo lenitatis potiùs, quàm vino severitatis utendum est. Vide dicta serm. 6. num. 16.

12. Hæc per parenthesim de Confessariis dicta sufficiant; porrò ut ad priorem redeamus materiam, sciendum est, nedum damnosam erubescentiam, sacrilegúmque silentium reperiri nonnunquam in sæcularibus personis, verùm etiam in personis solennibus votis Deo obstrictis. *Sanctus Antoninus* narrat, fuisse quandam Viduam in libertate constitutam, divitiísque affluentem, quæ etsi in sua viduitate, initiò laudabilem duceret vitam, paulatim tamen ab inceptis remisit. Juvenis quidam nobilis lares hujus dominæ transiens, eam perhumaniter salutavit, & licèt illa principiò quandam demonstraret displicentiam, sensim tamen tum frequentibus salutationibus, tum magnis promissis cor ejus ita emollitum fuit, ut procacem juvenem in ædes admiserit, ac paulò pòst cum eo in peccatum inciderit. Perpetrato flagitio, continuò perdidit animum jejunandi, eleëmosynas elargiendi, confitendi, communicandi, &c. Nam luxuria est dissipatrix omnium virtutum, & ùt *Sanctus Job* cap. 31. v. 12. ait: *Omnia eradicans genimina.* Versipellis dæmon, qui ei verecundiam ad tempus abstulerat, hanc eidem restituit, ut pudore victa, commissum nefas in Confessione celaverit, quamvis non rarò Confessionis, & Eucharistiæ Sacramenta frequentaret. Ut verò vermem, conscientiam continuò rodentem, sopiret, decrevit occultum delictum multis pœnitentiæ operibus obliterare. Proinde consueta antecedenter sibi jejunia repetiit, ac in variis austeritatibus seipsam exercuit; quò porrò majori cum perfectione Deo famularetur, statuit ingredi Virginum Parthenonem. Moniales eam mox magnâ lætitiâ gestientes receperunt, quòd nimirum tantæ existimationis ac nobilitatis, tàmque claræ, & bonæ famæ Domina ad earum Cœnobium intrârit. Porrò in Monasterio talem vitæ tenorem tenuit, ut virtutum ejus splendor reliquas sacras Virgines in stuporem defixerit. In Choro omnium erat prima, in obedientia promptissima, in pœnitentiæ exercitiis ferventissima; nihilominus tamen vincere seipsam non potuit, ut occultum delictum conscientiæ suæ Arbitro manifestaret. Elapsis aliquibus annis, Antistita Cœnobii vitæ curriculum absolvit, in cujus vicem unanimi omnium suffragio electa est dicta Domina in Antistitam. Ast misera necdum in secreto Confessionis tribunali flagitium manifestare voluit, timens, ne bonum suum nomen, & sanctitatis famam apud Confessarium aboleret.

Interea Deus eam gravi infirmitate monuit, in qua etiam vitam terminavit. Cùm itaque omnes jam Medici de ejus vita actum esse dictitarent, agnovit illa, nil aliud superesse, quàm ut sese Ecclesiæ Sacramentis ad viam præpararet, quod & factum. At quales Confessiones in vita præcesserunt, talis & in morte fuit, videlicet cum sacrilego silentio fœdi delicti. Perceptis igitur fictè omnibus Ecclesiæ Sacramentis, rogata fuit à pia quadam Moniali, ut, si Deus permitteret, sibi post mortem appareret, ac intimaret, quomodo se in altera vita haberet. Annuit petitis moribunda, paulóque pòst spiritum exhalavit, omnibus ob jacturam suæ Sanctæ (ùt rebantur) Matris mœrentibus ac plorantibus, & (ùt *Sanctus Antoninus* memorat) cunctis post ejus obitum miracula fieri expectantibus. Sed Ah! quàm longè distant Judicia Dei à Judiciis hominum? Sequenti nocte, dum præfata Dei famula in Choro precibus intenderet, audit magnum fragorem, & respiciens advertit adesse spectrum miserabiliter ejulans: ad hæc horrore obriguit, à Deo tamen confortata animum resumpsit, & quisnam esset? quæsivit. Ego sum, respondit spectrum, anima hujus cœnobii defunctæ Antistitæ, ad infernalem ignem æternùm damnata. Nostra Sancta Mater? subjungit Monialis, quæ tam austeram, omnigenisque Virtutibus radiantem duxit vitam, deberet perpetuæ damnationis sententiâ fulminata esse? Ita est, ait anima, quia adhuc in sæculari statu peccatum admisi cum juvene quodam, de quo ob infamiæ metum ex aliqua occulta superbia me nunquam in Confessione accusavi. Propalam hoc fac totum tuis consororibus, non est opus pro me preces funditare, aut Missas offerre, omnia acta sunt. Quo dicto magno cum strepitu disparuit.

13. Habemus ergo hìc fœminam, & quidem Religiosam, ac bonis operibus jugiter insistentem, adeò ut sanctitatis jam apud omnes, qui eam noverant, opinione præcelleret; quia tamen secretiores quasdam animi labes sacramentaliter apud Sacerdotem revelare erubuit, perpetuæ apud Dei tribunal damnationis sententiam accepit. Opportunè proin incidit quidam *Sancti Jacobi* textus, dum omnibus Christi fidelibus loquens protestatur: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Jacob.* 2. 10. Quare qui Christi præcepto de facienda integra peccatorum Confessione suam inflectere cervicem, eique obtemperare, vel contempserit, vel erubuerit, quî fieri poterit, ut is ejus sit amicus, gratus, & charus? Tempestivè igitur *Sanctus Thomas de Villanova* (Fer. 6. post Domin. 4 Quadrag.) quemcunque suæ salutis cupidum instruere volens, dicit: *Si operam medicantis expectas, necessum est, ut vulnera tua detegas: Sicut ad Dei justitiam pertinet, ut nullum malum maneat impunitum; ita ad Dei veritatem spectat, ut nullum peccatum maneat occultum, juxta illud* Matt. 10. *Nihil occultum quod non revelabitur, neque absconditum quod non scietur*; móxque subjungit idem Sanctus: *Si tu non revelaveris peccatum tuum, revelabitur à Deo: Si absconderis quasi homo, manifestabit ipse Deus; unde per Prophetam* (Nahum. 3. 5.) *dicit: Revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam in gentibus*

*tibus nuditatem tuam*, *& in regnis ignominiam tuam*; nimirum in die illo, quo universa patebunt. Quando scilicet veniet Christus Judex judicaturus vivos ac mortuos. Eapropter saluberrimum unicuique dat monitum Sapiens Ecclesiasticus (*Eccli.* 4. 31.) Si peccasti? *Non confundaris confiteri peccata tua*; Confusio enim, quæ te ab integritate Confessionis amovet, novum ac gravius peccatum est. *Confunderis*, *& erubescis* (ait *Sanctus Chrysostomus* de Pœnitent. & Conf.) *confiteri peccata? Confusio est peccare*, *non verò peccata confiteri.* Pudor hic excutiendus est timore majoris pudoris, quo afficietur peccator, aut peccatrix in die Judicii: Sic enim clavus clavo pellitur. Unde *Sanctus Gregorius Nazianzenus* monet: *Ne peccatum confiteri graveris*, *ut per hujus vitæ pudorem futuri sæculi pudorem*, *ignominiamque effugias.* Et Magnus *Augustinus*: *Melius est* (inquit lib. 2. cap. 5. de visitat. infirm.) *coram uno aliquantulum ruboris tolerare*, *quam in die judicii coram tot millibus hominum intolerabili ignominia denotatum tabescere.*

# PARS SECUNDA.

14 VErùm enimverò, ad Confessionem veram porrò spectat firmum & efficax propositum de cætero non peccandi, quod si desit, Confessio nulla, quin & sacrilega erit. Ob cujus defectum plures ex Catholicis ad tartara ruere sic palam probatur: Quæstio est inter Theologos, utrum potior pars Christianorum salvabitur, an verò damnabitur? Quamvis autem circa hoc variæ sint opiniones, attamen plurimi sentiunt, ex fidelium numero plures damnari, quàm salvari. v. g. Si viginti Theologi sunt, quindecim erunt docentes pauciores salvatum iri; quinque verò contrarium asserent. Inter illos etiam est *Sanctus Thomas* Doctor Angelicus, dum explanat illa Christi verba: *Multi sunt vocati*, *pauci verò electi*. Ex omnibus Sanctis Doctoribus est quasi nullus, qui non esset hujus opinionis, plures fideles ad infernum quàm ad cælum ituros. Solus *Sanctus Joannes Damascenus* in uno ex duobus Sermonibus de mortuis asserit contrarium, tamen *Canus*, *Sotus*, *& Bellarminus* autumant hanc doctrinam non esse propriè *Sancti Joannis Damasceni*. Ex his oritur dubium hoc: Potior Catholicorum pars moritur cùm perceptione Sanctorum Sacramentorum; posito ergo ex triginta moriuntur viginti novem peractâ Confessione, perceptóque Sanctissimo Christi corpore, ac Extremâ Unctione; nunc juxta omnem conjecturam apparet non tot damnari. Si dicatur, multos sua peccata in Confessione celare ob verecundiam, etsi ergo ita esset, non est tamen credibile, quòd major pars id factitare soleat. Quæ ergo causa damnationis tam multorum? Qui studiosiùs hanc quæstionem rimantur, reperiunt causam esse hanc, quia confitentes non se ex toto corde ad Deum convertunt, sed manent habitualiter ad peccatum conversi ob defectum efficacis propositi à peccatis sibi temperandi. Videmus quippe plerosque peractâ Confes-

sione tam malè & perversè vivere quàm antè, & è confessionali, seu Ecclesia domum reduces, simul, velut canis ad vomitum, ad pristina sua peccata redire, quod non leve argumentum est, defuisse firmam voluntatem à peccatis recedendi. Docet enim *Sanctus Thomas*, quòd voluntas efficax etiam media efficacia adhibeat, ac executionem operis consideret, quod pura velleitas, seu voluntas inefficax non agit. Cùm ergo multi nulla, aut saltem non efficacia adhibeant media pro sincera emendatione, nec occasiones peccandi declinent, ideo non habent efficacem voluntatem se emendandi, & consequenter eorum confessio sacrilega, vel saltem informis seu invalida efficitur. Quia ergo non pauci per decursum vitæ sic confitentur ex consuetudine potiùs, quàm ex vero zelo vitam meliorandi, ideo Deus justo suo Judicio permittit, similes in pœnam peccati non meliores facere confessiones in morte; qualis enim vita, mors est ita: Ita qualis præcessit in vita Confessio, talis subsequitur ante mortem. Sic morimur, sic itur ad inferos, quæ omnia unâ alteráve historiâ comprobare fas est.

15. *Bernardinus de Bustis* narrat, mortuum fuisse Parisiis quendam studiosum, cujus Magister erat præclarus Doctor *Silo*, qui hunc studiosum ob singularis ingenii felicitatem præ cæteris suis discipulis suspexit, dilexítque: hinc etiam ei fideliter in infirmitate astitit, usque dum animam ageret. Priùs autem peractâ Confessione non sine lacrymis percepit Sacram Eucharistiam pro viatico, unde mortuus magnam spem æternæ salutis in corde sui Magistri reliquit, qui pro eo Deum enixè precabatur, quò expeditiùs è purgatricibus flammis ad cælum subvolaret. Desiderabat etiam nosse, in quonam nunc esset statu, & qualemnam gradum gloriæ consecutus fuisset? Ast longè aliter res agebatur de isto studioso, quàm Doctor sibi imaginabatur. *Silo* cùm in suo conclavi solus degeret, ecce, intrat mortuus ignito indutus cucullo flebiliter suspirans. Doctor Silo ob hoc totus consternatus, resumpto tamen animo sciscitatur, quisnam esset? Ego sum, respondit mortuus, tuus infelix discipulus: In quale infortunium incidisti? ulteriùs interrogat Doctor Silo; & mortuus horrendis blasphemiis ait: Quid quæris de meo infortunio? Maledictus ego, & maledictus sit dies, in qua sum natus, & in quo sum baptizatus, & in quo te nosse cœpi. Maledictus sit Deus, qui mihi hanc inflixit pœnam: maledicti sint Angeli Dei, qui ei serviunt: maledicti sint Sancti, qui eum venerantur, & maledicti omnes, qui eum laudant in cælo & in terra. Ad hæc Doctor Silo: Nonne confessus es? & peccata tua amaris expiâsti lacrymis? Confessus sum ea, ait mortuus, sed sine contritione, sine proposito peccata deserendi. Non enim lacrymas profudi super peccata mea, sed super insperatam mortem, & quòd terrena mea bona, sicut & spem his fruendi deserere cogar. Scito ferme omnes malè confiteri, qui pœnitentiam ad finem vitæ prolongant. Ah! quantos sustineo cruciatus sub candenti hoc meo cucullo? plus me aggravat, quàm si à maxima turri Parisiensi oppressus sub ea jacerem. Doctor Silo crede, si homines ita intelligerent,

telligerent, quàm malè sit apud inferos, profectò non peccarent: quare te certiorem reddo, etsi omnes pœnæ, dolores, tribulationes, miseriæ, omnia martyria, quæ fuerunt à creatione mundi usque in hanc horam, si, inquam, hæc singula in unum congererentur, non esset ulla comparatio, imò foret res tolerabilis respectu dolorum, quos omni horâ patior. Ut porrò magis meorum suppliciorum acerbitatem intelligas, porrige explicatam manum tuam, & excipe minimam sudoris mei guttulam. Silo extendit manum, & defunctus unam guttam sudoris è fronte absterſi immittit in manum sui Magistri, quæ ipso temporis momento tantâ vi illam penetravit, ut ingenti cum cruciatu foramen nucis avellanæ recondendæ capax effecerit, qui cruciatus adeò Doctorem affecit, ut seminanimis in terram conciderit. Hinc defunctus disparuit non sine ingenti strepitu. Interea Doctor Silo solo dejectus à suis domesticis reperitur sine sensu, & cum perforata manu, ad lectum deportatur, aptis & delicatis fomentis refocillatur. Porrò pristinæ sanitati jam restitutus Scholam repetiit, suisque discipulis, quidnam secum accidisset, per ordinem enarravit, & ad suorum dictorum probam, palàm omnibus vulnus manûs suæ videndum exhibuit. Hinc singulos ad mundi contemptum hortabatur, & ut sui condiscipuli irreparabili damno saperent, fluxisque sæculi cupediis valere jussis, ad tutum Religiosæ vitæ portum confugerent, eos monebat. Finitâ exhortatione, ut se cæteris exemplum præberet, scholâ egrediens, dixit:

*Linquo coax ranis, cras corvis, vanáque vanis:*
*Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.*

Sic valedicto mundo Monachum induit, quem multi ex discipulis secuti se Deo consecrârunt; reliqui in sæculo remanentes vix unus piam mortem obiit.

16. Contempletur nunc aliquis lacrymas ab hoc infelici studioso in mortis agone fusas, & videbit eas fuisse lacrymas crocodilinas. De hoc animali scribunt Naturalistæ, quòd sit avidissimum ad comedendas humanas carnes, unde obvium sibi hominem mox occidit, ejúsque carnem devorat, quâ absumptâ cranium unguibus arripiens ipsum non sine lacrymarum effusione deplorat. Causa verò hujus lacrymationis non est compassio erga hominem mortuum, sed quia non ampliùs carnem in calvaria reperit, ideo plorat. Consimiles lacrymas spargere videntur, multi agonizantes; postquam enim se variis impiârunt sceleribus, carnisque voluptatibus sese satiârunt, arripiunt in manus Crucifixum, flent amarè, suspirant altè. Ah! dicunt talia contritionis signa videntes, quàm felicem mortem obiit iste & ille, quomodo non sua deflevit peccata? quomodo non SS. JESU & MARIÆ nomina ingeminavit? Unde mox eum salvum deprædicant, &, ut ita dicam, Sanctorum fastis adscribunt. Sed timendum est, ne in profundo æternorum cruciatuum sit positus, quia qualis vita, talis mors, & qui malè vixit, malè moritur. Pertimescendum denique est, ne similes agonizantium lacrymæ sint fletus crocodili; multi quippe

quippe non sua peccata deplorant, sed ob derelictionem voluptatum, honorum, divitiarum, &c. lacrymantur, quod satis abundéque conspicere licet in eis, qui ex gravi infirmitate sani evadunt, hi namque brevì ad suas malas consuetudines redeunt, quod sanè non leve indicium est, illorum pœnitentiam, & propositum peccata evitandi non fuisse efficax ad salutem obtinendam. Si nostrûm quispiam præsens fuisset, quando supremum spiritum edidit Esau, statim ipsum in Sanctorum numerum retulisset, & dixisset: O beatum Esau, salvus profectò est. Cur? quia in extremo vitæ articulo uberrimas lacrymas sparsit, gemitúsque ex cordis profundo emisit. Et tamen Esau æternùm damnatus est, ùt dicit Apostolus *Hebr.* 12. v. 18. *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisiisset eam.* Sed quomodo pœnitentiæ locum non invenit, qui eam tot suspiriis expetiit, & tot lacrymis inquisivit? Respondet Doctor Angelicus *Sanctus Thomas*, quòd ipsum non pœnituit peccati, quod primogenituram vendendo commisit, sed eum pœnituit tantùm jacturæ & damni, quod incurrerat. *Pœnituit Esau* (sunt verba *Sancti Thomæ*) *non quia vendiderat primogenita, sed de damno perditionis, & ideo pœnitentia ipsius non fuit accepta, quia non erat vera. Sic etiam pœnitent damnati in inferno, ùt dicitur* Sap. 5. v. 3. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes: non quia peccaverunt, sed quia exclusi sunt.* Hactenus *Sanctus Doctor.* Ejusdem speciei pœnitentia est illius, qui conversionem ad supremum diem procrastinat.

17. *Cæsarius* scribit suis temporibus Parisiis extitisse quendam Canonicum, qui pingue beneficium, seu præbendam habebat, hic quasi in omni commoditatum ac voluptatum genere natabat, conviviis non rarò intererat, honoribus passim mactabatur; denique quidquid carni volupe est, hoc ille non carebat. Lethaliter tandem ægrotare cœpit. Confessarius absque mora evocatur, infirmus confitetur, dolores mortis expresserunt uberes lacrymas, & dum de ulteriori vita actum esse non nesciret, promisit Confessario vitæ emendationem. Post hæc Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Sacramentis munitus spiritum exhalavit. Sumptuosa sepultura huic defuncto Canonico celebrabatur, Viri nobilitatis præcipuæ insignes defuncti cadaver ad sepulturam comitabantur, cælum ipsum serenum apparebat, ac si hunc Canonicum velut cæli Candidatum veneraretur, dum præter spem totum innube se exhibebat. Hinc communis populi vox passim resonabat: O felicem virum, quem Deus in vita & in morte illustrem fecit; in vita quidem magnis divitiis & redditibus, nobili prosapiâ, pulchritudine & decore corporis, & tam felici statu; in morte verò tam honorificâ sepulturâ, cùm acceptis devotissimè Sacramentis in præsentia multorum ardenter orantium suam Deo commendaverit animam. O igitur beatum Canonicum, divinis favoribus tam in vita, quàm in morte undique obvallatum! Sed ah! Quanto distant intervallo Judicia Dei à Judiciis hominum! Elapsis diebus aliquot apparuit hic Canonicus cuidam suo fideli amico, eique significat, quemadmodum

modum æternis addictus ignibus esset. Nonne confessus es? quærit alter, & Sacrosancta Sacramenta suscepisti? Hoc quidem feci, sed defuit vera contritio, & propositum meliùs post hàc vivendi; quamvis enim mihi proposuerim à peccatis abstinere, tamen in corde meo sensi inclinationem, quæ me, si ad pristinam sanitatem venirem, ad præcedentem malam, & voluptuosam vitam magìs inclinavit, quàm ad propositum melioris vitæ; putabam enim me non posse vivere absque consuetis cupediis & honorum complacentiâ; in hac cogitatione constitutus, abbreviavit mihi Deus vitam, & fulminavit me ad profundum inferni.

18. Cæterùm alia causa, quæ multis agonizantibus lacrymas exprimit, est metus inferni, unde dolent de suis peccatis eò quòd his æternas pœnas meruerint, interim tamen sic in animo sunt constituti: *Sum ita dispositus, ut nunc seriò vellem non dolere de meis peccatis, sed potius in eis mihi complacere, si non foret infernus*: Unde similium pœnitentia nedum non meretur peccatorum veniam, verùm etiam talis actus dignus est novo inferno; manifestè enim sic loquens ostendit offensam Dei, seu reconciliationem cum illo, à se postponi liberationi ab incursu æternorum suppliciorum. Ut ergo intelligamus dolorem ob metum inferni conceptum unà cum Confessione ad salutem sufficere, debet pœnitens ita in animo esse constitutus: *Ego quidem actu execror mea peccata, per quæ infernum merui, sum tamen adeò crudi, & infruniti ingenii, ut credam, non me adductum iri ad hanc execrationem, debitámque veniæ petitionem, nisi ad hunc actum me excitaret timor sempiternæ damnationis, valdéque doleo, me esse ita lapideum, ut nequeam perdomari alio motivo, quàm hoc planè servili.* Si itaque de suis peccatis quis ob metum inferni dolet in sensu nunc explicato, confitetúrque, peccatorum veniam obtinet. Ita *Tridentin.* Sess. 14. cap. 4. Quia ergo non pauci reperiuntur pœnitentes, qui præcisè ob metum inferni, exclusis aliis motivis, dolent de commissis peccatis, ideo non mirum multos cum simili pœnitentia æternaliter perire. Doctrinam nunc allatam refert *Gobat.* tr. 6. casu 4.

19. Verùm, tametsi aliqui peccatores in fine vitæ veram contritionem quandóque habeant, facilè tamen ob inveteratam consuetudinem ab ea rursus deflectunt, & in pristinis suis peccatis, dæmone allaborante, sibi complacent. Sic circumvenit hic versipellis hostis quendam moribundum, de suis peccatis jam ritè confessum, ùt refert *Franciscus Pezzolius.* Cùm enim hic antè meretricem secum haberet, & mortis extremitate constrictus eam repudiâsset, quò se seriò ad Deum converteret; quid ageret dæmon, ut antè devotum sibi clientem rursus suæ tyrannidi subjugaret? Aggressus est ergo eum hisce suggestionibus: Quomodo oblivisceris amicæ tuæ? cui moribundus, ah! utinam eam nunquam vidissem, aut novissem. Diabolus: Illa te intimè amore complectitur, & tu eam tam frigidè redamas? Moribundus: Infelix ego, quid mihi nunc superest, quòd huc-usque tam turpi erga eam amore ferebar, nisi quòd, & mihi, & illi æternæ damnationis sententia maneat? Versutissimus hostis, licèt jam binis

vicibus victus, tertiò venit, pugnámque innovavit, dicens: Non miror te ſimilia loqui, cùm mortem timeas; quid ſi verò multi tibi ſupereſſent anni, an non ad priſtinam amicitiam cum perdilecta amica tua redires? Si hoc eſſet, dicebat in corde ſuo agonizans, abſque dubio antiquum erga eam amorem innovarem; in hoc conſenſu ſimul à dæmone deceptus, mortuus, & damnatus fuit. Ex his ergo roboratum manet, multos cælo excludi, vel ob defectum propoſiti ad Confeſſionem requiſiti, vel, ſi illud adeſt, facilè tamen ab homine, peccatis aſſueto, ad levem etiam tentationis impulſum propellitur, & infringitur, uti in exemplo modò relato vidimus. Et hæc unicuique in peccatis viventi magnum incutere deberent horrorem & timorem, ne in extremo vitæ tempore conſtitutus, aut malè ſine propoſito efficaci confiteatur, aut poſt peractam ritè Confeſſionem à dæmone tentetur, ac in priora per affectum, & conſenſum peccata trahatur, fiátque ſempiterni ignis buſtum.

# SERMO LII.

## DE SACRA COMMUNIONE.

*Omnes ſitientes venite ad aquas; venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Iſaiæ 55.

1. QUemadmodum, ſi regius theſaurus aperiretur cum plenaria licentia cuilibet de eo aſportandi, quantum vellet, nullus reperiretur, qui non ad hunc theſaurum properaret, &, quantum poſſet, inde acciperet. Quantò ergo potiùs oporteret nos anhelare ad theſaurum non terrenum, & brevi tranſiturum, ſed cæleſtem, & æternùm permanſurum, qui omnibus patet in Sacramento Altaris? Ad hunc proinde theſaurum aſportandum ipſemet Salvator noſter, per *Iſaiam* loquens nos invitat: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite; venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac.* Quocirca quiſquis cæleſtibus repleri deſiderat divitiis, virtutibus inquam, quæ ſunt maximi animæ theſauri, ad earum fontem & ſcaturiginem, nimirum ad Chriſtum, ſub ſpeciebus Euchariſticis in Sanctiſſimo Sacramento latentem, approperet; quiſquis vitia ex corde profligare intendit, id haud meliùs & efficaciùs præſtabit, quàm identidem recurrendo ad diviniſſimum hunc panem, qui confert robur maximum ad pellenda peccata. Si enim *Elias*, ſub-cinericio duntaxat pane refectus, potuerit

rit ambulare in fortitudine cibi illius usque ad Montem Dei; quantò magis ergo in virtutum stadio currens roborabitur, non subcinericio sed Angelorum pane cibatus? Quippe teste *Thoma Kemp.* lib. 4. cap. 4. §. 2. *Est hoc Sacramentum salus animæ & corporis, medicina spiritualis languoris; in quo vitia nostra curvantur, passiones frenantur, tentationes vincuntur, aut minuuntur, gratia major infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur, & charitas augescit & dilatatur.* Cui sententiæ subscribit *Divus Bernardus* serm. de Cœna Domini, dum ait: Duo præcipuè in nobis operatur hoc Sacramentum, ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrûm non tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, & cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. Hactenus *Bernardus.*

2. Percipere porrò libet *Sanctum Cyrillum Alexandrinum* l. 4. in *Joan.* cap. 17. Eucharistia, inquit, non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit: sedat enim, cùm in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat. Accedit *Sanctus Ambrosius* lib. 3. de Virginit. tom. 4. Omnia Christus est nobis: Si vulnus curare desideras, medicina est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia seu justificatio est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cælum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est. Ita Sanctus Episcopus ad *Marcellinam* Sororem. Non minus facundè, quàm piè de virtute hujus sacratissimi Panis disserens *Sanctus Thomas de Villanova*: *Fructus*, inquit, *uberrimus piè accedentibus præstatur; illuminatur intellectus, inflammatur animus, impinguatur affectus, excitatur gustus, vivificatur sensus, purificatur spiritus, virtutes augentur, gratiæ multiplicantur, & omnium denique bonorum spiritualium plenitudo in ejus participatione possidetur.*

3. Verùm enimverò, quin hujus SS. Sacramenti pia & frequens sumptio hosce mirabiles nunc à SS. Patribus insinuatos præstet effectus, inficiari nefas est. Quòd verò multi eos minimè participent, ipsorum culpa in causa est, quia nimirum dispositiones, ad recipiendam gratiam prærequisitas, non adferunt; unde non mirum tales sæpè per sumptionem Sacratissimi Corporis, & Sanguinis Christi deteriores potiùs, quàm meliores effici. Nam ùt rectè advertit *Divus Chrysostom.* hom. 5. super *Matth.* Quemadmodum corporalis cibus cùm ventrem invenerit malignis humoribus occupatum, ampliùs lædit, & nullum præstat auxilium; ita & iste spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magìs eum perdet, quàm proderit, non naturâ suâ, sed accipientis vitio; hinc *Ecclesia* canit: *Mors est malis, vita bonis; vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus.* Inter mirabilia mundi hoc nonnulli graves Authores apud *Granat. in Sylva* v. Euchar. fol. 696. referunt, esse fontem quendam, ad quem si placidis oculis, & in eum semper defixis quis accesserit, aquam puram inveniet; sin ab eo oculos aliò deflectit,

aut cum alio loquatur, turbidam reperiet. Talis profectò est fons augustissima Eucharistia; si enim ad hanc accedis placidis & defixis oculis, hoc est purâ mente, & defixo in Deum corde, reperies limpidissimam divinarum gratiarum aquam; si secùs facis, non benedictionem, sed maledictionem; non vitam, sed mortem animæ reportabis. Hinc olim præcepit Deus populo suo *Levit.* 7. v. 20. *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis.* Quantò magis ergo peribit ille, qui corde polluto accedere audet ad Mensam Dominicam? Exclamat proinde Apostolus 1. *Cor.* 11. *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit.*

4. Insinuatum jam est, hoc Sacramentum medium esse efficacissimum ad progressum in perfectionis studio faciendum; nam ut olim *Elias* in fortitudine panis ab Angelo dati quadraginta diebus celerrimè cucurrit usque ad montem Dei Horeb; ita similiter cum facilitate perveniet ad cælestem Olympum hoc Sacramento pastus; dat enim Panis hic lasso virtutem & robur, ut strenuè in virtutum semita progredi valeat. Porrò si quis in servitio divino hanc animi alacritatem in se non sentiat, si super Dape Eucharistica *tanquam super cibo levissimo nauseet: Num.* 21. Si nihil ex frequenti communione proficiat, nullum Virtutis gustum sentiat; si depravatæ naturæ vitiis pertinaciter inhæreat; si nec castior in moribus, nec ferventior in Dei cultu, nec modestior mansuetiórque à sacra mensa toties frequentata recedat, tunc cogitet, se unum ex illis esse, de quibus Apostolus 1. *Corinth.* 11. loquitur: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*; causam præmisit, *quia manducatis & bibitis indignè.* Per infirmos & imbecilles intelligunt Interpretes eos, qui torpore & languore, quasi quodam lethargo oppressi, non assurgunt ad vitæ emendationem, non ad virtutis exercitationem, non ad perfectionis desiderium; ideo manent pigri & socordes ad resistendum diaboli insultibus, mundi illecebris, ac carnis blanditiis.

5. Et hoc etiam vel maximè notent Sacerdotes illi, qui post quotidiana celebrata Missæ Sacrificia, vitiis assuetis irretiti, ac in iisdem semper delictorum sordibus immersi hærent, nonne argumento est satis claro, tales nondum hujus Sacramenti effectu frui, nondum eos in Christo, neque Christum in illis manere, sed mundi, carnis, dæmonisque mancipia permanere. At verò quia in pluribus id evenire cernimus, qui post sæpe celebratas Missas, ac frequentatas Sacras Communiones, deteriores indies evadunt; ideo hujus rei causam si penitiùs inspiciamus, haud aliam reperiemus, quàm quia paucissimi se ad hoc Sacramentum ritè suscipiendum disponunt, quæ dispositio non tam consistit in præviis quibusdam precationibus frequentandis, quàm in laudabili vitæ instituto: Licèt enim devotio plurimùm congruat huic Sacramento; tamen priùs vita commendabilis habenda, deinde devotio, dicebat *Sanctus Laurentius Justinianus* de Discip. Monast. cap. 9. Ac proinde *Divus Ambrosius* Serm. Domin. 4. Advent. hæc monita, luce splendidiora nobis suggerit: *Mutare debet vitam, qui vult accipere vitam; nam si non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam; & magis ex*

*ipsa corrumpitur, quàm sanetur; magis occiditur, quam vivificetur.* Unde quemadmodum ad ejusdem Solis accedentis radios duratur lapis, cera liquescit: sic etiam ex usu Solis justitiæ, *qui justus est, justificatur adhuc; & qui in sordibus est, sordescit adhuc.* Apoc. 22. 11.

6. Itaque nequaquam mirandum, quòd ab Eucharistia augmentum charitatis non accipiat, qui amoris præparationem non affert; quia ejus vis & efficacia in suscipientis dispositione continetur. Non prodest panis vitæ & intellectûs, nisi dum ore sumitur, & cordis amantis ardore coquatur. De frequentanda Eucharistia solicitos multos cernimus; de excolendo componendóque animo paucos videmus studiosos. Hinc peccata venialia pro nihilo ducunt, nihil ab eis metuunt, ne quidem cùm ad mysteriorum omnium maximè terribile accedunt. Peccata illa, sine quibus hic non vivitur, pœnitentiæ remediis, piorúmque operum exercitationibus mundare non satagunt: non curant desidiam occupatione, loquacitatem silentio, ac religioso à frequentia populi secessu, nec superbiam humilitate, non suspiciones iniquas interpretandi benignitate, non tepiditatem fervore, non excessum in cibo ac potu abstinentiâ & mortificatione sarcire, & compensare. Hinc est, ut notat Ecclesiasticorum Doctorum gravissimus *Augustinus* Homiliâ 50. *Quòd omnia illa peccata simul congregata velut scabies nostrum decus ita exterminant, ut ab illius Sponsi speciosi formâ præ filiis hominum castissimis amplexibus separent.* Ita in terminis *Augustinus*, quem citat *Vincentius Contenson* in sua Theologia Mentis & Cordis Tom. 2. lib. 11. Paginâ 476. Hæc sententia ut sanè intelligatur, notandum est, quòd per *Ly separent* non debeat intelligi, quòd in venialibus communicans à gratia Dei sanctificante separetur; sed tantùm, quòd animam his inquinatam removeant à speciali divini amoris amplexu, qui favor est singularissimus, nec ulli concedendus, nisi ei qui à levioribus etiam peccatis perfectè purgatus Sacram Eucharistiam sumit. Proinde solerter animadvertendum, quod quanquam illi, qui peccata venialia frequenter committunt, non arceantur à Sacra Communione; attamen peccata venialia accuratè inter se distinguenda sunt; in illis namque attendenda, non confundenda ac permiscenda diversitas est, prout infra Sermone 57. num. 4. dicetur: Quia alia sunt venialia, quæ insidiosè sine advertentia obrepunt, & quæ ignorantia, vel fragilitas parit, & hæc venialia à Sacræ Communionis usu non prohibent; prohibent autem illa (intellige prohibitionem de congruo, non de præcepto) quæ à volentibus, & scientibus suscipiuntur, quorum longè alia habenda est ratio, quàm illorum, in quæ naturæ imbecillitate assiduè incurrimus, aut impingimus, ait *Contenson* lib. cit. pag. 489.

7. Hinc opportunè *Sanctus Franciscus Salesius* apud præfatum Theologum monet, ut, priusquam sacra illa mensa attingatur, leviores maculæ lacrymis & orationibus abstergantur, & ne voluntas peccatis illis levioribus affectu adhæreat; quia affectus ille erga venialia, tametsi animam lethali ictu non conficiat, gravissimè sauciat tamen. Et hanc suam doctrinam idem Sanctissimus *Præsul* hoc exemplo egregiè illustrat, dicens: *Muscæ morientes, teste Sapiente,* (Eccle. 10. 1.) *perdunt*

*suavitatem unguenti* ; hoc est, muscæ, si in unguento minùs hæreant, illúdque obiter strictímque delibent, nihil fere ex illo, nisi quod abstulerunt, inficiunt ; si verò in unguento ipso immoriantur, præstantiam ejus & dignitatem extinguunt, atque id in contemptum adducunt. Ita leviores culpæ, cùm in animam piam inciderint, si in illa diutiùs non hæreant, haud magnoperè lædent ; quòd si autem in ea studio quodam & affectu permanserint, unguenti, hoc est, sacræ devotionis suavitatem proculdubio extinguent. At verò, quoniam pauci hanc instructionem moralem perpendunt, minùs practicant, non mirum est, quòd plerique ideo exiguum, imò nullum ex frequenti Communione, ac iterata Missarum celebratione fructum referant, quia non accedunt cum debita ac congruente præparatione.

8. Hinc post innumeris vicibus frequentatam Eucharistiam homines cernimus amore mundi plenos, concupiscentiæ & cupiditatibus semper morem gerentes, & doctrinarum illarum amantes, quæ licentiæ & intemperantiæ l nocinantur. Hinc tantam passim vigere cernimus usurarum & vindictarum crudelitatem, tam profusum ubique etiam in extremis hujus sæculi paupertatis angustiis luxum, tam effrænatam maledicentiam, postremò tam perennem in vitiis contumaciam. Quis crederet, nisi cerneret, Eucharistiam non à tyrannis jam, non ab hæreticis aut Apostatis tantùm, non à Lutheranis modò & Calvinistis, cæterisque apertis perduellibus, sed à Catholicorum moribus vexari? Quis sibi persuaderet intus & in sinu suo hostes suos fovere Ecclesiam ; hostes, inquam, & filios, unam fidem, unam religionem profitentes. Olim prædictum est (inquit *Sanctus Bernardus* sermon. trigesimo quarto in *Cant.*) & nunc tempus adimpletionis advenit: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Isai. 38. Amara priùs in nece Martyrum, amarior pòst in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita invaluerunt, & multiplicati sunt super numerum. Ita *Doctor Mellitus* cum solito melle spicula fundens. Et utinam hujusmodi lamenta ad laicos duntaxat pertinerent! At verò magnoperè deplorandum, quòd etiam Sacerdotes, Clerici, ac Religiosi iisdem peccatis inquinati ad hæc Sacratissima Altaris Mysteria non abhorreant accedere quotidie. Proinde liberè asserendum, nec ullus facilè pietatis veritatisque amans contradicat: Si qua est in Clericis relaxatio, si qua est in monasteriis disciplinæ regularis jactura, tota, quanta est, à Sacræ Communionis, quam sine præparatione frequentant, abusu proficiscitur. Indurat sol lapides, qui ceram liquefacit: infirmum stomachum panis opprimit, qui sanum vegetat & confirmat. Similiter igitur mortuis mortem, tepidis teporem auget frequentata Communio, & iterata Missarum celebratio. Habenti devotionem datur major, & abundat ; *Ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Luc. 19. 26.

9. De Juda Proditore tradit Evangelista *Joannes* cap. 13. 27. *Et post buccellam introivit in eum Satanas*, id est, eum excitavit, ut destinatam proditionem exequeretur, & quod priùs ei suggessit, opere compleret ; unde subjun-

ſubjungit idem *Evangeliſta* : *Cùm ergo accepiſſet ille buccellam , exivit continuò*, nimirum ut Jeſum traderet manibus inimicorum. Sic panis Euchariſticus datus aliis fuit ad ſalutem , Judæ ad damnum , ut poſt panem intraret in eum Satanas ; unde debebat fieri melior , factus eſt deterior ; ex pignore ſalutis accepit ſententiam damnationis; & hoc non ideo, quia malum ſumpſit, ſed quia bonum malus ſumpſit malè. Et utinam non plures ad exemplum Judæ ex ſacratiſſima menſa deteriores recederent , quàm acceſſerint ! Optandum ſanè foret , ne noſtris quoque temporibus ſæpe fieret , quod *Philo Carpathius* in *Cant.* 7. dolens queritur: *Licet videre quosdam ex Sacratiſſimo Convivio fieri quotidie praviores, & quod ſine gravi dolore commemorare non poſſum, ob id ſolùm ad gehennam properare miſerrimos.* Ita deproperavit Judas , ita ad gehennam feſtinant alii tum Laici tum Clerici , qui indignè tractant , aut ſuſcipiunt Altaris Sacramentum. Eapropter Chariſſimi , ne ſalutis antidotum nobis vertatur in venenum juxta illud *Job.* 20. 14. *Panis in utero ejus*, qui malè ſuſcipit , *vertetur in ſel aſpidum*: ſeu, ne illa purpurati Vatis (*Pſal.* 68. 23.) dirâ imprecatione fulminemur : *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum* perditionis ſempiternæ , modò adimpleamus neceſſum eſt illam Apoſtoli *Pauli* parænesim, quam omnibus Chriſti fidelibus , priusquam ad Euchariſticam menſam accedant , voce emphaticâ inculcat, dicens: (1.*Cor.* 11. 28.) *Probet autem ſeipſum homo*: id eſt (ùt exponit *Sanctus Thomas* lect. 7. ibi.) diligenter examinet conſcientiam ſuam , ne ſit in eo voluntas peccandi, vel aliquod peccatum præteritum, de quo non ſufficienter pœnituerit ; *Et ſic* poſt diligentem examinationem ſecurus *de pane illo edat , & de calice bibat* , quia dignè ſumentibus non eſt venenum , ſed medicina.

10. Enimverò , notandum hic etiam occurrit , quòd licèt veriſſimum ſit, quod Seraphicus Doctor *Divus Bonaventura* tract. 7. in faſc. cap. 7. his verbis monet : *Cogita , quòd quamvis mille millibus annorum te ad hoc Sacramentum per puras orationes, ſanctiſſimáſque præparationes præparaveris , nihil eſſe ad condignam ſuſceptionem , etiamſi haberes merita omnium Sanctorum* ; ob hoc tamen intermittere non debemus, quin, quantum ad nos ſpectat , & quantum fragilitas noſtra facere prævalet , puritatem Chriſti imitemur, nósque omni ſtudio & ſedulitate præparantes, ad hoc Sanctiſſimum Convivium frequenter accedamus ; nam id Deo longè gratiùs eſt , quàm ſi ad hanc cæleſtem menſam, partim ob reverentiam huic Sacramento debitam , partim ob noſtræ conditionis vilitatem & exiguitatem rariùs accedamus. Sic docemur à Seraphico Doctore *Sancto Bonaventura* : Hic divinam quandóque contemplatus in Euchariſtiæ Sacramento Majeſtatem , ſuámque vilitatem, veritus ne fortè non ſatis id dignè perciperet, multos eo dies abſtinuit. Ergo cùm fortè cuidam Miſſam facienti præſens adeſſet , ſimul ac Sacerdos ſacram hoſtiam fregit , pars ejus ad virum ſanctum divertit , ejúsque caſtiſſimum os involavit. Sic actis ille Deo gratiis , didicit hoc tanto beneficio ſeſe doceri , gratiores eſſe Deo, quos amor ad Euchariſtiam percipiendam

dam

dam ducit, quàm quos timor abstinet à Deo familiariùs accipiendo, cujus delitiæ sunt esse cum filiis hominum. Hoc ipsum etiam didicit *Sanctus Petrus Cælestinus*, dum enim dubitaret, num Deo frequens communio, quàm rarior magis placeret, ideóque aliquoties abstinens, & ob id Romam Pontificis consulendi causâ proficiscens, Abbatem, à quo Monachi vestem acceperat, jam vitâ functum obvium habuit, qui eum ita affatus est; Benè sentis, fili mi, de augusto corporis Christi Mysterio, cùm nemo ne Angelus quidem illo satis dignus sit, sed non idcirco illud minùs frequenter cum timore & reverentia usurpabis. Quibus dictis nusquam comparuit. A quo tempore Vir Sanctus Missam fecit, quia vidit magìs id Deo placere.

11. Ex his liquidò constat laudabile valde Deóque fore acceptabile, si sæpius ad Eucharisticam Cœnam accedamus, dummodò præparatio aliqua antecedat. Hæc autem duplex est: *Remota* una, altera *proxima*. *Remota* est, laudabilis vita, qui enim pro suo posse virtutum exercitio incumbit, efficitur amicus Dei, amico autem semper patet accessus ad amicum. *Proxima* est, ante Communionem; seu Missæ Sacrificium se accuratiùs ad eam disponere, Confessionem scilicet, si opus fuerit, præmittendo, actus contritionis, seu amoris eliciendo, precationi, aut meditationi præsertim de Christo passo per aliquod tempus insistendo, Beatissimam Virginem, Sanctum Angelum Custodem, & reliquos Sanctos Patronos invitando, eorum virtutibus tanquam veste nuptiali vestiri desiderando. &c. Talis quippe præparatio pergrata est Deo, quemadmodum ex revelatione *Sanctæ Mechtildi* factâ liquet, hanc Sanctam Virginem docuit Christus, (ùt refert *Blosius* in monil. spirit. cap. 6.) dicens: Quando Sacram Communionem percepturа es, desidera & opta ad laudem nominis mei habere omne desiderium, omnémque amorem, quo unquam cor aliquod erga me flagravit, & ita accede ad me; nam ego amorem illum in te attendam, atque suscipiam, non sicut in te est, sed sicut velles eum in te esse. Hoc ipsum etiam didicit *Sancta Gertrudis* teste præfato Authore, cùm enim vice quadam communicare vehementer desiderâsset, se autem minùs dispositam credidisset, tristis ad Dei Matrem Cælitésque se convertit, rogavitque ut, quidquid in illis olim gratiæ ad promerendos divinos favores fuerat, totum pro se Deo offerant, quo modo effecit, ut in oculis Dei talis visa fuerit, qualis esse optabat, ut ipse Christus ei revelavit.

12. Alia ad Sacram Communionem dispositio & præparatio est, Dominicæ Passionis recordatio & memoria, ut nimirum sedulò recogitemus immensum illum amorem, quo se Unigenitus Dei Filius pro nobis in Crucem obtulit. Nam inter cæteras rationes, quæ Redemptorem nostrum ad Sanctissimum hoc Sacramentum instituendum moverunt, fuit Passionis suæ commendatio, ut nimirum eam semper in memoria haberemus: Hinc *Sanctus Bonaventura* de præpar. ad Missam cap. 6. omnibus consulit, ut, quoties ad Sacram Synaxin nos conferimus,

aliquod Passionis Dominicæ Mysterium recogitemus : & hoc ipse se observâsse, & inde animam suam in divino amore liquefieri solitam testatur. Porrò, optima etiam dispositio ad Sacram Communionem est, si fateamur, nos dignè non posse præparare, nisi id Deus nobis largiatur; proinde Salvatorem nostrum Christum rogemus, oportet, ut ipse cumprimìs nostram animam humilitate, puritate, amore, reverentiâ debitâ disponere & exornare dignetur : quod ut faciat, obviâ hâc ratione erit inducendus. Si Rex quispiam potens, Dominæ, in paupercula cujusdam viduæ ædibus diversari deberet, aut vellet, non expectaret utique, ut illa locum potentiæ suæ congruenter adornâret, & concinnâret; sed suam antè supellectilem, & aulæa, nec non stratores præmitteret, qui cuncta convenienter personæ suæ convestirent. Tu ergo mi Dulcissime JESU, idem fac pauperculæ animæ meæ, cùm ad illam divertere jam decreveris: præmitte, obsecro, aulæa & peristromata tua, nec non stratores & ministros tuos Angelos, qui hoc domicilium, quod hactenus tam immundum, tot aranearum, scelerum inquam, telis oppletum fuit, everrant, adaptent, concinnent, téque dignam habitationem ex eo efficiant. Deinde Sacratissimam Virginem, & SS. Patronos nostros velut intercessores adhibendo, summâ animi demissione eos rogemus, ut hanc à Domino gratiam nobis impetrent.

13. Verùm enimverò, non solùm requiritur ante Sanctissimi Sacramenti sumptionem debita præparatio, verùm etiam eo jam sumpto gratiarum actio. *Oportet*, ait Sanctus ille Vir *Thomas Kemp.* lib. 4. cap. 12. §. 4. *ut non solùm te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te solicitè conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Nec minor custodia pòst exigitur, quàm devota præparatio priùs. Nam bona postmodum custodia, optima iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam.* Hæc ille. Quamobrem post Sacram Communionem nos impendamus oportet, primò laudibus divinis celebrandis, & gratiis agendis pro omnibus beneficiis à Deo receptis, præsertim pro beneficio redemptionis, ac specialiter pro eo, quod Dominus jam nobis confert, semetipsum nobis communicando, & nostra viscera ingredi non dedignando. Quoniam verò nos nec possumus, nec novimus pro tam eximio beneficio debitas agere gratias, ideo ad supplendam insufficientiam nostram debemus illas omnes gratiarum actiones & laudes ei offerre, quas cuncti Seraphini, universique Angelorum Chori jam inde à mundi principio ei egerunt, & modò agunt; nec non eas, quas beati omnes & cælites egerunt, dum in terris vitam mortalem agerent, ac præcipuè eas, quas jam agunt cælesti gloriâ perfruentes, quásque in omnem æternitatem acturi sunt. Omnes denique creaturas, ut in illo laudando & sanctificando nos adjuvent, invitare cum Vate Regio *Psalm.* 33. dicendo : *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum. &c.*

14. Deinde occupare nos debemus illo tempore in petitionibus faciendis, quia hoc tempus convenientissimum est ad proponenda vota & desideria

deria nostra, gratiásque divinas obtinendas, ac tunc Deus quodammodò prensandus, diceréque possumus, quod dicebat Jacob cum Angelo colluctans: *Non dimittam te, Domine, nisi benedixeris mihi. Genes.* 12. Ergo Domine, qui aliás Zachæi ædes ingressus, dixisti: *Hodie salus huic domui facta est. Luc.* 19. Dic jam idem de domo animæ meæ, quam subiisti. *Dic animæ meæ; Salus tua ego sum. Psalm.* 34. Hîc etiam petenda est peccatorum venia, robur ad passiones nostras edomandas, tentationésque debellandas, gratia quoque ad virtutes quaslibet, humilitatem, obedientiam, patientiam, &c. impetrandas. Item pro generalibus, ac particularibus Ecclesiæ necessitatibus Deo tunc supplicandum est, pro Summo Pontifice, pro Imperatore, próque omnibus reipublicæ Christianæ tam spiritualibus, quàm temporalibus Rectoribus, denique pro particularibus personis & causis, pro quibus ex obligatione orare tenemur. Per decursum porrò diei tantam Dei erga nos dignationem in memoriam crebrò revocare debemus, pias aliquas aspirationes & lectiones frequentando, nósque tam modestè circumspectéque in omnibus gerendo, ut in Christum, quem suscepimus, videamur transformati.

# SERMO LIII.

## DE MISSÆ SACRIFICIO.

*Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Hebr. 4. 16.

1. POstquam egimus de Sacra Communione, ratio & æquitas exigere videtur, ut modò sermonem instituamus de incruento Missæ Sacrificio: sciendum proinde Missam esse Sacrificium omnino perfectissimum, utpotè continens omnes differentias, & species veterum Sacrificiorum, quæ fuerunt quadruplicia: unum *Latreuticum*; alterum *Eucharisticum*; tertium *Propitiatorium*; & quartum *Impetratorium*. Inprimìs igitur est Missa Sacrificium *Latreuticum*; nam reddit Deo cultum, & honorem infinitum ob summam ejus excellentiam. Est Sacrificium *Eucharisticum*; reddit enim Deo gratias pro acceptis beneficiis. Est *Propitiatorium*, valet quippe ad peccatorum remissionem, & pœnarum relaxationem. Est *Impetratorium*; quia nihil efficaciùs ad quæque beneficia, tam spiritualia, quàm temporalia impetranda. Porrò, quis hujus Sacrificii excellentiam & præstantiam,

ac dignitatem ſatis deprædicet, cùm habeat valorem quantùm ad ſufficientiam infinitum? Eſt enim idem numero cum Sacrificio Crucis ex parte rei oblatæ & principalis offerentis, quamvis in ritu & modo offerendi differat, ùt docet *Tridentin.* Seſſ. 32. can. 1. Quia ergo Sacrificium Crucis eſt valoris infiniti quantùm ad ſufficientiam, quia non poteſt in nobis tot merita & ſatisfactiones cauſare, quin poſſit ad plures in infinitum ſe extendere. Ergo & Sacrificium Miſſæ eſt valoris infiniti. Hinc per unius Sacrificii oblationem gratiùs præſtatur Deo obſequium, quàm ſi omnes poſſibiles virtutum actus eliceret, & omnia excogitabilia tormenta ex amore Dei quis ſuſtineret. In *Miſſali* novo Anno 1634. recognito. Hanc ob cauſam rectè dixit *Molina*, excellens Scriptor in Inſtruct. Sacerd. Quòd ſi omnes Sancti unà cum Matre Dei certam gratiam petituri, Deum adirent, & pro hac obtinenda omnia ſua bona opera in ejus honorem in terra patrata, omnéſque dolores ejus amore perpeſſos ſimul offerrent, veniret autem pauperculus Sacerdos offerens Majeſtati Divinæ unum Miſſæ Sacrificium, tunc Sacerdos per Miſſam citiùs obtineret petitam gratiam, quàm omnes Sancti per ſua merita.

2. Hinc *Urbanus* VIII. in quodam diplomate ait: Si quid eſt in rebus humanis planè divinum, quod nobis ſuperni Cives (ſi in eos invidia caderet) invidere poſſent, id certè eſt Sacrificium Miſſæ, cujus beneficio fit, ut homines quadam anticipatione in terris poſſideant cælum, dum ante oculos habent, & manibus contrectant ipſum cæli, terræque Conditorem. Hoc Sacroſanctum Sacrificium mirum in modum commendat *S. Laurentius Juſtin.* lib. de Obed. ſic diſſerens: Nullus profectò valet humano explicare eloquio, quàm locuples fructus, quantáve ex hujus oblatione ac perceptione Sacramenti ſpiritualia exuberent dona. Reconciliatur quippe peccator Deo, Juſtus autem juſtificatur adhuc, lætificantur Angeli, cumulantur merita, facinora remittuntur, augentur virtutes, reſecantur vitia, diaboli machinamenta ſuperantur, ſanantur ægri, eriguntur lapſi, debiles refocillantur, famelici ſaturantur, & defuncti fideles effectu iſtius Sacramenti liberantur. Hactenus *Sanctus Patriarcha.* An non hi magni fructus ex Miſſæ Sacrificio provenientes? quomodo non proinde laborandum, ut huic tremendo Sacrificio cum devotione aſſiſtamus? Ad hoc porrò ſciendum eſt, quòd non ſolùm Sacerdos celebrans pro ſe, aut pro illo, cui obligatur, hoc Sacrificium æterno Deo offerre poſſit, ſed omnes etiam circumſtantes, dummodò volunt, hoc Miſſæ Sacrificium ſibi & aliis appropriare queunt, hoc cæleſti Patri pro ſuis neceſſitatibus offerendo. Quod colligitur, dum Sacerdos dicit: ORATE FRATRES, *ut meum ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat apud Patrem Omnipotentem.* Non enim dicit ſolùm, *ut meum*, ſed adjungit, *ac veſtrum. &c.* Item poſt memento idipſum intimatur per illam orationem: *Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro ſe ſuíſque omnibus. &c.* Quibus verbis Sancta Mater Eccleſia ſatis abundéque demonſtrat, quemadmodum quilibet Miſſam audiens, hanc

velut suum Sacrificium pro se suisque, tam vivis, quàm defunctis Deo offerre possit, quod certè cuilibet magnum deberet generare solatium, cùm tam efficax medium omni die habeat, nedum pro peccatis eluendis, verùm etiam pro plurimis donis ac beneficiis impetrandis.

Verùm enimverò, ut cumulatiora à Deo beneficia ex auditione Missæ referamus, debitum audiendi Missam modum observemus oportet. Perutilis porrò erit modus sequens.

## Methodus fructuosè audiendi Missam.

*Ante Missam dici potest.*

3. DOmine JESU, largire mihi, obsecro, gratiam tuam, & concede, ut purè intersim Sancto Missæ Sacrificio ad æternam laudem Nominis tui, in memoriam eorum omnium, quæ pro salute nostra fecisti, & pertulisti. Item in gratiarum actionem pro omnibus donis & beneficiis tuis mihi indigno peccatori, & toti Ecclesiæ tuæ concessis, in propitiationem pro innumeris peccatis meis, pro salute mea & proximorum, præsertim pro N.N. pro solatio quoque defunctorum N.N.

AD INTROITUM MISSÆ *humiliet se cum Sacerdote dicens.*

O Bonitas & Majestas infinita! Confiteor tibi peccata mea, de quibus doleo vehementer ex puro amore tui, & agnosco meam vilitatem, quâ indignus sum assistere huic tremendo Sacrificio, in quo tanta bonorum cælestium est plenitudo, quantum est pretium vitæ & mortis Domini JESU Christi.

AD OFFERTORIUM *cogitet, quòd æterno Patri seipsum in ara Crucis obtulerit Christus Agnus immaculatus, & adhuc per Sacerdotum manus velit offerri quotidie.*

*Dicet ergo.*

CLementissime Pater, tibi pretiosam & immaculatam hostiam devotissimè offero in Sacrificium Latreuticum, sive in supremi dominii tui atque excellentiæ infinitæ recognitionem; ad intentiones tibi acceptissimas mihi maximè necessarias, & præsertim N.N. Occurrat hîc intentio schedæ menstruæ, &c.

AD SANCTUS *Sic.*

CLementissime Pater, tibi secundò hanc hostiam offero in Sacrificium Eucharisticum, sive pro omnibus beneficiis, donis, & gratiis tuis mihi indignissimo, & toti Ecclesiæ collatis & conferendis. Præcipuè verò pro gratiis & privilegiis Matri Virgini, Angelóque meo Tutelari, ac Sancto N. vel Sanctis N.N. Patronis meis, datis.

AD CONSECRATIONEM *cogitet cælos aperiri, cælorúmque Regem inter Angelorum turmas advenire; & ad elevationem Sacræ Hostiæ, dicat:*

AVe verum Corpus, natum ex MARIA Virgine, verè passum, immolatum in Cruce pro homine. Cujus latus perforatum, fluxit undâ & Sanguine, esto nobis prægustatum in mortis examine. O Dulcis, ô Pie, ô JESU Fili MARIÆ miserere mei. Amen.

AD SACRI *porrò* CALICIS *elevationem.*

AVe pretiose Sanguis Domini JESU Christi, qui in ara Crucis pro me effusus fuisti: Tu ablue peccata mea, & mundabor, tu me lava, & super nivem dealbabor.

AD

Ad Agnus Dei.

CLementissime Pater, tibi tertiò venerabilem hanc hostiam offero in Sacrificium propitiatorium, sive in remissionem peccatorum, pro me indignissimo, próque omnibus vivis ac defunctis, respice Pater mi, in faciem Christi tui, & miserere nostri.

Ad Domine non sum dignus, *ter idipsum repetens, séque pro spirituali communione disponens dicat.*

DEsidero te millies, mi Jesu quando venies? Veni desiderium collium æternorum; veni gaudium Angelorum, veni mea salus unica: pauperi animæ meæ digneris unire te, tuæque passionis merita, & Sacramenti gratiam ejus vulneribus applicare.

*Dumque Sacerdos sumit sanctum corpus, aperiat quoque cor suum, & ubi* Jesum *spiritualiter susceperit, dicat.*

CLementissime Pater, tibi postremò mundam hanc hostiam offero in Sacrificium impetratorium donorum omnium, pro quibus tibi supplicare soleo; nunc autem petitionibus meis dilectum Filium tuum, cui nihil denegare soles, interpono; secundùm infinita ejus merita exaudi me Domine Sancte Pater, & fidelibus defunctis da requiem, vivis gratiam, Principibus Christianis pacem &c.

Porrò hæc omnia possunt magìs ad particularia facilè trahi, & pro arbitrio subinde fusiùs tractari, reliquo autem tempore potest dici corona B. Virginis, aut quod melius foret, interponi brevis meditatio de vita Christi, sicque erit auditio Missæ omnino fructuosissima.

4. Cæterùm ut magis magisque incitemur ad Missas devotè audiendas, mente revolvamus oportet alios hujus Sacrificii admirandos effectus. In vita *S. Elisabeth* Reginæ Lusitaniæ legere est, quòd hæc S. Regina habuerit Ephebum omnibus Virtutibus ornatum, & præsertim fidelitate, per quem eleemosynas faciebat, & alium quendam perditis moribus, qui gratiæ invidus, quâ sodalis ejus apud Reginam præpoterat, Regi insinuavit, Reginam Ephebi præmemorati amore affici. Quare Rex protinùs eum è medio tollere decrevit. Hinc suo cuidam calcario imperavit, ut missum à se certo die, horáque nobilem ephebum scitantem, num regio fecisset mandato satis, arreptum mox mediam in fornacem calcariam accensam conjiceret, rémque hanc sibi fore gratissimam nosset. Itáque horâ, diéq; præstituto, misit Rex illum Reginæ nobilem ephebum ad calcis artificem, fornacémque calcariam, sed cùm solennis hæc pietas misso esset, ut quoties æs campanum sonari audiret circa SS. hostiæ elevationem, templum subiret, nec abscederet, antequam Missa finiretur. Ideo cùm fortè templum transiret, & æs campanum sub elevationem SS. hostiæ in Missa pulsari solitum audiret, ingressus Ecclesiam, fixis humi genibus Christum in Sacramento veneratus usque ad finem Sacrificii duravit; secundùm quod duabus aliis Missis continuò factis astitit. Interea cùm Rex scire discuperet, an ille nobilis ephebus in calcaria fornace consumptus esset, misit illum alterum suum palatinum (qui fomes fuerat, fotórque hujus incendii) rogatum ex calcario, num regio fecisset mandato satis? Ille ratus hunc ipsissimum esse, quem Rex calcario vulcano donatum vellet, arreptum in medias calcariæ fornacis flammas injecit, injectúsque flammis absumptus in cineres repentè decidit.

 Sic,

Sic, sic supremus ille litium Arbiter causam defendit innocentis, & reum punivit sic, ut casses, quos alteri tetenderat, ipsemet incideret, quod est æquitati Divinæ solenne. Secundùm hæc ille Reginæ nobilis ephebus calcarium accessit scitatus, num Regis imperio morem gessisset? à quo responsum tulit, esse jam Regis mandato satisfactum. Sic ephebus ille rediit ad Regem stupore defixum, quòd decreto suo planè contrarium accidisset; postea tamen ut intellexit rei veritatem, mutatâ sententiâ hujus innocentiam absolvit, illius nequitiam damnavit, suæque Reginæ sanctitatem comprobavit, atque suspexit.

5. Hinc ergo patet, quanti valeat pia consuetudo, quotidie Missæ Sacrificio assistendi. Equidem constat experientiâ reliquas diei actiones & negotia ab hoc exordio pendere. Ephebus iste hâc pietate dirissimæ mortis supplicium evasit, vitam servavit, dum vitali Sacrificio interfuit. O quàm multi imminentia corpori, animæque pericula denentia ... pulerunt, quia Sanctissimæ Liturgiæ quot diebus præsentes fuêre! Gravissimam Sancti *Concilii Tridentini* sess. 22. can. 2. auctoritatem de hoc Sacrificio præscriptam habemus, quod inter alia pronuntiat: *Per Sacrificium Missæ fieri, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Sensit opportunum hoc auxilium Ephebus dictus, dum paratam sibi ruinam hâc pii moris constantiâ declinavit. Huc refert S. *Antoninus* Archi-Episcopus in 2. p. Chron. tit. 9. c. 10. §. 2. de Sacrificio Missæ, ejúsque fructibus, memorabilem historiam; fuisse scilicet duos sodales mutuâ amicitiâ multùm devinctos, quorum cùm cætera studia essent communia, pietatis tamen erant diversa; nam alter solebat quotidie rem divinam in templo obire, alter negligebat. Hi duo cùm quadam die festivâ aucupii causâ in agros, & sylvas exivissent (quorum alter priùs audiverat Missam, alter non) & in aperto campo constitissent, cœpit aër perturbari, & minari pluviam, tonitrua, fulmina, coruscationes frequentari, vóxque per aërem super ipsorum capita insonuit: *Percute, percute.* Et ille quidem, qui eâ die Missæ Sacrificio non interfuerat, fulmine tactus, repentè concidit. Quo spectaculo territus alter huc illùc discursans, iterum vocem audiit: *Percute, percute.* Quanto terrore fuerit perculsus ille, quilibet per se imaginari potest. Sed post hanc vocem supervenit alia dicens: *Non possum, quia hodie audivit:* VERBUM CARO FACTUM EST. Ex eo scilicet, quòd audiverat Missam, cujus finis est, *Verbum caro factum est* secundùm morem communem. Sic evasit mortem illam terribilem. Ecce virtutem & efficaciam Sacrificii Sancti; exarmatur in eo vindicantis Dei ira, ut non possit eum ferire, qui Agno cælesti in ara immolato se supplicem stravit. Nos si beneficia Dei occulta & incognita perspicaciore oculo pervideremus, quàm sæpe deprehensuri essemus imminentem capitibus nostris tempestatem, istâ erga divinum Sacrificium pietate discussam fuisse?

6. Verùm, ut prædictorum veritas magis elucescat, adnectere lubet aliam historiam. In Styria vir nobilis gravi perturbatione urgebatur, ut ipse sibi vitam laqueo tolleret; insanæ huic menti è viri Religiosi consilio remedium fuit Sacrum Missæ Sacrificium; quòd, conducto ad id Sacerdote, quotidie in Sacello arcis suæ fieri curabat. Accidit, ut

ut Sacerdos vicino Parocho operam in divinis officiis peragendis commodaret, & maturiùs ad aram faceret. Toparcha nescio quibus remoris impeditus, paulò serior ad templum accessit. In via occurrit ei rusticus; hunc percontatur, num adhuc spes esset Sacrificio divino assistendi? respondet colonus, se redire ex templo fine Sacris imposito. Turbavit hoc dictum ita vehementer Toparcham, ut gravissimi mœroris indicium daret. Homo rusticanus virum nobilem oppidò afflictum cernens, age, inquit, Domine cede mihi pallium hoc, seu lænam tuam meliori de panno factam, & ego cedam fructum è Sacrificio Missæ collectum. Placuit Viro nobili ea hominis oblata conditio; tradit chlamydem, & jam animo serenato reliquum viæ prosequitur. Ruricola paucos inde passus progressus sensit se cum amiculo Toparchæ ejusdem intemperiem induisse, simúlque desperabundus, injecto in collum laqueo, ut erat involutus chlamyde, ex arbore se suspendit, Judæ exemplum imitatus, qui pretio accepto Christum prodidit, & gulam sibi nexu fregit. Dynasta postquam pietati suæ in æde sacra vacavit, cùm id loci rediret, & agrestem venditorem conspiceret pendulum, facilè agnovit suos in illum manes immigrâsse; gratias igitur habuit Deo, cujus bonitate id corporis animæque periculum evasisset, luculento in omnes documento, quanti referat, remedium in rebus perturbatis in salutari illo Sacrificio quæsiisse.

7. Magnus Ecclesiæ Doctor *S. Gregorius* hom. 37. in Evang. meminit. Cùm quidam ab hostibus captus longè transductus fuisset, diúque in vinculis teneretur, eum uxor sua, cùm ex eadem captivitate non reciperet, extinctum putavit. Pro quo jam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerri. Cujus toties vincula solvebantur in captivitate, quoties ab ejus conjuge oblatæ fuissent hostiæ pro animæ ejus absolutione. Non longo pòst tempore reversus, admirans valde suæ uxori indicavit, quòd diebus certis, hebdomadibus singulis ejus vincula solvebantur, eo scilicet tempore, quo pro eo Sacrificium fuerat oblatum. Tantam vim habet hoc tremendum Sacrificium, ut etiam ferrea vincula disrumpat. Christus enim in Ara est gratiarum divinarum liberalissimus Condus, qui distribuit cuilibet prout vult, & prout se quisque capacem reddit. Accipiamus igitur de hac ejus plenitudine, & quod *Isaias* c. 12. monet: *Hauriamus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Qui sunt isti fontes, nisi Christi pretiosa vulnera, cælestium charismatum canales, in divino Missæ Sacrificio largiter nobis fluentes, ejúsque copiosa merita in nos abundè derivantes? adeò ut piissimus Salvator noster videatur in singulis Missis illam invitationem, quâ quondam Judæos ad doctrinam suam accipiendam vocavit, amantissimè repetere: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Joan.* 7: Hoc est, si quis anhelat ad meam gratiam, quærit solatium in suis miseriis, desiderat auxilium in suis infirmitatibus & tentationibus, ecce præstò sum in Ara, accedat, supplicet, petat, donabo eum votis suis, & benedictionibus replebo.

8. Quanti præterea sit meriti, Sacrosancto Missæ Sacrificio inservire, liquet ex *Sancta Mechtilde*, quæ vidit animam cujusdam Conversi in magna claritate, eò quòd speciali devotione & diligenti

diligenti ſtudio, ubicunque poterat, ad Altare ſerviebat. Alius quidam Juvenis Religioſus, nomine Petrus (ùt refert *Cæſarius* lib. 8. miracul. cap. 13.) cùm miniſtraturus ſuo Abbati Confeſſionem dixiſſet, & abſolutionem de more devotiùs acciperet, audivit vocem de cælo dicentem ſibi: *Dimiſſa ſunt omnia peccata tua.* Aliàs etiam, cùm Sacriſtæ Miſſam celebraturo ipſe aſtaret, & lampas extincta fuiſſet, lumen aliunde afferre volens, ſed anguſtiâ temporis præoccupatus non valens, flatu lampadem reaccendit. Rursùs in Chronicis Fratrum Eremitarum *Sancti Patris Auguſtini* narratur de *Joanne Rheatino* inſignis virtutis Juvene, qui Sacerdotibus omnibus indifferenter ad Miſſam ſumma cum diligentia libentiſſimè miniſtrabat. Per aliquot autem ante obitum dies ad eum veniens philomela, quotidie ante feneſtram ſuaviter canebat: & interrogatus, quid ſibi ea vellet? reſpondebat jocosè, Sponſam eſſe ſuam invitantem ſe ad paradiſum. Hic die quadam ad Miſſam miniſtrans, vidit ſuper Altare lucem divinam, & eâdem die cœpit decumbere, & magnâ cum devotione ſpiritum reddidit Creatori.

9. Quis ex his non palam colligat, quàm gratum & acceptum ſit Deo opus, ad Miſſam devotè miniſtrare? nam ſi illius ſimplex auditio plurima nobis (ùt hucuſque viſum) conferat beneficia, quis igitur addubitare poterit, quin præ reliquis circumſtantibus divini hujus Sacrificii fructus participet devotus miniſter? Teſtem unicum produco expertum, nimirum Doctorem Angelicum, *Divum Thomam Aquinatem*, de quo ſcribit *Antonius Senenſis* in ejus vita, quòd tanti fuerit apud eum auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium, ut, cùm ipſe ſacris operatus eſſet, vellet etiam alteri celebranti quotidie inſervire, quæ pietas illi majus fuit ad eximiam illam, toto orbe notam ſcientiam, præſidium & lumen, quàm quodvis aliud ſtudium, ac labor; ita ipſe *Sancto Bonaventuræ* teſtatus eſt. Eapropter chariſſimi, cùm hæc & alia pietatis exempla nobis non ſint relicta ad purè ſpeculandum, ſed potiùs ad imitandum; ideo non pigeat imitari, quod celebrare delectat; quòd ſi verò ad Miſſam ſervire non detur facultas, aut opportunitas, ſaltem ad exemplum ferventiorum Sacerdotum, uni, aut alteri Miſſæ intereſſe ſtudeamus, neque morari debemus eos, qui ſimilia devotionis exercitia vilipendunt, dicentes, iſtiuſmodi pietatem eſſe propriam mulierculis, non viris; ſiquidem veriſſimum eſt illud Paulinum 1. *Corinth.* 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus.*

10. Denique etiam illis, qui talem erga Sacrificium Miſſæ devotionem in aliis ægrè ferunt, reſponderi poteſt, & debet, ſi non his, ſimilibus ſaltem verbis, quibus aliquando reſpondit ſuis aulicis *Sanctus Ludovicus*, Rex Franciæ: Cùm enim inaudiſſet, nobilium aliquos murmurare ſuper hoc, quòd quotidie duas Miſſas, & frequenter tres vel quatuor audiret, reſpondit: *Quòd ſi duplo tempore ponerem in ludendo ad aleas, & currendo per ſylvas pro venationibus & aucupiis, nemo ſuper his loqueretur.* Quo dicto ora murmurantium prudentiſſimè oppilavit. Ita refert *Raynerius* in ſuis Annalibus Anno 1270. num. 19.

11. Verùm

11. Verùm enim verò, quò hujusmodi ad Missam devotio nobis veniam & gratiam obtineat, dogma quoddam singulariter notandum est *Cardinalis Bellarmini*, quod in hæc tradit verba (lib. 2. de Missa cap. 4.) *Non majorem vim habere potest sacrificium Missæ, quàm sacrificium Crucis; cùm sacrificium Missæ vim habeat à Sacrificio Crucis; Sacrificium autem Crucis non efficienter & immediatè justificat, sed tantùm impetratoriè & meritoriè, alioquin continuò omnes homines justi effecti essent, cùm Dominus pro omnibus hominibus se Deo in Sacrificium obtulerit.* Ideóque hic purpuratus Doctor sic concludit, dicens: *Sacrificium Missæ non justificat homines immediatè, sed impetrat, ut ex merito sacrificii Crucis detur hominibus gratia, & donum perseverantiæ.* Licèt ergo Missæ Sacrificium vim habeat satisfactivam, quia tamen in satisfactione magis attenditur (uti docet S. *Thomas* 3. p. q. 79. a. 5. corp.) affectus offerentis, quàm quantitas oblationis: ideo quamvis Missæ oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna; tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundùm quantitatem suæ devotionis. Quamobrem, ut per Missæ Sacrificium nostrorum tollatur reatus peccatorum, eorúmque obtinere mereamur veniam, & ut Christus pro nobis interpellet, simul cum ipso Missæ Sacrificium æterno Patri suo, & nostro, cum debita reverentia, devotione & compunctione offeramus necessum est.

12. Ex his præcipuè liquet, quòd, sicut in sacra Communione gratia infunditur juxta Communicantis dispositionem & devotionem; ita similiter ineffabilia illa bona, quæ ex Missæ Sacrificio in nos dimanare solent, illi duntaxat potissimum participant, qui devoti ac bene dispositi Missæ intersunt. In vita *B. Guilielmi* Presbyteri, qui vitam duxit eremiticam *Bolandus* 10. Februarii ita scribit: Dum semel tremendo Altaris Sacrificio interesset, in spiritu raptus, Puerum JESUM vidit, pacem ab Altari susceptam per universam Ecclesiam distribuere, pluribus tamen prætermissis, qui puritate conscientiæ contemptâ, peccatorum labe erant inquinati. Nam (ùt *Salvianus* l. 3. de Provid. optimè dixit) *Etsi peccator non prohibetur ab ingressu templi, debet tamen is aliter non intrare, nisi ut mala antiqua defleat.* Et ideo tametsi Missa sit Sacrificium propitiatorium, proque peccatis nostris offeratur; attamen ad eam accedere debemus tanquam peccatores, peccata commissa detestantes proponentésque eadem ampliùs non committere. Unde S. *Carolus Borromæus* in instructione Prædicatorum (*Acta Eccles. Mediol.* fol. 488.) iisdem seriò præcipit, ut hoc punctum populo in sermonibus suis inculcent, ut, dum per campanam signum imminentis Missæ dari audiunt, quilibet paulisper se colligens, peccati mortalis conscius, dolore ex eo affectus, propositô illius confitendi conceptô, supplex à Deo veniam petat. Nimirum Sanctus hic Archi-Episcopus, à Deo eximiè illuminatus, probè cognoscebat, quanti referat huic Sacrificio cum conscientia, si non omninò purâ, ad minùs per actus veræ compunctionis, veræque emendationis propositum præparatâ assistere, ut fructus inde percipi possit. Quocirca cum devotione, cordísq; compunctione Missarum solemniis interesse studeamus, &, ut tantorum participes fieri mereamur bonorum; nos mutuò cohortemur, atque unus ad alterum cum *Apost. Paulo* dicat: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Hebr. 4.

# SERMO LIV.
# DE VENERATIONE SANCTORUM.

*Voca ergo, si est, qui tibi respondeat; & ad aliquem Sanctorum convertere.* Job. 5. vers. 1.

## PARS PRIMA.

1. SErmonem in præsenti instituimus de Sanctis in Patria existentibus, quibus propter eorum excellentiam virtutis super cæteros homines *Duliæ* venerationem impendimus, eósque, ut pro nobis apud Deum intercedant, rogamus, & invocamus. Quòd si quis dixerit, nos Sanctos invocare non debere ex eo capite, quia Deus est in infinitum magis misericos quolibet Sancto, & sic voluntas ejus faciliùs inclinatur ad nos exaudiendum, quàm voluntas alicujus Sancti: ergo videtur superfluum constituere mediatores inter nos & Deum, ut ipsi pro nobis intercedant. Hanc objectionem proponit *S. Thomas*, (supp.q.72.a.2.ad 1.) eámque dissolvit, sic scribens: Dicendum, quòd sicut non est propter defectum divinæ potentiæ, quòd mediantibus secundis causis agentibus operatur, sed est ad complementum ordinis universi, & ut ejus bonitas multipliciùs diffundatur in res, dum res ab eo non solùm suscipiunt bonitates proprias, sed insuper quòd aliis causa bonitatis existant: ita etiam non est propter defectum misericordiæ ipsius, quòd oporteat ejus clementiã per orationes Sanctorum pulsare, sed est ad hoc, ut ordo prædictus servetur in rebus. Ita *Magister Angelicus*.

2. Porrò, licèt soli Deo nostra debeatur servitus, quando tamen etiam Sanctis servire dicimur, dum eos invocamus, dũ nonnulla pia opera in eorum honorem facimus, *non servimus Sanctis* (inquit idem *Doctor Angel.* 3.d.9.q.2.a.3.ad 7.) *quasi eis obnoxii, sed servitute reverentiæ, quia sunt nostri ductores, vel per doctrinam, vel per administrationem, vel per intercessionem, & exemplum.* Eapropter tametsi solus Deus videatur orandus, eò quòd *Oratio est ascensus seu elevatio mentis ad Deum*, ut supra visum ser. 48. n. 1. Nihilominus & ad Sanctos pro eorum impetrando suffragio dirigi posse manifestum est; si consideretur, quòd oratio porrigitur alicui dupliciter, quemadmodum docet idem *S. Thom.* 2.2.q.83.a. 4.corp. *Uno modo*, quasi per ipsum implenda. *Alio modo*, sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus; quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam, quæ solus Deus dat secundùm illud *Ps.* 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Sed secundo modo orationem porrigimus sanctis Angelis, & hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur *Apoc.* 8. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Et hoc etiam patet

ex ipso modo, quo Ecclesia utitur in orando. Nam à sancta Trinitate petimus, ut misereatur nostri: ab aliis Sanctis petimus, ut orent pro nobis. Hæc S. *Thomas.*

3. Ex quo Sanctos magis propriè dicimur deprecari, solum verò Deum orare. Unde *Cassianus* Collat. 9. dicit, *quòd oratio propriè fit ad Deum, sed deprecatio vel supplicatio ad Sanctos.* Deprecamur autem Sanctos, ut orent pro nobis, ad vitam æternam principaliter comparandam. Sancti igitur, in beata patria existentes, deprecandi sunt, ut à Deo, quæ justè piéque petimus, ipsorum precatu atque interventu obtineamus. Siquidem ad Sanctorum gloriam pertinet, quòd auxilium indigentibus præbeant ad salutem: Sic enim Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est diviniùs, ùt S. *Dionys.* dicit c. 3. Eccles. Hierarch. Et ita indigentiam nostram induentes, miseriámque ac pericula, quibus involvimur, considerantes, miserentur Sancti nostrûm, qui in statu hujus miseriæ vivimus, ac orant pro nobis Deum, quod impiè negavit *Vigilantius*, & etiamnum negant moderni temporis hæretici, dicentes, nullum exstare in divinis Oraculis edictum, quòd ab eis opem & tutelam jubeat exposcere.

4. Veruntamen hos à veritatis Catholicæ scopo longiùs aberrare, plura ostendunt Sacræ Scripturæ testimonia. Vates *Hebræus Baruch*: *Domine omnipotens*, (inquit c. 3.) *Deus Israël, audi nunc orationem mortuorum Israël.* Observa, mi pie lector, verba: *Orationem mortuorum.* Ergo etiam mortui orant? Omnino, sed ii qui jam vivunt supra cæruleas stellarum plagas. Laudatissimus Dux, *Judas Machabæus* per quietem vidit *Oniam* Pontificem passis manibus pro populo supplicantem. Proximè huic alius senio & majestate venerandus assistebat, quem *Onias* velut digito designans; *Hic est*, inquit, *qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei.* Multa dura & acerba isti viri Sancti, dum in terris degerent, à Judæis perpessi fuerant; eorum animæ nondum cælum ascenderant; Siquidem per Christum fuit postmodum reseratum; exstabant in limbo, & tamen pro Dei populo exorabant. Quid ergo facient Sancti, cùm sint beatitudinem adepti? Patet ergo, Sanctos habere curam de vivis, & eos, qui mortui sunt in sanctitate, suis orationibus ante Deum juvare vivos. Quin & ipse purpuratus *Epulo* in flammis pro fratribus rogat, *ne & ipsi veniant in locum illum tormentorum.* Luc. 16. 27. Et Sancti in summis beatorum deliciis, jam ex toto securissimi, tacebunt? Quis unquam id, nisi insanæ mentis homo, credere poterit?

5. Rectè ergo *Eliphaz* dicebat ad *Job*: (Job. 5. 1.) *Voca ergo, si est qui tibi respondeat: & ad aliquem Sanctorum convertere.* Hæc verba S. *Thomas* suppl. q. 72. a. 2. in arg. *Sed contra.* premens, ait: *Vocare autem nostrum, est humili Deum prece deposcere: ergo cùm volumus Deum orare, debemus ad Sanctos converti, ut pro nobis Deum orent*; Quia ipsi optimè norunt (utpotè qui & ipsi hanc mortalitatis viam, periculis refertissimam, etiam pertransiêrunt) quantis æternæ salutis amittendæ discriminibus nos viatores expositi simus: Quia ergo salutem nostram avidissimè sitiunt, libentissimè ac promptissimè omnibus invocantibus se, ac eorum subsidium implorantibus opem ferunt, ac ab hostium ferocissimorum incursibus eos protegunt. Verissimum est, quod dixit *Apost.* 2. Cor. 5. *Scimus, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino* in hac mundi via, de qua rectè vaticinatus est *Proph. Jerem.* c. 23. 12. *Via eorum quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea* quàmplurimi. Quemadmodum enim, qui

qui semitam calcat lubricam in tenebris, facillimè & corruit, & à recto tramite aberrat; ita nobis, qui in hac caliginosa præsentis vitæ solitudine inambulamus, contingit & labi in foveam peccati, & deviare à nostra cælesti patria. Hinc divina providentia & clementia, hæc nobis imminentia pericula quò præverteret, cuilibet homini mox à tempore nativitatis suæ deputavit Ductorem aliquem fidelissimum, nempe Angelum Custodem, qui suum clientem à periculis liberet, & salvum ac incolumem ad cælestem perducat hæreditatem, juxta illud *Regii Vatis* testimonium (*Psal.* 90. 11.) *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*; id est, ne in peccandi periculis positus, in peccata corruas, indéque sempiternum supplicium incurras.

6. Enim verò, animadvertendum est, quòd non solùm Angelis demandatum sit à Deo, ut nos custodiant, nostræque saluti invigilent; sed, & Sanctis aliis datum & concessum est, ut *in manibus* protectionis suæ *portent nos*, si devoti illis exstiterimus; *ne fortè offendamus ad lapidem* peccati *pedes nostros*, mortaléque secundùm animam vulnus accipiamus, ac moriamur, æternúmque pereamus. Proinde de Sanctis omnibus nobis dictum credamus, quod *Claravallensis Abbas* de Sanctis Angelis dixit: (in Psal. *qui habitat*) *Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum*, Patronum tuum, *ductorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantùm sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione cæli commoremur.* Dixerunt olim Filii Ammon & Moab ad Holofernem: (*Judith.* 7. 8.) *Filii Israel non in lancea, nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt eos.* Per hos montes intelligit gravissimus Doctorum *Augustinus* Sanctorum patrocinium, qui devotè invocati, Christi fideles ab impugnatione hostium, & dæmonum mirè defendunt.

7. Lubet percipere quæ posterorum memoriæ scriptò reliquit *Hieremias Drexelius* in suo Trismegisto lib. 2. cap. 6. §. 3. *Henricus ab Haiden* Canonicus Trevirensis, pari morum elegantiâ & nobilitate juvenis, cùm ab extrema pueritia septem annos in Collegio Germanico Romæ egisset, instanter requisitus à suis, reditum parabat in patriam: sed veram illi patriam Deo destinante, incidit in febrem, quæ octavo die attulit mortem. Monitus à Sacerdote de necessitate ultima (jam ante se generali confessione præmunierat) ad Apostoli Andreæ corpus, quod Malphi colitur, pro valetudine peregrinationem vovet: certam dein pecuniam ad crucem argenteam ponendam in æde S. *Apollinaris* (is est Collegii Patronus) itémque ad pallium, quo altare operiretur Deiparæ Virginis, in cujus erat sodalitio, reliquit. His rebus ita dispositis, eum somnus multis præsentibus oppressit: pòst paulò evigilans, accersito Sacerdote, qui erat ei à confessionibus: O Pater, inquit, ô mi Pater, quæ ego vidi? quæ? interrogat ille. Cui æger: quæ nec oculis, inquit, nec auribus, sed nec ullo sensu percipi possunt. Cùm commovisset expectationem, & jungerentur omnium preces, subjecit inter attonitum lætúmque, sed propior læto: Salus mea fuit in angusto: at benignitas Mariæ Virg. Sanctorúmque Andreæ, Apollinaris, & martyrum nostrorū tutelarium in tempore succurrit. A dæmone sum ductus ad Judicem. Magna vis (cùm solus essem) circumstabat accusatorum varia crimina objectantiū, jam jamque exactor supplicii me protrahebat ad

gehennam. Cùm abesset prope nihil, quin essem miserrimus, adstitit misericordiæ parens, & ad illos conversa: Quò vos istum? quid vobis cum illo, qui tot annos mihi in mea Congregatione servivit? Consecutus deinde S. *Andreas*, idem indignans, titulum ostendebat mei patrocinii, quam voveram ad ejus tumulum peregrinationem. Sanctus postremò *Apollinaris* cum cæteris Martyribus, quorum Sacra lipsana in æde nostra sunt, vim prohibuit adversariorum, memorans crucem, quam proximè mandavi faciendam. Ita, quæ DEO est gratia, periculo simul somnoque solutus sum. Hæc cùm dixisset, exultans, quartâ ferè pòst horâ, animam reddidit Creatori. Ita nemo gratìs colit Cælites, quisquis eos animo colit sincero.

# PARS SECUNDA.

8. Coeptum ut prosequamur discursum, premenda veniunt vestigia *Vatis Regii* dicentis Psal. 120. 1. *Levavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.* Per hos montes, ad quos piæ animæ frequenter oculos levare monentur, in sensu mystico intelligit Sanctissimus Pater *Augustinus* Sanctos, in cælo cum Christo regnantes; Levemus ergo exemplo *Davidis* oculos nostros in hos montes, ad Sanctos inquam, in Patria regnantes, & experiemur certò, quia inde veniet auxilium nobis. Et *Psal.* 19. ℣. 2. idem coronatus inter Prophetas testatur, quòd auxilium sit illis à Deo paratum, qui Sanctos invocant, & honorant: Dicit enim: *Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te. Magister Angelicus* hunc Psalmi versum in favorem nostrum exponens, ait: *Mittat tibi auxilium de Sancto*, id est, de Collegio Sanctorum. Est autem duplex Sanctorum Collegium. Unum regnantium cum Deo in gloria, aliud est militantium in terra, & ex utrisque adjuvamur. Ita *mittat tibi auxilium de Sancto*, scilicet Collegio eorum, qui sunt in mundo: *Et de Sion tueatur te*, id est, de illis qui sunt in gloria: omnium scilicet istorum precibus te tueatur, id est, faciat te esse tutum, ne salutis tuæ hostes contra te prævaleant, & animam tuam secum ad inferos abripiant. Ita *D. Thomas.*

9. Ex quo docemur, quòd etiam Sanctorum in mundo adhuc viventium patrocinio atque interventu apud Deum adjuvemur. Unde in libro *Geneseos* cap. 18. legimus, quòd *Patriarchæ Abrahæ* pro Sodomis supplicanti responderit Dominus: *Non delebo propter decem.* Quasi diceret: (ait hìc S. *Thomas*) *Tuarum precum interventu propter solos decem justos, ibi inventos, omnibus parcam. Et secundum hoc significatur hìc admirabilis efficacia precis & meriti præcipuorum Sanctorum.* Et capite sequenti habetur, quòd Loth periisset cum Sodomitis, nisi per preces tam efficaces Abrahæ fuisset ab incendio tam horribili ereptus, dicente Scripturâ: *Cùm subverteret Dominus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Loth de subversione urbium, in quibus habitaverat. Gen.* 19. 29. Et quod amplius, etiam Deus, ob meritum *Loth* suos generos, si vellent ei credere, quòd Sodoma quamprimùm sit subvertenda, salvare volebat: *Dixerunt autem ad Loth Angeli:*

*Habes hîc quempiam tuorum generûm? Delebimus enim locum istum. Gen.* 19. 12. Verùm, quia illi id futurum esse credere nolebant, imò *Loth* quasi fabulam narrantem, irridebant, & ipsi sulphureo igne consumpti, secundùm corpus & animam periêre.

10. Ah! quot innumeri temporaliter & spiritualiter periissent, nisi Sanctorum, adhuc in carne viventium, precibus & meritis servati fuissent! Quin generaliter propter tot, quæ committuntur, scelera non destruitur, sed stat mundus per orationes justorum. Unde & *Sanctos Patriarchas*, *Dominicum* & *Franciscum* legimus, Dei postremum orbi excidium minitantis iram suis precibus extinxisse, suis meritis fulmina retardâsse. Dicitur idcirco apud *Isaiam Prophetam*: cap. 65. 8. *Hæc dicit Dominus: quomodo si inveniatur granum in botro, & dicatur: ne dissipes illud, quoniam benedictio est: Sic faciam propter Servos meos, ut non disperdam totum.* Et apud *Ecclesiasticum* cap. 26. ℣. 3. & 5. legimus: *Melior est enim unus timens Deum, quàm mille filii impii. Ab uno sensato inhabitabitur patria*; hoc est, propter unius sæpe hominis sancti & justi preces, & merita, pagi, oppida, urbes, & integra regna inhabitantur, quæ aliàs unà cum suis habitatoribus vastarentur, & perirent.

11. Sic unus & solus *Laurentius Justinianus* Venetorum urbem ab excidio suis precibus servavit, uti scribit *Hieremias Drexelius* in Trismegisto lib. 2. cap. 8. §. 2. Nam quo tempore bellum inter Venetos & Mediolanenses exarserat, in Corcyrano nemore *Eremicola* vaticiniis clarus degebat. Hunc è Venetis optimatibus vir nobilis adiit, quæsivitque, cui parti bellum illud feliciter cessurum esset? Huic respondens *Anachoreta*: Deus, (inquit) urbi Venetorum vehementer iratus, quòd nulla morum emendatio post tot admonitiones, post tantos clamores sequatur, illam perinde ùt Palæstinæ Pentapolim jam dudum delêsset, nisi unicus illorum *Patriarcha* suis precibus vindictam divinam avertisset. Idem penè de *Simeone Salo* (qui solitudinem deserens, & stultum se fingens plurimas Deo animas lucratus est, ùt dictum serm. 24. num. 14.) *Leontius Neapolitanus Præsul* commemorat de quodam Cive Emesano, qui dum Jerosolymam iret, quò illic se precibus Abbatis *Joannis* commendaret; *Joannes*, *Simeonis* olim Socius, cùm illum Emesâ ad se venisse cognovisset, ait: *Miror vel maximè, te tantùm viæ tam casso labore confecisse. Ecquid est, quòd me Jerosolymis quæras? cum Emesæ habeas Simeonem, cujus precibus non ego solùm, sed & Orbis totus indiget.* En hominem, quem ùt fatuum & stultum Mundus totus deridiculo habebat, hujus precibus mundus totus egebat. Ex quo facilè colligimus, quàm potentes & efficaces sint justorum preces, quæ non tantùm unum aliquod regnum, sed & orbem terrarum universum sustentare possunt.

12. Hîc bene notandum, & considerandum venit, videlicet: Si viri justi in hoc etiam sæculo degentes, ubi aliquibus adhuc mundanis defectibus, excessibus, & peccatis manent obnoxii, tantùm valent à Deo impetrare orando; quantò magìs divinâ præsentiâ fruentes, id facere possunt & faciunt, quando in cælis Deo intimiùs conjuncti perfectiorem charitatem, pleniorémque potestatem obtinent? In Actibus Apostolicis iter S. *Pauli*, quod Romam versùs instituerat, describitur; exortâ autem tempestate, cùm jam omnes, qui erant in navi, secum actum esse

esse crederent, à Paulo animati, benè sperare jussi sunt, dixitque ad eos: *Astitit mihi hac nocte Angelus Domini, cujus sum ego, & cui deservio, dicens: Ne timeas Paule; ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.* Act. 27. 23. Et sic omnes per orationem & merita S. *Pauli* submersionis periculum evasêre. Maximus Ecclesiæ Doctor, D. *Hieronymus* hunc eventum contemplans, ita Tom. 4. contra Vigilantium scribit: *Sanctus Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex animas sibi dicit in navi condonatas, & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, nunc ora clausurus est, & pro iis, qui in toto orbe ad Evangelium suum crediderunt, mutire non poterit?* Errant, errant gravissimè qui id credunt. Nam, ùt idem Sanctissimus Doctor prosequitur: *Si Apostoli & Martyres, adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse soliciti, pro aliis orant, quantò magis post coronas, victorias, & triumphos?*

13. Verùm, ùt clariùs videamus, quàm solicitam curam gerant Sancti erga eos, qui devotè illos invocant, eorúmque auxilium implorant, unam alterámve adnectere lubet historiam: primam commemorat P. *Pacificus Bentgen* in fasciculo gemino miraculorum, & pietatis in S. *Antonium* pag. 75. ubi hæc scribit: Erat Neapoli vir potens, qui inter alios censúum debitores quendam habebat rusticum è Pago Nicera, haud ita procul à Civitate Neapolitana, ac ignivomo illo monte Vesuvio distante. Postquam hic rusticus ingenti cum solicitudine pecuniam congessisset, suóque Domino persolvisset, nullam ab eo apocham, vulgò *quitantiam* obtinere potuit, jussus solo verbo *Nobilis* esse contentus. Paucis post annis, Domino vitâ functo, hæredes colonum alterâ vice ad solutionem adigunt; quia verò defectu apochæ solutionem à se factam contestari non poterat, neque dicenti fides adhibebatur, in maximas conjectus est calamitates & ærumnas. Quâ enim viâ tantam pecuniæ vim compareret iterum, ignorabat omnino. In hac sua miseria humano destitutus auxilio, mœrore plenus ad Conventum Franciscanorum Neapoli Sancti Laurentii honori consecratum properat; afflictissimo corde Guardianum requirit, suas ei miserias aperit, quædam Sacrificia in honorem S. *Antonii Paduani* exposcit, quæ & obtinuit, & præsens devotè audivit. Dum autem mœstus quidem, attamen in ipsius S. *Antonii* confidens patrocinio domum solus repetit; In via spectabilis quidam vir, habitu Franciscano, ei se associavit, ac amicâ salutatione peractâ, causam mœstitiæ exquirit, mox bono animo esse jubet, ac secum ad montem Vesuvium deducit: ubi eò perventum, pede terram pulsat *Antonius*. O rem stupendam! Ecce dæmon progreditur ex flammis Vesuvii, quem Sanctus interrogat, num quendam virum talis nominis in ardenti suo specu contineat? respondet affirmativè dæmon: Affer ergo illum huc, inquit *Antonius*, qui paulò pòst adductus comparuit, inquirit ex eo Sanctus, cur Colono huic, legitimâ solutione præstitâ, apocham non tradidisti? Respondit infelicissimus ille voce horrendâ: Ob hanc, aliásque à me exercitas injustitias justo Dei judicio nunc æternas pœnas sustineo; Subjungit *Antonius*: Tu ergo apocham trade, ne ulteriùs à tuis hæredibus gravetur. Quibus dictis, mox dæmon scribendi exhibuit instrumenta; Damnatus verò Apocham conscripsit, ac subscripsit: *Datum in monte Vesuvio 4. Julii* 1632. Quo facto, jussu S. *Antonii* mox duo alii falsi testes cum non absimili

horrore

horrore adducti sunt, ac inquisitionibus factis, eandem apocham subscripserunt. Obtentam apocham tradidit clienti suo *Antonius*, quærens, nam illi jam satisfactum? Ubi ille humili cum gratiarum actione annuit, subitò *Antonius* disparuit. Colonus ergo spe plenus cùm de monte descendisset, rémque Neapoli Guardiano indicâsset, ísque quid actum, Episcopo & Inquisitori retulisset, citati sunt ab his hæredes, ac cum rationum libris, à defuncto Nobili relictis, adesse jussi: Inde apocha cum aliis scriptis collata, decreta fuit convenire omnimodè manui Nobilis: In cujus rei memoriam apocha ibidem adhuc asservatur, ac interdum ostenditur. Vide de eodem Sancto aliam historiam suprà serm. 32. num. 4. relatam.

14. Ecce, qualiter Sancti, piè invocati, suis clientibus opitulentur, eósque suis in necessitatibus neutiquam deserant: id quod vel maximè faciunt eo tempore, quo orcus suis armis ac assultibus nos aggreditur, ac in peccati abyssum deturbare, indéque ad perditionem æternam nos secum abripere connititur. Certè si nos mortales Sanctorum præsidium non haberemus, millies profectò in gravissima diabolus nos pertraheret scelera, nobísque accenderet flammas sempiternas. Hoc ita esse, perspicuè videbimus, dum magnus nobis æternitatis dies elucescet. Interim audiamus quandam historiam, cujus meminêre plures Scriptores, fide digni, quos inter etiam recensetur S. *Antoninus* Archi-Episcopus Florentinus parte 4. Historiæ tripartitæ. tit. 13. cap. 3. Quidam Episcopus, vitæ Sanctimoniâ clarus, inter cætera pietatis argumenta singulari affectu in *Sanctum Andream Apostolum* ferebatur. Interea invidus orcus, ut virum tam Sanctum in turpem aliquam labem impelleret, formam venustissimæ puellæ induit, quæ Præsulem, tanquam noxas apud eum expiatura, accedit, confessionémque exorsa ait: se regio stemmate natam, Deóque suam virginitatem nuncupâsse, ideóque ut hanc illibatam servaret, & ne à parente Rege vel invita viro Príncipi desponderetur, se huc profugisse, ut sub ejus tutela tutè latere possit. Hæc ùt Sanctus Præsul audiit, miserationis affectu motus, eam tecto recipit, & separatam habitationem attribuit, ubi sine impedimento Deo, sibíque vacaret; Hinc etiam eam ad mensam solitò lautiùs instructam invitat. At illa, ut suâ modestiâ magis Præsulis animum sibi devinciret, se multis excusavit, dictitans, quòd sibi oppidò timeret, ne agnita proderetur, & ad Regem Patrem suum violenter abduceretur. Cui cùm Episcopus securitatem promisisset, tandem illa cum Præsule mensæ accubuit; hinc blandis verbis, nutibus & oculorum ictibus, tantam impuri amoris flammam in Præsule suscitavit, ut locum & modum circumspiceret flagitii perpetrandi. Intereà peregrinus quidam improvisò januam, pulsat, sibíque aperiri petit. Indignatur Episcopus importuno adventori, meditatam voluptatem interturbanti. Suadebat invitata, odiosum ut excluderet interpellatorem, sed Præsul meliori instinctu admonebatur, ne hospitium negaret peregrino. Dum hæret dubius, sciscitatur ex puella, quid faciendum? Cui illa, si aptè, inquit, ad mea quæsita respondebit, aperiendum ei fore; sin minùs, protinus ab ingressu arcendum: simúlque interrogari jubet hominem, ut dicat: Quid maximè mirabile sit eorum, quæ Deus in re parva fecerit? Respondit peregrinus: Diversitas facierum; néque enim ab ex-

ordio

ordio mundi duos esse mortalium repertos, sibi conformatione vultûs per omnia similes. Mox puella alium solvi nodum postulat, & ex eo quæri: ubi terra altior sit cælo? subjicit peregrinus: In Empyrea Beatorum sede, ubi Christi humanitas ad dextram Patris considet. Audito hoc responso, omnes circumstantes Domestici peregrini Sapientiam multùm mirabantur. Tertium tandem dubium subjungit puella, & per famulos quærit: Quantum Spatium sit à cælo ad terram? mox ad interrogationem peregrinus: vade ad eum, qui te misit ad me, eúmque de hoc percontare. Ipse enim novit meliùs hoc intervallum, quod cadendo emensus est, dum è cælo in abyssum tartari præcipitaretur. Neque enim Mulier est, quæ has quæstiones proponit, sed cacodæmon, qui Episcopum seducturus, mulieris formam assumpsit. Quod peregrini responsum, ubi minister decumbentibus retulit, non ferens dæmon suas fraudes deprehensas, momento disparuit. Et simul peregrinus subitò videri desiit. Postmodum promissis multis precibus Episcopo revelatum fuit, hunc peregrinum fuisse S. *Andream*, qui præsens salutis discrimen à cliente suo depulerit.

15. Hinc ergo & nos erudimur, quantam salutis nostræ curam gerant Beati Cælites, piè à nobis culti, & devotè invocati. O quoties in multifaria ac enormia prolaberemur peccata, si Sancti nobis suppetias non ferrent in tempore opportuno! Olim sanè spectabimus luculenter, quæ nos modò latent, quàm vigilantes pro nostra salute illi exstiterint, & à quantis nos æternæ damnationis eripuerint periculis. Quippe quis non videt, Episcopum dictum in præsentissimum haud dubiè incidisse salutis periculum, si non S. *Andreas* peregrini habitu fraudes dæmonis detexisset? Saluti fuit, Sanctum hunc Apostolum peculiari cultu ab illo Præsule affectum esse. Neque enim sinunt beati Cælites suorum clientum se obsequiis vinci, quin liberaliter rependant officiosam erga se pietatem. Huc facit, quod *S. Theresia* strictioris Carmelitarum disciplinæ Magistra, in vita sua cap. 6. scribit, quòd nimirum ex eo, quòd *S. Josephum*, Christi nutritium, possibili fuisset devotione prosecuta, maximum retulerit emolumentum: *in Patronum*, inquit hæc Sancta Mater, *& Dominum selegi, gloriosum virum, S. Josephum, ejúsque me patrocinio unicè commendavi. Liquidò deinde perspexi, S. hunc Patrem, & Dominum meum, ab hac me necessitate, aliisque majoribus, in quibus de animæ meæ & honore, & perditione agebatur, liberâsse.* Hinc monet ipsa omnes Christi fideles, ut hunc Sanctum per cultum & venerationem ejus sibi demereri studeant, eò quòd illius patrocinium apud Deum esset potentissimum. Disce hinc, Amice lector, tuis in ærumnis ac necessitatibus recurrere tam ad hunc Sanctum Virginis intemeratæ Sponsum, quàm ad alios cælestis paradisi incolas, eorúmque opem piâ fiduciâ, humili corde, & ardenti affectu implorare non cessa, & experiêris similiter tu eorum patrocinia, præsertim tempore maximæ necessitatis, hoc est, in morte, ex qua dependet aut æterna felicitas, vel infelicitas interminabilis, à qua ùt omnes liberemur, scopus ac finis principalis esse debet, cur Sanctos invocare, ac devotè venerari debeamus.

# PARS TERTIA.

16. INtelleximus ex hactenus dictis, quanti intersit, Sanctos pio cultu venerari; at notandum, hunc Sanctorum cultum non tam fundari in pia Sanctorum invocatione, quàm in eorum imitatione. Nam ut ait *D. Chrysostomus* Serm. de SS. Martyribus tom. 3. *Qui Sanctorum merita religiosâ charitate miratur, qui justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque justitiam imitetur: quoniam quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium.* Proindè Sanctos venerari, & eorum interim vestigia fugere, nullâ sanè laude, aut mercede dignum est; *Quæ est ista justitia* (exclamat iterum Orator oris aurei super *Matth.* c. 28.) *Sanctos colere, & sanctitatem contemnere?* Quemadmodum ergo, ùt Sapientia Incarnata loquitur, *non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorũ. Matth.* 7. 21. Ita etiam non omnis, qui Sanctum aliquem invocat, & veneratur, salutem assequetur; sed qui Sanctos invocat invocatione verâ, & quæ bonis operibus sit stipata, hic dignus fiet, quem Sancti exaudiant, protegant, & ad assequendam animæ salutem adjuvent. Proinde toto cælo aberrant, qui salutem suam sartam tectam esse confidunt, dum Sanctos aliquos per certas devotiunculas seu preces vocales invocant, & venerantur; interim autem longè à Sanctorum vestigiis aberrantes, pravis suis laxare cupiditatibus frœna non verentur.

17. Nisi ergo impietatem deponentes, Sanctorum vestigia sequi pro posse nostro conemur, parùm aut nihil nobis profuturum est eorum patrocinium; quin imò illâ tangemur reprehensionis virgâ, quâ olim Salvator noster Judæos, se Abrahæ filios esse jactantes, percussit, dicens: *Joann.* 8. *Si filii estis Abrahæ, opera Abrahæ facite.* Quasi dicat: hoc signum esset, quòd essetis filii Abrahæ, si in ejus vestigiis maneretis, eúmque imitaremini. *Nam signum filiationis alicujus est* (inquit S. *Thomas* lect. 5. ibi lit. 6.) *quòd assimiletur ei, cujus filius est, sicut enim filii carnales, ùt plurimùm parentibus carnalibus assimilantur; ita & filii spirituales (si sint veri filii) debent spirituales parentes imitari. Ephes.* 5. dicitur: *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi.* Haud aliter, si filios, si clientes, si cultores hujus, vel illius Sancti vos esse dicitis, opera & vestigia, quæ ille tenuit, vos pariter æmulemini necessum est. Huc facit, quod refert *Antonius Senensis* in Chronico Ordinis Prædicatorum, accidisse anno 1370. Bononiæ in Sacello S. *Dominici*: Nam concinentibus fratribus: *Ora pro nobis beate Pater Dominice*, vox cælestis insonuit: *Nec ego Pater, nec vos filii.* Quod quidem (subjungit Chronista) existimandum, non tantùm propter illum Conventum, aut Ordinem accidisse, sed propter universos, qui in Patrum virtutibus gloriantur, & nihil virtutis eorum imitantur. Hinc erudimur, minimè ad salutem sufficere, Sanctos colere, & interim in peccatis perseverare.

18. In vita S. *Francisci* de Paula sequentia narrantur: Cùm venisset Neapolim, honorificè à Rege susceptus est, qui ei processit obviam cum filiis, & tota curia in pompa, & solemnitate magna; qui

qui aliquando rogavit virum Sanctum, ut permitteret construi in civitate sua monasterium ordinis sui. Cui respondit vir Dei, meliùs esset, ut pro salute animæ suæ restitueret bona aliena, quàm tam magnas facere eleëmosynas. Rex verba hæc ægrè & indignè accipiens, dixit ei: & putasne me possidere aliquid malè acquisitum? Respondit Sanctus, & dixit, quòd per alienum intelligebat impositiones, & tributa, quibus populum opprimebat, & sanguinem ipsius sugebat, qui postulabat, & clamabat vindictam. Et cùm jussisset sibi afferri aureum unum, illúmque fregisset, statim ex eo multæ sanguinis guttæ processerunt. Rex tam celebre miraculum videns, emendationem promisit.

19. Historiam hanc nostro accommodemus proposito, atque dicamus: Sicut hic vir Sanctus non probavit, suis Religiosis construi monasterium ex moneta injustè corrogata, sed potiùs Regem hortatus est, si salvus fieri vellet, ut bona malâ fide possessa restitueret; Eodem modo Sanctis in cælo non placent illi, qui in eorum honorem Templa construunt, altaria erigunt, pias fundationes faciunt &c. nisi prius quæ injustè corraserunt, restituant, contracta debita persolvant, & posthac sobriè, justè, & piè sine ullius injuria, suppressione, & damno vivere proponant, ac conentur: hoc nisi agant, in vanum salutem expectant. Quippe certa nimis est illa *S. Jacobi* c. 2. ℣. 10. testificatio: *Quicunque totam legem servaverit* (Sanctis devotus fuerit) &c. *offendat autem in uno, factus est omnium reus*: nihil ei proderunt ad salutem quæcunque egerit in honorem Dei, & Sanctorum ejus.

20. Doctrinam hanc non inani nixam esse fundamento plurima demonstrant exempla, ex quibus unum memorâsse sufficiat. In libello, cui titulus est: *Ex morte vita*, narratur. Solebat à Deo enixè postulare fœmina quædam pia & nobilis, ut videret, quid Deo in fœminis maximè displiceret, ídque ideo, ut caveret. Hæc in spiritu aliquando rapta vidit in inferno amicam olim suam, illustrissimam quondam Comitissam horrido ejulatu vociferantem: Heu! heu me miseram! Ego casta fui, abstinens fui, jejunavi sæpe, in dandis eleëmosynis non illiberalis, nec ad alia pietatis opera fui parca: sed ecce, pro nulla alia re crucior, nisi pro infelici corporis mei ornatu, per quem fui pejor, quàm ignis infernalis, qui non comburit nisi peccatores, & sibi conjunctos: sed ornatus meus sanctos & justos, qui sanctâ mentis castimoniâ se Deo dedicârunt, libidine incendit, & combussit. Hinc ergo facilè liquet vera esse quæ diximus, nimirum nobis nihil prodesse devotiones, quibus Sanctos colimus & honoramus, si nos in quocunque mortali peccato vivimus & perseveramus.

21. Inprimis autem mulieres discere deberent, superbum, curiosum, & lascivum vestimentorum luxum, & fastum ponere, si animæ suæ saluti provisum esse velint; sicque se in his, quæ ad earum ornatum & incessum spectant, habere, ut non aliis suâ culpâ præbeant scandalum, & aspicientes alliciant ad libidinem, sed juxta *D. Pauli* 1. Tim. 2. monitum sic se ornent, prout *decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona*. Et nisi id agant, sciant, suas, quas ad varios Sanctos habent, devotiones parum aut nihil sibi prodesse ad animæ salutem; & licèt pretiosa in Ecclesiis ad honorem Sanctorum suspendant anathemata, vota offerant, peregrinatio-

nes suscipiant, orationes prolixas frequentent &c. hæc tamen omnia eas finaliter non salvabunt; quia similium mulierum, quæ omnem exuunt muliebrem pudorem & verecundiam, séque luxuriosè ac superbè comunt, devotio & pietas, quâ ad Sanctos aliquos afficiuntur, non est verax; Verus siquidem ac sincerus (ùt prætactum) Sanctorum cultus non tam consistit in externis hisce operibus, quàm in virtutum, quas Sancti nobis reliquerunt, æmulatione & imitatione.

22. Magnus ille Anachoretarum Pater, S. *Antonius* de hoc mundo ad patriam jam jam migraturus, testamenti loco suis in Christo filiis inter alia hanc etiam tradidit instructionem: *Credite mihi experto, pertimescit Satanas rectè viventium vigilias, jejunia, orationes &c.* Ubi bene notandum Ly *rectè viventium*; Serpens enim astutus, qui calcaneo nostræ salutis insidiatur, nobis quidem sæpe insinuat, ut multas faciamus orationes, eleëmosynas pauperibus tribuamus, in honorem hujus aut istius Sancti jejunemus &c. At quo fine? nimirum, ut per spem, quam nos in illis habemus, bonam & rectam conscientiam negligamus; prævidet enim, quòd, licèt in illis nostram repositam habeamus fiduciam, finaliter tamen propter illa non salvabimur. Si quis dixerit: Ergo Orationes Sanctorum nihil nos juvabunt? Imò juvant maximè, dummodo nos ex parte nostra obicem non ponamus, qualem ponit qui in peccatis vivit; Hoc ut similitudine quadam magis clarescat, duas lignorum species igni propius applicemus, siccum unum, & viride alterum. Ignis statim accendet, quod siccum est, & formam suam in ipsius materiam inducet; viride autem tantùm fumabit, & neque ardebit, neque ignis formam recipiet. Unde hoc provenit? Nullus certè defectus est ex parte ignis, qui accendere paratus est, si dispositionem inveniat ad inducendam suam formam, ùt in ligno sicco apparet; sed defectus est ex parte ligni viridis, quod totum humidum est, & formam igni contrariam habet. Unde reluctatur, & resistit, & nunquam ardebit, usquedum dispositum fuerit ad ignem recipiendum. Sic etiam in nostro casu evenit; Nam tametsi Sanctorum preces ferventes sint; si tamen cooperatio nostra deerit, nullam omnino utilitatem inde consequemur: Nostra autem cooperatio tunc deerit, quando quis peccato mortali ex consuetudine assentiri solet, neque allaborat, ut talem peccandi habitum exuat, & juxta rationis præscriptum, Deique leges vivat; istiusmodi enim oratio ad Sanctos fusa, minimè grata & accepta est illis. Nam Salomone teste (Prov. 28. 9.) *Qui declinat aures suas; ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*, Deo utique. Quod autem Deo displicet, nunquid Sanctis placere poterit? minimè gentium. Et hoc idem dicendum de eo, qui in aliquo peccato mortali versatur ex ignorantia, affectata præsertim, quâ ignorantiâ laborâsse videtur supra dicta Comitissa, quæ indagare contempsit, quid licitum aut illicitum esset circa sui corporis cultum, ac vestimentorum ornatum. Hinc licèt devota fuerit Sanctis, eorum tamen patrocinium ei non profuit ad salutem, cùm ipsa obicem posuerit.

23. Est est alia ratio, quare nonnulli à Sanctorum veneratione nullum referant salutis fructum; quia nimirum multi ab eorum obsequio, cultu ac devotione recedunt, hinc non erit, qui eis in

morte

morte constitutis opuletur, contra dæmones auxilium ferat, & ex præsenti damnationis periculo eripiat. Sic, sic quidam è *Divi Francisci* Familia Religiosus in morte sua fuit à sanctis Patronis suis derelictus, & in desperatione mortuus, ac præda diaboli factus. Cùm enim is principio *Sanctæ Barbaræ* apprimè devotus esset, fuit ab ea à multis periculis defensus. Tandem tepore victus, cùm solita sua obsequia negligeret, audivit ab illa sibi in somno apparente: *Tu me consuetis obsequiis dereliquisti & ego solitis adjutoriis te destituam.* Et ita evenit; nam frater primùm apostata factus, tum Norimbergam profectus, brevi ad extrema ibi deductus est, & licèt à Patre quodam, Ordinis Socio ad resipiscentiam invitatus, vestem religiosam denuò oblatam abjecit, mœsto itaque Patre abscedente, miser ægrotus continuò agonizare cœpit, & ita spiritum efflavit, infelix æternùm futurus. Cùm itaque felix utique dicendus sit, qui alieno periculo doctus, meliora sapere discit, prout Poëtarum ille cecinit:

*Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

Quocirca ne tam infausta nobis sors obtingat, ac in salutis bivio constituti, à nostris Sanctis Patronis deseramur, & pessum ire sinamur; modo eorum sanctis inspirationibus obsequamur, mores perversos missos faciamus, illorum vestigiis insistamus, virtutes æmulemur, ac in tali religiosæ conversationis proposito constantes perseveremus, necessum est. Pro hoc autem fine assequendo utilissimum fore censeo observare, & practicare sequentem Sanctos colendi ac venerandi modum, qui proinde pro quarta præsentis Sermonis parte servire egregiè poterit. Sit ergo

# BREVIS INSTRUCTIO

## De Horario Cultu Beatissimæ Virginis & Sanctorum Patronorum.

24. MOdi, quibus Sanctissimam DEI Matrem, Sanctósque Patronos nostros demereri, venerarique possumus, sunt pervarii; Fructuosissimus tamen, & maximè meritorius videtur ille, quo per invocationem horariam nos, & omnia opera nostra Sanctissimæ Cælitum Reginæ, & certo alicui Sancto, vel Sanctæ commendare solemus, quod in hunc modum fieri potest.

Imprimìs cum filiali affectu, & humilitate summa provolutus ad pedes SS. hujus Virginis pete supplex, ut te vilissimum peccatorem dignetur in sinum misericordiæ, & numerum clientum suorum benignè recipere, & à dilecto Filio suo tibi serium & constantem sui amorem impetrare, ut, repudiatis omnibus rebus caducis, toto deinceps corde & affectu, totísque viribus tuis, nil nisi JESUM & MARIAM cogites, nil nisi JESUM & MARIAM desideres, nec alteri, quàm geminis his amoribus placere velis. Pete præterea, ut illa tui posthàc, velut amantissima Mater, dignetur fidelem curam agere, te ab insidiis satanæ tam in vita quàm in morte protegere, omniáque opera tua ad maximum sui honorem dirigere, ut Deo & Mariæ semper intentus, utri-

utrique vivas, & moriaris devotissimus. Hoc ipsum desideriū renova singulis diebus per orationes illas: *O pulcherrima misericordiæ Mater.* &c. Item: *O Domina mea, Sancta Maria* &c. quæ habentur infrà in exercitio Matutino. In hunc vel similem modum commenda te, tuáque omnia quotidie Beatissimæ Virgini, quam non tantùm horis singulis, sed in omnibus necessitatibus & operibus tuis invocare debes, juxta modum infrà præscriptum.

Præter hanc autem elige tibi alios viginti quatuor Patronos & Patronas, ad quos præ cæteris Sanctis majorem habes devotionem, vel quos apud Deum putas esse majoris meriti, vel excelluisse quondam in virtutibus illis, quibus te hìc & nunc maximè scis indigere: hos divide in viginti quatuor horas, ut unicuique horæ correspondeat certus Patronus. Adverte autem, ut cuilibet horæ talem præficias Patronum, qui pro exercitio illius horæ videtur maximè convenire, Id est, ut pro hora. v.g. Silentii ponas talem, qui ab ea virtute specialiùs laudatur: pro hora refectionis alium, qui fuit inediæ & jejuniis deditus: pro hora orationis illum, qui magno fervore ardentíque spiritu preces suas ad Deum fundere consueverat. Pro hora somni de media nocte, vel manè rumpendi illum, qui laudatur à vigiliis & parcitate somni. Et sic de cæteris.

Nec tamen ideo prætermittere debes principaliores Sanctos Ordinis nostri, aut alios, quorum nomina in Baptismate, Confirmatione vel Religione sortitus es; aut quibus alio quocunque titulo es obstrictus: Ex his enim ipsis reperies tales, qui in fervore spiritûs, abstinentiâ, vigiliis, amore Beatissimæ Virginis, & cæteris Virtutibus tibi necessariis excelluerint, & ideo præ cæteris in Patronos assumendi sunt. Idem intelligendum est de S. Angelo Custode, qui tanquam Tutelaris à Deo deputatus post B. Virginem primum sibi locum inter Patronos vendicat. Factâ hâc electione & distributione Patronorum, offer te ipsis in Clientem perpetuum, & roga, ut tui apud Deum velint fidelem curam agere, teque in omnibus necessitatibus tuis adjuvare, ut à periculis hujus vitæ salvus & immunis, Deo tuo perfectiùs possis famulari, & sancta eorum vestigia sectando ad gaudia æterna pervenire. Quod totum præstare potes oratione sequenti.

O Beatissimi Cælites, fidissimíque apud Deum intercessores nostri! Qui hujus mundi pericula quondam experti, benè nôstis, quàm fallacibus insidiis caro, mundus & dæmon nos à via salutis æternæ conentur avertere: Respicite me miserum peccatorem in iisdem periculis nunc constitutum, & ideo ad vos pro tutela humiliter recurrentem. Avertite à me mala, quæ vosmetipsi quondam à vobis averti petiistis, ut hujus vitæ semitam immaculato calle transiretis; impetrate mihi gratiam, quam & vos vobis impendi voluistis, ut Deo Salvatori vestro, dulcissimæque Matri ejus dignè serviretis. Conferte mihi præsidia, quæ pariter & vos de cælo vobis conferri postulastis, ut superatis hujus mundi insidiis, securè perveniretis ad gloriam, in qua nunc feliciter regnatis. Sum quidem vilissimus terræ pulvis, & indignus, qui vos tanquam beatissimos gloriæ cælestis hæredes, pro mea custodia deposcam: quia tamen Salutis nostræ tam estis amantes, ut gaudium vobis sit super uno peccatore pœnitentiam agente: ideo affectu, quàm possum humillimo, me vobis in perpetuum clientem dedo & mancipo. Vos mei ex nunc fidelem curam agite: Deo meo omnes meas necessitates & miserias

expo-

exponite, in ejus honorem omnia mea cogitata, verba & opera dirigite: in vita & morte mihi fideliter assistite, ut sanctis vestigiis vestris firmiter inhærens, usque ad ultimum vitæ meæ halitum fidelissimus sim Servus JESU & MARIÆ, eorúmque gloriam tam in me, quàm in aliis studiosissimè promoveam, & fideliter cum illis, ac unà vobiscum in cælesti gloria collæter, Amen.

Hanc orationem dic, quando sanctos Patronos tuos primò eligis, aut in solennioribus anni Festivitatibus, quibus electionem illam renovas. Aliis verò diebus commenda te eorum tutelæ per orationem: O *Sancti Patroni mei, mihi singulariter electi &c.* quam reperies infrà in Exercitio matutino.

*Sic te sanctis Patronis tuis generatim commenda quotidie, singulos verò in particulari invoca secundum distributionem horariam, & modum, qui sequitur.*

## *Modus invocandi per horas Beatissimam Virginem & SS. Patronos.*

FActâ electione & divisione Patronorum juxta modum jam dictum; conscribe singulos in charta secundùm ordinem horarium, & unum exemplar hujus schedæ habe semper ob oculos in cella, quamdiu illud memoriæ non mandaveris; alterum verò conserva semper apud te, ut ubicunque fueris, possis ad quemlibet horæ sonum videre, quis eidem horæ Patronus præfixus sit. Potes etiam pro augenda devotione & merito tuo adscribere eidem chartæ Horologium Passionis Dominicæ, id est mysteria hujus Sacratissimæ Passionis, divisa in singulas horas, hoc modo:

## *Horologium Passionis Dominicæ.*

*Vesperi.*

Horâ 6. JESUS pedes Discipulorum lavans.
Horâ 7. Se nobis in cibum tradens.
Horâ 8. In horto orans, & Sanguinem sudans.
Horâ 9. A Judæis captus.
Horâ 10. Ad Annam ductus.
Horâ 11. Ad Caipham ductus.

*Mediâ Nocte.*

Horâ 12. Alapâ coram Pontifice cæsus.
Horâ 1. Velatus, ludibrio habitus, percussus.
Horâ 2. A Petro ter negatus.
Horâ 3. A falsis Testibus accusatus.
Horâ 4. Reus mortis proclamatus.
Horâ 5. Vinctus ad Pilatum ductus.
Horâ 6. Ad Herodem missus & illusus.
Horâ 7. Barrabbæ postpositus.
Horâ 8. Flagellis cæsus.
Horâ 9. Spinis coronatus.
Horâ 10. A Pilato populo productus.
Horâ 11. Cruce oneratus.

*In Meridie.*

Horâ 12. Inter duos latrones crucifixus.
Horâ 1. Matrem suam dolorosam allocutus.
Horâ 2. In siti felle & aceto potatus.
Horâ 3. In Cruce mortuus.
Horâ 4. De Cruce in gremium Matris suæ positus.
Horâ 5. Sepultus.

Habitis his in charta debitè conscriptis, institue devotionem tuam horariam ad B. Virginem & Ss. Patronos hoc modo. Quoties horologii sonum audieris, recurre ad prædictam schedam, & vide, quis sit Patronus pro tali horâ ibi annotatus, & quod Passionis mysterium; faciénsque pollice signum S. Crucis super cor dic cum devotione, & si fieri potest, genibus flexis salutationem Angelicam, &

cùm perveneris ad illa verba: *Benedictus Fructus ventris tui JESUS*, appone mysterium illud, quod pro tali hora notatum est, & prosequens Salutationem, cùm veneris ad verba illa: *Mater DEI ora:* adde cum Sancto N. exprimendo Patronum illius horæ; & conclude precatiunculam illam verbis solitis. Adverte autem, quòd, quando dicis verba illa: *nunc, & in hora mortis nostræ*, per illã particulã *nunc* debeas inteligere omnes tuas actiones & necessitates totius illius horæ, non tantùm pro illa die, quæ tunc agitur, sed pro omnibus diebus vitæ tuæ, quibus eadem hora redibit. Ita ut sit talis sensus, quasi diceres: Sancta MARIA Mater DEI, habe me tibi cum Sancto N. hâc horâ recommendatum, ut quoties per tempus vitæ meæ hæc eadem hora redierit; tu præsentium precum mearum memor, me tunc ab omni adversitate corporis & animæ meæ cum Sancto illo protegas, & benedicto Filio tuo recommendes.

Debes itaque in hoc sancto exercitio supponere, quòd, quando tibi sanctos Patronos tuos eligis, & per horas modo suprascripto distribuis, tunc unicuique ex illis certam quodammodo horam in perpetuum assignes, ita ut ille, quem ponis horâ v. g. quintâ matutinâ, censeatur electus hoc fine, ut te quotidie tali horâ protegat. Alius iterum horâ sextâ quotidie, alius horâ septimâ, & sic de cæteris. Unde non debes ordinem illorum invertere, sed sicut semel dispositus fuit, relinquere, ita ut quilibet habeat certam & determinatam horam in perpetuum. Ex quo occasionaliter collige, quàm utile sit & fructuosum hoc sanctum exercitium. Habes enim hoc modo perpetuos apud Deum Intercessores & Patronos, quorum unusquisque specialiter illâ horâ, pro qua constitutus est, fidelissimam tui curam geret, & Deum instanter deprecabitur, ut tibi ea concedat, quæ ad animæ tuæ salutem necessaria sunt; Adeóque sive comedas, sive labores, sive vigiles, sive dormias, sive quidlibet aliud agas, habebis semper aliquos ex numero BB. Cælitum, qui te non vigilante vigilabunt pro te, te non orante, orabunt pro te, & te sæpius nesciente, à malo protegent te. Fideles enim sunt, & de salute nostra magis soliciti, quàm nos ipsi sumus. Sciunt fragilitatem nostram, & ideo nos libenter adjuvant: Sciunt pericula nostra & insidias dæmonis, quibus infestamur; & ideo solicitè nos custodiunt: sciunt, quibus remediis indigeamus, ut consequamur salutem; & ideo fideliter illa nobis à Deo impetrare conantur.

Jam ergo cogita, quantum bonum tibi per cultum horum SS. Patronorum accedat? & quàm æquum justúmque sit, ut ad demerendam eorum gratiam, singulos horâ cuique præscriptâ invoces per Salutationem Angelicam modo supra memorato dicendam. Ut autem simul etiam noveris, quàm magni meriti sit hæc salutatio Angelica sic dicta; Scito, quòd in illa contineantur tria: Nimirum Veneratio Passionis Dominicæ, Invocatio B. Virginis MARIÆ, & Imploratio SS. Patronorum. Quàm meritoria autem hæc omnia tria sint, præsertim si qualibet horâ cum devotione recitentur, collige ex sequentibus. Venerabilis Virgo *Anna de Sancto Bartholomæo Carmelitana*, quæ multa arcana à Deo didicit, dicere solebat de Passione Christi, quòd hujus meditatio tantæ sit efficaciæ, ut si quis semel tantùm in die vellet cum affectu meminisse pœnarum, quas Christus pro nobis in Passione sustulit, hoc solum ei sufficeret, ad consequendam æternam salutem & obtinendas magnas à Deo gratias.

Proinde si tanti meriti est unius Mysterii recordatio, & quidem semel tantùm in die facta? quanti meriti erit singulis horis quotidie recolere cum affectu tale mysterium, imò quotidie Passionem totam? En ergo fructum primum, qui sperandus est ex hoc exercitio, propter mysterium Passionis, quæ ad singulas horas Salutationi Angelicæ inseritur.

Alter fructus, qui etiam maximus est, provenit ex horaria invocatione B. Virginis MARIÆ per salutationem Angelicam. Hinc enim rursus tantæ gratiæ sperandæ sunt, ut vix possint efficaciter explicari. Nam inprimis, quod ipsam invocationem B Virginis secundum se attinet, hæc est tam fructuosa, ut ex clientibus Marianis nemo fuerit hactenus, qui præter incomparabilem mercedem sibi pro cælo reservatam, non obtinuisset etiam in hoc mundo extraordinarias quasdam, & aliquando prorsus admirandas gratias, propter filialem illum cultũ, quem Divæ huic Virgini pro modulo suo præstitit. Imò ex ipsismet sceleratissimis & maximis peccatoribus multi propter exiguum aliquem actum, aut invocationem Beatæ hujus Virginis mirè fuerunt conversi, & insolitis gratiis à Deo & sacratissima hac Matre donati, prout de aliquibus infra sermone ultimo memorabimus. Ex quo velut ex ungue facilè colligere poteris, quanti sit meriti Deiparæ Virgini se singulis horis commendare.

Quod verò modum ipsum commendationis hujus horariæ, id est salutationem Angelicam attinet, hæc rursus inæstimabile meritum novum addit ad præcedentia. Nihil equidem Deiparæ gratiùs aut acceptiùs præstari potest, quàm si salutetur hâc salutatione Angelicâ, prout constat ex revelationibus S. *Mechtildis* l. 4. c. 12. ubi refertur, quòd huic S. Virgini apparuerit vice quâdam Deipara Virgo, habens in pectore litteris aureis descriptam salutationem, & dixerit, valde falli homines illos, qui neglectâ salutatione hâc alias orationes ad se directas, tanquam magis meritorias exquirunt, vel etiam componunt, cùm tamen sibi ex omnibus illis nulla sit gratior, & Clientibus suis nulla fructuosior quàm ista salutatio. Et videtur hoc ipsum etiam effectu demonstrare voluisse Beatissima Virgo, quando insolitos illos favores præstitit cultoribus suis, qui eam hac salutatione frequentiùs, vel etiam devotiùs salutare sunt soliti.

Nam ut ex pluribus paucula afferam. Cùm quidam cum duobus sociis in latrones incidisset, sociis jam occisis, petiit ab illis, ut sibi adhuc concederent inducias pro persolvenda corona B. Virginis, quas cùm ægrè tandem concessissent, & bonus ille viator Coronam suam cum affectu cœpisset orare, affuit Deipara cum S. Catharina & S. Cæcilia, tanquam duabus specialibus Patronis ejus: Et cùm inter precandum post quamlibet salutationem Angelicam procederet ex ejus ore rosa alba, post singulas verò Orationes Dominicas rosa rubra, collegit has omnes S. Catharina, & S. Luciæ tradidit colligendas in coronam, quam tandem cum oratione completam B. Virgo dicto viatori tanquam dilecto clienti suo superimposuit, & cum cæteris disparuit. Quo viso latrones non tantum à cæde hujus, sed ab omni deinceps latrocinio abstinuerunt, vitámque emendârunt.

Aliàs cùm S. Gertrudis pro honore Deiparæ nascentis oraret centum & quinquaginta Salutationes Angelicas cum hac petitione, ut sibi morienti assistere dignaretur: Audiit à B. Virgine hoc valde consolatorium responsum, quòd eidem morienti velit omnino adesse, & in compensationem harum salutationum tot

gratias in morte conferre, quot verba per omnes has 150. Salutationes Angelicas pronuntiâsset! O quanta ergo vis hujus salutationis Angelicæ, si etiam in hoc mundo pro quolibet verbo datur specialis gratia! Perpende hoc benè, & adverte, quem fructum etiam tu sperare possis, si singulis horis tuam salutationem Angelicam modo supradicto devotè recitaveris. Sed libet adhuc adjungere unum vel alterum exemplum, quò magis pateat fructus hujus salutationis.

Cisterciensis quidam cùm præ hebetudine mentis non posset aliud addiscere, quàm hæc quatuor prima verba ex salutatione Angelica: *Ave Maria, gratiâ plenâ.* Repetebat eadem verba quingenties in die. Et quantopere hoc obsequium Beatissimæ Virgini placuerit, patuit inde, quòd post ejus mortem creverit gratiosa arbor ex illius sepulchro, habens in foliis suis prædicta quatuor verba litteris aureis exarata. Similiter etiam cùm S. Gertrudis vice quadam non posset præ corporis infirmitate orare consuetam coronam B. Virginis, dixit ad singula grana hæc tantùm duo verba: *Ave MARIA.* Móxque affuit Deipara Virgo dicens: hoc ipsum obsequium, quamvis videretur parvum, sibi valde placuisse. Et in contestationem hujus obtulit illi pulcherrimam coronam de rosis factam, cujus suavi odore & fragrantiâ debilitatem suam restaurare posset. Si ita remunerantur illi, qui tantùm initiativa duo vel quatuor verba salutationis Angelicæ cum affectu recitant; quantò plus ergo sperandum habebunt illi, qui eandem salutationem totam, & quidem toties, id est ad quemlibet horæ sonum tam de die quàm de nocte cum devotione recitant? Et si ob hoc tam raræ gratiæ præstantur devotis clientibus in hoc mundo, quantam non mercedem & gloriam recipient in futuro, ubi proprius est locus remunerationis? Credendum sanè est, quòd majorem recipient, quàm quis hominum sibi unquam imaginari possit, quemadmodum ex sequenti exemplo non obscurè colligere licet.

Sanctimonialis quædam gravi morbo correpta per plures annos lecto decubuit, tantis afflicta doloribus, ut omnes ejus commiseratione moverentur. Tandem ad extrema deveniens, vitæ simul & doloribus piè est immortua. Diebus autem aliquot à morte transactis comparuit tota gloriosa dicens, se ex hoc mundo directè evolasse in cælum, intuitu dolorum, quos cum patientia per tot annos sustinuisset. Subjunxit prætèrea tantâ se nunc in cælo frui gloriâ, præsertim ob servitium Beatissimæ Virgini præstitum, ut si Deus tantillum vitæ sibi denuò concedere vellet, ut unicum solummodò *Ave MARIA* dicere posset, parata foret, omnes suos præteritos dolores quamvis plurimos valdéque intensos, de novo libentissimè sufferre: eò quòd præmium, quod in cælis pro tali salutatione Angelica devotè recitata datur, tantum sit, ut propter illud meritò debeant hi & plures alii dolores cum gaudio sufferri. Hinc ergo collige, quàm verum sit, quòd merces illa, quæ pro hujusmodi Angelica Salutatione, sæpe & cum devotione recitata datur, major sit, quàm quis hominū sibi possit imaginari. Et vel hinc disce, quantus sit fructus secundus, qui ex hoc sancto exercitio horario resultat.

Tertium, quod in hoc exercitio continetur, est horaria invocatio Sanctissimorum Patronorum. Et de hujus valde etiam magno & multiplici fructu jam supra dictum est. Nimirum, quòd mediante illa invocatione habeas quâlibet horâ fidissimum aliquem, potentissimúmque intercessorem apud Deum, qui ani-

animæ tuæ salutem solicitè curet, te à periculis & tentationibus mundi, carnis, & dæmonis cautè custodiat; bonis inspirationibus ad profectum suaviter provocet, gratiis à Deo impetrandis potenter adjuvet, ad mortem sanctè obeundam feliciter disponat, & decessuro tandem feliciter assistat, ut superatis hostium tunc potentissimè insidiantium technis feliciter ex hoc mundo emigres, & ad sanctam eorum societatem securè transeas. Quid autem felicius quàm taliter in vita & morte præmuniri? & quidem à tantis, qui omnia possunt? omnia favent, & libentes omnia præstant? Sanè sub tantis præsidiariis non habet anima, quod timeat, quia adversarius vel appropinquare non audet, vel si appropinquet, nocere non potest. Etsi tandem mors etiam inopinata te obruere nitatur, sensúsque omnes tibi adimat, ut te ad Deum tuum, quemadmodum velles, per pios affectus in agone convertere non posses; habebis tamen alios, qui tunc apud Deum tui vicem gerant, quia omnes Sancti Patroni tui, & vel maxime ille, cujus tunc hora agetur, cùm te decedere contigerit, cum Beatissima Matre apud Unigenitum ejus Filium, tanquam Judicem tuum intercedent, ut te in numerum electorum suorum assumere, & ad gaudia æterna feliciter introducere dignetur.

Vide igitur quot gratiæ & emolumenta redundent in animam ex unica salutatione Angelica juxta præscriptum modũ horariè recitatâ. Et vel ideo mirari desine, quòd tot animæ piæ reperiantur hoc sæculo, quæ intuitu tanti meriti non facilè sinunt elabi sonum horologii, quin capite reverenter discooperto, formatóque super cor signo S. Crucis, devotè suum *Ave MARIA*, recitent, non solùm privatim sed etiam in publico; quod valde laudabile & ædificatorium est. Et licèt sacra Passionis mysteria, Patronósque horarios pauci fortasse interserere solent, eò quòd accessoriæ hujus devotionis notitiam non habeant, credendum tamen est, quòd si quid de ea nossent, indubiè certè, imò cum gustu eam practicaturi essent.

Tu ergo, qui devotionis hujus nôsti & modum & meritum, & aliundè nescis, quàm fortè breve spatium tibi de vita tua supersit, age nunc serio quod agere debes, & sacræ huic devotioni te vigilanter impende, ut cum magno animæ tuæ solatio experiaris incomparabilem illum fructum, qui exinde resultat. Credo sanè, quòd si Principum aliquis tibi pro qualibet Salutatione Angelica ad sonum horologii recitatâ promitteret centum aureos, tu diligentissimè quemlibet horæ sonum oservaturus esses, ne qua tibi hora elaberetur sine fructu: quantò ergo magis oportet te nunc vigilare horis singulis, dum tibi pro vice qualibet tanta merces promittitur, quæ non aureos centum aut mille, sed totum mundum, quantuscunq; demũ sit, pretio longè superexcedit. Id si nunc fortasse non capis, videbis tamen olim manifestè, postquàm post corporalem vitæ hujus somnum oculos tuos aperueris in magno æternitatis die. Interim ut gratus sis Deo, qui te suo sanguine pretioso redemit; Deiparæ Virgini, quæ te in Filium suscepit, & SS. Patronis, quorum tutelæ te commendasti, conare in honorem illorum hoc exercitium horarium diligenter exequi, imò & alios ad idem agendum pro viribus exstimulare.

Et quamvis non facilè tam urgens labor obveniat, quem ad sonum horologii non possis abrumpere, saltem per tantillum spatii, quale requiritur pro recitatione hujus Angelicæ Salutationis; si tamen aliquando tam legitimum impedimentum occurreret, quod tibi nec hanc par-

vam morulā permitteret, tunc ad minus discooperi caput, dum audis horologii sonum, signánsque cor signo S. Crucis dirige saltem mentem ad invocationem B. Virginis & S. Patroni occurrentis, & quàm primum deinde poteris, dic tuam salutationem, prout dicturus fuisses ad sonum horologii, si præ impedimento potuisses; aut si prævides aliquando tale impedimentum secuturum, tunc præveni cum devotione tua sic, ut horâ antecedente inseras Angelicæ salutationi, non tantùm Mysterium & Patronum illius horæ, quæ tunc est, sed etiam horæ sequentis, quâ te putas impeditum fore. Sic etiam fac vesperi, antequam membra tua pro religioso sopore componas. Cùm enim perrara sit illa gratia, ut quis de nocte ad omnes horas excitetur, quemadmodum excitatus fuit devotus ille Mariæ cultor *Alphonsus Rodriquez* Laicus è Soc. JESU, ideò præveniendum est vesperi, sic ut ad sonum ultimæ horæ, quam audis, inseras Angelicæ salutationi omnia mysteria Passionis, & omnes Patronos, qui occurrunt usque ad illam horam, quâ rursum surgere debes. Si tamen aliquando de nocte expergiscaris ad sonum horæ, potes Angelicam salutationem illam cum mysterio & Patrono talis horæ dicere, ac si vesperi non dixisses.

Similiter etiam si quando per negligentiam, aut aliam rationem aliquâ horâ prætermisisti hanc salutationem, recompensa defectum horâ sequenti, & interpone sequenti salutationi non tantùm mysterium illud, quod tunc occurrit, sed etiam alterum, quod antè intermisisti: Idémque etiam intelligendum est de Patronis omissis. Pro conclusione nota, quod ferventiores aliqui pro majori devotione sua soleant ante salutationem Angelicam quâvis horâ dicere devotam illam Stropham: *Maria Mater gratiæ*, &c. & post salutationem aliquando addere actum aliquem jaculatorium amoris vel gratitudinis pro incarnatione, qualis est iste: *Mille millium vicibus laudetur, benedicatúrque hora, quâ dulcissimus meus JESUS in utero Sacratissimæ Matris suæ conceptus est, ut me miserum peccatorem redimeret.* Vel actum contritionis, qualis est hic: *Summe DEUS, summè doleo, quòd te offenderim, & hoc solum ideo, quia Tu es id, quod es, facio autem firmum propositum me emendandi.* Tu fac in hoc puncto, quod tibi sancta devotio suggesserit.

## *Modus colendi B. Virginem & SS. Patronos horarios.*

Dictum est hactenus, quomodo Beatissima Virgo, & SS. Patroni debeant per horas invocari; nunc etiam dicendum est, quomodo debeant coli. Cùm enim ex Superioribus constet, quòd ex eorum patrocinio maximus habeatur fructus, dignum & justum est, ut illis etiam debitus honor pro tam salutari cura præstetur. Modi autem, quibus honorari possunt, sunt varii & multiplices, ex quibus omnibus hîc tantùm unus vel alter afferetur, qui cum supradicta invocatione horaria habeat aliqualem connexionem, & ad ordinariam praxim magis deserviat. *Primò* Ergo construe tibi Litanias SS. Patronorum hoc modo: Inprimis pone trinum Kyrie eleyson cum Christe audi nos, & cæteris, quæ habentur in Litaniis Lauretanis usque ad versiculum illum: Sancta Trinitas unus Deus inclusivè, & locò responsorii: *Miserere nobis*, dic in singulari: *Miserere mei.* Deinde incipiens à SS. Dei Matre tanquam singularissima Domina, Patrona, & Advocata tua, cui post Deum omnia debes, invoca eam triplici titulo dicens: *Sancta MARIA, Sancta DEI Genitrix, Sancta Virgo Virginum*, addito ubique

Rt.

℟. *Ora pro me misero peccatore.* Postea descendendo ad alios Patronos, dispone illos secundùm ordinem alphabeti, ita tamen, ut priùs ponas omnes Sanctos, deinde verò Sanctas, & ad cujuslibet invocationem adde semper ℟. *Ora pro me misero peccatore.* Postquam verò omnes nominaveris, dic ultimo: Omnes Sancti Patroni & Patronæ meæ, orate pro me misero peccatore. Et conclude Litanias cum triplici Agnus Dei. &c. prout moris est, subjungendo orationem illam: O Sancti Patroni mei, mihi singulariter electi. &c.

Has Litanias ora quotidie, si non expansis brachiis, quemadmodum ferventiores clientes factitate solent, saltem affectu humili & devoto. Et si quando devotioni tuæ plus indulgere volueris, ora eas sic, ut ad pronuntiationem cujuslibet Sancti vel Sanctæ te saltem brevissimè reflectas, quâ virtute ille Sanctus vel Sancta magis floruerit, & factâ hâc reflexione, pete, ut & tibi eandem Virtutem à Deo impetrent. Similiter etiam, si aliquando difficultatem majorem sentias in exstirpatione alicujus vitii, vel comparatione Virtutis, quam tibi juxta morem Religionis pro hebdomade vel mense particulariter exercendam delegisti; recogita aliquantum, quomodo SS. Patroni tui se in eadem virtute comparanda, vel vitio exstirpando gesserint? Quod quidem ex uniuscujusque vita facilè deprehendes. Et postquam hoc modo per omnes discurreris, viderísque, quàm solicitè & circumspectè se singuli in hoc puncto gesserint, invoca illos per supradictas Litanias, & roga unumquemque in particulari, ut tibi à Deo talem fervorem pro comparatione illius virtutis, vel exstirpatione vitii impetret, qualem ille quondam in hoc casu exercuit. Nec dubita quin per hujusmodi invocationem, præsertim sæpius repetitam, multùm profecturus sis.

Valde etiam laudabile est, iisdem litaniis uti in aggressu cujuslibet operis magis ardui, semper enim negotium facilius succedit, quando tam potentes Patroni vocantur in auxilium. Sic etiam valde meritorium est ad solenniores actus devotionis invitare eosdem Sanctos Patronos, ut adesse dignentur, non solùm tanquam testes & arbitri talium devotionum, sed etiam tanquam Adjutores & fidi Promotores earum. Sic quoties Professionem tuam renovare vis, aut cor tuum Deo, & SSmæ Virgini Mariæ per extraordinariam aliquam communionem, vel aliam spiritualem oblationem offerre, vel novam aliquam virtutem exercendam assumere, vel proposita olim concepta renovare, aut aliam quamcunque solenniorem devotionem exercere; semper recurre ad SS. Patronos tuos, eósque per supradictas Litanias roga, ut te in Sancto proposito tuo apud Deum & SS. ejus Matrem potenti intercessione suâ sic adjuvare dignentur, ut cum desiderato animæ fructu hujusmodi devotiones peragere possis.

*Secundò.* Conare pleraśque actiones tuas præsertim eas, quæ diuturniores sunt, offerre in honorem SS. Patronorum tuorum. Quod quidem admodum facilè ac suaviter fiet, si actiones illas diviseris quodammodo in partes, & unicuique Patrono partem unam vel alteram obtuleris. Sic si legere vel scribere debes, potes intentionem tuam formare sic, ut tibi proponas, quòd primas tres lineas velis legere vel scribere in honorem SSmæ Trinitatis; Deinde sequentes quinque lineas in honorem SS. Nominis Jesu; deinde alias quinque in honorem

norem SS. Nominis Mariæ; postea descendendo ad SS. Patronos secundùm ordinem alphabeticum in litaniis expressum, in honorem uniuscujusque unam vel alteram lineam. Sic etiam dum de Conventu vel cella prodis, vel recreationis causâ deambulas, vel iter quodcunq; agis, potes omnes passus tuos sic distribuere; ùt primò certum numerum passuum offeras Deo & B.mæ Virgini, alios deinde successivè Sanctis Patronis secundùm ordinem prædictum. Similiter etiam dum ex obedientia laborem aliquem præsertim molestiorem peragere debes, puta scutellas lavare, vel purgare Conventum, vel urticas eruncare ex horto, vel portare ligna, vel quid aliud agere; potes semper eâdem directione mentis uti, & primam partem laboris, id est. v. g. scutellas quas lavas, aut prima ligna quæ portas, offerre Deo; alteras deinde in honorem B. Virginis; reliquas verò in honorem S. Angeli Custodis & aliorum Patronorum.

Quo quidem exercitio præter ingens meritum in cælo repositum senties etiam multa particularia bona tibi accedere: nam omnis labor, quantumcunque aliàs sit gravis, videbitur hâc ratione valde suavis ac facilis, ac proinde evitabitur tædium & æterna indignatio, quæ non nunquam sub labore magis arduo solet tepidioribus Religiosis obrepere; evitabitur item solita distractio mentis, aut externa confabulatio, quæ in talibus occasionibus sese liberiùs solet offerre cum notabili detrimento Religiosæ perfectionis. Augebitur præterea fervor ad servitium Dei, gustus ad res Spirituales, & interna animi consolatio, prout experientiâ facilè deprehendes, si probaveris.

Potes autem exercitium hoc tibi adhuc magis fructuosum reddere, si quamlibet laboris partem offeras Deo, & B. Virgini, & Sanctis Patronis cum certa aliqua intentione obtinendi v. g. ab illis gratiam, vel virtutem tibi magis necessariam. Et si hujusmodi labor frequentiùs occurrat, potes intentionem istam variare sic: Ut unâ die offeras laborem illum pro obtinenda hac, v. g. virtute vel gratia, alterâ die pro alia, & sic de cæteris. Vel petere unâ die gratiam pro te, alterâ pro aliis, vel certè unâ eâdémque die petere à quolibet S. Patrono distinctam gratiam, quam tibi vel aliis pro eo tempore judicaveris magis necessariam. Sic si ex obedientiæ jussu debeas, v. g. urticas sæpius in horto eruncare, potes primâ vice formare intentionem talem, & dicere, has quinque urticas volo extrahere in honorẽ SS. Nominis Jesu, ut obtineam à Deo perfectum amorem hujus SS. Nominis, & merear finire vitam meam in pia ejusdem invocatione, alteras quinque urticas volo extrahere in honorem SS. Nominis Mariæ eodem fine; sequentes tres in honorem S. Angeli Custodis, ut mei semper fidelem curam gerat: sequentes duas in honorem Sancti N. ut me custodiat ab omnibus periculis corporis & animæ meæ eâ horâ, quâ ipsum pro Patrono meo constitui, & sic de reliquis.

Aliâ vice potes intentionem formare & dicere; has quinque urticas volo extrahere in honorem quinque Vulnerum Christi, ut me aliqualiter gratum exhibeam; sequentes septem in honorem septem Dolorum B. Virginis, ut aliquomodo satisfaciam pro doloribus, quos eidem Sacratissimæ Virgini causavi per mea peccata, quæ commisi contra benedictum ejus Filium post tot beneficia ab illo accepta. Sequentes tres in honorem S. Angeli Custodis pro gratiarum actione omnium beneficiorum hactenus ab illo accepto-

acceptorum; Sequentes duas in honorem Sancti N. pro gratiarum actione principalium suarum gratiarum, quas hactenus mihi præstitit. Et sic successivè de aliis secundùm ordinem Litaniarum.

Aliâ rursum vice potes dicere sic: Hunc totum laborem offero Deo pro conversione peccatorum; maximè verò eorum, qui Ecclesiæ Dei plurimùm nocent: vel pro liberatione animarum ex purgatorio, & quidem principaliter earum, quibus aliquo titulo magis obstrictus sum: vel pro illorum conservatione, qui in hoc mundo maximè laborant pro augendo cultu Dei & Beatissimæ V. Mariæ. Vel pro bono communi Sacræ nostræ Religionis, ut Deus dignetur omnes fratres nostros, maximè verò Superiores conservare in vero Zelo perfectionis Religiosæ, & ab illis auferre vitia, in quæ frequentiùs solent cadere. Vel pro impetratione particularis illius virtutis, quæ mihi maximè necessaria est: aut extirpatione vitii, cui præ cæteris deditus sum. &c. Et ut faciliùs assequar, quod peto, volo in honorem B. Virginis extrahere 30. utricas: In honorem S. Angeli Custodis 12., & in honorem cujuslibet Sancti Patroni 10. &c. Idque intentione hac, ut illi apud Deum pro me intercedere dignentur, & meritis suis mihi ab eo impetrare, quod peto. Atque hinc facilè colliges, quomodo quemcunque alium laborem meritoriè, & in honorem SS. Patronorum tuorum instituere possis; imò si te exercitio huic seriò & constanter addixeris, suggeret tibi propria devotio multò plura, quæ in hunc finem servire possint.

*Tertiò.* Ut memoratos Sanctos tibi magis devincias, conare quâlibet horâ heroicum aliquem actum virtutis aut mortificationis elicere in honorē illius Patroni, quem pro tali hora elegisti. Dignum enim & justum est, ut dum ille pro te tam fideliter apud Deum totâ horâ pervigilat, tu vicissim in honorem ipsius unicum ad minus actum virtutis vel mortificationis exerceas. Nec unquam facilè tibi ad hoc deerit occasio, quia vix unquam elabetur hora, quâ non occurrat aliquid, quo inordinatum tuum appetitum refrenare, aut prurientes sensus mortificare, aut teipsum in aliquo vincere possis. Imò cùm juxta instructionem superiùs datam ita debeas SS. Patronos tuos distribuere, ut pro hora refectionis ponas illum, qui inediâ corpus suum maciavit: pro hora silentii illum, qui ab ea virtute magis laudatur, & sic de cæteris; habebis eo ipso sufficientem ansam exercendi te singulis horis in heroico aliquo actu virtutis vel mortificationis, si scilicet te quâlibet horâ reflexeris, cur pro Patrono talis horæ elegeris illum Sanctum, quem eo tempore præscriptum habes, cognitâ causa, quòd id ideo factum sit, ut eâ horâ imitareris illum in virtute, quâ magis excelluit; Vel si fortè majorem difficultatem sentias in exercitio particularis virtutis, aut extirpatione singularis vitii, potes hoc ipsum pro medio tuæ mortificationis per dies aliquot assumere, & quâlibet horâ ad sonum horologii post dictam Angelicam Salutationem proponere, quòd tali horâ velis in honorem S. Patroni tui occurrentis te singulariter cohibere ab illo vitio particulari, aut exercere in virtute proposita.

Ne verò per negligentiam vel oblivionem, aut interveniens quodcunque impedimentum transeat aliquando hora sine tali actu mortificationis, aut opere meritorio exercendo in honorem S. Patroni tui pro eo tempore occurrentis, examina te breviter semper ad initium horæ sequentis, quid boni egeris horâ præce-

præcedenti in honorem S. Patroni pro illa hora constituti? Et si aliquando reperias, quòd fortè nihil tale egeris, supple statim defectum illum horâ sequenti, sic ut duplicem tunc actum mortificationis exerceas, unum scilicet in honorem S. Patroni præcedentis, alterum verò in honorem Sancti tunc occurrentis. Plura alia, quæ hîc de cultu Patronorum dici possent, colliges partim ex infra dicendis, partim ex libellis asceticis super hâc materiâ differentibus; Imo affectus ipsemet tibi in hunc finem multa suggeret, si cum vero fervore te huic cultui SS. Patronorum addixeris.

## *Modus eligendi Patronum pro tota die.*

DEvotio hæc posset alicui fortassis videri supervacanea, suppositis iis, quæ hactenus de cultu horario SS. Patronorum dicta sunt. Si enim cuilibet horæ per diem certus aliquis Patronus præfixus est, non videretur necesse, ut alius eligeretur pro tota die, cùm loco unius habeantur duodecim, qui de die, totidémq; etiam qui de nocte custodes agunt. Sed esto ita sit, non ideo tamen supervacanea vel inutilis est hæc devotio, quâ præter horarios Sanctos suadetur etiam eligendus unus Patronus pro die tota; cùm finis hujus devotionis eò potissimè tendat, ut hos ipsos SS. Patronos tuos horarios impensiùs colere possis, tribuendo scilicet cuivis saltem semel in mense diem totum pro particulari ejusdem veneratione. Cùm enim ex eorum cultu habeatur fructus maximus, prout supra dictum est, & alioqui per diem nonnisi hora una pro cujusvis veneratione præscribatur, sæpius autem contingat, quòd talis hora sit adeò impedita, ut vel parùm, vel fortè nihil prorsus possis agere in honorem Sancti pro tempore constituti: ideo ut defectum hunc suppleas, & debitum cuique Patrono cultum deferas, consultissimum est, ordine successivo diem proprium unicuique semel in mense tribuere, eúmque tunc specialiori veneratione colere, quod fieri potest modo sequenti.

Quolibet die manè postquam Sanctos tuos Patronos in communi invocaveris per orationem: O Sancti Patroni. &c. elige unum ex ipsis pro Patrono totius diei. Et ut quoad hoc ordinatè procedas, serva modum in tuis Litaniis positum, sic, ut primâ die assumas illum pro Patrono, qui secundùm ordinem Alphabeti ponitur primus in iisdem Litaniis; alterâ die illum, qui secundo loco nominatur; tertiâ die illum, qui proximè sequitur, & sic de cæteris. Et postquam hoc modo perveneris usque ad ultimum, reincipe die sequenti à primo Patrono, sicut prius fecisti; & hunc modum observa semper, nisi fortè aliquâ die occurrat festum ex his Patronis, aut de aliquo eorum fiat officium in choro, tunc enim relicto ordine consueto potes pro Patrono talis diei assumere illum, cujus festum occurrit, aut de quo celebratur officium. Alterâ verò die redeundum erit ad priorem ordinem, in quo priùs cessaveras. Illum autem, quem sic assumpseris pro Patrono diei, invoca manè per Orationem: O *Sancte* N. *Patrone mihi unice dilecte! &c.* quæ infra habetur in precibus Matutinis.

Quod porrò venerationem hujus Sancti Patroni pro die electi attinet, quamvis plurima sint, quæ passim ex libellis asceticis possis in hunc finem eruere, conare tamen inter alia etiam observare sequentia. *Primò.* Si fieri potest, compara tibi imagines omnium SS. Patronorum tuorum, & ex his expone ante te quotidie illam, in qua repræsentatur Sanctus, quem tibi

tibi pro tali die in Patronum elegisti, ut per frequentem ejus aspectum commonefias non tantùm obligationis tuæ erga Sanctum illum, qui tanquam Patronus pro te totâ illâ die coram Deo & Beatissima ejus Matre intercedit, sed ut etiam majori cum affectu præstes opera, quæ tali die in honorem ejus facere intendis: quia ad commovendum animum valde subinde juvat devota imago illius Sancti, qui colendus proponitur. *Secundò.* Si per tempus licet, lege illâ die cum attentione vitam ejusdem Sancti Patroni, & perpende diligenter, quibus virtutibus excelluerit, quibúsq; modis ad eam perfectionem, Sanctitatémq; pervenerit? & quod tibi pro salutari documento, vel ad animæ tuæ salutem conducere adverteris, diligenter nota. *Tertiò.* Gratias age DEO, B. Virgini, & Sancto ejus Angelo Custodi, quòd eorum ope ad tantam perfectionem & Sanctitatem pervenerit; Eo fine offer ipsis in gratiarum actionem officium divinum illius diei, aut alia opera bona, certus quòd per hoc tibi magnopere gratiam apud S. Patronum tuum aucturus sis. *Quartò.* Conare ipsum die illâ in præcipuis ejus virtutibus imitari, aut saltem in una ex præcipuis, quâ scilicet magis excelluit, vel quæ tibi pro eo tempore magis videtur necessaria. Et hujus virtutis elice quâvis horâ ad minùs unum actum. *Quintò.* Habe certam aliquam precatiunculam, quam quotidie in honorem S. Patroni pro illa die electi dicere possis; Et per hanc primò ei gratulare de immensa gloria, quam sibi per hujus vitæ rigorem & opera pœnitentiæ promeruit: deinde roga, ut & tibi parem à Deo gratiam, & olim etiam gloriam impetrare dignetur. Cujusmodi oratio poterit esse hæc.

Ave vernans flos cæli, & gloriose civis paradisi Sancte N. Gratias ago Domino, & SS. ejus Matri Mariæ, pro omnibus Beneficiis & gratiis, quas in te unquam contulerunt. Laudo illos propterea, & de his à Jesu & Maria liberaliter concessis donis, summe gratulor, hæcque Tibi ex corde faveo; item tibi in augmentum gaudii & gloriæ offero totius beatitudinis gazophylacium Cor Jesu Christi melli-fluum, unà cum corde ejusdem SS. Genitricis Mariæ. O Fidelissime mi Patrone! Ora pro me misero peccatore. Impetra mihi meorum peccatorum plenam veniam, impetra Spiritum bonum & Sanctam gratiam, ut Deo perfectè reconcilier, & illi placeam. Adesto mi nunc & in hora mortis meæ, ut Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis communitus, perfectè contritus, totúsque mundus de mundo exeam, & rectâ ad cælum viâ te Duce perveniam. Amen.

*Sextò.* In recitatione Rosarii B. Virginis interpone cuilibet Salutationi Angelicæ eundem Sanctum, nominando illum post illa verba: Sancta Maria Mater Dei, ora cum S. N., juxta modum supra traditum de invocatione horaria SS. Patronorum. *Septimò.* Tempore refectionis antequam cibum tibi appositum degustes, dic submissâ voce (& quantum fieri potest, nemine advertente) Salutationem Angelicam, interponendo similiter nomen illius Patroni diurni post prædicta verba: S. Maria, Mater Dei, ora. &c. & cùm perveneris ad verba sequentia: *nunc & in hora mortis. &c.* dirige intentionem tuam sic, ut per illam particulam *nunc* roges B. Virginem & prædictum Sanctum pro gratia, ut hic cibus, quem tunc sumere vis, cedat tibi non tantùm in utilitatem corporis, sed & animæ, nováśq; per illum vires compares, quibus in servitio Dei & Beatissimæ Matris ejus possis alacriùs procedere, & utriusque honorem tam in

re quàm in aliis ferventiùs promovere. Hoc fac ante sumptionē cujuslibet cibi,& si meritum tibi adaugere vis, relinque ex quolibet unum bolum meliorem in honorem Dei, & B. V. & Sancti Patroni tui pro illa die electi. Post sumptionem verò uniuscujusque cibi dic quasi gratias his verbis: Laudetur Jesus Christus, ejúsque Virgo Mater cum Sancto N. Quod idem etiam dicere potes, quotiescunque bibis. Eodem exercitio potes etiam proportionaliter uti in aggressu cujusvis operis ordinarii per diem occurrentis.

*Octavò.* Ad quemlibet horæ sonum, dum pro more Salutationem Angelicam recitas, & eidem Sanctum aliquem Patronum horarium juxta instructionem superius datam inseris, appone etiam singulis vicibus Sanctum illum, quem pro Patrono totius diei electum habes, dicendo: S. Maria Mater Dei ora cum Sancto N. nominando priùs Patronum horariū, deinde diurnum, ut hoc modo singulis horis memor sis illius Patroni, qui pro te totâ die apud Deum & SS. ejus Matrem intercedit. Porrò ut salutationem hanc majori cum affectu recites, imaginare tibi, quòd, quoties ad horæ sonum Sanctos tuos Patronos per dictam Salutationē invocas, toties Sanctissima Dei Mater cum benedicto Filio suo in lucidissima quadam nube coram te quodammodo collocata sit, & ab una parte coram ea genuflectat S. Patronus tuus diurnus pro illa die electus; ab altera verò parte singulis horis semper succedat alius Patronus, quem ad horæ sonum invocas; & quod hi Sancti Patroni sic in genua provoluti omnes tuas necessitates, angustias, pericula, & desideria Beatissimæ Virgini, & Sanctissimo ejus Filio proponant, rogando pro te instantissimè, ut, quæ ad animæ tuæ salutem proficua sunt, misericorditer tibi tam in vita quàm in morte concedere dignêtur. Quâ imaginatione magnopere senties affectum tuum erga Sanctos Patronos adaugeri.

Principaliter porrò inter Patronos tuos semper esto memor S. Angeli Custodis, quem tibi Deus in Tutelarem mox ab origine & nativitate tua constituit, quíq; tui majorem semper curam habet, & habuit, quàm tu unquam tuimet habere possis, nec præterire sinit quodammodo momentum temporis, quo tibi beneficium non conferat, licèt tibi de pluribus non constet. Ultimò tandem, præter alia multa pietatis opera, quæ tibi privatus affectus suppeditabit, valde etiam consultum est, in honorem Patroni diurni mortificationem aliquam assumere. Quod quomodo instituendum sit, colligi quidem posset ex iis, quæ supradicta sunt de mortificatione exercenda in honorem Patroni horarii, clariùs tamen patebit ex sequentibus.

### *Modus mortificandi se in honorem Dei, Deiparæ, & Sanctorum Patronorum.*

Mortificationes sunt in duplici differentia, aliæ enim sunt *externæ*, quibus caro mortificatur, uti sunt disciplinæ, jejunia, & his similia. Aliæ sunt *internæ*, per quas inordinatæ passiones animi refrenantur à vitiis, in quæ propendent; aut ex amore virtutis privantur aliquibus oblectamentis, quibus alioquin sine peccato uti liceret. Ut si quis se cohibeat ab aspectu rei pulchræ, vel auditu rei jucundæ, aut gustu rei sapidæ, ad quam ab appetitu potentiùs allicitur. Ex his mortificationibus, etsi omnes ad perfectionem conducant, cæteris tamen paribus plerumque magis sunt salutares mortificationes internæ quàm externæ: quia anima plus commodi refert ex refrenatione suarum passionum, quàm ex præcisa castiga-

castigatione carnis, imò etiam plus molestiæ, ac proinde etiam plus meriti percipere solet in reprimendis illis, quàm in corpore mortificando. Unde graviter errant, qui totam mortificationis summam putant consistere in solis exterioribus afflictionibus corporis, puta, ciliciis, disciplinis &c. totique in eo sunt, ut per hujusmodi opera pœnitentiæ corpus suum enervent, interim verò animam in vitiis profundè hærentem negligunt; non attendentes ad id, quod Christus in Evangelio monet dicens: Nolite esse sicut sepulchra dealbata, quæ foris parent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum.

Quare dispice primò conscientiam tuam, & si inordinatos aliquos affectus, vel notabiliora vitia in corde tuo radicata videris, conare hæc primùm eruere per interna mortificationum genera: his verò suppressis progredere ad compositionem hominis exterioris. Quòd si verò comperias, quòd potissima vitia tua procedant ex prava inclinatione corporis colluctantis adversùs spiritum, utere mortificationibus externis, quas ad supprimendam carnem judicaveris idoneas, cave tamen, ne vires tuas plus nimiò atteras; fatiscente enim corpore impeditur etiam anima in actionibus suis, ne id, quod vellet, operari possit. Quo quidem medio malignus spiritus sæpe sæpius utitur, ut incautos juvenes reddat inhabiles ad continuationem bonorū illorum operum, à quibus eos per aliam fraudem abstrahere non potest. *Primò* igitur nota: Cùm mortificatio nihil aliud sit, quàm suppressio malarum affectionum, quæ ex vitio depravatæ naturæ, vel suggestione dæmonis in homine solent oriri, adverte inprimis diligenter, in quæ vitia magis à natura propendeas, ut habitâ morbi notitiâ possis opportunius medicamen apponere. Quia verò vitia hæc oriuntur aliquando ex pravo appetitu animi, aliquando ex recalcitratione carnis, ideo unicuique vitio proportionaliter occurrendum est: vitio nimirum exteriori per mortificationem externam, vitio interiori per mortificationem internam.

*Secundò.* Si advertas te pluribus vitiis obnoxium, vide in quod sis proclivior, vel quod secundùm se sit periculosius cæteris, & hoc præ aliis stude priùs evellere, successivè tamen & gradatim, ita ut unum gradum talis vitii post alterum extirpes, donec totum eradicaveris, aut saltem ita suppresseris, ut tibi molestiam nullam faciat. Deinde progredere ad aliud vitium eo successivo modo tollendum, ab hoc rursus ad aliud; nec cessa, donec omnes inordinatas passiones tuas spiritui subjeceris. Notandum *Tertiò*: Quòd inveterata vitia sive passiones animi, quæ contra spiritum sæpius insurgunt, debeant actibus directè oppositis mortificari, quia contraria contrariis curantur. Sic, si quis irâ sæpè tentetur, debet se exercere in actibus mansuetudinis, dum se sentit ad iram maximè incitari. Qui deditus est gulæ, debet cavere excessum, dum maximè irritatur ab appetitu, aut optimam videt occasionem pro committendo tali excessu; & sic de cæteris. Alia vitia, quæ hominem perfectionis studiosum rariùs infestant, vel per longum exercitium mortificationis putantur emendata, debent pro cautela, ne fortè reviviscant, exterminari per subtractionem quarundam rerum alioqui licitarum, quia qui à licitis quandóque abstinet, non facilè cadet ad illicita. Ut si quis oculos suos refrenat, ut, ubi licitè aliqua videre posset, nolit tamen ad ea videnda oculos attollere propter amorem Dei, aut Beatissimæ Virginis, is non facilè incidet in eam curiositatem oculorum

rum, ut desideret non videnda videre. Et sic de aliis discurrendum est.

Observa *Quartò*. Quòd si fortè naturæ debilioris sis, & sentias cum *S. Hieronymo*, quòd etiam debile corpus subinde spiritui recalcitret, consultè quidem feceris, si quandóque mortificationem aliquam exteriorem pro supprimenda carne adhibueris, procede tamen in hoc cum discretione magna,& cave ne corpus per se debile magis atteras, aut planè enerves per hujusmodi mortificationes externas, ita ut ineptus fias ad ea, quæ alioqui secundùm statum tuum præstare deberes; prout non rarò incautis illis Juvenibus accidere solet, qui in principio conversionis suæ, dum adhuc debilioris complexionis sunt, sine licentia Superiorum suorum se nimis mortificationibus externis ultra vires & discretionem onerant, nec tamen desideratam perfectionem per hoc consequuntur, quin imò vires suas ita sensim enervant ut post aliquos annos Religioni potiùs oneri sint, quàm emolumento. Idcircò cautè procedendum est cum mortificatione corporis debilioris, tales assumendo pœnalitates, quæ carnem affligant, non penitus enecent, & non tam vires quàm vitia tollant. Igitur qui complexionis debilioris est, magis incumbere debet mortificationibus sensuum & appetituum suorum, quàm externis afflictationibus carnis; quamvis per hoc non inhibeatur, quin etiam aliquando ciliciis & aliis externis pœnitentiæ operibus se maceret, dummodò id faciat cum discretione, & sine præjudicio virium.

Ex his igitur colligere potes, quomodo mortificationes tuas in honorem Dei, & Beatissimæ Virginis & SS.Patronorum instituere debeas, ut uberem fructum reportes. Quòd si verò quæras, quas mortificationes internas debeas frequentiùs exercere, postquàm adverteris, quòd à gravioribus vitiis non infesteris? Respondeo, mortificationes sensuum esse tunc saluberrimas, de quibus vide suprà Sermone 45. num. 12. memorata, ubi de præsenti materia fusiùs dictum est. Cæterùm, quæ in honorem SS. Patronorum tuorum præstare possis, ultra ea quæ hactenus dicta sunt, dictabit tibi affectus proprius. Interim autem supra dicta diligenter exequere, & exercitia subsequentia noli negligere, quantum enim emolumenti exinde capturus sis, docebit eventus, tibi dubio procul cum tempore fortunatissimus.

## MATUTINUM

*Religiosi Hominis Exercitium, sive preces Matutinæ.*

Quibus homo Religiosus manè dum è lecto suo consurgit, mentem suam ad Deum dirigere; eidémque pro beneficiis præteritis gratias agere, pro futuris invocare: Item rectam operibus suis intentionem quotidie præfigere: Beatam Dei Matrem in Dominam & Advocatam suam adsciscere, diebúsque singulis certum aliquem Patronum juxta instructionem superiùs datam eligere potest.

Quamprimùm igitur campanæ sono, vel aliunde expergefactus è lectulo surgis, signo Crucis te munire, mentémque ad Deum attollere asuesce per quæpiam pia suspiria, v. g. cum Seraphico Francisco ingeminando: *Deus meus & omnia*, sive cum Divo Paulo: *Domine quid me vis facere?* vel cum Rege Davide: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Vel simile quid mente revolve.

Post hæc ubi tempus pro particulari tua devotione commodum repereris, procumbe in genua, totóque cordis affectu

fectu gratias age Deo, & Sanctissimæ ejus Matri pro beneficiis in te collatis, & te tuáque omnia illis humiliter offer: Simúlque Patronum elige, cujus custodiæ te totâ illâ die commendes. Quæ omnia ut cum affectu majori facias, imaginare tibi Deum cum Sanctissima sua Matre, totáque cælesti curia præsentem, & attendentem petitioni tuæ. Unde cum humilitate summa, affectúque maximo ad pedes quodammodo DEI prostratus, eundem hoc modo saluta:

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.

O Dulcissime JESU Sponse animæ meæ, ad quem die noctéque suspiro; ego clientum tuorum minimus, post hodiernæ noctis vigilias, quibus corpori meo quietem ad tui sanctissimi Nominis honorem indulsi, ad te rursùm diluculo consurgo, Téque intimo cordis mei affectu saluto, optóque vel maximè, ut Te unà mecum etiam millia millium cælestium agminum tibi ministrantium affectuosissimè salutent, & decies centena millia tibi assistentium Te unà mecum glorificent; universalis quoque harmonia omnium creaturarum Te unà mecum collaudet, & Nomen tuum gloriosum, protectionis nostræ clypeum benedicat in sæcula, Amen.

*Tum verò pro beneficiis gratias age in hunc modum:*

Quid retribuam Tibi DEO meo, Conditori, Redemptori & Conservatori meo pro omnibus, quæ hucusque semper, & in hujus etiam elapsæ noctis paternâ custodiâ ex abundantia bonitatis tuæ liberaliter dedisti mihi? Accipe, ô amantissime Domine mi, pro gratiarum actione omnia Sanctæ Ecclesiæ tuæ devota servitia, cum unanimi concentu totius cælestis curiæ, & in omni populo, & tribu, & lingua, & natione, præsertim verò sancta Religione nostra celebretur dulcissimum atque gloriosissimum Nomen tuum, quod est super omne nomen benedictum in sæcula, Amen.

*Te verò, & tua omnia offer in hunc modum:*

Et licet, Domine mi, totum tuum sit, à quo profluxit omne, quod habeo, iterum tamen, iterúmque votis omnibus offero & consecro tibi, tuæque SS. Matri cor meum unà cum corpore & anima, & utriúsque viribus, & omnia hujus diei, totiúsque residuæ vitæ meæ cogitata, verba, & opera, in agnitionem debiti illius, quo tibi utpote supremo Domino, & tuæ SS. Matri tanquam amabilissimæ Dominæ meæ obstrictus sum. Accipe igitur hæc omnia in debitæ servitutis meæ obsequium, ídque in unione operum tuorum, quæ tu ipsemet in terris ex perfectissima charitate pro salute nostra egisti, ut ex abundantia meritorum tuorum mea juvetur infirmitas, & defectus suppleatur.

*Deinde dispositurus opera tua, sic ora:*

Doce me Domine, hodie custodire legem tuam, & in præceptis tuis ambulare, tuáque adjutus gratiâ custodiam Judicia Justitiæ tuæ, & in studiis, verbis & operibus statui meo Religioso congruentibus sedulò vacabo, ut in oculis Divinæ Majestatis tuæ diem hunc ad dulcissimi cordis tui beneplacitum decurram.

*Hic verò dispone totius diei opera, & juxta materiam examinis tui particularis propone tibi virtutem, in qua te illâ die singularius vis exercere, aut vitium, quod præ cæteris conaris extirpare: firmiterque statue, omnes occasiones & pericula, quibus te magis obnoxium scis, evitare; Simulque dolorem elice de omnibus vitæ præteritæ peccatis, & negligentiis, quod totum fieri potest hac vel simili precatione:*

Utinam, ô mi Deus! hodie omni custodiâ servem cor meum, quod tibi obtuli. Propono firmiter cum divino tuo auxilio peccata omnia devitare, consueta vitia, & vitiorum occasiones, maximè ad quæ propensior sum (NB. *hîc exprime vitium, in quo maximè cavere proponis*) deponere, & in Virtute (NB. *hîc exprime virtutem, in qua te singularius vis exercere*) tanquam mihi magis necessariâ exercere, idque Domine ex puro amore Tui, cui uni placere, servire, adhærere toto corde & affectu desidero. Et ex hoc tui amore vehementissimè doleo, quòd unquam, quod infinitæ Bonitati tuæ contrarium est, commiserim, & tam negligens hucusque in sancto servitio tuo fuerim. Pœnitet me ex toto corde, & propono firmiter omne peccatum deinceps, plus quàm omne aliud malum vitare, integrè confiteri, & omne id præstare, quod à me Sanctissima tua lex requirit.

*Post hæc pete gratiam pro exequendo tuo proposito: Sic.*

Verùm, ô Domine, quid prodest velle, nisi Tu des perficere? Tu nôsti fragilitatem meam, & notæ sunt tibi viæ meæ; nec nisi ex te est omnis sufficientia mea. Exurge itáque in adjutorium mihi, & potenti gratiâ vires adde, ut propositum voluntatis meæ efficaciter impleam, ut vivam semper amando & laudando te, & Sanctissimam tuam Matrem hic & in æternum, Amen.

*Postquam te, tuáque Deo sic commendaveris; converte te ad salutandam B. Virginem, eámque pro singulari tua Patrona & Advocata, imò Matre interpella per sequentes preces.*

## *Ad Beatissimam Virginem Mariam devota Oratio.*

O Benignissima misericordiæ Mater, post Deum Spes mea unica: Ecce ego vilissimum mancipium tuum tibi me denuò sisto hoc die, & immensas ago gratias pro omni materna, quam pro me gessisti hâc nocte, curâ & custodiâ. Oro te per clementissimum cor tuum, ut me in filium tuum denuò suscipias, mei curam nunc & in omni tempore habeas, ab omni peccato mortali, & veniali deliberato me hodie, totáque vitâ meâ protegas ac liberes, virtutes omnes, quibus Filio tuo placuisti, præsertim humilitatem & puritatem mihi impetres, & me in statu Filio tuo ac Tibi gratissimo conserves. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria. Memento quæso mei nunc & in hora mortis meæ, Amen.

## *Alia commendatio sui ad eandem.*

O Domina mea, Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem & singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ hodiæ & quotidie, & in hora exitûs mei animam meam & corpus meum tibi commendo: omnem spem meam & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas; vitam & finem vitæ meæ tibi committo, ut per tuam SS. intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & disponantur opera secundùm tuam, tuíque Filii voluntatem, Amen.

## *Ad Sanctum Angelum Custodem.*

SAncte Angele DEI, Custos animæ & corporis mei, per dulcissimum Cor JESU Christi Salve. Angele mi dilecte, præ omnibus electe; ego tibi unicus, & tu mihi. Pro amore ejus, qui te & me creavit, & me tibi commendavit in baptismate, suscipe me in curam tuæ fidelissimæ custodiæ, ut adjutus à te immaculatus transeam hujus vitæ torrentem, & lætus perveniam ad portum beatæ æternitatis. O Sancte Angele, te Patronum meum veneror, vigilem & Custodem meum amo, tuæque directioni me totum

tum subjicio, ne me, quæso, quamvis ingratum, & tibi (ah! pudet, & pœnitet) sæpius rebellem, iratus deseras, sed benignus errantem dirigas, ignorantem erudias, jacentem erigas, afflictum soleris, periclitantem liberes, & incolumē ad æternam felicitatem perducas, ubi gratiarum hymnũ tibi æternùm cantabo, Am.

### *Ad Sanctos Patronos.*

O Sancti Patroni mei, mihi singulariter electi & dilecti! congaudeo, & congratulor ex animo gloriæ & felicitati vestræ, sed & suspirat, & anhelat ad vos gemens & tremens anima mea inter tot hostes & salutis discrimina. Vos mei clientis vestri memores, obtinete mihi gratiam Dei validam & efficacem, quâ adjutus & ego sequar vestigia vestra, & fortiter hostibus meis, mundo, carni, dæmoni resistam, nec ullis unquam ipsorum insidiis, viribúsque succumbam, sed Christo Salvatori meo, amabilissimæque Matri ejus exemplo vestro constanter adhæream; ut nunc vobis in gratia, & tunc conjungar in gloria, Deúmque unà vobiscum, & Sanctis omnibus laudem per infinita sæcula, Amen.

### *Ad Sanctum Patronum, qui pro illa die eligitur.*

TU verò Sancte N. Patrone mihi unicè dilecte, suscipe me hodie in Clientem tuum supplicem, meáque omnia, cogitationes, verba & opera, vigilias, labores, negotia omnia, corporis sensus, vires animæ, omnes motus, & anhelitus meos, ut per te Deo meo, in honorem ipsius, & Sacratissimæ Matris ejus oblata, gratiam copiosiorem in oculis eorum inveniant, ut de me meisque omnibus tanquam de suis disponant; vitam meam ad sui Sanctissimi Nominis gloriam dirigant, bonis suggestionibus intellectum illustrent, fervore charitatis ad se moveant, cælesti virtute ad æmulationem tuæ vitæ provocent, sensúsque, sermones & actus meos ad animæ meæ proximorúmque salutem componant, ut in corpore & anima salutariter adjutus hoc N. vitium (NB. *hîc exprime vitium, à quo particulariter die illa tibi cavere vis*) & quæcunque alia Deo meo, & SS. ejus Matri, tibíque Sancte Patrone mi displicent, fortiter superare, & constanter removere: hanc verò virtutem N. (NB. *hîc exprime virtutem, in qua te illa die particulariter vis exercere*) & quæcunque alia Deo meo, amabilissimæq; Matri ejus, Dominæq; meæ, & tibi pariter placita sunt, feliciter hodie obtinere valeam & promovere, Amen.

*Post hæc omnia fac generalem intentionem, & oblationem operum tuorum juxta methodum infra positam.*

## MODUS

### *Faciendi Intentionem Generalem pro singulis diebus Hebdomadæ.*

CUm nullum opus hominis sit meritorium, nisi per bonam intentionem referatur in Deum, ideo nihil ferè ita necessarium est homini Religioso, quàm ut operibus suis semper præfigere studeat intentionem bonam, ne se defraudet merito tot laborum & mortificationum, quæ in Religione occurrunt. Quolibet ergo die, manè, priúsquam opus aliquod aggrediatur, conetur facere generalem intentionem pro totâ die, id est, pro omnibus cogitationibus, verbis & operibus totius diei. Ne verò in hoc puncto vagè feratur, aut quovis die de novo recogitare cogatur de aliqua intentione operibus suis præfigendâ, benè fecerit, si pro quavis die hebdomadæ habuerit suam intentionem certam;

tam; id est, pro diebus Lunæ intentionem hanc N. pro diebus Martis istam N. &c.

Antequam autem intentiones suas ita distribuat, recogitet priùs omnes obligationes suas, pro quibus specialiùs orare tenetur: & postquam illas in unum collectas habuerit, dividat illas ita, ut unicuique assignet diem talem, quæ videbitur magis accommoda. Nec putet, quòd, dum fortè opera sua offert pro aliis, non possit etiam ea offerre pro se; quia Deus non est ita in gratiis erogandis parcus, ut, dum petitur gratia pro uno, non velit etiam peti pro alio. Imò verò gratius habet, quo plus ab illo petitur, quia omnia, quæ petimus, supponimur ultimatè propter illius honorem petere. Poterit igitur intentionem suam semper dividere in tres partes, ita ut opera totius diei offerantur Deo; *Primò*, in gratiarum actionem alicujus beneficii jam præstiti. *Secundò*, pro impetratione alicujus gratiæ novæ obtinendæ pro se. *Tertiò*, pro impetratione alicujus gratiæ præstandæ aliis, pro quibus tali die orare intendit. Nomine autem eorum, pro quibus orare debet, intelligendi sunt, Parentes, Consanguinei, Benefactores, Fideles defuncti, Superiores Religionis, Principes Christiani, Necessitates publicæ, Necessitates Religionis & similes, quorum ita meminisse convenit, ut singulis certa quodammodo dies quavis hebdomadâ impendatur. Poterit ergo quilibet Religiosus intentiones suas sic circiter instituere.

*Die Dominico.*

*Primò*. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, à Deo sibi, suæ Religioni, & toti Ecclesiæ concessis. *Secundò*. Pro impetranda sibi gratia, ut omnibus his beneficiis debitè utatur, non tantùm ad utilitatem animæ suæ, sed etiam ad emolumentum proximi, maximè verò eorum, qui ejus curæ commissi sunt, aut quos Deus vult operâ suâ juvari & dirigi in viam Salutis. *Tertiò*. Pro exaltatione Sacræ Religionis nostræ, ut Deus omnes defectus præsertim notabiliores ab ea arceat; ad profectum Virtutis singulos confratres potenti suâ gratiâ moveat. Superioribus verò specialiter assistat, ut cum vero zelo Religionem, & omnes sibi respectivè subjectos regant, & divinum honorem, animarúmque salutem in singulis promoveant.

*Die Lunæ.*

*Primò*. In gratiarum actionem pro speciali illo beneficio, quòd Deus se peccatorem, & plures alios sibi similes dignatus sit movere, non tantùm ad pœnitentiam & conversionem morum, sed etiam transferre ad Statum Religiosum, ubi possit non tantùm pro peccatis satisfacere, sed etiam cæleste meritum summè adaugere. *Secundò*. Pro impetranda verâ compunctione & emendatione vitæ: debitâ item remissione peccatorum præteritorum, & pœnarum pro eis debitarum. *Tertiò*. Pro liberatione omnium fidelium Defunctorum; maximè verò eorum, pro quibus magis orare tenetur. Pro conversione item peccatorum, præsertim eorum, quorum majorem curam habere debet.

*Die Martis.*

*Primò*. In gratiarum actionem pro creatione mundi, & omnium bonorum temporalium: specialiter verò pro creatione sui. Vel in gratiarum actionem pro vocatione sui de mundo ad Statum Religiosum. *Secundò*. Pro impetranda sibi à Deo gratia, ut spretis omnibus mundi vanitatibus solum semper Dum purâ

men

ut ſpretis omnibus mundi vanitatibus ſolum ſemper Deum purâ mente ſectetur, omniáque hujus mundi pericula ſecurus evadat. *Tertiò.* Pro ſalute omnium amicorum ſuorum tam vivorum quàm defunctorum, ut Deus defunctis amicis requiem; vivis autem gratiam, & quæ ad ſalutem eorum neceſſaria ſunt, concedere dignetur.

### *Die Mercurii.*

*Primò.* In gratiarum actionem, quòd Deus Beatiſſimæ Matri doloroſæ, & omnibus ejus cultoribus, tantam gloriam, quâ nunc in cælo fruuntur, contulerit, Sanctámque Religionem noſtram per ejuſdem Sacratiſſimæ Virginis doloroſæ miraculoſam apparitionem inſtituere dignatus ſit. *Secundò.* Pro impetranda ſibi felici morte, & ferventi cultu B. Matris doloroſæ, obtinendáque illa finali gratiâ, ut Sacratiſſimam hanc Matrem ſibi in morte propitiam, &, ſi fieri poteſt, etiam præſentem habere mereatur. *Tertiò.* Pro omnibus fratribus noſtris in Domino defunctis; maximè illis quibus convixit, aut quibus ex aliqua cauſâ obſtrictus eſt. Item pro illis animabus Purgatorii, quæ B. Virginem Doloroſam in hoc mundo ferventiùs coluerunt.

### *Die Jovis.*

*Primò.* In gratiarum actionem pro inſtituto SS. Euchariſtiæ Sacramento, cæteriſque ſalutis noſtræ remediis. *Secundò.* Pro impetranda ſibi à Deo ſingulari devotione & affectu erga hoc Auguſtiſſimum Sacramentum, ut illud ſemper eâ, quâ par eſt, puritate cordis ſumere, ſpecialiter verò in articulo mortis, cum debita peccatorum omnium contritione percipere mereatur: Item ut acta vitæ ſuæ ſic inſtituat, ut divinum Judicium ſecurus aliquando evadere poſſit. *Tertiò.* Pro omnibus benefactoribus tam vivis quàm defunctis, qui vel Religioni, vel ipſi in particulari benefecerunt, vel adhuc benefaciunt tam in ſpiritualibus quàm corporalibus. Pro impetrandâ item gratiâ omnibus fratribus Ordinis noſtri, ut beneficiis ſibi à Deo temporaliter conceſſis utantur unà ſecum ad animæ ſuæ ſalutem, & non ad perditionem. Et denique pro dilatanda veneratione SS. Sacramenti in omnibus fidelibus.

### *Die Veneris.*

*Primò.* In gratiarum actionem, & aliqualem compenſationem omnium dolorum & amaritudinum, quas Chriſtus Salvator noſter in Paſſione ſua ſuſtinuit pro toto genere humano, & particulariter etiam pro ſe miſero peccatore. *Secundò.* Pro impetranda ſibi gratia, ut hanc amaram paſſionem cum maximo ſemper doloris ſenſu recogitare, & quantùm poſſibile eſt, imitari, alióſque etiam ad Crucem Domini cum affectu ferendam commovere poſſit. Item ut actiones ſuas, vitámque ſic inſtituat, ut fructum Dominicæ Paſſionis olim percipere, & pœnas æternas evadere valeat. *Tertiò.* Pro omnibus perſonis publicis, id eſt, pro Pontifice, Imperatore, Regibus & Principibus Chriſtianis, Superioribus Religioſorum Ordinum, maximè verò Religionis noſtræ, ut ſubditos omnes ſuo regimini commiſſos piè ſanctéque regant, eóſque ad obſervantiam mandatorum Dei, tum verbo, tum exemplo inducant, ita ut laus Dei in omnibus honorificetur. Pro aliis quoque neceſſitatibus publicis, & iis omnibus, qui pro exaltatione Sacratiſſimæ Paſ-

sionis Dominicæ maximè laborant, vel olim, dum viverent, laborârunt.

*Die Sabbathi.*

*Primò.* In gratiarum actionem pro omnibus donis, beneficiis & gratiis, quas Deus Beatissimæ Matri suæ, & omnibus Marianis cultoribus olim in terris, vel etiam nunc in cælis contulit, & confert. *Secundò.* Pro impetranda sibi gratia, ut inter ferventiores hujus SS. Virginis cultores numerari, & ejus honorem tum in se, tum in aliis quoad vixerit, studiosissimè promovere, eámque vicissim sibi tam in vita quàm in morte propitiam experiri mereatur. *Tertiò.* Pro omnibus cultoribus Marianis, maximè verò illis, qui hujus Sanctissimæ Virginis honorem frequentiùs promovere conantur, vel olim promovere conati sunt, dum viverent. Item pro omnibus aliis tam vivis quàm defunctis, pro quibus ex aliqua obligatione orare tenetur, ut Deus illos omnes per merita dulcissimæ Matris suæ ad æterna gaudia unà secum feliciter deducere dignetur, ut sic reipsa experiantur, quòd gloriosissima hæc Virgo verè constituta sit à Deo Porta Cæli.

Generales has intentiones poterit semper observare juxta hìc factam distributionem. Quòd si verò particularis aliqua necessitas occurrerit, poterit eam inserere ad reliquas, die quo libuerit. Præterea consultum hìc foret post intentionem nunc dicto modo pro die factam mox adjungere illam formulam, per quam quis omnia opera sua transcribit animabus in purgatorio existentibus, quam infra Sermone 63. num. 8. posuimus, quàm enim intentio hæc fructuosa sit, dictum est in præfato Sermone. Sequitur modò:

# EXERCITIUM VESPERTINUM.

*Discussis ritè conscientiæ latebris, si te nonnullos incurrisse defectus & errores animadvertis, dole de his, veniámque à JESU Redemptore tuo efflagita, sic orans:*

EHeu Domine JESU! peccavi, peccavi, & malum coram te feci: miserere mei, quia pius & clemens es. Ego omnia peccata mea, omnes excessus & negligentias meas depono in sacratissima quinque Vulnera tua, omnes offensas meas projicio in abyssum misericordiæ tuæ, ut ibi absorbeantur ac in nihilum redigantur. Spero & confido in immensa bonitate tua; ablue me, quæso, pretiosissimo Sanguine tuo, & plenè me emunda. Ego desidero & propono, te adjuvante, corrigere me: renuncio omnibus quæ tibi displicent. Conforta me gratiâ tuâ Domine Deus meus, Amen.

*Postmodum te commenda eidem Salvatori tuo per sequentem Orationem:*

DUlcissime Domine JESU Christe, in unione Sanctissimarum respirationum tuarum, & somni tui Sanctissimi, quem ut verus homo capere voluisti, offero tibi somnum meum, cui nolo indulgere ob propriam meam voluntatem, sed ob divinæ voluntatis tuæ ordinationem, ob naturæ meæ necessitatem, & ut tibi meliùs ac ferventiùs servire possim: Offero tibi etiam omnes nocturnas respirationes meas, uniendo illas tuis, quas in Cruce durissimè quiescens elicuisti; ac vehementer desidero non minùs in somno quàm in vigiliis lau-

laudare te, amare te Dominum meum, & Deum meum, ut dicere possim: Ego dormio, & cor meum vigilat.

*Ad Beatissimam Virginem MARIAM verò sic ora:*

APeri & tu, ô Inventrix & Mater gratiæ, sinum misericordiæ tuæ, & me cum Prole pia benedic Virgo MARIA. Ecce ego clientum tuorum minimus, ad pedes tuos provolutus, pro materna cura, & omnibus in me hodie, à te, & per te collatis beneficiis gratias immortales ago, omniúmque mearum culparum & negligentiarum veniam humillimè deprecor, meque tibi denuò hac nocte custodiendum ac protegendum fiducialiter committo.

MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.

*Denique te etiam commenda Sanctis Angelis, ac Patronis tuis hoc modo:*

O Sancte Michael Archangele, Princeps militiæ Cælestis, & tu quoque Sancte Angele Custos, ac Tutelaris fidelissime, vósque Sancti Patroni & Patronæ meæ, qui me hac die ab innumeris malis & periculis illæsum custodistis, hac etiam nocte, & in extremo agone, ab omnibus inimicorum meorum, ac præsertim hostis infernalis insultibus benignè protegite, donec vobis conjungar in gloria, Deúmque unà vobiscum laudem per omnia sæcula, Amen.

Angele DEI, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate supernâ hac nocte, & in morte, custodi, rege & guberna, Amen.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI intercedite pro me, nunc & in hora mortis meæ, Amen.

*His devotè peractis, ante B. Virginis imaginem prostratus, petes iterum ab ea benedictionem, dicendo:*

Me cum Prole pia, benedic, ô Virgo MARIA.

*Post asperges lectulum aquâ Benedictâ, formans super eum signum Sanctæ Crucis, dicendo:*

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.

*Subeundo verò stratum tuum orabis:*

O Dulcissime JESU, in manus tuas commendo spiritum meum; suscipe in fine animam meam. In pace in idipsum dormiam, & requiescam: Benedicat me Deus † Pater, qui me creavit ex nihilo. Benedicat me Deus † Filius, qui me hominem perditum Sanguine proprio reparavit. Benedicat me Deus † Spiritus Sanctus, qui me in peccatis conceptum emundavit, & sanctificavit in Baptismate.

JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Titulus triumphalis defendat me ab omnibus malis. Sancte DEUS, Sancte FORTIS, Sancte IMMORTALIS, miserere mei, Amen.

Conare autem, ut obdormias in pia quadam cogitatione, sive meditatione cujusdam mysterii ex vita Christi occupatus; quia (ùt revelavit aliquando Dominus S. *Mechtildi*) Quando quis somnum capere vult, meditetur aliquid de me, aut mecum loquatur; Ita enim, licèt corpore dormiat, mente tamen vigilabit ad me: & si dormiturus quisque desideret, ut singulas respirationes, quas nocte illâ faciet, tanquam eximiam mei laudem suscipiam, & ego, qui sanctis votis piæ amantísque animæ deesse non possum, in veritate desiderium ejus implebo. Ita refert *Ludov. Blosius* in Monili spirituali c. 9. Hæc de Sanctorum Veneratione ac invocatione

catione dicta sufficiant; Quia verò Deiparæ Virgini major, quàm aliis Sanctis, debetur honos & veneratio, quæ à Theologis *Hyperdulia* dicitur; ideo in præsenti hac Grammatica Religiosa specialem de cultu B. Virg. Mariæ sermonem omittere minimè debemus, quē proinde in fine positum pius & religiosus Lector reperiet.

# SERMO LV.
# DE PERSEVERANTIA.

*Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. 24. vers. 13.

## PARS PRIMA.

1. UT præsentem discursum ab ejus definitione incipiamus, notandum est ex D. *Thoma* 2.2.q. 137. a. 1. quòd perseverantia sic definiatur: *Est perseverantia virtus specialis, habens speciale objectum, scilicet opus laboriosum, ut tristabile diuturnitatis.* Quippe multos cernimus animosè ardua quæque ordiri, qui tamen in prosecutione deficiunt, quia in inceptorum continuatione multæ sese ingerere solent difficultates, impellentes animum ad tristitiam & derelictionem boni inchoati. Ac proinde ne homo in laborum diuturnitate deficiat, roborari ac sustentari debet à perseverantiæ virtute, quæ robur & constantiam in arduis & difficilibus administrare debet. Versatur autem principaliter perseverantiæ virtus circa duo, nempe circa mala toleranda, & circa bona non relinquenda, de his duobus dicitur *Eccli.* 2. 16. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas.* Et Christus apud Evangelistam *Matthæum* c. 10. 22. & c. 24. 13. dicit: *Qui autem perseveraverit* tam in malo tolerando, quàm in agendo bono, *usque in finem, hic salvus erit.* Ut igitur tum in bonis agendis, tum in malis sufferendis fortiter persistere valeamus, ea quæ nobis perseverantiæ virtutem persuadent, & commendant, in præsenti dispiciamus, & observemus oportet. Qua in re primum quod ponderandum occurrit, illud censetur, quòd Orbis *Prædicator* in prima sua epistola ad *Corinthios* cap. 15. 57. his verbis proponit: *Fratres dilecti stabiles estote* in exercendis virtutum operibus, *& immobiles,* ne scilicet à carnis & mundi blandimentis seducamini; *Abundantes in omni opere Domini semper.* Similiter in *Apocalypsi* cap. 2. 7. dicitur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Per vincentem autem hìc intelligitur is, qui omnes hostes, mundum scilicet, carnem ac dæmonem debellârit, & victoriam finalem ab iisdem obtinuerit, subditur enim: *Qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo ei stellam matutinam;* hæc est gloria animæ, quæ, transactâ nocte hujus sæculi, lucem & vitam Sanctis affert, & quasi novum manè in splendore visionis, novúmq; diem æternitatis. Ut hanc ergo promereamur, custodire oportet usq; in finem opera Dei.

2. Non

2. Non minùs expavescendum quàm admirandum casum legimus *Genes.* cap. 19. de uxore Loth, quæ dum Sodomæ incendium effugisset, contra expressum Dei præceptum de non respiciendo retrò, respexit retrò, & ecce subitò Scripturâ attestante, *versa est in statuam salis.* Quòd si quis nosse cupiat, cur tam repentè hanc fœminæ curiositatem Deus ita castigare voluit, cùm fortassis illa, ut arbitramur, ex motivo compassionis respexerit? Quia nimirum voluit Dominus per hanc punitionem, perseverantiam nobis commendare, nósque edocere, quanti referat, ne aliquis, qui semel peccato terga vertit, jámque virtutis montem ascendere cœpit, unquam retrogrediatur. Ac proinde per altissimam suam providentiam dispoſuit Deus, ut uxor Loth non in statuam aliquam ligneam, testaceam, marmoream, aut metallinam, sed in salis statuam converteretur; Sic enim (teste S. P. *Augustino* lib. 2. quæst. Evang.) Deus nobis quoddam præstitit condimentum, quo sapiamus aliquid, & à simili infortunio nobis diligenter caveamus, & hac cogitatione, velut sale conditi prosequamur cœptum iter nostrum, ne mentis oculos ad mundum reflectendo animæ interitum incurramus. His cohæret illud Christi (Luc. 9. 62.) pronuntiatum: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Proinde humani generis inimicus, quoad potest, perseverantiæ insidiatur, non nescius, verissimum esse illud *Ezechielis* cap. 18. 24. *Si autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, quâ prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* Non sufficit ergo ad salutem inchoare quod bonum est, sed consummare bonum inceptum, hoc solum nos in vitam æternam introducit.

3. *Hugo Cardinalis* in Matth. 24. de virtute perseverantiæ ita scribit: *Virtus est, quæ bona acquisita custodit; desistere ab opere inchoato bonum inchoatum destruit. Psalmista Regius* inter alias Psalterii sui propositiones unam habet, quæ primâ facie difficultatem haud exiguam præsefert, hanc nimirum: *Ps.* 118. 3. *Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Ita ne? Ergone nec ille, qui de se gloriari non dubitabat, dicendo: *Psal.* 100. 2. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* In divinæ legis stadio magnis non processerat passibus, quando postea in peccatum adulterii lapsus fuit? Quot sunt, qui postquàm antea longo temporis spatio irreprehensibiliter vixissent, demum verò per fragilitatem, vel per malitiam lapsi fuerunt? Ergone de illis ob hunc lapsum dici poterit, quod antea in via DEI non ambulaverunt? Respondetur: Davidem illis verbis exprimere voluisse præjudicium; quod in eos, qui in bono cœpto non persistunt, infallibiliter redundat, scilicet quod omnium bonorum operum merita adeò amittant, ac si virtutum stadio pedem suum nunquam intulissent. Quia *omnes Justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

4. Quod si quis triginta vel quadriginta annis inter continuas maris tempestates vitam suam traduxisset, monstrorum maritimorum faucibus, piratarum & naufragiorum periculis expositus, atque insuper sæpius ad antipodas usque profectus, copiosissimum sibi congregasset pecuniarum, gemmarum, auri, argentique thesaurum, ut inde in patriam suam reversus, in quiete vivere posset, si, inquam, ille ad suos redux feliciter fa-

ctus in eodem portu, ubi appulit, unico alearum jactu thesaurum illum, tot curis & sudoribus accumulatum perderet ludendo, nunquid illum stultum & catenâ dignum pronunciares? Heu! quot sunt, qui postquam in mari hujus mundi diuturno tempore per varia operum bonorum genera pro cælo acquirendo multa sibi accumularunt merita, postea quando cælo vicini sunt, à turpi quadam voluptate, vel à vili quodam emolumento seducti, totum illum copiosum thesaurum simul & semel pro brevis momenti voluptate habenda perdunt, seu potiùs abjiciunt; De quibus ait *Apostolus*: *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Gal. 3. 3.*

5. Statua *Nabuchodonosoris* à capite aureo declinabat in argentum, quod est metallum ignobilius; ab argento degenerabat in æs, postea in ferrum, ac tandem in fine, in creta seu terra fictili terminabatur. Hæc statua optimè illos præfigurabat, qui magno cum fervore incipiunt, at verò in amore Dei, & in primo spiritu postea insensibiliter intepescunt, & sensim sine sensu à recta perfectionis semita deviant, donec tandem à propria fragilitate stimulati, turpiter cadant; Parvulus quidem lapillus ingentem à *Nabuchodonosore* visum colossum demolitus est, ut per hoc doceremur, quod sæpè quævis levis occasio ad turpe præcipitium incurrendum sufficiat.

6. Porrò, valde notabilis est sequens S. *Hieronymi* doctrina: *Non ex præteritis, sed ex præsentibus judicamur; cavendum est, & semper timendum, ne veterem gloriam, & solidam firmitatem unius horæ procella subvertat.* O quot habuerunt exordia omnino aurea, sed prô dolor! quàm turpia exodia: de quibus *Richardus de S. Victore* sic exclamat: *O confusibiles operarios, qui in initio conversionis suæ opus suum inchoant ex auro, & consummant in luto!* *Osius* Cordubensis Episcopus sub Diocletiano fidem Orthodoxam constanter confessus, & à *S. Athanasio* dignus æstimatus, qui Patris Episcoporum & Confessorum titulo honoraretur, fidem Catholico-Romanam longo tempore contra Arrium invictâ constantiâ sustinuit, & ob virtutes heroicas, nec non prudentiam, quæ in ipso admirabilis erat, in *Concilio Nicæno* Legatus Apostolicus ab omnibus est agnitus, quem orbis universus velut ævi sui miraculum suspexit, eúmq; *Constantinus* Imperator ùt Patrem venerabatur, laterique suo velut assiduum monitorem adhærere volebat, quem etiam S. *Athanasius* magnum appellabat & Sanctum, utpote, qui egregium hunc *Patriarcham* contra *Constantium* sæpius defenderat; Hic inquam post innumera hæc, quæ sibi apud universam Ecclesiam comparaverat, merita, post omnes persecutiones patienter toleratas, in conciliabulo *Sirmii* habito, dum centum annorum ætatem attigisset, miserabiliter cecidit, Ursacii & Valentis hæresim amplectendo. Immenso sanè luctu, & implacabilibus lamentis (ùt *Baronius* An. 357. n. 17. ait) prosecuti sunt SS. *Patres* præclarissimi hujus viri lapsum, qui cùm navem, quâ tot tantáque maria navigarat, inter syrtes, scopulos, atque Piratas, validis undique urgentibus adversariis ventis, jam ad portum salutis magnâ gloriâ perduxerat incolumem, ibi insperatò naufragium fecit, universâ Catholicâ Ecclesia expavescente. Ejusmodi *Osii* planè miserabili casu Catholicus orbis contremuit, concussæque sunt solidissimæ petræ. Quis rogo de sui exitu poterit esse securus, si omnium Synodorum laudibus *Osium* celebratum, tótque ex diversis certa-

certaminibus coronis auctum hominem, in Conciliis agentem Patronum atque Magistrum videat tam inopinatè prosterni, ac instar salis infatuati pedibus proculcari, tantúmque ducem effici exercitûs desertorem, imò ad hostes deficientem, & in castris hostium profitentem, idque eo potissimum tempore (proh dolor!) quo de laboribus immensis præmium accepturus, & de innumeris victoriis erat donandus à summo Imperatore coronis?

7. *Henricus VIII.* Angliæ Rex regia manu sua contra *Lutherum* de septem Sacramentis librum conscripsit, qui apud *Summum Pontificem & Cardinales* in tanta æstimatione habitus fuit, ut ob eundem illum *defensoris Ecclesiæ* titulo honorarint. Quis autem unquam hunc eundem Regem postea pejùs, quàm si Antichristus aliquis fuisset, subditum sibi Angliæ regnum in fide orthodoxa subverturum esse credere potuisset? Et tamen idipsum cum maximo & irreparabili damno & scandalo præstitit. Quantorum item fuerit meritorum *Tertullianus*, quamque eximius & zelosus extiterit fidei Catholicæ Professor; & quam ingentia etiam *Origenes* penes eandem Ecclesiam sibi merita compararit, liquet de utroque tum ex eorum libris, pietate & doctrinâ plenis, tum ex annalibus Ecclesiasticis; attamen ambo in hæresin turpiter sunt prolapsi. Prætereundus hîc non est Balaam, qui avaritiâ illum exstimulante populo Dei maledicere præsumpsit Num. 22.; Nec tamen impius ille semper sceleratus fuit, sed à principio Sanctus, amicus Dei, & *Propheta* fuisse noscitur, imò idem ille erat, qui in libro *Job Eliu* appellatur, paulò pòst verò sensim in timore DEI refriguit, amissóque gustu spiritualis vitæ & conversationis, pecuniarum factus est amator, & studiosus inquisitor, quas ut abundanter sibi conquireret, dæmonem adoravit. Audiamus *Rupertum Abbatem* in c. 2. Apoc. dicentem: *Fuit ille Balaam idem, qui in libro Job dicitur Eliu; primùm Propheta, & vir Sanctus, postea propter avaritiam, divini vel arioli vocabulo nuncupatus.* Unde deducitur, quanti referat illud observare documentum Apostolicum *Philip.* 2. 12.: *Cum metu & tremore salutem vestram operemini.* *Seneca* moralis ait: *Felix sapientia, quæ ex aliorum discitur insipientia.* Et S. *Hieronymus* pariter dicit: *Aliorum ruinæ exempla Justorum sunt.* Quamobrem summas Deo referamus grates, quod ex immensa sua erga nos pietate non nos in aliorum exemplum, sed alios in exemplum nostrum posuerit, quò alieno damno meliora sapiamus, caveamúsque, ne in virtutum & Religiosæ perfectionis cursu post tergum respiciamus. Sed quò solidiores in hac perseverantiæ virtute agamus radices, alteram placebit subjicere partem.

# PARS SECUNDA.

8. INter immensa, quæ perseverantiæ virtus procreat bona, illud prorsus eximium est, quod salutem nobis comparet æternam: *Qui perseveraverit, &c.* Unde S. *Laurentius Justin.* de lig. vit. c. 4. ait: *Perseverantia, & stabilitas in operatione patenter ostendit, operantem in electorum numero computandum, ac virtute Perseverantiæ esse redimitum; Solum non perseverasse, est amisisse coronam.* Ingeniosam

fam Doctor Seraphicus S. *Bonavent.* in Pſ. 67. 1. Cor. 9. 24. habet obſervationem, dum ad illum *Apoſtoli* textum ſe reflectens: *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium*, ita ſcribit: Sic de Virtutibus poteſt dici; nam virtutes ad regnum Chriſti currunt, ſed una ſola accipit bravium. Nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleëmoſyna, abſtinentia, patientia, ſed ſola Perſeverantia coronatur; *Nam qui perſeveraverit uſque in finem, hic Salvus erit.* Certò quemadmodum nullum opus, quamvis videatur eſſe perfectiſſimum, ſine charitate Deo placere poteſt, teſte *Apoſtolo*: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans. &c.* Ita ſimiliter nulla virtus, nec ullum opus bonum æternam gloriam exſpectare debet, niſi fuerit perſeverantiæ adjunctum.

9. Axioma eſt Philoſophicum ab omnibus receptum, quod ſcilicet *forma dat eſſe rei.* Sicut igitur charitas eſt, quæ operibus noſtris valorem & pretium attribuit, ita perſeverantia omnibus virtutibus dat formam, omniaque merita ita extollit, ut neque charitas, & amor Dei præmium vitæ æternæ ſine perſeverantia acquirerent, quia, ùt S. P. *Auguſt.* ait: Perſeverantia informat meritum. Et S. *Bernardus* in Epiſtola quadam dicit: *Perſeverantia ſola meretur viris gloriam, virtutibus coronam.* Mulier illa Evangelica, quæ ſanguinis fluxu laborabat, non aliter ſanitatem donandam ſperabat, quam tangendo ſimbriam veſtis Chriſti. Dicebat enim intra ſe: *Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.* Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora. Quid aliud per hoc factum ſignificatur, quam perſeverantiam, quæ præfigurabatur per fimbriæ tactum, ſummè neceſſariam eſſe ad ſanitatem, ſive ſalutem animæ conſequendam? Hinc Deus in *Apocal.* 2. 10. nos exhortatur dicens: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Non vult perſeverantiam qualemcunque, ſed conſtantem uſque ad mortem.

10. Vidit *Jacob* DEUM, ſed ubi? in ſummitate ſcalæ, inquit S. *Hieron.* in ep. 10. ad *Furiam*, non in ejus fine, vel medio; ut intelligamus non ſufficere bene cœpiſſe, ſed bene conſummaſſe. Quid enim prodeſt (rectè exclamat S. *Bernardus* ep. 253.) Chriſtum ſequi, ſi non contingat aſſequi? Ideo *Paulus* ajebat: *Sic currite, ut comprehendatis.* Ibi tu Chriſtiane, ſige tui curſus metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam. *Factus eſt*, inquit, *obediens uſque ad mortem.* Quantumlibet ergo cucurreris, ſi uſque ad mortem non perveneris, bravium non prehendes. Quocirca quisquis ſalvus fieri diſcupit, Chriſtum Ducem, & Salvatorem ſuum imitetur, neceſſum eſt, qui de ſeipſo (ùt dilectus ille diſcipulus ſuo in Evangelio *Joan.* 17. perhibet) dixit: *Opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam.* Et in cruce dixit: *Conſummatum eſt.* Porrò, licèt perfidi Judæi identidem clamitarent; *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat de cruce, & credimus ei. Matth.* 26. Non tamen deſcendere voluit; Et quare? quia eo ipſo, cùm Rex Iſraël eſt, non conveniebat, ut titulum Regis, ſupra crucem poſitum, deſereret; cùm enim ſalvus eſſe non poterit, niſi qui perſeveraverit uſque in finem, quanto minùs poterit eſſe Salvator? ùt ait S. *Bernardus* ſerm. 1. de die Paſchæ. Additque S. *Thomas*, ſi de cruce deſcenderet, virtutem nobis patientiæ uſque in finem non demonſtraſſet.

11. Nulli

11. Nulli ignota est ingens illa strages, quàm Deus *Ezech.* c. 9. inter homines cujuscunque ætatis, sexûs, conditionis & professionis, cum hoc tamen pacto instituit: *Omnem super quem videritis Thau, ne occidatis.* Verùm cur rectè illi, qui hoc signo T. insigniti, ab hoc flagello remanserunt immunes & exempti? *Hugo Cardinalis* observat, hanc literam T. in alphabeto Hebraico esse postremam, figurámque crucis præ se ferre; ac proinde figurare perseverantiam: *Ultima litera in alphabeto signatur*, inquit Hugo, *ad denotandum, quod qui omnia præcepta non servaverit usque ad ultimum, occidetur.* Ecce igitur, qualiter in hac strage à Deo ordinata universum genus humanum edoceatur, qualiter irreparabilia æternæ mortis damna redundent in eos, qui hoc perseverantiæ charactere insigniti non sunt.

12. Sacra Scriptura *Reg.* 13. 13. de Saule hoc perhibet testimonium, quod scilicet in omni populo Israël nemo illo melior fuerit, etenim ne ad sceptrum Regium capescendum traheretur, quod verè exhorrescebat, latibula quæsivit, seque abscondit; similiter Spiritu Dei repletus, donisque & gratiis cælestibus exornatus fuit, & tamen non solùm à regno terreno, sed quod vel maximè deplorandum est, à cælesti regno infeliciter decidit. Cupisne demerita ipsius scire, ob quæ hoc ipsi accidit? Nimirùm licèt per aliquod temporis spatium Dei jussibus obtemperaverit, in hac tamen obedientia non perseveravit; Timens enim ne exercitus dilaberetur, exspectandi Samuelis impatiens, ministeriúmque Sacerdotale temerè usurpans, sacrificium obtulit. Sed audiamus reprehensionem, quâ Zelo ardens Propheta Samuel ipsum perstrinxit: *Stultè egesti*, inquit Samuel, *nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi; quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum ultra consurget.* Quæ verba commentans *S. Gregorius* inquit: *Ecce quàm magna perdidit, qui, ut putabat, nulla contempsit; Ecce septem diebus Prophetam sustinuit, sed dum præstolari eum in fine diei desiit, gloriam tantæ dignitatis amisit.*

13. Enim verò, quotquot forent non solùm ex numerosa sæcularium turba, verùm etiam ex electo Religiosorum populo, qui jam gloriosè [si in bonis inceptis constantes permansissent] cum Christo in cælis regnarent, qui tamen nunc apud inferos ardent, æternúmque ardebunt, hac solùm de causa, quod in via Dei retrospexerint. Exemplis hoc comprobare, Deus bone, quantus foret labor? Sufficiat ergo interim ad nostrum propositum sequens. Juvenis quidam honesto loco natus, & fortunis felix ac copiosus, melioris sanctiorisque vitæ studio incensus, parentem obnixè rogavit, liceret sibi rebus mortalibus abdicato Christum & immortalia sequi. Negavit hoc ei pater. Instititrursus ac sæpius filius: cùm actum agere se putaret, propinquos in parentem immisit, ut id extorquerent. Impetravit tandem ab invito patre potestatem abeundi, & mox in cænobium se inclusit, in quo tam magna & illustria continentiæ & abstinentiæ quotidie documenta cæteris dedit, ut haberent omnes quod imitarentur. Cùm aliquamdiu in cæpto vitæ cursu profecisset, ratus se perfectiorem, & in virtute solidiorem esse, quàm erat; affectat solitudinem, & à Cænobiarcha secedendi copiam flagitat. Dehortatur juvenem prudens hostilium technarum Pater, pericula proponit, insidias exponit, enumerat damna ex eo discessu secutura; nec tamen persuadet juveni affectibus suis jam abrepto. Discedenti ad-

adduntur gemini comites è religioso contubernio. Post iter unius atque alterius diei delati in vastam solitudinem: cùm fatigatis corporibus pauxillùm quietis permitterent, advolat aquila streperis pennis, & clangore alarum excitat sopitos. Ille quasi accepto divinæ Providentiæ omine, salutatis comitibus sequitur præviam ductricem, Aquila post pauca spatia semel atque iterum subsidit, ac evanescit; in quo loco novus incola silvæ antrum reperit, juxtáque salientem aquam ad sedandam sitim, & dactylos ad pellendam famem. Intellexit eam sibi regionem à Deo per avem designatam, ubi precibus intentus vitæ cursum feliciter perageret. Ergo totum sexennium in summa vitæ innocentia & sanctimonia solus & unicus traduxit. Hinc stygius veterator de tyronis felici progressu non parum erat solicitus, timebatque, ne tam altas radices ageret, quas non posset ampliùs convellere. Aggrediendum itaque sibi militem Christi decernit, personam inculti & horridi, natuque grandis Anachoretæ mentitur, tyronem adit, seséque spectandum primum exhibet. Horret juvenis, & aspectu insuetati hospitis percellitur, nam intra sexennium mortalium neminem aspexerat. Dat ergo se in preces, precatur unà in speciem vaferrimus insidiator, surgentemque hortatur, ut denuò secum votis Deum conveniat. Tum personatus ille dæmon, quamdiu, inquit, hîc degis? Sexennium, ait juvenis. O infelicitatem! subjicit hostis, quî te tam vicinum tamdiu ignoravi! Non plus quam quatriduum est, cum hîc te esse cognovi, statimque consurrexi loco, & salutatum te perrexi, ut de iis rebus inter nos, quæ ad utriusque salutem pertinerent, ageremus. Quid agimus hic ambo in tam desertis & vastis locis, à sacris Christi mysteriis, & à divino Eucharistiæ epulo exclusi? Vereor equidem, ne ab ejus quoque regno excludamur. Non hinc procul duo sita sunt cœnobia, quæ licebit nobis diebus festis adire, ac perceptâ sacrâ synaxi ad solitudinem redire. Hæc dum imperitus Tyro audit, judicavit hoc consilium salutare, imo necessarium fore; quamobrem proximo die Dominico specum deserit, & cum ipso dæmone, quem virum sanctum æstimabat, monasteria petit. Ubi templum ingressus, & in preces fusus, cùm paulò post circumspiceret, & socium ac ductorem suum requireret, nusquam invenit. Unde ex cœnobitis quærit, ubi comes suus, & pater esset? Neminem, inquiunt illi, nisi te prorsus incomitatum adventantem vidimus. Tunc demum sensit, se à dæmone circumventum, & per dolum spelæo suo extractum, neque tamen doluit, ad homines post tantum temporis revisisse. Ergo ad latibulum suum reversus, progreditur in consueto vitæ instituto. Sed adesse rursus strophiarum fabricator dæmon; verùm jam aliâ longè viâ perniciem incauto machinatur. Juvenis formam induit, habitum civilem & patriam fingit, ut cui semel illuserat, eundem denuo falleret, ac tandem à loco, pietate, religione penitùs averteret, ac in sempiternum exitium præcipitaret. Adest ergo, & in latebra sedentem ad sui spectaculum elicit, nihil effatus, sed perinde ac si è patria quæsitum religiosum juvenem venisset, astat, intuetur curiosè, hæret, & modò vultum, modò alias corporis partes respicit, ut ad sciscitandum provocet tacentem. Nec frustra. Rumpit silentium prior imperitus Anachoreta, & quit, inquit, ades, quì me tam exquisitè contemplaris? Hinc architectus mendacii ait: haud videris me nosse ampliùs. Religiosissime Domine post tantum temporis intervallum. Ego sum vicini Pa-

tris

tris tui filius. Pater tuus ita audiebat, hoc nomen erat Matri, hoc sorori, sed mater quidem, ac soror ante biennium naturæ debitum solverunt, Pater tuus hoc anno defunctus est, & te hæredē ex asse scripsit, ut tu veluti pius & religiosus filius relictū patrimonium pro utriusque salute in egentes dispertias, misitque, qui te investigarent, nec hactenus ab ullo reperiri potuisti, quod equidem vehementer gaudeo, mihi eam felicitatem divinitùs oblatam, ut in te inciderem. Respondet Anachoreta religiosè, modò etiam constanter: Ego verò pecuniæ causâ locum hunc deserturus non sum. Et ille, quid enim mali suadeo? non sum author tibi, ut opes possideas, aut retineas, sed in pauperes tribuas, ac relictam solitudinem quamprimum repetas. Quid respondebis de neglecta & direpta tantæ pecuniæ summa summo judici? Huic Anachoreta: Ego inquit, hactenus rerum caducarum curam penitus nullam habui: conscientiam solùm, & cælum atque Cælites curavi. Et hoc est [ait larvata vulpes] conscientiam & cælum atque Cælites curare? Parentibus in causa præsertim tam pia succurrere? pauperibus per occasionem tam bonam non deesse? Qui hæc non curat, conscientiam negligit, & cælum atque Cælites comtemnit. Ad hæc Anachoreta iterum, an non sunt, inquit, alii? an nemo superest cognatorum, qui me absente bona hæreditaria in pauperes dividat? Si tu desis, ait impostor, avarissimus quisque advolabit, & prædam faciet pro libitu; interim mendicorum turba lugebit, & abibit inanis, cujus culpam tu sustinebis. Ductus & victus his dolis simplex & stolidus juvenis, surgit, pedem, quem retulit nunquam, ex ædicula profert, solitudinem simul ac cælum deserit, viam init, patriam repetit. In via nec pauca, nec levia nequitiæ rudimenta accepit à viæ socio, à quo insigniter malus esse didicit, antequam id se doceri crederet. In patriam ubi pervenit, ecce domum paternam ingredienti Pater ipse, quem dæmon finxerat mortuum, occurrit, miratur novum hospitem, nec agnoscit filium, sed probè filius Patrem. Quærit parens, quis, unde domo, quid adesset? Attonitus prope filius, quod videret vivum, quem audierat defunctum, fingit [tantum in itinere ex comitis societate profecerat] fingit, inquam, se desiderio patris extremùm videndi & salutandi adesse. Agnitum Pater in ædes admittit, & amicissimè ut filium tractat. Sed non diu in ædibus paternis versatus, mundi mores & leges exactè addidicit, fortasse illas nunquam satis oblitus: tantò jam appetentior vanitatis, quantò antè pietatis studiosior, perinde si doleret, tamdiu vitiis non serviisse, ita sapere cæpit misero peccandi licentia, eòque paulatim devenit, ut innocentiam, omnemque pudorem amitteret, nam non solùm à suscepto vitæ religiosæ proposito apostetando resiliit, verùm etiam scortum aliquod sibi in uxorem sacrilego ausu adsciscere non erubuit. Non semel à patre plagis mulctatus, cum neque verbis, neque verberibus emendaretur, infelicem tandem animam in profligata vita exhalavit. Ita refert *Pater Drexel. in Trismegisto* lib. 2. c. 10.

14. Quis hic non clarè cognoscit, minimè sufficere, benè incipere, nisi etiam quis in bene cæptis perseveret? Quid enim prosunt huic infelici juveni bona sua opera tot annis exercita? Verè nihil, imò ad majorem ejus confusionem deserviunt, juxta illud Christi effatum: *Hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare.* Hinc talibus æternum væ ingeminatur per *Sapientem* dicentem: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas* Eccli. 2. v. 16. Unde Salvator noster

ait: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Operarii, qui horâ undecimâ, sole ad occasum jam ferè inclinante, à Patre-familias ad vineam suam missi fuerunt, eandem cum primis operariis acceperunt mercedem, imò illis in mercede accipienda prævenerunt, quia procurator mercedem solvit incipiens à novissimis. Per quod Salvator noster docere nos voluit, verissimum esse, Deum non respicere, quales ante fuerimus, sed quales circa finem vitæ extiterimus. Quamobrem, cùm teste *S. Hieronymo* cæpisse multorum sit, ad culmen verò pervenisse paucorum; ideo satagamus non multis incipientibus, sed paucis bene finientibus annumerari, ut quondam dicere cum *S. Paulo* possimus: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* 2. Tim. 4. 7.

# SERMO LVI.

# DE GRAVITATE PECCATI MORTALIS.

*Tanquam à conspectu serpentis fuge peccatum.*
Ecclesiastici. 21. 2.

## PARS PRIMA.

### *Considerationes quædam, è quibus peccati mortalis enormitas colligitur.*

1. IN sermone præsenti suadetur, ac commendatur peccati lethalis fuga; hanc autem quò religiosus lector maturè capessat, ejus faciem, quàm fœda atque horrenda sit, intueatur oportet: hanc proindè pro nostro modulo ac captu in hac dissertatione adumbrare conabor. Et inprimis quæritur, quid sit peccatum in genere? Respondet *Divus Thomas* de malo 2. 1. arg. 1. ex magno *Patre Augustino*, quòd sit *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Pro cujus definitionis intelligentia observandum, nullum esse peccatum, quod non aliquo modò vel legi divinæ, vel humanæ, vel naturali sit contrarium; quia autem omnes istæ leges quædam sunt participationes legis divinæ sive æternæ, & in virtute ejus obligant, hinc in definitione dicitur, peccatum esse *dictum*, vel *factum*, vel *concupitum contra legem Dei.*

2. Dividitur porrò peccatum primò in *originale*, quod derivatur ab Adamo, & per originem, seu generationem, in ejus posteros transfunditur; & *personale*, quod propriâ voluntate peccantis committitur, & ab alio non derivatur. Secundò

cundò peccatum personale dividitur in actuale & habituale. Primum est actus malus, & difformis regulis morum: Secundum verò consistit in quadam macula, quæ in anima relinquitur ex peccato actuali, & in ea remanet, donec per gratiam sanctificantem auferatur. Tertiò peccatum actuale subdividitur in peccatum commissionis & omissionis. Illud consistit in productione alicujus actûs mali, & difformis regulis morum. Istud est carentia seu privatio alicujus actus debiti, & lege præcepti. Primum pugnat cum præcepto negativo, ponens actum qui jubetur non poni; secundùm cum affirmativo, negligens actum qui præcipitur. Demum [ut alias omittamus peccatorum divisiones] peccatum dividitur in mortale & veniale: Illud infert mortem animæ, eam privando gratiâ & charitate, & avertendo ab ultimo fine; istud verò nec gratia nec charitate privat, sed ejus tantùm fervorem diminuit, nec avertit ab ultimo fine, sed tantùm ab eo divertit, ejusque consecutionem retardat. De peccato veniali agemus lectione sequenti; de mortali verò in præsenti. Proinde, præcisis ambagibus, solùm, cur mortale peccatum abhorrere debeamus, motiva hic proponemus.

3. Primum nobis proponit coronatus inter Prophetas, dum ait Psal. 18. 13. *Delicta quis intelligit?* Quasi diceret: Quis est, qui intelligat, quàm enorme sit malùm vel unicum mortiferum peccatum? & quàm gravis sit talis injuria Déo irrogata? Quis descendit unquam in hoc mari ad malitiæ fundum? Profectò nullus; Deus solus hanc abyssum cognoscere potest, hoc enim omni peccato mortali essentialiter proprium est [*Paul. Segneri in hom. Christ. p. 2. disc. 1. num 9.*] non solùm esse incognitum, sed etiam à nullo alio intellectu esse cognoscibile, quàm ab intellectu divino. Deus solus, quemadmodum supremæ suæ essentiæ perfectionem comprehendit, ita perfectissimè intelligit, quantum sit malum illud, dum homo mortaliter peccat. Quare nullus non tantum millesimam mali hujus, quod peccando committis, partem non cognoscit, sed neque omnes Cherubini & Seraphini simul illud capere poterunt. Imo quod ampliùs est, ne quidem Sanctissima Dei Mater, quæ tamen divinâ sapientiâ tam plena est, ut quæ meruit illam totam sinu suo excipere, illud cogitatione non assequitur. Atque hoc est verissimum. Hæc cognitio soli reservatur Deo. Potest igitur aliquo modo dici, tam grande malum esse peccatum, quàm grande bonum est Deus; quia sicut Deus est bonum infinitum, ineffabile, incomprehensibile, ita peccatum est malum incomprehensibile, ineffabile, suóque modo infinitum. *Peccatum habet quandam infinitatem ex infinitate Divinæ Majestatis*: Inquit *S. Thomas* 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. qui alio in loco lect. 2. in c. 2. ad Rom. sub initiũ docet, quòd gravitas offensæ crescat juxta mensuram dignitatis personæ, cui irrogatur. Proinde cùm persona offensa per peccatum mortale, scilicet Deus, sit dignitatis infinitæ, manifestè patet, peccatum lethale in se continere malitiam & offensam in esse moris infinitam.

4. Porrò, hæc infinita Dei offensa, quæ in omni mortali peccato includitur, in eo fundatur, quòd mortaliter peccans ad bonum creatum tanquam ad finem ultimum convertatur, & à Deo vero fine ultimo avertatur; seu quòd spreto incommutabili Bono, mutabilibus finaliter adhæreat; Hoc autem tam grande malũ est, ut DEus ipse cœlos, omnésque cœlorum incolas ad obstupescendum invitarit, dicens: Jerem. 2. 12. *Obstupescite cœli super*

 *per*

*per hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* Quibus verbis maximæ admirationis exprimit affectus, cùm ingentem consideret contumeliam, à populo suo per hoc sibi irrogatam, quòd illum, tametsi fons sit aquæ vivæ, turpiter à se rejecerit, potúsque hauriendi causâ ad verminosas & pestiferas se contulerit cisternas & lacunas. *Duo mala fecit populus meus:* primum est, quòd omnis boni fontem dereliquerit, *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ:* secundum est, quòd propter cisternas, in quibus nec aquæ gutta inveniri poterat, illum dereliquerit: *& foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* In hoc consistit Deum esse summum bonum, ut omnibus mereatur præferri bonis, quæ non sunt Deus. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversùs eum.* Baruch. 3. 36.

5. *Dionysius Carthusianus* in Opusculo de enormitate peccati, quò nos, qui propter bona creata & caduca Deum abjicimus, ob hanc Deo irrogatam injuriam penitùs confundat, ita Artic. 5. scribit: Profundè & sapienter considera, & respice, quàm vanæ, perversæ, fœdæ, viles, ac stultissimæ sint mentes eorum, qui vitiis gulæ, & luxuriæ vacant; quoniam alimenta ista carnalia, carnémque mox morituram, fætentem, & sordibus intus repletam, supermundissimæ Divinitati, & superinfinitæ Bonitati Creatoris sui præferunt, prædiligunt, & præhonorant. Idque mox in omnibus vitiis, scilicet ambitionis, avaritiæ, & similibus exemplificat, ac tandem subjungit: Nonne irrationabilissimum, atque insanissimum prorsus est stultitiæ signum, aliquam bonitatem, seu rem creatam, variabilem & caducam præferre, háncque plus amare, quærere, optare, honorare, quàm illam, quæ est omnis boni idea, exemplar, & ratio? Itaque ex hac parte peccati enormitas magna profectò est, & penè ineffabilis, & ipse peccator inexplicabilem inhonorationem, atque injuriam infert supremo Bono, superamabili Deo, cujus bonitatem in tantum vilipendit, spernit, & abjicit, ut præferat ei bona illa terrena, caduca, mundana, vanissima. Ita *Carthusianus*.

6. Ulteriùs, tanta in peccato mortali includitur malitia, ut si fieri posset, ut Deus esse desineret, peccatum ipsum in nihilum redigeret, quemadmodum docet *Cornelius à Lapide* in cap. 2. Jerem. Quippe dum peccator, relicto Creatore, adhæret creaturæ v. g. fœminæ, vino &c. eámque præfert Creatori, tunc tacitè & interpretativè summum suum bonum in ea ponit, ac consequenter privat Deum suâ quasi bonitate & divinitate; ita ut si Deus aliquo gladio, aut telo perimi posset, non alio perimeretur quàm peccato. Sic similiter sentit *Mellifluus Doctor, S. Bernardus:* De Resurr. Dom. ser. 3. *Peccator,* inquit, *in ipsum desævit authorem, & quantum in ipso est, Deum perimit; omnino enim vellet, Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum: quia quantùm in ipso est, vult eum esse aut impotentem, aut injustum, aut insipientem.* De hoc etiam puncto *Tertullianus* lib. de Carne Chr. c. 3. ita scribit: *Peccator vibrat telum, & quantum in ipso est, facit ut Deum feriat, & licèt vires feriendi Deum deficiant, voluntas tamen feriendi non deest.* Dicit, non deesse voluntatem; Peccator siquidem, dum legem violat, cuperet vel Deum nescire eam legis violationem, vel illam non odisse, vel non posse vindicare: quod perinde omnino est, ac velle, ne Deus sit, néve Sapientiæ, Justitiæ, Potentiæ infinitæ perfectionibus polleat; quod est genus perver-

sitatis non atrocis solùm & crudelis, sed planè execrandæ. *Crudelis planè & omnino execranda malitia, quæ Dei Potentiam, Justitiam, Sapientiam perire desiderat,* inquiebat citatus *S. Bernardus.*

7. Huc facit quod *Paulus Segneri* in Instructione pœnitentis cap. 4. in hæc verba scribit: Quando homo ad peccandum instigatur, in uno quasi latere Deus assistit, & eum præceptis suis exhibitis dehortatur: *Non facias quod iniquum est; non furaberis, non mœchaberis &c.* Hinc præmium servatæ fidei demonstrando, illinc minando supplicium æternum, transfugæ decretum. In opposito latere astat dæmon, manu exhibens voluptatis illecebram: & quid refert, ait, offendi Deum? Esto, ipsi displiceat, tu interim, quod lubet, fac, de satisfactione postea cogitabimus. Peccator ergo, cùm persuasus consensum præbet, tergum Deo obvertit, & opere ipso in hunc modum Deum alloquitur: Nulla mihi tui cura est; nec pensi habeo beatitudinem tuam, non me infernus terret, aut indignatio tua; faciam quod mihi arridet, ac in dæmonis gratiam meæ obsequar voluntati. *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus?* Exodi 5. 2. Hic est sensus cujuscunque, qui mortaliter peccat; & licèt eum verbis cum Pharaone non exprimat, facto tamen ipso idipsum profitetur, inferendo Deo tantam injuriam, cui excipiendæ infinitâ tolerantiæ virtute opus est. Vide nunc magnitudinem malitiæ sub unico lethali crimine latentem. Deus Omnipotens postponitur vilissimæ voluptati à miserabili creatura! Meritò proin apud *Isaiam* conqueritur Deus, se irrisum ab iis, quos in altum evexisset: Isa. 1. 2. *Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Ad Romanos scribit *S. Paulus*, à peccatore omnium amabilissima contemni Dei attributa: Rom. 2. 4. *An nescis, quia divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* Apud *Ezechielem* de peccatore dicitur: Ezech. 5. 6. *Contempsit judicia Dei.* Similiter dolorem suum per *Jeremiam* significat Deus, se ab amatoribus suis fuisse fastiditum, irrisum, & contemptum: Jerem. 3. 20. *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel.* Hæc & alia plura, quæ in Sacris Paginis reperiuntur, testimonia satis apertè ostendunt, quantoperè Deus offendatur mortali culpâ.

8. At dicet forsan aliquis, in turpitudinis suæ cæno hærens: *Eccui quid mali facio? nemini quidquam furor, neminem spolio, non occido, neminem injuriâ afficio.* Profectò, qui sic sentit, ignorat planè, cui malefacit, Deo nimirum malefacit, quem infinitâ afficit injuriâ, cùm nolit obedientiam præstare Deo. Sciendum igitur: Peccatum non est malum grande ideo, quia injuriam contra proximum continet, furando, spoliando, occidendo, aliáque similia facinora perpetrando; sed est malum infinitum ideo, quia injuriam contra Deum comprehendit. *Deo fit injuria,* inquit *S. Thomas, dum uno aliquo ex quatuor his modis despicitur; aut directè in seipso, aut indirectè in suis Sacramentis, aut in sua imagine, qui est proximus noster, aut in aliquo præceptorum suorum.* Unde sicut impossibile est, basiliscum absque veneno reperire, ita impossibile est, dari aliquod peccatum absque contemptu Dei. Quare in ore nostro nunquam audiatur stolidissima quorundam excusatio: *Non pecco, ut Deum spernam, sed solùm, ut voluptatem capiam.* Nosse proinde debemus, duo contemptûs genera à Sacris Doctoribus distingui, unum expressum, & directum, alterum indirectum, & interpretativum. Contemptus expressus dicitur,

dicitur, quando peccans directè intendit Deum inhonorare, ut fit in peccato blasphemiæ & hujusmodi; sive etiam, dum delinquentis voluntas renuit subjici ordinationi legis divinæ, vel humanæ; & ex hoc procedit ad faciendum contra legem. Contemptus autem indirectus dicitur, quando aliquis Dei legem violat propter aliquam causam particularem, putà propter concupiscentiam, vel iram; tunc enim licèt non adsit contemptus formalis & expressus, bene tamen contemptus ex consequenti & interpretativus: sicut accidit in fruitione creaturæ, per quam aliquis delectationi intendit, ex cujus intentione à præceptis Dei discedit, & sic per consequens præcipientem contemnit. Ita docent Theologi cum *D. Thoma* 4.d.9.1.3.q.3.c. Hinc etiam asseruit Doctorum gravissimus, *Augustinus* In lib. de Nat. & grat. *Non omne peccatum est ex contemptu: & tamen in omni peccato Deus contemnitur in suis præceptis.*

9. Ex quibus discimus, quòd tametsi quispiam pro fine suo non habeat injuriam Dei, sed delectationem aut lucrum; Deum tamen contemnit, non directè quidem, quod verum est, sed indirectè. Pluris enim voluptatem, aut lucrũ prohibitum, quàm ipsum æstimat. Certè, si aliquis nobilium parentum filius mulierem infamem duceret, non propter infamiæ motivum, sed solùm, ut suæ satisfaceret voluptati; an non hoc modo illius Parentes se despici putarent? sanè sic, licèt talis filius sua intentione parentes suos non despiceret; ipso tamen facto à filio suo se despici viderent; nec quicquam valeret ista excusatio: istam fœminam duco, non ut contristem parentes meos, sed uxor mea erit, quia mihi placet. Cùm itaque omnis, qui mortaliter peccat, Deum ipsum, sive directè, sive indirectè spernat, & contemnat, sic ab eo similiter spernetur secundùm vaticiniũ *Isaiæ* dicentis: Isai. 33.1. *Qui spernis* Deum, *nonne & ipse sperneris* ab eo? Debet enim pœna proportionata esse culpæ: Peccatores [ ut ex dictis liquet] terga verterunt Deo, quare Deus quoque suum illis tergum vertet, illósque à facie sua projectos æternâ morte afficiet. 2. Thessal. 1.9. *Pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini.* Hìc solùm comparatio claudicat, quòd Deum peccatores aspernati sint brevi tempore, vix momento peccati delectatione recreati; ipsi verò in æternum à Deo contemnendi sint, & absque intermissione puniendi. Ne ergo, mi optime frater, in tale irreparabile incidas infortunium, modò præsentes has considerationes è manibus ne deponas, sed eas sæpiùs expendas, quibus expensis, singulari utique attentione quodvis cavebis peccatum, tuámque salvabis animam.

# PARS SECUNDA.

## *Aliud argumentum, peccati mortalis gravitatem demonstrans.*

10. Cum ex dictis constet, per peccatum mortale Deo injuriam irrogari infinitam, sequitur manifestè, nullam creaturam puram, ne Angelũ quidem potuisse pro peccato mortali suo vel alieno condignè Deo satisfacere, hominémque ab eodem liberare, sed necessarium fuit id fieri per Deum hominẽ, qui

qui solus & reparare & satisfacere potuit. Hoc ut rectè intelligatur, sciendum est, quòd Deus, tanquam supremus omnium Dominus & Jupex potuisset quidem culpam omnem, & pœnam remittere gratis, & hominem restituere in primum statum: Potuisset etiam qualibet satisfactione, quam posset homo dare, contentus esse, & sic peccatum remittere: Vel constituere aliquem hominem, quasi alterum Adamum, in quo poneret omnes omniũ voluntates, qui etiam tanquam caput pro omnibus aliis satisfaceret, & ita sicut Adamo peccante, omnes peccaverunt, ita altero homine constituto instar Adami, illo satisfaciente, omnes satisfacerent. Verùm hæc satisfactio non esset æqualis peccato, quia finita esset; peccatum verò habet gravitatem in genere moris infinitam, sed finiti ad infinitum nulla est proportio.

11. Itaq; supposito, quod Deus condignam pro peccato hominis satisfactionẽ habere voluerit, necessarium fuit, divinam naturam uniri humanæ, ita ut ille solus posset satisfacere, perditúmq; hominem à dæmonis potestate vindicare, qui esset Deus & homo. Eapropter *Regius citharœdus* ita psallit *Ps. 71. 12.*: *Quia liberabit pauperem à potente*: hominem videlicet, gratiâ & donis depauperatum, à potestate diaboli: *pauperem cui non erat adjutor*, neq; inter homines scilicet, neq; inter Angelos: quia solus Deus homo poterat plenè satisfaciendo adjuvare. Hoc ampliùs corroboratur ex eo, quod languidus apud *S. Joannem* dicebat ad Christum *Joan 5. 7. Domine, hominem non habeo &c.* Ubi *D. Thomas* ait in c. 5. *Joan.* l. 1. lit. d. *Quia enim pauper erat, non poterat habere hominem, qui mitteret eum in piscinam. Per hoc significatur, quòd non erat aliquis homo purus, qui humanum genus salvare posset, quousq; veniret Christus, Deus & homo, per quem salvaretur.* Et hoc est, quod *Propheta Evangelicus* ex ore Filii Dei protulit, sic protestans *Isai 43. 11.*: *Ego sum, Ego sum Dominus, & absque me non est Salvator*: Quasi dicat, & asserat, quòd solus ipse redimere potuerit hominem, & perfectâ satisfactione peccatum ejus delere. Id quod, paucis interjectis apud eundem *Prophetam* repetit, dicens: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Isaiæ 43. 25.* Quasi diceret: Non Angelus aliquis, non *Seraphim*, non *Moyses*, non *Propheta* aliquis, non omnes homines justi, simul etiam sumpti, potuerunt te à peccato absolvere, aut pro te, ô homo, satisfacere. Et hoc est, quod inter alia multa mirabilia ad *Josephum* locutus est Angelus *Matth. 1. 21. Vocabis nomen ejus Jesum*: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

12. Hinc præcipuorum Theologorum doctrina est, peccatum unicum mortale tam enormem in se complecti deformitatem & malitiam, ut si omnium Sanctorũ, ipsius etiam Deiparæ Virginis omnia merita ponas in una bilance, & ex altera parte ponas peccatum quodvis mortale, majus est, & magis ponderat gravitas, malitia, & offensa illius, quàm omnium eorum bonorum operum simul etiam collectorum merita, tam ingens pondus habet peccatum mortale: quod injuriam quandam complectitur infinitam, ut superiùs ostensum: Nulla autem creatura sufficiens est exhibere satisfactionem, aut meritum infinitum, nec Angelus, nec homo. Unde omnia Sanctorum bona opera, & merita etiam simul sumpta, finitam habent bonitatem, & sunt pretium finitum. Gravitas igitur peccati mortalis ex hoc vel maximè elucet, quòd necessarium fuerit verbum Divinum incarnari, & per proprium suum sanguinem peccatorum nostrorum abolere chirographum. Id quod mellifluus Doctor, *S. Bern.* egregiè ponderat, dum

in hæc memorabilia excurrit verba: *serm. 1. de Nat. Dom.* Ex consideratione remedii periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam, & ecce mittitur filius Virginis, filius Altissimi Dei, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso Sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus secundùm divinæ sapientiæ ordinem necessum est Dominum Jesum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio DEI Filius moreretur. Ita *Bernardus*.

13. Sanè multò evidentius argumentum Divinæ Justitiæ adversus peccatum exhibet vel levissima Christi percussio, aut spinæ unius punctio, virgarúmque ictus unicus, quàm si Deus mundum universum subvertisset, Angelos cum hominibus in tartarum dejecisset æternùm cremandos. Quid cruciatus omnium creaturarum comparati cum minimo dolore Creatoris, Innocentissimi, Sanctissimi, Filii Dei Unigeniti? Et tamen Patri æterno satis non erat, Filium qualicunque levi duntaxat vexari incommodo; sed voluit eum onerari probris & contumeliis, ut præ omnibus hominibus diceretur juxta Prophetam Isaiam: *Isai. 53. 3. Vir dolorum.* Quàm porrò immensi fuerint hi dolores, quos pro peccatis nostris subire voluit, nemo mortalium intellectu assequi poterit ante supremum mundi diem, quemadmodum *S. Birgittæ* revelatum, in quo, ad reproborum confusionem, ea clarè intelligenda proponet, quæ illorum gratiâ fuerit perpessus. Quis nunc tibi sensus de peccato? Grande utique malum sit, oportet, cujus exterminandi causâ Deus ipse vitam in ignominiarum tormentorúmq; pelago haustam posuit. An majorem adhuc exspectas demonstrationem, per quam intelligas, quid agas, cùm peccas?

14. Proinde cùm Dei Filius infinitæ bonitatis suæ abundantiâ permotus, pro peccatis nostris in cruce mori dignatus sit; *Tit. 2. 14. Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*; nunc æquâ rationis trutinâ pensiculemus, quanta hæc censeri debeat ingratitudo, malitia, & perversitas mentis humanæ, eundem pientissimum Patrem, Redemptorem, ac Dominum nostrum, per peccatum rursus exasperare, eúmque, quantùm penes nos est, cruci iteratis vicibus affigere? O horror! Si Tartarus, Saracenus, aut inter densas Idololatriæ tenebras educatus, tale quid perpetret, videri potest excusabilis error: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Psal. 54. 13.* At illudne præsumet Christianus? aut (quod adhuc intolerabilius est) Religiosus? *Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos?* Quòd verò tale quid committat, qui hausit spiritum Dei sui, qui sub vexillo Christi Jesu militat, familiaris & domesticus, accumbens toties ad eandem mensam cùm Domino suo, id sanè ferendum non est. Sapienter pronunciavit *Magnus Augustinus*: Infidelem, cùm peccat, mereri infernum; Christianum verò dignum esse, cui novus instruatur focus, qui veluti Babylonica fornax *succendatur septuplum. Dan. 3. 19.* Est enim peccatum Christianorum tam enorme, præsertim dum peccant ex malitia, sive ex electione, ut justus quilibet justas habeat rationes cum *Psalmista* exclamandi: *Ps. 118. 158. Vidi prævaricantes, & tabescebam.*

15. Certè, dum nos memoriâ recolimus injurias, à Judæis Christo Salvatori nostro illatas, & quòd tam inhumaniter post tam diram ac barbaram flagellatio-

gellationem, ſpinarúmque coronationem crucis ſtipiti eundem affixerint, nullus noſtrûm eſt, qui non graviter in Judæos excandeſcat, eíſque vehementer indignetur. Veruntamen pro certo teneamus oportet, peccata Chriſtianorum graviora longè & magìs enormia eſſe, quàm fuerint Judæorum; Ita docet S. P. *Auguſtinus* in cap. 26. *Matth.*, ſic diſſerens: *Non levius, imò gravius peccat Chriſtum offendens regnantem in cælis, quàm qui eum crucifixerunt converſantem in terris.* Eandem veritatem DEI Mater edocuit B. *Birgittam*, dum de malis Chriſtianis ita queritur lib. 1. Revel. c. 37.: *Conqueror, quòd Filius meus ab inimicis ſuis, qui ſunt nunc in mundo, amariùs crucifigatur, quàm tunc Judæi crucifixerunt eum. Nam licèt Deitas impasſibilis ſit, nec mori poſſit, tamen cum propriis vitiis crucifigunt eum. Sicut enim ſi aliquis homo imagini alicujus inimici ſui contumeliam & læſionem faceret, licèt imago non ſentiret illata, tamen propter voluntatem malam lædendi, læſor quaſi pro opere argueretur, & dijudicaretur. Sic eorum vitia, quibus ſpiritualiter crucifigunt Filium meum, abominabiliora & graviora ſunt ei, quàm illorum, qui crucifixerunt eum in corpore.* Audiſtine, mi religioſe lector, quòd truculentiùs, & multis partibus crudeliùs Chriſtus à nobis, ſi vitam ducamus ſceleribus contaminatam, crucifigatur, quàm olim fuerit à Judæis? Siquidem Chriſtianorum malorum brutalior eſt & deteſtabilior ingratitudo, quàm Judæorum, eorúmq; peccata, quàm infidelium, graviora, eo ſtante, quòd perſonæ dignitas ſit circumſtantia aggravans; adeóque cùm dignius ſit eſſe Chriſtianum, quàm Judæum, palàm ſequitur, horum peccata, cæteris paribus, graviora eſſe quàm illorum.

16. Appoſitè huc facit, quod *Thomas Cantipratanus* commemorat ſic ſcribens lib. 2. *Apum.* c. 49. In Brabantiæ partibus, urbe Lovanio civem vidimus, nocte Sancta Paraſceves ad matutinas preces ſurgentem, virum iuſtum & bonum. Qui cùm tranſiret domum cujuſdam cauponæ (in qua compotatores ad luſum teſſerarum ſedentes, blaſphemiis & juramentis ad invicem contendebant) invenit hominem, multis vulneribus, & quidem recentibus deformem. Qui dum quæreret tantæ læſionis auctorem, reſpondit: Iſti temulenti, qui hìc intús ad teſſeras ludunt, me ſic tractârunt. Mox ingreſſus civis, improperat ludentibus tali nocte, & aſperis verbis interrogat, cur hominem ignotum, ingreſſum ad eos, tam crudeliter verberaſſent? Attoniti autem illi negant aliquem ad eos intraſſe, neque quemquam verbo vel verbere offendiſſe. Et mox ſurgentes quærunt cum cive hominem cruentatum, nec inveniunt; converſíque ſinguli ad ſeipſos, intellexerunt, ſuis ſceleribus & peccatis rurſum Chriſtum Dominum contumeliis affectum, denuò improperiis cruciari.

17. Alio tempore eandem veritatem eſt edocta S. *Birgitta* ab eodem Jeſu noſtro, qui aliquando ei apparuit, undique ſanguine purpuratus, eâ omnino ſpecie, quâ olim cruci affixus miſerabiliter viſebatur cum hiſce verbis: *Intuere vulnera mea.* Ad quod tragicum ſpectaculum illacrymans pia matrona: Heu! inquit, mi Domine, unde tibi modò hæc vulnera? Cui ille: *ita me etiamnum vulnerant charitatis meæ contemptores.* Ecce, quàm non in vanum ingemiſcebat orbis Magiſter, dum ad Hebræos ſcribens, dicebat: *Hebr.* 6. 6. *Qui prolapſi denuo ſunt in peccata, crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui,*

*tui*, ac contemptui *habentes*, ut faciunt peccatores. Graviter *Cæsarius Arelatensis* homil. 27. *Quid illo tempore facturi sumus, quando contra nos Crucifixi cicatrices, notæ peccatorum nostrorum, & maculæ libidinum proferentur? Tantò graviora erunt humana delicta, quantò se majora ostenderint divina beneficia.* Quot cicatrices, tot erunt linguæ in impios clamantes, & ingratitudinem eorum condemnantes.

# PARS TERTIA.

## Cùm peccatum hominem dirissimæ subjiciat dæmonis servituti, ideo summè fugiendum.

18. INter reliqua motiva, quæ peccati mortiferi fugam suadent, hoc etiam censetur, quòd hominem faciat diaboli servum & mancipium, dicente D. Petro 2. Pet. 2. 19. *A quo quis superatus est, hujus & servus est.* Proinde licèt quis omnibus mundi catenis gravatus & obstrictus foret, si hic conservat conscientiam puram & integram, in libertate reverà est; è contrà verò, si quis toti mundo imperaret, si tamen peccatis addictus est, servus & mancipium diaboli meritò dicendus est: quemadmodùm enim qui operatur justitiam, servus est Dei, qui ad eam impellit; sic qui facit peccatum, servus est diaboli, qui ut plurimùm instigat ad illud. Hinc dicebat S. P. *August.* in expos. Epist. ad Rom. *Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, acceptâ, tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis.*

19. Porrò, insipientia hæc, dum pro vili delectatiuncula nos ipsos dæmoni tradimus, multis major est parasangis, quàm si puer nobilissimam gemmam nucibus permutaret. *Lysimachus* Rex Thraciæ (ut refert *Plutarchus*) coactus ob ingentem sitim, aquæ scypho se, exercitúmque suum hostibus tradere; epotatâ aquâ, exclamasse dicitur: O *Dii immortales! Quàm pusillæ voluptatis gratiâ in servitutem me ex tanto Rege conjeci!* Quod ipsum tantò veriùs, & majori cum dolore dicere potest peccator, quantò præstantius est regnum, quod pro vilissima voluptate vendidit, & quantò se crudelioribus hostibus tradidit, ac mancipavit. *Raderus* in Viridario Sanctorum part. 2. cap. 5. scribit de S. *Simeone* Stylita Edesseno, eum solitum fuisse videre homines, Angelis stipatos, sed non eodem modo; nam in gratia constitutis ponè astabant, & tanquam fidi viarum duces lætabundi facem prælucebant: mortali verò peccato obstrictos, circumstantium dæmonum vinculis constrictos, eminus sequebantur illacrymantes. O igitur infelicem animam, quæ per peccatum mortale se tam atrocium hostium servituti addixit! Quamquam verò nonnulli ab hac durissima diaboli servitute fugere quandoque adnitantur, facilè tamen iterum ab eodem capiuntur, ac pristino peccatorum jugo subduntur. Id quod apud Prophetam Isaiam (Isai. 29. 24.) his verbis exprimitur: *Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto, salvum esse poterit?*

20. Atque hoc est, quod vel maximè deplorandum facit statum peccatoris;

toris; quia nimirum à tam tyrannica peccati ac dæmonis servitute neutiquam suis viribus se eripere, & à profundo peccati barathro à semetipso resurgere valet; sed ad hoc necessariò requiritur gratia Dei, peccatorem præveniens, & ad surgendum adjuvans, juxta illud *Psalmistæ* Psal. 58. 12. *Misericordia ejus præveniet me.* Unde Sacrum Concilium Tridentinum c. 55. Can. 3. definit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque adjutorio hominem pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Hoc dogma elegantibus illustrant Sancti Patres similitudinibus: *S. Antoninus*, Archi-Episcopus Florentinus p. 2. tit. 8. c. 8. sic ratiocinatur: si liber homo ambulans per viam, juxta quam est fovea profundissima, projiceret se in eam, non est liber ad exeundum, nisi alterius adjutorio; ita & in foveam peccati, quod ad infernum ducit, liber est quilibet per se ad intrandum, sed non ad exeundum, nisi Deus porrigat ei manum gratiæ. Quod agnoscens *David*, dicebat: Psal. 143. 8. *Emitte manum tuam de alto, libera me, & eripe me de aquis multis,* scilicet de aquis vitiorum, quia per me non valeo. Idipsum etiam docet S. *Aug.* lib. retract. c. 19. sic dicens: *Non sicut spontè homo cecidit, ita etiam spontè resurgere potest.* Facilis ergo in peccati abyssum est lapsus, at quàm difficilis est ascensus? Optimè cecinit Poëtarum Princeps, *Virgilius.*

——————— *Facilis descensus Averni,*
*Sed revocare gradum, superásque ascendere ad auras,*
*Hoc opus, hic labor est.*

21. Veritas hæc ut magis clarescat, aliam adducit *Angelicus Præceptor* 1. 2. q. 109. a. 7. corp. peraccommodam similitudinem luminis & cæcitatis, dicitque, quòd licèt quispiam seipsum excæcare possit, cæcus tamen effectus, propriis viribus & ex seipso amissum lumen recuperare minimè possit, quia nec ullæ vires naturæ creatæ cæcitatem amovere possunt, cùm naturaliter *à privatione ad habitum non detur regressus.* Jam quæritur, quid sit lumen? nimirum gratia divina; quid verò cæcitas? Peccatum utique. Hinc qui peccat, excæcat se, & lumine se privat, teste *Sophonia Propheta* 1. 17. *Ambulant ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Sicut ergo, qui corporalem patitur cæcitatem, luminis usum recuperare nequit nisi miraculosè; ita qui spiritualem patitur cæcitatem, non potest gratiæ lumen iterum consequi, nisi Dei ope. Hanc veritatem perspicacissimo intelligentiæ oculo penetrans maximum Ecclesiæ lumen ac columen *August.* hinc gratissimo affectu plenus in soliloquiis suis devotissimis c. 33. dicebat: O piissime Deus! serò te cognovi lumen verum, serò te cognovi. Erat autem nubes magna & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ, ita ut videre non possem solem justitiæ, & lumen veritatis: involvebar in tenebris filius tenebrarum, tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam. Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit, ubi eram homo cæcus, sedens in tenebris & umbra mortis? Quis accepit manum meam, ut inde me educeret? Quis est ille illuminator meus? Verè, Domine, tu es, qui eduxisti me de tenebris & umbra mortis, & vocasti me in admirabile lumen tuum, & ecce video. Gloria tibi illuminator meus, quoniam illuminasti me, & cognovi te; serò te cognovi, quia illuminari non poteram sine te, & non est lux extra te. Hæc & alia plura *Aug.* loco citato. Ne verò vel minimus relinquatur hac in re ambigendi locus, voluit ipse Deus hanc veritatem nobis indicare apud

*Prophetam Oseam* 13. 9. hisce claris omnino verbis: *Perditio tua Israël, tantummodò in me auxilium tuum.*

22. Ex his itaque patescit, in quàm misero ac infelici prorsus sit statu peccator, cùm suis viribus à peccati fovea se expedire minimè valeat. Quòd si autem quis dicat: Vera quidem esse quæ de impossibilitate resurgendi à peccatis sine Dei ope diximus, inde tamen non rectè inferri, statum peccatoris ita esse periculosum; Quia gratia divina, ad pœnitentiam agendam necessaria, semper parata est, ùt docet *D. Thomas* 3. cont. Gent. c. 159. in hæc verba: *Deus quantum est in se, paratus est omnibus dare gratiam; vult enim omnes homines salvos fieri.* Et alibi dicit: *Gratia nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat.* In cap. 12. epist. ad *Hebr.* l. 3. Ubi advertendum Ly *nulli*; quasi diceret: Gratia Dei nulli peccatori, quantumvis flagitioso, deest. Pro responsione animadvertendum, gratiam DEI à *Theologis* dividi dupliciter, unam vocant *gratiam efficacem*, alteram *sufficientem*, unde dum dicitur, gratiam nulli deesse, intelligendum est non de gratia efficaci, quæ ipso actu peccatorem à peccati fovea per pœnitentiam educit, sed id solùm intelligendum de gratia sufficienti, quæ non dat actum, id est, non causat realem à peccato liberationem, sed solummodò dat *posse* liberari ab illo; hinc peccator hanc gratiam sufficientem habens poterit excutere peccati ac diaboli jugum, re ipsa tamen id faciet nunquam, nisi simul etiam ei ex singularissimo DEI favore detur gratia efficax, quæ sæpenumerò etiam nobis denegatur ob peccatum tantùm veniale admissum; (ut suo loco dicetur) quantò magis ille, qui graviora peccata committere non veretur, se his efficacibus DEI auxiliis & gratiis indignum reddet; sicque quantum in se est, impossibilitatem astruit ex peccato emergendi?

23. Instabis, & dices, hominem peccatorem non solùm habere in promptu gratiam sufficientem, seu auxilia sufficientia, quæ à *Theologis adjutorium sine quo* nuncupari solent, sed etiam paratum esse auxilium DEI efficax, id quod vel inde ad intelligendum datur, quòd homo peccator pro suo arbitrio recurrere possit, quandocunque & quotiescunque voluerit, ad sacram Confessionem, suáque peccata Sacerdoti confiteri, cùm raró alicui copia Confessoris desit; At Sacramentalis Confessio omnia etiam gravissima delet crimina, hominémque de peccatorum tenebris in divinæ gratiæ lucem educit, & hoc non semel aut bis, sed millies etiam, ac quoties quis confitetur, prout omnium docent Doctorum calami. Respondeo, bene consideranda esse superiùs citati *Concilii Tridentini* verba: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione pœnitere posse, sicut oportet &c.* Possumus quidem pœnitere de peccatis, eáque confiteri etiam cum animi dolore absque auxilio divino, sed non sicut oportet, ad obtinendam salutem. Facile namque est, abjicere se ad Confessarii pedes, pulsare pectus, ac dicere: *Pœnitet me. Peccavi.* Didicit hoc vocabulum etiam Saul, scivit & Judas, qui observans infinitam sui sceleris malitiam, eò quòd Divinum Magistrum suum prodidisset, necémque illi parasset, perturbatus est, horruit, vix non doloris vehementiâ extinctus. At quid fecit? *Pœnitentiâ ductus*, conquisitos iniquè nummos retulit, famam læsam resarcivit, peccatum suum publicè confessus est, dicens: *Peccavi, tradens sanguinem*

*nem justum.* Matth. 27. 4. Sed qualem sortita est finem talis pœnitentia? infelicissimum & horrendum; nam statim recessit, *& abiens laqueo se suspendit.*

24. Ex hac infelicitatis catastrophe patet, multos quidem pœnitentiam agere, commissa scelera confiteri, & tamen non justificari; quia non fit talis Confessio prout oportet. Quamvis autem pauci reperiantur, qui per doloris excessum cum Juda in desperationis incidunt laqueum; innumeri tamen sunt, qui ob supernaturalis doloris (qui ad Sacramentalem Confessionem necessariò requiritur) defectum & carentiam sibi pœnitentiæ Sacramentum inutile reddunt, & infructuosum; Hinc verendum, ne sit vera nimis illa à S. *Thoma Villanovano* Ser. in Dom. 4. Quadr. proposita sententia: *Ad pedes Confessoris rarus est, qui pœniteat prout debet.* Multos quidem pœnitebit præteritorum scelerum, ast sine firmo emendationis proposito, præsertim in ordine ad peccata mortalia. *Oportet ante Confessionem* (inquit citatus *S. Thomas de Villanova*) *firmum & verum continendi à peccatis propositum perquirere, & an verè illud habeas, discutere, quo naufragio multæ animæ submerguntur.* Hinc ergo facilè liquet; Quanquam peccator aliquis pro suo arbitrio facultatem semper haberet Sacramentaliter confitendi, & quando vult, & ubi vult, & cui vult; talis tamen Confessio, propriâ sponte facta, ut justificationis producat gratiam, non est in potestate peccatoris, sua peccata confitentis, sed hoc ei provenire debet ex supernaturali quadam Spiritûs Sancti inspiratione, Deique adjutorio speciali, quod si abfuerit, nulla pœnitentia, aut Confessio nostra DEO poterit esse grata, nec quicquam nobis adfert utilitatis aut commodi spiritualis. Quæ omnia si debitè, & prout oportet, inspiciantur, & perpendantur, facilè cognoscitur, in quàm miserum, & animæ periculis infertissimum sese conjiciant statum, qui mortalibus peccatis se impiare non formidant, neque refugiunt. Et hoc inprimis verum habet de illis, qui ex malitia peccare assuescunt; qui enim peccare in consuetudinem ducit, Judæ Ischariotæ simillimus efficitur, de quo Incarnata Sapientia (*Joan.* 6. 71.) in omnium Apostolorum præsentia dixit: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est? Dicebat autem* (subjungit *Evangelista*) *Judam Ischariotem; hic enim erat traditurus eum.* Dicitur ergo peccator Diabolus, non quidem per naturam, sed per imitationem diabolicæ malitiæ, in hoc scilicet, quòd perseverat in malo. Et hoc est, quod hominem in dæmonem quodammodo transmutat: Quia, dicente S. *Thomâ* in *Matth.* 18. lit. C. *quòd homo peccet, hoc humanum est; sed si perseveret, hoc diabolicum est.* Plerumque autem in peccato perseverare dicuntur, qui ex malitia, seu ex electione peccant: non sic qui ex impetu passionis; hos enim, passione expletâ, ut plurimùm peccati commissi pœnitet. Quid verò sit delinquere ex electione; aut ex passione, dicemus Sermone sequenti num. 4.

Interea, mi optime Frater, quæ diximus, bene considera; Et quia non alio fine ad sacram Religionem confugisti, nisi ut *adhæreas Domino* JESU Christo, *sisque unus spiritus cum eo.* 1. *Cor.* 6. 17. Proinde cave magnoperè, ne per peccatum quodvis mortale ex DEI servo fias diabolus, cælóque exclusus, æternùm apud inferos ardeas; Quod malum DEUS à nobis omnibus clementer avertat.

PARS

# PARS QUARTA.

## Peccatum omnium calamitatum nostrarum fontem & originem esse astruitur.

25. NIhil magis apud omnes hominum nationes usitatum est, quàm, dum adversis rerum casibus premuntur, in varias linguam laxare querimonias, & nunc cælum, nunc terram insimulare; modò dæmones, modò homines suarum causam esse calamitatum, conquerentes: Verùm *Propheta Jeremias* istiusmodi lamenta asserit esse non justa, dum ait: *Thren.* 3. 39. *Quid murmurat homo vivus, vir pro peccatis suis?* id est, pro pœnis peccatorum suorum, cùm pro peccatis affligitur: *Scrutemur vias nostras*, examinemus perscrutando omnia peccata à nobis perpetrata, & inveniemus utique, nos longè plura, & acerbiora, quàm sustinemus, fuisse promeritos, atque dicemus, quod dixit *Eliu* ad *Job*: *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi. Job.* 33. 27. Proinde cùm puniris ô homo, non excuses te, accusando alios, sed tuis peccatis id tribuas oportet. Dixerunt olim Josephi Fratres ad invicem: *Genes.* 42. 21. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in Fratrem nostrum* &c. Sic & nos sentiamus, atque dicamus idipsum; quia similiter in peccato sumus de fratre nostro, videlicet de Christo, qui non est dedignatus noster Frater fieri, sicut ipse *Mariæ Magdalenæ* dicebat: *Joan.* 20. 17. *Vade ad Fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Factus est ergo Christus Frater noster communicando nobis Carnem suam & Sanguinem, quem tamen peccando neci destinavimus; quia, ùt superiùs num. 15. diximus, qui peccat mortaliter, Christum denuò Cruci affigit. Ideóque meritò hæc, quæ nos premunt, mala patimur, nec habemus, quòd lamentemur, quòd lugeamus, nisi propter nos ipsos, propter nostras culpas & noxas, quæ causæ sunt, & omnium nostrarum fontes calamitatum.

26. In *Sanctæ Birgittæ* revelationibus de quodam Præposito, qui non adeò bene vixit, memoratur, cum Romam ad *S. Birgittam* venisse, suámque vitam multùm laudabiliter correxisse; Cúmque Sanctæ hujus Matronæ consilio Montem Garganum in Apulia, & Sanctum Nicolaum visitasset, & rediisset ad illam, dixit inter alia, se multum mirari, quare illa famosa Civitas Sipontina, ubi tot Sanctorum corpora quiescunt, destructa erat? Tunc sequenti die Filius DEI *S. Birgittæ* dixit: lib. 4. Revel. cap. 114. *Ille amicus tuus miratur de civitate, quæ destructa est. Verè, filia, hoc meruerunt peccata inhabitantium: nam etiam aliæ civitates meruerunt consimilia; Sed unus amicus meus habitavit ibi, qui perfectam habens ad me charitatem, continuò increpabat mores eorum, qui videns obstinationem eorum, rogabat me cum lacrymis, ut magis desolaretur locus, quam tot animæ quotidie periclitarentur. Ego verò, videns lacrymas ejus, & quia nullus se perfectè poneret ad placandum*

*dum me, permisi ea fieri, quæ nunc audiuntur.* Proin hujus Civitatis adeò celebris cives & incolæ proprio suo damno experti sunt, quod Deus olim populo suo comminatus fuit, dicens: *Si spreveritis leges meas, evaginabo super vos gladium, erítq; terra vestra deserta, & civitates vestræ dirutæ. Lev. 26. 33.* Quòd si ergo & nos in variis Christiani orbis partibus videamus nunc hanc, nunc illam civitatem, provinciam, regionem &c. fame, peste, bello incendio, terræ motu &c. affligi & perire, neutiquam ambigere oportet, istiusmodi mala non alio fonte, quàm peccatorum eorum lacunis emanare. Quia, ut dicit *Sacer Parœmiastes* Prov. 14. 34. *Miseros facit populos peccatum.* Et *Divus Paulus* Rom. 6. 23. ait: *Stipendia peccati mors*, & omnes mortis anteambulationes, uti sunt morbi & miseriæ innumeræ. Calamitatum igitur omnium fons uberrimus est peccatum.

27. In Capite quinto Libri *Judith* narratur, qualiter *Achior* Dux filiorum Ammon ad Holofernem loquebatur de populo Judæorum, & inter alia sic ait: *Et non fuit, qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu* Domini DEI *sui. Quotiescunque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium. Judith. 5. 17.* Et sic re ipsa experti sunt Israëlitæ; quando enim Deum suum coluerunt, ejúsque præceptis obedierunt, omnibus inimicis suis superiores exstiterunt; at dum à DEO suo per scelera, & impietatem suam se averterunt, continuò & ipsi, & urbes eorum in suorum adversariorum potestatem cesserunt Missis cæteris, audiamus *Tobiam Seniorem*, jam in universo mundo clamitantem, ac omnium fidelium auribus hæc verba suggerentem: *Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captivitatem, & mortem, & in fabulam, & in opprobrium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. Tob. 3. 4.* His cohæret, quod dixerunt tres pueri *Anania, Azaria, & Misaël*, dum in ardentem conjecti fuêre fornacem: *Quia in veritate, & in judicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccavimus enim, & injustè egimus recedentes à te, propterea tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum & pessimorum &c. Dan. 3. 28.* Ex quibus palàm patet, peccata sola facere populos miseros & infelices. Opportunè *Divus Ambrosius*: *Civitati*, inquit, *non nisi propter civium peccata infertur excidium; desine peccare, & civitas non peribit. S. Ambros.* Serm. 85.

28. In vita *Sanctæ Christinæ Mirabilis*, apud *Surium* legimus: Eâ die, qua à Saladino & Saracenis capta est Jerusalem, ipsa in Belgio degens, DEO revelante, cognovit, id factum ob enormia Christianorum peccata; dum autem Christiani ab iniquitate ad justitiæ studium redibunt, tunc iterum eam recuperabunt. Similiter Christus Dominus aliquando rogatus à *Sancta Birgitta*, an unquam Christiani loca sancta à Saracenis occupata sint recepturi? respondit, tunc ea recuperanda, quando Saracenorum peccata erunt peccatis Christianorum graviora. Vera igitur Regnorum ruinæ causa, dissensionúmque, & devastationum Provinciarum inde sequentium, non in quinto cælo quærenda est, nec illarum auctor Mars incusari debet, qui culpâ vacat; in terris illa inter injustitias, à quibus hodie tantopere pervertuntur tribunalia, ut etiamnum verum sit illud *Sapientis Eccles. 3. 16. Vidi sub sole in loco judicii* impie-

*impietatem*, *& in loco justitiæ iniquitatem*, indaganda est, ibi reperietur. Item accedamus vel publica urbium loca, vel particulares domos, hìc similiter quæsita à nobis illa invenietur inter blasphemias, maledicta, falsa juramenta; inter diras imprecationes, odia, persecutiones; inter ebrietates, fornicationes, adulteria, & nefandas juventutis impudicitias, de quibus etiam homines gloriantur, *qui* (ut *Isaias* vaticinatur) *peccatum suum quasi Sodoma audent prædicare*; *Isa.* 3. 9. *Qui lætantur cùm malefecerint*, *& exultant in rebus pessimis. Prov.* 2. 14. Hæc, hæc, & ejusmodi alia horrenda scelera, quæ in populo Christiano grassari solent; sunt causa, ob quam Christianorum urbes ac regiones infidelibus ac Paganis in potestatem cedunt. Audiamus *Sapient. Ecclesiast.* 10. 8. perorantem: *Regnum à gente in gentem transferetur, propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Si populus Christianus *in via Dei ambulâsset*, *habitâsset utique in pace sempiterna. Baruch.* 3. 13.

29. Inquirebat olim *Propheta Jeremias* 9. 12. *Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, quare perierit terra, & exusta sit quasi desertum?* Unde ô Filii Adæ tot clades in nos? Nonnulli planetarum aspectibus, ac syderum dominatui ista adscribunt: Alii vicissitudinibus: Alii non rectæ Principum gubernationi: Alii causis aliis. Fallimini; sed *quia dereliquistis legem meam, quam dedi vobis*, ait Deus apud citatum *Jeremiam*. Audite pariter *Divum Paulum* Rom. 2. 9. in hæc vobis verba occinentem; *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* DEUS est, qui criminosos ulciscitur. DEI, DEI *est*, (inquit *Sanctus Petrus Chrysologus*) *quòd urgemur malis, quòd verberamur semper, quòd gentes valent, quòd ruit grando, quòd impietas potest, quòd dominantur morbi, quòd sævit mors, quòd tremit terra &c. DEI flagella veniunt, sed nostræ provocant culpæ. Serm.* 20. Rectè proin attribui nobis poterit, quod Deus olim de populo suo Israël querebatur, dicens: *Ista est Jerusalem: in medio Gentium posui eam, & contempsit judicia mea, ut plus esset impia, quàm Gentes. Ezech.* 5. 5. Et certè quis non videt, delicias, crapulas, ebrietates, & adulteria inter Christianos grassari impunè, quorum tamen scelerum etiamnum infensissimi hostes sunt Turcæ, eáque severissimis castigant pœnis. Sic nos Christiani in multis plus impii sumus ipsis Turcis. Unde non mirandum, Turcas etiam temporibus nostris multorum regnorum ruinis suum auxisse Imperium. Eapropter charissimi, si nolumus esse etiam in tempore præsenti infelices ac miseri, medium efficacissimum nobis præscribit *Siracides*, dum nos omnes in communi, & singulos in particulari monet, dicens: *Noli facere mala, & non te apprehendent. Discede ab iniquo, & deficient mala abs te.* Eccl. 7. 1. Si non fuerint inter nos peccata, neque etiam pœnæ erunt.

30. Cùm igitur cuncta, quæ nos premunt mala, sint peccati effectus; ideo ex æqua rationis trutina hoc unicum plus pertimendum venit, quàm cætera omnia quantumvis etiam gravissima mala; quia teste *S. Chrysostomo*, unicum duntaxat in orbe malum est, nempe peccatum, cum hoc si omnia cætera mala conferantur, mala nulla sunt, sed potiùs ludus & jocus, fabula & somnium. Pro veritate itaque indubitata teneamus, nullum in terris dari verum

malum præter peccatum, mortale præsertim. Id quod *Didacus Nyssenus* in vit. *Abrah.* lib. 3. cap. 9. bellè dilucidat hoc discursu: Nocte Cœnæ, cùm orationem ad æternum Patrem suum pro salute discipulorum Christus funderet, sic ad illum ajebat: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. Joan.* 17. 15. De hoc malo communiter affirmant omnes, esse peccatum: Ita *Sancti Augustin. Chrysost. Euthym. Theophilact.* At si Christus optavit, discipulos suos servari à peccato, cur non perspicuis verbis hoc petiit? cur dixit: *Rogo, ut serves eos à malo*; cùm dicere possit: *Rogo, ut serves eos à peccato*? Fecit hoc, ut intelligeremus, nullum esse malum nisi peccatum, sicut nullum est bonum nisi gratia. Ærumnæ, adversitates, persecutiones, infirmitates, fames, sitis &c. tam non sunt mala iis, qui sunt in gratia Dei, ut potiùs sint bona, & occasio incrementi gratiæ. Propterea dicebat *S. Joan. Chrysost.* in homilia de *Abraham* tom. 1. In rem nostram sunt tentationes: Quantum afflictionum, cruciatuum, calamitatum hujus vitæ habet: justus tantum habet auri argenti, & gloriæ cælestis. Omnia in illius utilitatem & honorem cedunt; Majestas autem, & potentia, bona valetudo, venustas, opulentia, & cætera fortunæ bona, conjuncta cum peccato, tam non sunt bona, ut etiam majorem afferant damnationem illi, qui ea habet. Ergo non est bonum aliud præter gratiam, nec aliud malum præter peccatum. Hucusque *Nyssenus*. Solum igitur peccatum par est metuere, solum fugere tanquam summum, & unicum Orbis malum, quod hominem reddit miserum, imò miserrimum & infelicissimum, quia illud solum ei parat incendium sempiternum, ut patebit ex mox dicendis.

# PARS QUINTA.

## Fugiendum est peccatum, quia solum detrudit hominem ad ignem æternum.

31. SI quispiam ex hucusque relatis ad fugam peccati mortalis permotus non fuerit, moveatur saltem eo ex capite, quòd peccatum mortale peccatorem obligat ad pœnam æternam, prout innuitur in *Apocalypsi* capite 14. ubi dicitur: *Cruciabuntur igne & sulphure in sæcula sæculorum.* Idem testatur Sapientia Incarnata, *Matth.* 25. 46. dum de reprobis ait: *Et ibunt hi in supplicium æternum.* Quis autem adæquatum de pœnarum infernalium atrocitate formare poterit conceptum? Quis unquam suo intellectu ad æternitatem capiendam pertingere valuit? O ineffabilem igitur eorum cæcitatem, atque delirium, qui peccata etiam graviora non verentur committere. Nam si nemo vel integrum etiam acciperet regnum, ut per unius diei moram in fornace ardenti jaceret, & torqueretur; quanta insania erit, pro vilissimæ ac momentaneæ voluptatis fruitione præsentissimo se exponere periculo, ne sibi obtingat, quod sceleratæ Babyloni factum fuisse refert *S. Joannes Apoc.* 18. 21. dicens: *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare tartareum illud dicens: hoc impetu mittetur*

*Babylon civitas illa magna*, seu peccator, & *ultra non invenietur*, nisi in inferno, ubi velut titio semper ardens, & nunquam conflagrans, in incendiis æternis fumabit.

32. *Sanctus Petrus Apostolus*, ut primos sui sæculi Christianos à peccato coërceret, lapsum illis proposuit Angelorum, id est, unicum superbiæ peccatum, tanta cum asperitate castigatum, ait enim: *DEUS Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* 2. *Petr.* 2. 4. Hìc consideremus: Quòd si quispiam regnum aliquod ingrediens videret, quòd tertia pars nobilissimorum & potentissimorum regni illius Principum ignominiosè ageretur in furcas, ídque justissimâ sententiâ talis Regis, qui cæteroquin Sanctus, mitis, piissimúsque existens, semper punit citra condignum, quem inde de delictis, à talibus Principibus commissis, formaturus esset conceptum? Jam verò constat, quòd tertia pars stellarum, quæ à cælesti firmamento cecidit, scilicet Principatus, Throni, Dominationes, Potestates, Cherubim ac Seraphim, à Deo ad inferni patibula fuerint condemnati, eò solùm, quòd per superbiam evanuissent; quantò igitur magis contremiscere debet vermis, & vilissimum terræ lutum? Verissimè dixit *Eliphaz* ad *Job*: *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit pravitatem: Quantò magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea? Job.* 4. 18.

33. Et quod ampliùs est, in tantum Deus peccatum odit, & persequitur, ut si ipsamet DEI Mater (quæ dignitate suâ omnes in cælo Sanctos superat) unquam uni soli peccato mortali animo consensisset, Filius ejus illam subitò plus quàm serpentem odisset, & si in tali statu exspirasset, ipsemet ore proprio ad æternos inferorum ignes cum aliis reprobis eam condemnasset, ne quidem minimâ vitæ corporalis ab eadem in Incarnatione acceptæ, nec educationis & sustentationis habitâ ratione. Ita Sanctissimæ Viduæ *Birgittæ* divinitùs patefactum est; Audiit enim illa vociferantes coram Christi Throno hunc in modum diabolos: Si res illa, quam præ omnibus diligis, quæ est Virgo quæ te genuit, & quæ nunquam peccavit, si inquam illa peccasset mortaliter, & sine contritione divina mortua fuisset, sic diligis justitiam, quòd anima ejus nunquam obtineret cælum, sed esset nobiscum in inferno. Ita in terminis habetur in S. *Birgittæ* revelationibus libro quarto, capite septimo ante medium.

34. Ex his ergo, quàm res gravis & invisa sit apud Deum mortale peccatum, & quòd hoc obliget peccatorem ad pœnam æternam, sufficienter liquet. At quærit hìc *Doctor Angelicus*, an peccatum mortale de se, & ex malitia sua intrinseca exigat pœnam æternam, vel solùm hoc ei conveniat per accidens, propter legem à Deo latam, quâ illud æternâ pœnâ punire voluit. Ratio dubitandi est, quia pœna debet esse proportionata culpæ; pœna autem æterna nullam videtur habere proportionem cum culpa mortali, quæ brevissimo tempore, & quandoq; in momento committitur. Nihilominus determinat *S. Thomas*, peccatum mortale ex se, & ex malitia sua intrinseca, reatum pœnæ æternæ inducere, & quidem ex plurimis causis, inter quas prima est: Quia cùm peccatum contineat malitiam in esse moris infinitam (ut suo loco dictum) ideo ex se, & ex sua malitia intrinseca mere-

tur

tur pœnam infinitam; Et cùm non possit esse infinita secundùm intensionem, (nam creatura nullius qualitatis infinitæ est capax) requiritur, quòd sit infinita secundùm durationem.

35. Aliam rationem, cur damnati puniantur æternùm, assignat S. *Gregorius Magnus* his verbis: l. 4. Dial. c. 44. *Conveniens est, ut qui in suo æterno peccavit contra Deum; in æterno Dei puniatur.* Dicitur autem, aliquem in suo æterno peccasse, non solùm secundùm actûs continuationem in tota hominis vita durantis, sed quia hoc ipso, quòd finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi. *Nam voluissent iniqui*, inquit S. *Gregorius* lib. 34. moral. cap. 11. *sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere.* Hanc S. *Gregorii* expositionem ponderans, & explanans S. *Thomas*, ait: l. 3. cont. *Gen.* c. 44. *Apud divinum judicium voluntas pro facto reputatur, qui autem propter temporale bonum aversus est ab ultimo fine, qui in æternum possidetur, præposuit illius fruitionem fruitioni ultimi finis:* Ex quo colligitur, quòd multò magis voluisset in æternum illo bono temporali frui. *Mortaliter itaque peccans sic puniri debet, ac si æternaliter peccasset.* Etenim, qui voluptatem libidinis v. g. Deo præfert, ita affectus est, ut si semper viveret, in peccato semper vellet perseverare, & tali voluptate perpetuò frui; & quia hæc mala voluntas in damnato æternùm manet, sicut etiam odium quod erga Deum fovet, ergo & pœna æternùm manere debet. Quia ergo damnati noxas, quas contraxerunt, non eluunt, malitiam, dum viverent, cœptam non exuunt, adeò enim omni gratiâ divinâ sunt spoliati, ut æternitate totâ nullus eorum dicturus sit: *Miserere mei Deus*; hinc etiam delictorum suorum veniam consequentur nunquam; Et sic sunt, & permanebunt diabolis simillimi, è quibus nulla vis tormentorum unquam exprimet, vel solas has voculas: *Peccavimus, parce.* Hinc non malè quis dixerit: In inferno meros merissimos esse diabolos, hoc est, obstinatissimos ac desperatissimos Dei hostes, quales non diaboli tantùm, sed & omnes damnati sunt. *Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum: ne quando rapiat, & non sit qui eripiat*, monet Coronatus inter Prophetas: *Psal.* 49. 21.

36. Verùm enim verò, quò magis perspicuum omnibus fiat, quàm gravis & ineffabilis sit peccati mortalis malitia, nosse debemus ac credere, quòd unicum lethale delictum longè gravius sit malum, quàm ipsa inferorum tormenta, uti docet *Alphonsus Tostatus*, Auctor gravissimus, sic disserens in cap. 48. *Gen.*: *Peccatum est omnium malorum pessimum, quia etiam minimum peccatum secundùm suam speciem est pejus omni pœnâ, etiam pœnâ gehennæ.* Rationem assignat *Cornelius à Lapide* in cap. 2. *Jerem.* Quia peccatum est malum culpæ, cætera mala omnia, etiam in unum collecta, sunt malum pœnæ; malum autem culpæ altioris est ordinis, quàm malum pœnæ. Proinde *Eusebius Nierembergius*, quò nostrûm cuilibet peccati horrorem incuteret, ejúsque fugam efficaciter persuaderet, ita scribit: in Theopol. p. 1. c. 15. *Majus malum, & majorem miseriam unicum peccatum crede, quàm totius nostri generis interitum sine culpa. Ego non ita formidarem severitatem Divinam, si omnes nos æternùm torqueret, ac quòd sic puniat, ut permittat aliquem peccare. Magis totis contremisco artubus ad unam hujus vitæ culpam, quàm ad universas inferorum pœnas. Planè non nimium fuisset, ut unius hominis scelus deinceps vitaretur, æternis universos perdurare in tor-*

turis non intercedente culpâ. Hujus pariter mentis, & sententiæ fuêre *Chrysostomus* & *Anselmus*, ambo Viri Sanctissimi, quorum primus ita loquitur : hom. 37. in *Matth.* *Etsi multi gehennam omnium malorum supremum atque ultimum putent : ego tamen sic censeo, sic assiduè prædicabo; multò acerbius esse, Christum offendere, quàm gehennæ malis vexari.* Alter verò sic proloquitur lib. de similitud. c. 190.: *Si hinc cernerem peccati pudorem, & illinc inferni horrorem, & uni illorum haberem immergi, prius me in infernum immergerem, quàm peccatum in me admitterem; mallem enim purus à peccato gehennam intrare, quàm peccato pollutus cælorum regna tenere.* Sic, sic omnes, qui Christiani audiunt, sentire deberent; licèt autem pauci admodùm inter eos numerentur, qui sic animo affecti sunt, tu tamen, Religiose lector, adlabora, ut in eorum sis classe, qui cum *Eleazaro* nonagenario 2. *Mach.* 6. 23. potiùs *præmitti se velle in infernum*, quàm peccato assentiri eligerent. Quòd si autem hucusque in peccatis vixisses, quæso, festina, & curre ad illos, qui habent potestatem remittendi peccata: *Et si peccasti, non adjicias iterum; sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur*, Eccli. 21. 1. hortamentum est ipsius Spiritus Sancti, qui salutem tuam efflictim desiderat. Igitur *miserere animæ tuæ*, Eccli. 30. 24. clamat idem *Ecclesiasticus*, & non solùm audi, sed & sequere, quod tibi suadeo, imò præcipio (ait citatus *Sapiens* ex ore Dei) nimirum : *Tanquam à conspectu serpentis fuge peccatum.* Hæc de peccati mortalis gravitate tractasse sufficiat. Modò quid peccatum veniale sit, dispiciamus oportet. Sit ergo

# SERMO LVII.

# DE PECCATO VENIALI.

*Noli velle mentiri omne mendacium.* Eccli. 7. 14.

## PARS PRIMA.

### Quid, & quotuplex, & quàm grave malum sit veniale peccatum, ponderatur.

1. JOvinianus, & plures alii famosi hæretici, celeberrimi inter antiquos erroris instauratores sustinere voluerunt; omnia peccata paria esse, & mortalia. Sed falsitas est manifesta, quod inprimìs patet ex ipsismet Christi Domini verbis, qui apud *Evangelistam Lucam* cap. 9. vocat quædam peccata *festucas in oculo*, alia *trabes* : At festucæ licèt oculum, in quo sunt, obfuscent, eum tamen per se excæcare non possunt; ita pariter quædam sunt peccata, quæ non tantùm actu non extinguunt gratiam, quæ est animæ lumen, sed quæ nec eam extinguere possunt, subindeque de se & ex natura

ac levitate intrinseca, venialia sunt. Secundò, quemadmodum non omnes morbi sunt corpori lethales; ita neque omnes animæ infirmitates mortem illi adferunt. Animadvertendum ulteriùs, solum peccatum mortale esse contra legem divinam, non verò veniale, quod est tantùm præter legem. Ita docet S. *Thomas*, dum ait: 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. *Venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, sed facit præter legem, quia non observat modum rationis, quem lex intendit.* Modum ergo legis, non finem legis pervertit, qui venialiter peccat, quia legem illo cum rigore, quo deberet, non observat; finem verò non pervertit, quia cùm tam Dei, quàm proximi dilectio sit finis legis, in illo actu nihil admittit, quo talis dilectio præscindatur; sed solùm in causa est, ut aliquantum diminuatur.

2. Hæc omnia quò magis intelligas, finge Ducem quendam, unum è vernis suis cum literis, gravia belli negotia continentibus, Neapolim ablegare. At Servus, si iter contrarium teneret, & ad sui Domini hostes abiret, eísque literas sibi concreditas extraderet, an non gravissimè offenderetur Dominus ejus? indubitanter. Quòd si verò incunctanter Neapolim commearet, in via tamen torpore ac tædio victus, moram quandoque plus æquo necteret, offenderet quidem suâ tarditate Dominum suum; sed offensa hæc alterius profectò foret conditionis, nec longè tam gravis, quàm esset illa, si servus à Domino suo deficiens ad hostes ejus declinaret, quia hoc modo Domini sui præceptum flocci penderet, imò pedibus conculcaret, non priori. Sic etiam peccatum mortale includit, saltem virtualiter, magnum Dei contemptum, in eo consistentem, ut homo præferat amorem creaturæ amori Creatoris, & præ illius amore non curat dissolvere amicitiam & conjunctionem cum Deo ultimo fine. Veniale verò hoc ipso, quòd amicitiam & conjunctionem cum Deo ultimo fine non dissolvit, virtualem hunc contemptum Dei ultimi finis non includit.

3. His prælibatis, notandum ulteriùs, quòd peccatum tam mortale, quàm veniale tribus modis committi possit: Aliquando enim peccatur ex ignorantia & inconsideratione, aliquando autem ex fragilitate seu subita quadam passione, quæ est quædam humana infirmitas à natura corrupta in anima emergens. Subinde verò peccatur venialiter ex electione, quod idem est ac peccare ex proposito, & animo omnino deliberato, & (quemadmodum viri Sancti loquuntur) apertis oculis in peccatum sese conjicere ideo, quòd peccatum solummodo sit veniale; & qui taliter peccat, non dicitur peccare ex ignorantia, neque ex fragilitate aliqua, ut vocant, humana, sed ex propria affectione, & animi malitia. Proinde quando in Sacris Paginis traditur, nullum, quantumvis Sanctum & justum, sine peccatis vivere: 1. *Joan.* 1. 8. *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est;* Siquidem, ut in Sacris Parœmiis, Prov. 24. 16. dicitur, *Septies cadit justus*: Id intelligendum est primò de solis peccatis venialibus, non verò de mortalibus; quia absque mortalibus multi vixerunt, & etiamnum vivunt, & nos omnes cum gratia Dei (pro qua instanter orare debemus) sine illis esse possumus, imò debemus. Secundò id intelligendum est, de illis duntaxat venialibus, quæ cōmittuntur ex ignorantia, subreptione, inadvertentia, & fragilitate humana, quia sine his

Sancto-

Sanctorum nullus vixit, solùm Beatissima Virgo MARIA excipitur; vixerunt tamen multi sine illis venialibus, quæ committi solent cum plenaria advertentia, & animi affectione; Absque his etenim esse possumus; non verò sine prioribus collectivè sumptis. Quamobrem dum Scriptura Sacra, Sancti item Patres, & vitæ spiritualis Institutores ac Magistri nos ad omnimodam peccatorum venialium fugam adhortantur, intelligendi sunt de illis venialibus, quæ à nobis committi solent cum plena advertentia & deliberatione, seu quorum occasiones ultrò investigamus, & accedimus; non verò de illis venialibus, quæ ex inadvertentia sive subitâ quâdam animi passione, & quasi contranitente voluntate perpetrantur.

4. Ergo in præsenti lectione solùm agimus de illis peccatis venialibus, quæ plenè voluntaria, quia prævisa & intenta sunt. Apud Sapientem Ecclesiasticum: *Eccli.* 7. 14. monet *Spiritus Sanctus*: *Noli velle mentiri omne mendacium.* Non dicit: *noli mentiri omne mendacium*, sed dicit, *noli velle mentiri.* Non dicit, ne loquaris mendacium quàm parvum etiam illud sit; sed dicit, *noli velle* illud loqui; Magna siquidem (ut advertit S. *Franciscus Salesius*) est inter utrumque differentia: etenim aliud est, semel aut iterum è quadam v.g. animi hilaritate in parvi momenti re mentiri, aliud in mendacio sibi complacere, & erga hoc genus peccati affectum esse; quod idem foret, ac *velle mentiri*, id quod inprimìs à Sapiente interdicitur. Huc similiter facit doctrina quædam, quam *Henricus Harphius*, vir tam doctrinæ, quàm Sanctitatis famâ conspicuus, in hæc verba proponit: in *Theol.* mystic. l. 1. p. 1. c. 3. Notandum summoperè, quòd magna differentia sit inter labi in venialia ex propria affectione; & labi ex infirmitate, vel occasione. Nam propter naturæ nostræ infirmitatem omnia venialia peccata cavere non possumus, tamen omnes affectiones venialium in nobis mortificare bene valemus. Illi ergo ex naturæ fragilitate, & occasione duntaxat, delinquunt, qui antè & pòst, quando soli & liberi apud semetipsos sunt, non desiderant aliquid, quod peccatum sit, vel sensuale, ut vaniloquium, vanam societatem, bene manducare & bibere, complacentiam sui ipsius & aliorum, vanam gloriam & hujusmodi: dum tamen ad hæc aliquam occasionem acquirunt, citò ex naturæ fragilitate in venialia cadunt: sed quàm citò ad se redeunt, dolent inde, & sentiunt aversionem & displicentiam eorum omnium, quæ à DEO elongare possunt: Et hoc veniale parvum est, statímque à Deo per displicentiam remittitur. Illi verò ex propria affectione delinquunt, qui antè & pòst, dum liberi ab omni peccatorum occasione existunt, desiderant occasiones habere, non propter peccatum, sed propter oblectationem, ut quòd affectant habere vanam societatem ad ridendum, confabulandum, ludendum; quòd affectant bene manducare, bibere, novos rumores audire, & similia alia quàm plurima. Tales quamdiu affectum venialium non mortificant, non dimittuntur ipsis peccata talia, licèt sæpe ea confiteantur. Et quamvis nonnunquam videantur pro eis dolorem habere, tamen ille non provenit ex vero & sincero fundo cordis, neque tantus est, ut peccatorum affectiones penitùs ex corde eradicare valeat. Hucusque præfatus illuminatissimus Author.

5. Hanc doctrinam solido niti fundamento vel inde patet, quòd nullus justificationis gratiam ex Sacramento Confessionis

fessionis poterit referre, qui se de quibusdam mortalibus accusat, quorum tamen occasiones proximas (quas fugere potest, ac tenetur) non efficaciter proponit declinare; Quia sic virtualiter saltem & interpretativè affectum retinet erga talia peccata, unde non solùm ei illa non remittuntur, sed etiam crimine sacrilego se impiat, dum injuriam facit Sacramento, non debitè se ad illud disponendo. Sic pariter in nostro casu de venialibus discurrendum, quæ remitti non possunt, quamdiu vel actualiter, vel virtualiter mens eis inhæret. Sicuti enim v. g. oculus sanari nequit, nisi festuca, quæ ei inhæret, priùs extrahatur: Sic anima à suis peccatis per Sacramentalem absolutionem absolvi, & sanari nequit, priusquam à similibus peccatorum affectionibus se expurget; stante enim causâ effectus perseveret, necessum est: Causa autem horum venialium peccatorum sunt istiusmodi desideria, affectiones, & inclinationes, ergo his non mortificatis ac sublatis, venialia illa tolli ab anima minimè poterunt. Unde patet, longè graviora, quàm primâ apparet facie, hujuscemodi venialium affectiones solere animæ pericula procreare.

6. Lubet audire, quod *Valerius Venetus* apud Nadasi in ann. hebd. Cælest. pag. 696. recenset. Religioso Sacerdoti alter quidam è purgatorio apparuit, & dixit, se ab ignis illius supplicio non ante diem judicii liberandum fuisse, nisi aliorum suffragia intercessissent. Causa fuit (ajebat) quòd, cùm adirem pœnitentiæ Sacramentum, licèt accuratè bonâ fide meas labeculas explicârim, id tamen fecerim sine dolore, ac serio proposito emendationis, verùm tanquam à consuetudine, quod Deo maximè displicet, quare, eo annuente, tibi aperio, non ob meam solùm utilitatem, sed etiam pro documento aliorum: licèt enim peccata venialia non sint materia necessaria Sacramenti, tamen is, qui ea confitetur, tenetur id non obiter facere, sed dolenter & cum voluntate se emendandi, ne fiat injuria Sacramento tam augusto. Hæc, Religiose lector, probè nota, ac observa, ne idipsum cum tuo maximo damno experiaris aliquando.

7. Enim vero, quò indies magis à peccatorum venialium lapsu tibi caveas, eorúmque affectiones & occasiones solicitè fugias, credas oportet, vel unicum peccatum veniale, deliberatè præsertim perpetratum, licèt vocetur *peccatum leve*, non tamen dici debet *malum leve*; In genere peccati est quidem leve, quia illud committentem absolutè non reddit sceleratum: non enim ex se pœnam meretur æternam; cùm animam à fine suo ultimo non avertat, nec ex se hominem Deo inimicum constituat; sed in genere mali est malum gravissimum, malum, quo non est majus, quàm malum æternum, hoc est, peccatum mortale, & Infernus. Peccatum mortale est majus malum peccato veniali, quia absolutè loquendo, est malorum omnium possibilium maximum. Infernus est majus malum, quia cum illo Dei inimicitia conjuncta est, quæ nunquam cessat, cùm gratia divina perpetuò ei subtracta sit. Itaque peccata venialia, si comparentur ad mortalia, levia duntaxat dicuntur, in seipsis tamen adeò sunt gravia, ut Deus (de quo *Psalmista* ait: *Psal.* 10. 8. *Justus Dominus*, *& justitiam dilexit*; *æquitatem vidit vultus ejus*, quique se mitem gloriatur, & punit citra condignum) in justissima bilance ea ponderans, digna esse comperiat, quæ in plures annos usque ad ignem castigentur.

8. Ex *Sancti Thomæ* 3. p. q. 46. a. 6. ad 3. aliorumque Sanctorum virorum testimoniis notum est, minimam Purgatorii pœnam, omnibus hujus Mundi cruciatibus majorem & sensibiliorem esse; cùm enim animam separatam afficiat, illius gravitatem in hac vita sensibus nostris præpediti comprehendere non valemus. Judicemus ergo, quàm abominabile sit coram Deo peccatum illud veniale, quod tam acri & diuturnâ pœnâ à Deo punitur. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*: inquit S. *Paulus* 1. *Cor.* 3. 13. Ignis adeò terribilis clarissimè ostendit, an peccata venialia tam levia sint, quemadmodùm fidei nostræ debilitas nobis exhibet; præsertim ubi consideraverimus, tantæ justitiæ severitate etiam in ipsosmet amicos suos Deum animadvertere. S. *Gregorius Turonensis* de Glor. Confess. c. 5. refert *Sanctum Martinum* Beatæ Vitalianæ sepulchrum visitantem post longas preces à Sancta petiisse, quale esset gaudium, quo nunc ex visione beatifica frueretur? Respondit Sancta Virgo: nihil mihi constat de gaudio, quæ adhuc in Purgatorio illam erga Sanctissimam Christi Passionem luere cogor irreverentiam, quando in die Parasceves cincinnos capitis lavi. S. *Gregorius Magnus* l. 4. *Dial.* c. 40. etiam recenset, *Paschasium Diaconum*, irreprehensibilis vitæ virum, solo vestium contactu, jam mortuum, malignos spiritus ab energumeni cujusdam corpore fugâsse; nihilominus quod certi cujusdam *Laurentii* ad Pontificatum Romanũ anhelantis ambitioni adhæsisset aliquantulùm, ad ferventissimas quasdam thermas, crudelissimam profectò Purgatorii speciem, à Deo relegatum fuisse. Similia alia plura de magnis Dei Servis in historicorum libris exempla legimus, quibus inspectis & bene perpensis usurpare licet illud Evangelicum *Luc.* 23. 31: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si divina justitia taliter sævit in charissimos suos amicos ob unicum veniale peccatum, incautè admissum, tamque gravi eos distringens judicio plectit; eheu! Quid fiet illis, *qui bibunt velut aquam* peccatorum venialium *iniquitatem? Job.* 15. 16. Interim audiant tales, veniale peccatum, malum leve existimantes, ideoque illud parùm curantes, quid aliquando Sapientia æterna dixerit ad *Beatum Henricum Susonem*: in libel. de novem rupibus c. 23. *Crede mihi, si quis exploratum haberet, quanta luenda sit pœna ob minimam, quæ invito Deo sumitur, naturæ oblectationem, priusquam venialem perpetraret culpam, potius quotidie sibi caput amputari, ac novam inferri mortem sineret.*

9. Ex his, mi optime frater, disce omnia peccata levia, illa inprimis, quæ cum advertentia, quæsitâque occasione committi à non paucis solent, velut gravissimum malum sollicitè fugere; illa verò, sine quibus vivere non datur, quæque tibi ex humana fragilitate, ac animi infirmitate subrepere solent, abolere & expungere allabora, observando aureum quoddam documentum, à *Laurentio Surio* in Præfat. exercit. *Nicol. Eschii* in hæc verba traditum: *Cuncta venialia peccata multò faciliùs, efficaciùs, perfectiùs amorosâ quadam conversione ad Deum delentur, quàm si ad ea etiam cum contritione respiciatur: Sed hoc occultum quoddam exercitium est, paucis cognitum, ac minùs usitatum.* Doctrinam hanc D. *Thomas* suo calculo corroborans, magisque dilucidans, ait: 4. D. 16. q. 2. a. 2. in 2. q. ad 1. *Quamvis fervor charitatis, dum homo in Deum fertur motu charitatis, possit esse sine hoc, quòd actu de peccato veniali cogitet explicitè: tamen in illo motu implicitè continentur displicentia venialis peccati vel*

*vel unius vel omnium : quia si ferventer in Deum fertur, displicet ei omne, quod à Deo retardat. Unde potest esse tam fervens motus charitatis in Deum, quòd omnia peccata venialia consumat, etiam sine actuali cognitione ipsorum.* Ex hac S. *Thomæ* doctrina apparet, nil magis conducere ad abolenda peccata ex ignorantia, subreptione, ac humanâ infirmitate commissa, quàm frequenter ac ferventer elicere actus amoris Dei, proinde à religiosæ perfectionis studioso tale exercitium constanter frequentandum.

# PARS SECUNDA.

## Peccata venialia vel ideo etiam fugienda, quia trahunt ad mortalia, salutísque naufragia procurare solent.

10. OMnium Asceticorum Doctorum sententia ac doctrina est, venialia peccata (dum non solicitâ curâ evitantur, eò quia venialia sunt) nos trahere ad committenda mortalia; probant autem id ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, ex illo præsertim *Sapientis Ecclesiastici* testimonio: *Eccli.* 19. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Hunc textum *Dionysius Carthusianus* sequenti illustrat Commentario: *Qui spernit modica, id est, qui non curat vitare parva peccata, successivè corruit ad majora, venialia namque minora disponunt ad venialia crassiora, & omnia simul ad mortalia.* Monet proinde graviter & sapienter *Magnus Pater Augustinus* de decem Chordis: Nolite, (inquit) contemnere venialia, quæ minima sunt, sed timete quia plura; plerumque enim bestiæ minutæ multæ necant. Nunquid minutissima sunt grana arenæ? Sed si arena ampliùs in navi mittatur, mergit illam, ut pereat. Quàm minutæ guttæ pluviæ nonne flumina implent, & domos dejiciunt? Timenda est ergo ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. Ita *Augustinus*, qui alibi (in *Psal.* 49) ita scribit: *Magna præcavisti, de minutis quid agis? an non times minuta? Projecisti molem, vide, ne arenâ obruaris.* Cui consonat illud *Ovidii*:

*Quæ non possunt singula, plura necant.*

Et iterum:

*Flumina magna vides, parvis de fontibus orta.*

11. Extra omnem itaque controversiam est, peccatum veniale dispositionem esse ad mortale; quia per venialia disponitur quis ad amissionem charitatis, ut docet *S. Thomas.* 2. 2. q. 105. a. 1. ad 2. Et de Virt. 2. 6. ad 1. Et hoc quidem faciliùs contingit, si frequententur venialia, & iterentur. Nam per negligentiam & diversa peccata venialia disponitur quis, ut tandem labatur in peccatum mortale. Et hoc experientiâ manifestâ patet: Etenim mulierem ex vanitate & curiositate aspicere, veniale est: cras quoque iterum iterúmque intueri, veniale est; At si frequentiùs hi actus iterentur, facillimè in turpem delectationem, consensúmque peccati cadimus, proinde & in opus completum. Aspectum siquidem sequitur cogitatus, cogitatum delectatio, delectationem consensus, consensum opus. Id-

circo *Sanctus Job*: *Job* 31. 1. *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine*: Id est, ut non primum gradum interiorem attingerem, scilicet cogitationem. Videbat enim esse difficile, si primum incideret, scilicet in cogitationem, quin in alia laberetur scilicet in delectationē & consensum. Ex minutis quoq; iteratis furtis, quæ venialia sunt, disponitur facillimè quis ad furandum cum gravi proximi detrimento, hoc est, ad peccandum in ea materia mortaliter. Et hoc de omni peccato verum habet: nimirum quia ex multiplicatione actuum (ut ajebat proximè citatus Angelicus Doctor) crescit aviditas & delectatio in peccato, & hinc facillimè in mortale prolabimur.

12. *Jacobus Alvarez*, eximius planè vitæ spiritualis, ac religiosæ perfectionis Magister ad præsens hoc nostrum propositum ita scribit: tom. 1. lect. 1. p. 2. c. 16. Levia peccata contempta nos in manifestum perditionis discrimen adducunt, non quia ipsa sufficiunt nos perdere; sed quia sæpè sufficiunt ad grave crimen inclinare, in quo sensu dixit *Augustinus* de levibus peccatis: Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & oppriment, sicut unum aliquod grave peccatum; Quid enim interest ad naufragium, utrum uno gravi fluctu navis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem, atque submergat? Neque enim id sapientissimus Pater dixit, quia putaret levia peccata uni gravi coæquari, sed quia hæc, si non navim nostri cordis operiunt, at aperiunt, ut magnum fluctum peccati gravis suscipiat. Hæc Author præfatus. Et in hoc sensu intelligenda etiam sunt illa verba, quæ aliquando Deus ad S. *Birgittam* dixit l. 1. revel. c. 32. nimirum: *Minimum peccatum, quicunque in eo delectatur, nec emendat, satis est ei ad perditionem*; quia nimirum hoc modo disponitur ad perpetranda mortalia, quæ hominem introducunt in infernum, & damnationem æternam.

13. In *Daniele Propheta* nobis istiusmodi exhibetur visio: *Dan.* 2. 34. *Videbas, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam; tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt à vento.* Nullus dubitet, quin *hæc omnia in figura* 1. *Cor.* 10. 11. *Regi Nabuchodonosori* cælitùs ostensa sint; Nam per hunc parvum lapillum, qui contrivit proceram hanc & pretiosam statuam, jure optimo accipi potest leve aliquod peccatum, flocci à nobis æstimatum, quod tamen quandoque sufficiens est ad conterendam statuam, & in pulverem reducendum argentum & aurum omnium aliorum bonorum operum. Hoc à parte rei ita esse, *Beatus Henricus Suso* divinitùs fuit edoctus. libel. de novem rupibus. c. 23. Etenim Sapientia æterna per varias figuras & visiones omnium Christianorum crimina ei pandit, ac tandem etiam earum animarum, quæ in gratiæ divinæ reperiuntur statu, varios gradus eidem ostendit: Has ergo vidit habitare in distinctis quibusdam altissimi montis rupibus; & quæ in prima seu infima rupe commorabantur, significatum ei fuit, esse illas animas, quæ tantùm solicitè cavent, ne committant peccata gravia, & exinde damnationem incurrant sempiternam, & quia animæ tales vicinæ sunt diaboli retibus, magno versantur in salutis periculo; siquidem vita eorum in extremis inferni & peccatorum

catorum mortalium confinibus sita est. Hinc insidiator infernalis magnam habet fiduciam istiusmodi generis homines, qui parva peccata non curant, in suam pertrahendi nassam, ac à levibus excessibus ad noxas mortiferas, ac inde tandem ad ipsam perditionem deturbandi; id quod vir Sanctus pluribus animabus, hac in rupe commorantibus evenisse dolens spectavit.

14. Porrò, rationem solidam, cur nimirum sæpe peccatum aliquod veniale, quod seriò emendare, ejúsdémque occasionem fugere non curamus, in grave crimen nos demergat, damnationémque adornet, assignat *Alphonsus Rodriquez* p. 1. tr. 1. c. 10. in tradendis vitæ perfectioris dogmatibus eximius Doctor, sic disserens: Deus se gerit erga nos, sicut nos erga ipsum: Si nos liberales erimus erga eum, hoc est, minimos quoque defectus declinare studendo, & ille munificus erit, nos semper in sua gratia conservando; Sin autem parci sumus, ea duntaxat observando, ad quæ sub gravi culpa obligamur, Deus quoque in nos parcus erit, nec alia, nec plura dabit, quàm ad quæ verbo suo assertorio tenetur, dabit scilicet auxilia generalia & necessaria, quæ nulli negat, quæque sufficientia sunt, ut cum iis possit homo tentationi resistere; quia tamen cum hoc auxilio non resistit, ideo, dum tentationi succumbit, est culpa in ipso. Et hoc est, quod communiter docent *Theologi* cum *Sanctis Patribus*, nimirum: *Peccatum sequens pœnam esse præcedentis.* Quod sic intelligendum est: homo per primum illud suum peccatum speciale & particulare illud Dei auxilium, quod datur non solùm ad *Posse*, sed ad *Actu* resistendum, demeruit, eóq; indignum se reddidit, ac proinde in aliud novum peccatum pronissimè corruet. Idem de venialibus est intelligendum, de illis præsertim, quæ quis sciens prudens committit. Doctrina hæc confirmata manet ex illo *Sapientiæ Incarnatæ* oraculo: *Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est*: Luc. 16. 10. Nimirum, qui in rebus parvis ac modicis iniquus & infidelis est, fit dignus, cui Deus specialia suæ gratiæ auxilia subtrahat; unde mox in majoribus, & ad culpam gravem obligantibus præceptis iniquus transgressor invenietur. In quo sensu *S. Gregorius* lib. 20. Moral. cap. 9. dixit: *Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti etiam majora audenter perpetramus.* Etenim à minimis (ut scitè observat Mellitus Abbas, *D. Bernardus*) incipiunt, qui in maxima proruunt; Verissima enim est sententia: *Nemo repentè fit summus*, aut in vitio, aut in virtute, sed paulatim ac per intervalla & malum accrescit & bonum: uti & graves corporum morbi etiam accrescere sensim solent.

15. Eapropter à parvis ac venialibus non minùs, quàm à magnis & mortalibus peccatis abhorrendum est viris religiosis, suæque salutis cupidis; Imò quodammodo plus à venialibus, quàm à mortalibus. Videtur quidem hoc primâ facie paradoxum quoddam, ast si bene inspiciatur, comperiemus, esse sanam doctrinam: Docet enim *S. Joan. Chrysostomus*, majus quadantenus venialium noxarum esse periculum, quàm gravium; propria hujus *Aurei Oratoris* homil. 83. in *Matth.* verba sunt: *Mirabile quiddam, & inauditum dicere audeo: Solet mihi nonnunquam videri, non tanto studio magna peccata esse vitanda, quanto parva & vilia; illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura & horror, quem includit, efficit; hæc autem ipsâ re, quia parva sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad eorum ex-*

*pulsionem illorum animus generosè insurgere. Unde citò ex parvis maxima fiunt negligentiâ nostrâ.*

16. Doctrinam hanc non esse hyperbolicam, sed sanam verámque, optimè novit stygius impostor; hinc Religiosos, Deíque servos hac ex parte potissimùm aggredi solet, perspectum habens hâc viâ se aditum inventurum, ut eos dein ad culpas graviores admittendas faciliùs pertrahat. Proinde cacodæmon hac in parte haud multum absimilis esse videtur Aquilæ, de cujus avis solertia & astutia memorant naturalium rerum Scriptores, quando cervum capere, & in suam cedere prædam cupit, altâ se mergit aquâ, quâ egressa in minutissimis se gyrare & volutare solet arenulis seu pulveribus, sic tota pulverulenta intra cervi cornua sese collocat, ubi pulverem omnem alarum agitatione in miseri cervi oculos excutit, & penitùs eum excæcat, quem excæcatum è rupe præcipitat, & quassatis ossibus vitâ privat. Unde ortum hoc lemma: Ex *pulvere mortem.* Ita omnino Stygius Veterator levium noxarum minutiis, quæ veluti pulvis sunt, quæque à nobis vix quicquam æstimantur, miserum hominem agit in varia peccata mortalia tam astutè præcipitem, ut ille se in periculo damnationis versari neutiquam opinetur, sícque facilè eundem in suam pertrahit nassam, & in ruinam eum detrudit sempiternam. Hoc modo jam innumeros excæcavit versutissimus hostis, excæcatósque suæ subjecit potestati: Inter hos primus fuit Cain, cuì (ut docet S. *Chrysostomus*) priùs persuasit dæmon deteriora offerre, suggerens ei, nullum esse id peccatum; deinde invidiæ veneno succendit, nihil etiam hinc mali secuturum persuadendo. Ita sensim in eum illapsus, ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit, ac tandem ad inferos eum præcipitavit. Alterum exemplum habemus in Juda Proditore, cui similiter persuasit, nullam esse culpam, quandam eleëmosynarum à Christo sibi creditarum partem surripere, & absque licentia inter cognatos pauperes distribuere; tandem eum, avaritiâ paulatim crescente, ad tantam pertraxit mentis perversitatem, ut auri acquirendi rabie adactus proprium Magistrum suum prodere non abhorruerit. Hinc desperatione ductus, laqueo sibi vitam ademit, suámque infelicem animam in fauces dæmonis tradidit. Ite nunc, & parva dicite peccata illa, quæ tam horrendos possunt producere effectus!

17. In Vitis *Veterum Patrum* narratur de quodam Monacho, quòd, cùm aliquando uvam iṁaturam in horto conspiceret, ad eam decerpendam & comedendam plurimùm fuerit tentatus; at ne contra obedientiam extra tempus edendo delinqueret, ab Abbate licentiam comedendi eam obtinuit. At ubi eam decerpsit, serpentem in manu invenit, quo abjecto, Patri, quid factum sit, nuntiavit. Abbas, cùm suboleret, quis in serpente lateret, monstrum per caudam in Ecclesiám traxit: ibi rotundè per os viperæ dæmon est fassus, si frater uvam absque licentia comedisset, quòd eum de Monasterio recedere fecisset. At quorsum ista? Nimirum ut ulteriùs videamus, ex minutis ac parvis transgressionibus, allaborante dæmone, maxima sequi damna. Quippe si dictus Cœnobita uvam non habitâ licentiâ comedisset, certè non nisi venialiter peccasset, cùm hujuscemodi monastica statuta sub gravi culpa obligent nūquam, sed regulariter solùm sub pœna; & nihilominus dæmon eundem, si hoc veniale non vitasset, in apostasiæ crimen, ac inde forsan

forsan etiam in sempiternam pertraxisset animæ ruinam.

18. Huc similiter facit, quod de Seraphica matre, S. *Theresia* legimus in ejus vita c. 32. quòd nimirum Deus aliquando ei ostenderit locum in inferno, in quem incauta tandem se præcipitâsset, si certis consortiis & affectionibus, ex se non malis, sed periculosis, adhærere perrexisset. Oportet proinde non à mortalibus tantùm, sed & à venialibus etiam noxis solicitè cavere, attendentes ad illam *Sancti Hilarii* sententiam: Epist. de init. Quadr. *Difficile est, ut cadere in graviora non permittatur, qui minus gravia non veretur.* Contra verò asserente *Sancto Hieronymo* epist. ad Celant. *Non citò ad majora progreditur, qui etiam parva formidat.* Quocirco, amice Lector, si tuam assecurare velis salutem, audi & sequere consilium, imò præceptũ, quod Deus per *Sapientem Ecclesiasticum* promulgavit, dicens: *Quasi à facie colubri fuge peccata;* Eccli. 21. 2. Non solùm, inquit Deus, peccata gravia, sed etiam levia, eorúmque occasiones fuge, fuge. In hoc omnis salus tua posita est, ut peccata quævis etiam à longè conspecta declines & fugias.

# SERMO LVIII.

## DE TIMORE DEI.

*Venite Filii, audite me: Timorem Domini docebo vos.* Ps. 33. 11.

## PARS PRIMA.

1. REgius Propheta sapientissimus erat, cui Deus (ut ipse testatur *Ps.* 50. 7.) incerta & occulta sapientiæ suæ manifestavit, quique *super senes intellexit Ps.* 118. 100. Quadam die solicitè suos ad auscultandum sermonem prædicationis suæ invitabat: *Venite Filii, audite me*: Et quid eis prædicaturus est? *Timorem Domini docebo vos.* Ad insinuandum cunctis fidelibus in sæculis subsequentibus, quantæ utilitatis sit docere animas timorem Domini. Quid tandẽ (inquit *Basil. Magn.*) Pater hic spiritualis docturus est? *Timorem, inquit, docebo vos.* Multi, qui enuntiant verbum Dei, in hoc errant, ait *Joseph. Mansi* tr. 93. disc. 1. quod ut plurimum de sublimibus altisque mysteriis discurrant contra illud *Apost*, consilium: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes, Rom.* 12. suámque ostentent scientiam & ingenium, animarum profectum minimè respicientes; non sic, ait *Propheta*, sed *audite me, timorem Domini docebo vos.* Ad hanc invitationem reflectebat se *S. Laurent. Just.* lig. vit. c. 1. de tim. Dom. quando dicebat: *Venite, audite me, quia timorem Domini docebo vos; non cursus siderum, non rerum naturas, neque cælorum secreta, sed Domini timorem docebo vos. Horum scientia sine timore inflat, timor autem Domini absque scientia illorum salvat.* Alius quidam servus Dei admodùm illuminatus dicere solebat, quod pro themate concionum nulla alia materia accipienda esset, nisi materia de peccato, eò quòd ad extirpandum peccatum prædicationes sive exhortationes institutæ essent.

2. Quamobrem ne hujus servi Dei salubre

ſalubre monitum prætercam, pariter cum Regio Vate vos chariſſimos fratres meos invito, ut mihi auſcultetis. *Venite Filii, audite me*, &c. Aſt priúsquam hujus DEI Timoris neceſſitatem & utilitatem explicemus, inveſtigemus oportet, quid ſit timor Domini? Hoc autem ex ejus patebit definitione. Definitur ergo Timor Domini; *quid ſit virtus, quâ quis Deum offendere timet.* Ejus naturam explicans S. *Tobias*, filio dixit: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri. Tobiæ* 4. 6. Dividitur porrò Timor in Servilem, Mercenarium, & Filialem. *Servilis eſt*; quo quis Deum formidine pœnæ, ab eo infligendæ, offendere timet, de quo S. *David* locutus eſt, dum oravit: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Pſal. 118. 120. *Mercenarius eſt*, quo quis ſpe præmii, & mercedis à Deo promiſſæ, ab offenſa Dei abſtinet, de quo idem S. *Propheta* confeſſus eſt, ſe ab illo ad mandata Dei ſervanda impulſum eſſe: *Inclinavi cor meum*, inquit in citato Pſalmo, *ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Filialis eſt*, quem (ùt *Caſſianus* Coll. 11. c. 13. explicat) non pœnarum terror, non cupido præmiorum, ſed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentiſſimum Patrem, vel frater fratrem, vel amicus amicum ſolicito reveretur affectu. Clarioribus adhuc hunc timorem filialem explicat verbis Seraphicus Doctor, S. *Bonavent.* diæta ſal. tit. 6. c. 1. ſic inquiens: *Sicut Filius ſuper omnia timet offenſam Patris, etiamſi pater non intenderet eum percutere; ſic qui habet timorem Domini filialem, inſtar boni filii timet & cavet offenſam Patris cæleſtis, etiamſi ex offenſa illa nihil mali deberet ſibi accidere.*

3. Sciendum porrò, etſi priores duo timores, timor ſcilicet ſervilis, & mercenarius minùs perfecti ſint, non tamen propterea minùs utiles cenſendos, aut omnino negligendos eſſe, cùm & bonum habeant objectum, ſcilicet incolumitatem ſui, & fructus optimos, dum & à peccato retrahunt hominem, & viam ad juſtitiam & charitatem parant, uti præter alios clare *Caſſianus* Coll. 11. cap. 8. docuit, dum dixit: *Eſt gradus cujuſdam profectus, ut, dum vel pœnarum metu, vel præmiorum ſpe incipimus vitia devitare, ad charitatis gradum tranſire poſſimus.* Cui concinit Os aureum S. *Chryſoſt.* hom. 69. ad popul. in hæc verba: *Niſi bonum eſſet timor* (intellige Servilis) *non multos impendiſſet Chriſtus ſermones & longos, de pœna & ſupplicio loquens.* Denique hanc concluſionem ſic etiam decidit Angelicus Doctor S. *Thomas* 2. 2. quæſt. 19. art. 4. *Quanquam timoris ſervilitas mala ſit, ipſe tamen ſervilis timor charitate ordinatus ſecundum ſuam ſubſtantiam bonus eſt.* Hanc doctrinam ut melius intelligas, nota ex *Marchantio* hort paſt. lib. 2. lect. 7. prop. 2. tunc dici timoris ſervilitatem eſſe malam, quando homo affectum hunc continet: *Niſi eſſet pœna propoſita, peccatum non vitarem.* Talis enim affectus malus eſt, quia eo ipſo peccat, quo peccare vellet, ſi impunè poſſet, & talis non odit culpam, nec amat juſtitiam, ſed ſolùm cavet pœnam, & ita non ſatis recedit à malo, ſed quædam vivit adhuc in eo peccandi voluntas, quæ in opus exiret, niſi timeretur vindictæ pœnalitas. Quod ſi verò quis v. g. tentationem carnis ſupprimere laboraret, & ad hoc pro medio aſſumeret infernalium tormentorum huic fœdo peccato præparatorum meditationem, nihil aliud interea cogitans, nec alia motiva excludens,

timor

timor hic bonus esset. Audiamus *Josephum Mansi* tract. 93. disc. 3. hac de re sic discurrentem : Timor purè servilis, qui nullum aliud habet objectum, nisi pœnam, & ibi etiam sistit, malus est & vitiosus : At quando cum timore pœnæ ultrà progreditur ad detestationem peccati, & amorem DEI, tunc est bonus, & est initium sapientiæ, quia est causa, ut quis bene operari incipiat. Porrò quamvis in sensu nunc explicato timor servilis, & similiter sub eadem ratione timor mercenarius, bonus sit, non tamen in hoc sistendum, sed omni conatu ad timorem filialem anhelandum.

4. His prænotatis, timoris Dei emolumenta, quæ inde in animam redundant, explicemus oportet, colligitur autem hujus virtutis excellentia ex eo, quod nihil ad castitatem, teste Rodriquez part. 3. tract. 4. cap. 9. tuendam, ac generaliter ad gratiam Dei conservandam, potentiùs & efficaciùs, quam ubique & semper sanctum quendam timorem, metum & cautelam præferre, cùm nobis ipsis diffidendo, tum ad Deum recurrendo, omnémque fiduciam nostram in eo reponendo. Ostendit id *S. Bernardus* sermone 54. in Cant. in hunc modum scribens : *In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam Dei promerendam, retinendam & recuperandam, si amissa sit, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere, secundùm illud Salomonis* Prov. 28. 14. *Beatus homo, qui semper est pavidus. Hinc etiam apud Isaiam dicit : Ad quem respiciam, nisi ad trementem sermones meos?* At contra unum ex iis, quæ illustres etiam Sanctos ad graves ruinas perduxerunt, est nimia sui ipsius fiducia, exiguus timor, & parva circa seipsum circumspectio. *Sapiens* enim *timet* (ùt dicitur *Proverb.* 14. 16.) *& declinat à malo : stultus audacter transilit, & confidit*, atque ideo non rarò impingit.

5. Porrò, qui pretiosum liquorem subtilissimo vitro contentum per ea gestat loca, in quibus magna hominum multitudo concurrit, & quæ à vehementibus ventorum flatibus & tempestatibus perflantur, nisi vitri sui norit, & timeat fragilitatem, non debitâ circumspectione ipsum deferet, & ideo facilè frangetur, & liquor quem gestat, in terram effundetur. At contrà qui probè novit, quàm vitrum fragile sit, ac metuit, ne quo casu ipsum rumpatur, cautè illud custodit, ac solicitè defert, ac proinde securus incedit. Eodem prorsus modo nobis contingit; nam pretiosissimum gratiæ ac donorum divinorum liquorem & thesaurum in luteis fragilibúsque (ut ait *Apostolus 2. Cor. 4. 7.*) vasis continemus, quæ facili collisione frangi possunt, itaque omnis liquor effundi & disperire. Adhæc in loco plurimorum ventorum, procellarúmque turbinibus, & periculis variis obnoxio incedimus. Hinc qui eorum fragilitatem non sat norunt, imò nec timent, in falsa quadam ac mendaci securitate vivunt, sícque haud difficulter pereunt; at qui perspectam eam habent ac metuunt, valde circumspectè & cautè incedunt, ut se conservent, neque animæ naufragium patiantur, proinde in majore securitate degunt.

6. Hinc ergo discamus semper & in omnibus timorem, & circumspectionem hanc præferre. Væ autem illi, qui eo carebit : qui etiam verè lugendus & deplorandus est, quia statim proruet. Nam, ùt dicit *Divinus Spiritus* :

*Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua*; Ecclef. 27. hoc eft, fine timore Dei confeftim corrues in varia peccata, nec diu ftabis in DEI gratia. Digna confideratione funt nonnulla verba *Lactantii Firmiani* lib. de ira DEI cap. 12. afferentis: *Timor DEI folus eft; per quem vita ipfa fuftentatur, munitur, gubernatur.* Profectò tametfi nullus alius ex timore DEI perciperetur fructus, quis non videt hunc effe utiliffimum, dum unicus exiftit vitæ noftræ director? Hoc deficiente timenda eft omnis defolatio. *Dixit infipiens in corde fuo, non eft DEUS. Pfal.* 13. 1. Ecce verba unius *Athei* non abfimilis Pharaoni, qui pariter proteftando fimilia loquebatur: *Nefcio Dominum.* At quod ex ifto defectu veræ fidei fecutum fuit? *Corrupti funt, & abominabiles facti funt in ftudiis fuis, non eft qui faciat bonum, non eft ufque ad unum: Omnes declinaverunt, fimul inutiles facti funt, non eft qui faciat bonum, non eft ufque ad unum: Sepulchrum patens eft guttur eorum, linguis fuis dolosè agebant, veloces pedes eorum ad effundendum fanguinem.* Visne intelligere, unde torrentes iniquitatis adeò abominandæ profluxerint? *Non eft Timor DEI ante oculos eorum.*

7. Quare bene & optimè afferit S. *Ifidorus* lib. 2. Synonom. cap. 6. *Ubi timor non eft, ibi perditio eft morum: ubi timor non eft, ibi diffolutio eft vitæ: ubi timor non eft, ibi fcelerum abundantia eft.* Quod idem *Sanctus Bernardus* in hæc confirmat verba: Omne virtutum ædificium illico vergit in præcipitium, fi timoris Domini amiferis præfidium. Et *Sanctus Gregorius* breviter quidem fed nervosè dicit: *Ubi timor non eft, ibi falus non eft.* Quamobrem fi falvi effe cupimus, neque multifariis mundi, carnis, ac dæmonis aftibus ac tentationibus fuccumbere, falubrem Domini timorem in cordibus noftris femper circumferamus oportet. Propriiffima eft fimilitudo, quâ utitur *Divus Chryfoftomus* homil. 2. ad popul. timorem DEI nominando frænum; Etenim equi indomiti multa incurrerent præcipitia, & nos fecum præcipitarent, nifi fræno coërcerentur; eodem proportionali modo afferere poffumus, quod in curfu vitæ noftræ adeo difficilis & laboriofæ omni paffu prolaberemur, nifi timoris frænum dirigeret ac reprimeret effrænem equum appetitûs noftri fenfitivi.

8. Hanc ob caufam *Regius Propheta*, ne unquam deinceps DEI incurreret offenfam, hanc ab eo eo petiit gratiam: *Confige timore tuo carnes meas*; optimè námque fciebat, quod quotiefcunque Sancti timoris effet confixus clavis, nunquam à DEO feipararetur. Certè caufa, cur multi ruant in præcipitia, & per vias peffimas ambulent, eft, quia non ducuntur, nec duci volunt timore DEI: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Et hujus rationem reddit, dicens: *Non eft timor ante oculos eorum.* Quocircò quifquis in multifariis hujus vitæ tentationibus fecurus & adamantinus quodammodò effe cupit, timorem Domini animæ fuæ vifceribus inferat, neceffum eft; fic enim velut Salamandra in medio tentationis igne illæfus perfiftet; Hoc quippe divinus Spiritus per *Sapientem* promulgavit, dicens: *Timenti Dominum non occurrent mala, fed in tentatione DEUS illum confervabit, & liberabit à malis. Ecclefiaft.* 33. v. 1. Siquidem quemadmodum quercus

cus altis defixa radicibus nullis ventorum procellis sternitur; ita animam in timore divino solidatam nullus tentationum turbo concutiet. Vel, ut loquitur *Sanctus Chrysostomus* homil. de Fide Annæ, sicut procellarum furorem & insultus Nauclerus suâ peritiâ frangit & eludit; ita timor DEI omnem tentationum tempestatem sua virtute superat.

9. Quippe timor in via Virtutum non se habet, ut timor in via sæculi, timor enim (teste *Sancto Gregorio* lib. 1. moral. cap. 13.) in via sæculi debilitatem generat, secus timor in via DEI, qui fortitudinem gignit; è contra in via sæculi audacia fortitudinem, in via autem DEI audacia debilitatem parit. De hoc sancto Domini timore sic etiam fatur *Sanctus Chrysostomus* serm. de Sancto Joanne Baptista: Solus est timor DEI, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, & omnis boni tribuit facultatem. Imò (teste *S. Diadocho* tomo 5. *Biblioth.* SS. PP. cap. 17.) nemo potest in sensu cordis DEUM amare, nisi priùs toto corde eum timeat; timore enim DEI efficitur, ut anima pura & mollis effecta ad exercendam charitatem se applicet. Bellè proin concludit os aureum *S. Chrysost.* hisce verbis: *Si DEI timorem habeamus, nihil nobis est opus; si verò hunc non habeamus, etsi regnum ipsum possideamus, sumus omnium pauperrimi.* Meritò autem hoc dicit, quoniam ipsa Scriptura testimonium dat, dum eum, qui in timore est, beatum pronuntiat; *Beatus homo qui semper est pavidus.* Proverb. 28. Beatum autem talem autumo, quia semper à Deo misericordiæ suæ oculis respicitur, teste *Psalmistâ* dicente: *Psalm.* 102. *Quomodo miseretur pater filiorum; misertus est Dominus timentibus se.* Iterum beatum existimo, quoniam in cunctis suis petitionibus facilè exaudietur, uti rursus verificat *Propheta Regius*: Psalmo 144. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Beatum denique DEI timentem dicere cogemur; quia felicem mortis horam sperandam & expectandam habet; quemadmodum apertis indicat verbis Spiritus Sanctus per Sapientem *Ecclesiast.* 1. loquens: *Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die obitûs sui benedicetur.*

# PARS SECUNDA.

10. VErùm enim verò, ad hunc salubrem DEI timorem in nobis excitandum tot reperiuntur motiva & incitamenta, ut planè non sat mirandum sit, tot nihilominus reperiri nedum ex sæcularium hominum turba, verùm etiam ex cætu Religiosorum, qui absque omni timore, non secus ac si jam securi & certi de salute sua forent, in bonis dies suos traducunt. Hujus autem cæcitatis ratio est, quia raró & non eà, quâ par est diligentiâ, causas, ob quas in timore & tremore semper versandum nobis sit, perpendunt; Sicque læti sine omni formidine ad portas inferni properant. Quamobrem ut irreparabili huic damno aditum tempestivè præcludamus, neces-

necessarium est, ut DEI timorem in cordibus nostris plantare satagamus: hoc autem fiet, si seriò motiva nunc breviter afferenda attentè ruminare studuerimus. Primum igitur motivum esse poterit consideratio fragilitatis mortalitatísq; humanæ, & periculorum ac laqueorum, insidiarúmque, quibus plena est hæc vita miserrima, & adeò quidem plena est, ut pauci laqueos à nostris hostibus detensos evadant, cùm videamus nonnunquam viros etiam sanctos in hos incidisse. *Vidimus*, ait S. P. N. *Aug* c. 29. soliloquior: *multos, & audivimus à Patribus nostris ( quod sine magno timore non recolo) ascendisse primitus usque ad cælos, & inter sidera nidum suum collocasse; postmodum autem recidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse: Vidimus stellas de cælo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis, & eos, qui jacebant in pulvere terræ, à facie sublevantis manûs tuæ Domine, mirabiliter ascendisse.* Quot eheu! qui ad mensam divinam recumbebant,& panem comedebant Angelorum, eo venêre indigentiæ, ut etiam siliquis porcorum ventrem implere posse desiderarint? Quot castitatis ebore antiquo nitidiores in atros carbones conversi sunt, suóque nitore pristino exciderunt? Quem non perterrefaciant tristia illa exempla, quæ superiùs serm. 21. num. 4. 6. & 7. retulimus?

11. Quis non consternetur lapsu alterius cujusdam Monachi, de quo S. *Antonius* audiens exclamavit: *Hodie magna & alta columna ad terram concidit.* Quis hoc audito non contremiscat? quis sanctitati suæ confidat? quis Religioso nomine tutus erit? Ceciderunt enim, qui te erant meliores, majoribúsque virtutibus ac DEI donis pollebant. Unde monebat S. *Hieron.* in Regul. Monac. cap. de castit. *Nec Sanctior Davide es, nec sapientior Salomone, nec Samsone fortior; hi tamen omnes fœdè prolapsi sunt.* Quin & de Apostolico collegio nonnemo cecidit, cùm tamen tali in loco, sub tali Magistro, inter tales condiscipulos egisset, tales quoque prædicationes & conciones audiisset, tot denique támque illustres virtutes ac miracula ante oculos vidisset. Unus quoque de septem Diaconis, Nicolaus nomine, super quem Spiritus Sanctus non minus descenderat, quàm super alios, postea non hæreticus modò, sed & hæresiarcha, & hæreticorum parens, & author factus est. Quis ergo serpentem illum antiquum non metuat? Si denique oculos in cælum vibremus, videbimus & ibi, quomodo Angeli à summa illa, in qua à Deo conditi erant, eminentia & dignitate exciderint. De quibus loquitur *Job.* cap. 4. v. 18. *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem: quanto magis qui habitant domos luteas,* ( lutum namque facilè dissolvitur ) *consumentur?* Quapropter ne domus nostra, anima, inquam in vitia dissolvatur, & pereat, stylo ferreo inscribamus oportet auream Apostoli sententiam, dum ad *Philippenses* cap. 2. scribens nos sic adhortatur: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Siquidem vel es prævaricator, & malè tibi conscius, vel justus; Si legum transgressor, timere debes, quia lapsus es; Sin verò justus & DEO charus es, metuere iterum te oportet, ne prolabaris. Nam ùt *Apostolus* rursus monet: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*; in lubrico enim ambulamus, & in cadendi periculo continuò versamur.

12.

12. Rodriquez p. 3. tr. 4. §. 5. c. 11. scribit Sanctum quendam Anachoretam, Deo revelante didicisse, quanto in periculo sint, quotquot vitam hanc humanam vivunt, quod cùm identidem consideraret, lugubri pullóque cucullo suam ita faciem obtexit, nihil ut præter terram, quam calcabat, respiceret; nec ullum ex eo tempore hominem alloqui voluit, imò nec oculos à terra unquam avertere, amarè plorans, quòd tam in præsenti periculo assiduò versaretur. Quem cùm deinde multi in cella commorantem inviserent, magnámque hanc in eo morum mutationem mirantes, novitatis hujus ex eo causam, & cur subitò ad tantam extremitatem descendisset, sciscitarentur; iis ille aliud non respondit, quàm: *Sinite me, quia homo sum.* Sciebat quippe Sanctus hic Anachoreta, quàm difficilè sit salvari, quàm verò facilè damnari: dicebat proinde, sinite me periculum, in quo me cerno esse constitutum, ante mentis oculos habere, ut timore & pavore semper plenus hoc evadam, in quo alii non timentes miserabiliter pereunt.

13. O igitur mortalium cæcitas & duritia! qui sciunt & credunt Christi effatum, quòd videlicet *multi sint vocati, pauci verò electi*; & tamen eorum corda omni ferro & adamante duriora nec emolliuntur, nec consternuntur, quò de conditione sua pertimescerent. Sed, quæso, si maximus exercitus esset in campo, & omnibus esset divinitùs revelatum, casurum paulò pòst fulmen, & majorem partem percussurum, nonne omnes gravis metus incesseret? haud dubiè. Cur ergo non etiam nos magno timore percellimur, cùm revelatum sit, plurimam hominum partem æternæ damnationis sententiâ, velut horribili fulmine, feriendam esse? Profectò qui hinc sibi non timet, non tam homo quàm insensibilis lapis censendus est. Legitur in Speculo Exempl. dist. 3. exemp. 3. de quodam Sancto Episcopo, qui quoties tempestas in cælo orta est, ad templum confugit, ibíque in terram prostratus Dominum rogavit, ut generi humano parceret; causam facti verò hanc dedit, quòd Deus tales tempestates permittat, ut homines ad se timendum suscitet, & novissimorum memoriam illis in mentem revocet, cui proin admonitioni sedulò parere nos debemus.

14. Alterum motivum, quo meritò in continuo timore vivere debeamus, est, quia sine peccato, saltem veniali, vivere nequimus. Quàm grave verò vel minimum peccatum sit, dictum est sermone præcedenti. Si ergo Spiritus Sanctus per os Sapientis *Eccli.* 5. loquens ait: *De propitiato peccato noli esse sine metu*; O quanto magis ergo nos timere oportet de peccatis, de quibus scimus, aut nullam aut valde exiguam nos pœnitentiam egisse? Quomodò non etiam metu percelli deberemus de peccatis omni die committendis? Siquidem teste *Salomone Prov.* 24. ℣. 16. *Septies Justus in die cadit.* Impossibile namque est, quemlibet Sanctorum non istis minimis, quæ per sermonem, per cogitationem, per ignorantiam, per oblivionem, per necessitatem, per voluntatem, per obreptionem admittuntur, incurrere, ut notat *Cassianus* coll. 11. c. 10. Nec facilè teste *S. Leone Papa* serm. 4. de jejun. provenit cuique tam incruenta victoria, ut inter multos hostes, frequentésque conflictus, etiamsi sit liber à morte, sit quoque immunis à vulnere. Porrò licèt absque his peccatis collectivè sumptis de via ordinaria vivere non possimus, non tamen ideo excusamur à culpa, quia cum auxilio divinæ

gratiæ possumus vitare singula, & proinde omnia peccata divisim sumpta, ut communis sensus SS. Patrum, & Theologorum contra hæreticos docet. Si ergo labantur Sancti, quid continget nobis, qui à vitæ Sanctimonia, & perfectionis calle adhuc longe absumus? Timere ergo semper debemus, ne Deus in pœnam peccatorum nostrorum manum suam auxiliarem nobis subtrahat, & in majora peccata nos labi sinat.

15. Cæterùm ad hunc timorem nos etiam movere debet exemplum Sanctissimæ Virginis Mariæ, quæ, ut Angelus S. *Birgittæ* (serm. *Angel.* c. 14.) dictavit, dũ in templo Hierosolymitano degeret, non solùm cœpit Deum amare, verùm etiam prudenter timere. Hinc timor Dei erat ejus prima crux; hoc timore semper angebatur non solùm, quomodo peccata declinaret, sed etiam, quomodò actiones suas ritè perageret. Et quamvis omnes suas curas, cogitationes, verba & opera ad Dei laudem dirigeret, semper tamen metuebat, ne forsan in his nævus aliquis lateret. Hinc miseri peccatores (ait Angelus) recogitare deberent, quantam pœnam ob varia peccata sine omni timore patrata sibi congregant, cùm videant, quòd etiam gloriosissima Virgo, quæ absque peccato erat, cuncta sua Deo gratissima opera magno timore peregerit. *Abbas Agathon* moriturus (vit. P.P. p. 2. §. 151.) cùm quæreretur à fratribus, an timeret coram Deo comparere? respondit: Laboravi quidem virtute, quâ potui, in custodiendis mandatis Dei, sed homo sum, & nescio, an placuerint opera mea Deo. Hinc non præsumo de illis, nisi venero ante Deum.

16. Sed & *Arsenius* (Ruffin. in vit. P.P. n. 163.) cùm nullum lacrymandi faceret finem, rogatus, an non cum tot lacrymis securus ad Deum accederet? Respondit: Fratres mei, metuo, & nec momento sine metu fui, ex quo hanc vitæ normam secutus, me Deo consecravi. Quamobrem optimè concludit S. *Gregorius* l. 24. c. 7. dum in hæc prorumpit verba: Quis nostrum vitam præcedentium Patrum valeat superare vel assequi? Et tamen *David* dicit: *Ne intres in Judicium cum servo tuo. Paulus* cùm diceret: *Nihil mihi conscius sum*; cautè subjunxit, *sed non in hoc justificatus sum. Jacobus* dicit: *In multis offendimus omnes. Joannes* dicit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? aut quomodo virgulta stabunt immobilia, si hujus pavoris turbine etiam Cedri quatiuntur? Ex his ergo S. *Doctoris* verbis, amice frater, sat perspectum habes, quemadmodum te continuò oporteat in Sancto Domini timore versari; Insere ergo hunc cordi tuo, insertum verò ne amittas, aut rursùs exarescat, sæpe eum rigare debes, quò indies altiores & firmiores in animo tuo agat radices. Porrò melior & efficacior irrigatio haud erit, quàm accurata Novissimorum consideratio ac meditatio; proinde operæ precium fuerit de his sigillatim in sequentibus tractare.



SER-

# SERMO LIX.

## DE MEMORIA MORTIS.

*Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccli. 7. 40.

## PARS PRIMA.

1. SI mortalium cæcitas atque dementia ex nulla re alia cognosci posset, cognosceretur sanè ex eo, quod videant, audiant, sciant. & credant se morituros, & forsitan hodie aut cras, nihilominus salutem suam non quærant, aut seriò curent; imò, ùt *Ecclesiastes* c. 8. loquitur, *absque ullo timore perpetrant malá*; Imò *lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prov. 2. 14. Talium errori ac periculis quasi compatiens Deus ait: Deuter. 32. 29. *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent*; id est, se brevi morituros fide vivâ crederent. Quid enim, quæso, est vita præsens aliud, quàm cursus velocissimus ad mortem? Quid aliud hujus vitæ gloria, quàm stipula, fumus, nebula, ros, spuma, quæ omnia citò disparent, & per hoc pro nihilo reputantur? Quare *Isaias* c. 4. exclamat: *Omnis caro fœnum, & omnis ejus gloria tanquam flos agri.* Meritò proinde quilibet Christianus deberet totum præsentis vitæ spatium tanquam unam horulam reputare, sicque cum omni conatu & fervore ad felicem mortem sese præparare, sicque rebus transitoriis solùm uti, non verò frui, tanquam eas celerrimè relicturus. Ad quod hortatur *Apostolus* 1. Cor. 7. 31. *Tempus, inquit, breve est, reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes, præterit enim figura hujus mundi.* Ex qua utique consideratione S. *Job* Deum exoravit dicens *Job* 7. 16. : *Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei.* Et rursus: *Paucitas dierum meorum finietur brevi; dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam,* in qua (ut asserit Veritas) fletus & stridor dentium, & tenebræ erunt.

2. Verùm, ideò vita hæc interdum longa videtur, quia adhuc durat, urget, & agitur, sed cùm fuerit terminata, & finis ejus inciderit, apparebit, quàm brevis extiterit. Hinc ut *Dionysius Carthusianus* de 4. noviss. a. 8. discurrit; Si quis mille annis, & quod ampliùs est, ab exordio mundi usque ad hanc horam vixisset, & nunc esset moriturus, totum tempus præteritum videretur sibi tanquam momentum, præsertim dum mentis aciem ad imminentem æternitatem dirigeret. Ideo horum consideratione debemus viriliter opera pœnitentiæ aggredi sine dilatione, præsertim cùm nihil stolidiùs sit, quàm tempus, in quo omni horâ valemus tot bona peragere, ac æternæ felicitatis gloriam, & augmentum ejus mereri, non solùm otiosè, sed & vitiosè consumere. O quam negligentem & fatuum reputaremus negotiatorem, qui omni hora posset centum florenos lucrari, & tamen hoc ipsum negligeret, otioque vacaret, aut certè ultrà hoc suam dissiparet substantiam? Nonne ineffabiliter insipientior esse convincitur, qui cùm omni hora in pretiosissimis Spiritûs Sancti charismatis crescere ac ditari, atque in cælis æternæ felicitatis incomparabilem auge-

re thesaurum possit, non solùm tot & tanta negligit bona, sed insuper nudat, depauperat, lædit, perimit, & condemnat animam suam? Itaque quidquid ad moriendum salubriter reddit nos imparatos, tanquam infernale venenum abhorreamus, ac devitemus. Et econtrà cuncta, quæ ad securum finem disponunt, amplectamur & exequamur.

3. Porro, ad hæc efficienda nihil efficaciùs & nervosiùs esse censetur, quàm frequens mortis consideratio, quia hæc nos à Dei offensis retrahit, dicente *Ecclesiastico*: *Eccli.* 7. 40. *Memorare novissima tua, &c.* Unde astutus serpens diabolus Adamum, totámque ejus posteritatem à sublimi innocentiæ & justitiæ originalis gradu dejicere volens, inaniter se laborare vidit, nisi priùs ex Protoparẽtis nostri corde timorem mortis eradicaret, quẽ Deus illi tanquam culpæ frænum injecerat, dicens: *Gen.* 2. 17. *In quacunque hora ederis ex eo, morte morieris.* Ast sagacissimus inimicus utrique conjugi subtiliter insinuavit, dicens: *Gen.* 3. 5. *Nequaquam morte moriemini; scit enim Deus, quod in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum. Furtim demit mortis timorem*, inquit *S. Basilius, ut legis munimenta deprædetur.* Hâc igitur abolitâ mortis memoriâ peccaverunt Protoparentes, quibus pœnitentiæ spatium indulgens Dominus, ne iterum in culpam corruerent, Adamo antidotum & præservativum contra culpæ virus iterum mortis memoriam præscribit, dicens: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; ambósque pellibus animalium jam mortuorum, & forsitan coram eorundem oculis excoriatorum vestivit: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.*

4. Mortis itaque memoria efficaciter contra peccatum deservit, quemadmodum viperæ mortuæ cinis contra ejusdem morsum antidotum est & remedium: De quo ita scribit *Lactantius Firmianus*: *Viperam ferunt exustam, & in cinerem dilapsam, mederi ejusdem bestiæ morsui.* Et quòd ex viperinis carnibus potentissima contra venenum conficiatur Theriacæ medicina, ipsa nos docet experientia. Ita quoque peccati venenum, nobis mortem inferens, sanatur atque extinguitur; nec non mortiferi hujus serpentis morsus sopitur per seriam mortis considerationem. Placet hac de re subnectere historiam. Quidam Adolescens, cùm immersus esset voluptatibus corporis, adeo terribilia putabat, quæ à Confessario de pœnitentia audiebat, ut multis modis à Confessario propositis, negaret ullum ex his se posse pati ac perferre. Quid faceret Pater Spiritualis? monet ut quartam saltem horæ partem poneret in hac cogitatione: Jacere se in lecto mortuum, brachiis in crucis formam compositis, ad caput apposito ardenti cereo, ad pedes Crucifixi imagine. Paruit adolescens, & adfuit divina gratia, sicq; repente collustratus est, ut conspecta peccati gravitate & fœditate, totus solveretur in lacrymas, moxque peccata ritè confessus vitam emendavit. Ita refert *Marchan*. Hort. Past. l. 2. t. 3. lect. 10.

5. *Beata Margarita* de Corduba, ut *Annales Ecclesiastici* tradunt, lascivam vitam longo tempore in concubinatu traduxerat. Qualiter autem eam ad pœnitentiam divinitus perductam, & tandem ad sublimem sanctitatis gradum sublimatam esse arbitramur? Ipsamet auscultemus Annalium verba: Carnis illecebris dedita, nobili cuidam serviens adhæsit. Cùm is domo secedens catellum secum duxisset, ille solus domum post aliquot dies rediens ac gemens Margaritam veste apprehensam extra domum pro-

protrahere conabatur, quæ admirans catellum ſequitur, donec ad quandam lignorum congeriem veniens catellus ſubſiſtit, ligna reſpiciens, & attingens, quaſi Dominam, ut ea amoveret, monens. *Margarita* itaque cum aliquot ligna amoviſſet, Dominum ſuum mortuum, jámq; vermibus ſcatentem videt, quo ſpectaculo adeò commota eſt, ut anteactæ vitæ pœnitens domum paternam repetierit. Vitam aggreditur valde aſperam, aſſiduis vigiliis, orationibus, jejuniis, cilicio induta, humi cubans &c. Póſtque viginti in auſteritatibus traductos annos obiit ſanctitate & miraculis clara. Ecce tibi præſentiſſimum mortis memoriæ effectum, quæ præſertim valet ad depreſſionem carnalis deſiderii & delectationis. Quamobrem amplectamur conſilium S. *Ephremi* dicentis: Inclinemus nos ad ſepulchra, & conditionis noſtræ occulta perſpiciamus. Ex cadaveribus permixtos oſſium acervos, craniáque carnibus exuſta cum reliquis oſſibus cernemus, & hæc conſiderantes nos ipſos in illis velut in ſpeculo quodam contemplabimur. Ubi juventutis flos, & pulchritudo? Ubi venuſtus ille genarum decor? Hæc nobiscum cogitantes carnis deſideria fugiamus. Ita S. *Ephrem.* de vita ſpirituali.

6. Porrò, ne memoria mortis unquam nobis excidat, lepido quidem ſed myſterioſo facto id ſuadet *B. Jacobonus.* Civis quidam aliquot comparaverat pullos, qui dicto Dei ſervo obvius, ob notitiam, quæ mutua inter ipſos vigebat, ut eos pullos in ædes ſuas deferre dignetur, rogat; votis promptè annuit *Jacobonus*; unde civis ei pullos extradit, tamen cum obteſtatione, ne ſibi in quippiam ſupplantaret. Fidem itaque ſpondet, & recedit *Jacobonus* rectà Eccleſiam petens, ubi dictus civis ſuam habebat ſepulturam, ínque hanc apertam projicit pullos. Domum redux emptor, num quippiam nomine ſuo attuliſſet *Jacobonus*? interrogat domeſticos, qui cùm reſponderent, ſe *Jacobonum* non vidiſſe, eum confeſtim veſtigatum ivit, quem cùm reperiſſet, cum indignatione quærit, quorſum pullos portaſſet? *Jacobonus* reſpondet, ſe eos in domum ſuam, uti optarat, intuliſſe, & ut Civis verbis ejus fidem daret, deduxit eundem ad Eccleſiam, ubi aperto ſepulchro, ſtridor inſonuit latitantium pullorum; tunc *Jacobonus* in ſuam ſubjecit defenſionem dicens: Nonne mihi, ut eos in domum tuam deportarem, juſſiſti? Ecce domum tuam, dicente & atteſtante *Pſalmiſtâ*: *Sepulchrum illorum domus illorum. Pſal.* 48. 12.

7. Ne ergo à vanitatibus hujus mundi abripiamur, & à ſenſilis appetentiæ voluptatibus excæcemur, ignique infernali pabulum fiamus, hanc domum noſtram, ſepulchrum inquam, ſæpe inſpiciamus, in eaque corde & animo habitemus, oportet, conſiderantes nimirum, quomodo corpus noſtrum, quod nunc tam delicatè nutrimus, paulò poſt vermibus in pabulum cedet. Quantum enim talis cogitatio nobis proderit, docet nos quædam Domicella, quæ nullam aliam pœnitentiam in Confeſſione admittere volens, tandem hanc ſuſcepit, ut quoties manus lavaret, ſibi ipſi tacita diceret: Hæc caro vermium eſca erit; nam ubi ſemel eam iterúmque explevit, ſic mutata eſt, ut quam anteà fuerit mali exempli, tam fuerit poſtmodum boni. Porrò ſi tantilla, ſeria tamen, mortis memoria tantam habeat vim & efficaciam ad vitam malam emendandam, qualem ergo effectum non ſperandum habebit, qui quotidie ſeriò recordatus fuerit ſuæ mortis horæ memorare? *Memorare*

*vare* ergo, mi frater, *novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccli. 7. 40.

8. S. *Bonaventura* in Diæt. salut. tit. 7. c. 1. sex ex consideratione mortis ait promanare fructus; & primo quidem loco sequentem assignat, dicens: *Facit peccata fugere; nam sicut latrones timent & fugiunt faciem Judicis, sic vitia memoriam mortis.* Quem in finem S. *Joannes Climacus* scal. parad. gra. 6. id memorat, quod cuidam aliquando accidit Monacho, qui dum aliquando licentiosam laxámque in religione traduxisset vitam, tandem mortali oppressus morbo, ad extrema devenit, jámque per horæ unus spatium anima corpus deseruisse credebatur. Tandem verò sibi restitutus omnes excedere rogavit è cubili. Quo facto portam occlusit cellulæ suæ, in eáque per duodecim solidos, quos vixit superstes, residuos annos remansit, nunquam inde egressus, & quotidie in pane & aqua jejunans, nec ullum proferens verbum. Eodem in loco sessitans, (verba sunt *Climaci*) ea quæ in excessu viderat, ita cogitabundus revolvebat, ut nunquam proprii corporis statum & habitum mutaret, sed semper attonitus, & velut à sensibus avocatus, altóque silentio defixus, calentibus lacrymis inundaretur. Cùm verò jam illi mors immineret, tum nos effractâ januâ ingressi, multáque precati, hoc unum & solum ab illo extorsimus: *Ignoscite, nemo qui mortis memoriam animo infixerit, unquam peccare poterit*; quo nos responso perculsi obstupuimus, admirati tam subitam & beatam vitæ morúmque mutationem & metamorphosin, qui antè ipsius negligentiam noveramus. Unde meritò S. *Laurentius Justinianus* de lig. vit. c. 4. exclamat dicens: *O beata mortis consideratio, quis, quanta per te acquirantur emolumenta, valet intelligere? Quis potest capere, quis propalare? Utilis est tui memoratio ad fugandum vitiorum exercitum; & fugiendos peccatorum laqueos.*

9. *Bellovacensis* in suo speculo morali sequens ad propositum nostrum refert exemplum. Cùm Ecclesia consecraretur, in qua erat Comes sepultus, & deberet inde extrahi propter consecrationem, patefacto ejus sepulchro apparuit immanissimus bufo super faciem ejus, eum corrodens, & alii vermes & serpentes, ad quorum aspectum & horrorem omnes resilierunt, filius autem dicti Comitis juvenis hoc audiens, accessit, & visâ carnis paternæ sanie, & vermium diversitate & horrore, incepit mæstus cogitare de morte, & quam vanæ sint mundi divitiæ, & deliciæ, & honores; unde relictis omnibus fugit, cogitans se beatum fore, si pauper fieret pro Christo. Unde venditis omnibus, quæ habebat, & inter pauperes distributis, Romam accessit, ubi factus est carbonarius, postquam priùs conscientiæ suæ statum Cardinali cuidam manifestasset, quo deinceps usus est Confessario. Post multos verò annos, postquam in domum ejusdem Cardinalis carbones attulisset, ibidem ad mortem usque infirmatus est, susceptísque omnibus Ecclesiæ Sacramentis, sanctissimo fine vitam suam clausit, omnibus urbis Romanæ campanis ultrò, & sine ullius hominis adhibita ope, quaquaversum statim post ejus obitum circumsonantibus. Quòd cùm Summus Pontifex vehementer admiraretur, Cardinalis præfatus eidem insignia defuncti merita manifestavit. Consideravit itaque nobilis hic juvenis id, quod olim in hæc verba prædicavit S. P. *Augustinus* serm. 48. ad Frat. Post mortem vermis nascitur

nascitur tibi de lingua pro peccato linguæ; de stomacho pro peccato gulæ; de spermate renum scorpiones pro peccato luxuriæ; de cerebro bufones pro peccato superbiæ. Subditque idem S. *Doctor*: Memorare novissima tua, O juvenis, qui floridè ambis & pergis capite elevato, cuncta quæ sunt DEI despiciendo. Memorare novissima tua, qui à terra es, & in terram ibis. Non est dubium, quin sensualitati nostræ difficilis & ardua sit illa Christi sententia: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et tamen si benè & seriò mortis frequentemus memoriam, onus hoc leve nobis efficietur & suave.

# PARS SECUNDA.

10. VErum enim verò, quamvis meditatio mortis, juxta sensum explicatum, valde multum nos juvet ad peccata vitanda, nimirum, quia teste *Philosopho*, *omnium terribilium terribilissimum est mors*, & ideo sub hac ratione multùm metuenda ob extrinsecos seu corporales dolores tunc imminentes; veruntamen prædictos fructus efficaciùs adhuc causabit memoria mortis, quantum ad statum animæ; si nimirum considerentur interni dolores animæ, ac dæmonum infestationes. Profectò, si angustias illas, quas nobis afflabunt hostes tartarei, pensiculatè examinaverimus & tractaverimus, non dubium, quin magno metu perculsi, à vitiis & peccatis nos abstenturi simus, soliciteque ea, quæ nos ad vitam promovent æternam, amplexaturi. Dilectus Christi Discipulus in sua *Apocalypsi* 12. 12. dicit: *Descendit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Callidissimi atque nequissimi hostes animarum nostrarum dæmones, agnoscentes mortem esse terminum merendi & demerendi, & animas in ea affectione, in qua per mortem recedunt à corporibus, immutabiliter permanere, in ipsa hora mortis acerrimè tentant agonizantes. Quosdam enim conantur ad desperationem inducere, eos præsertim, quorum conversatio fuit negligens & iniqua; alios verò nituntur ad complacentiam sui immoderatam, atque ad nimiam securitatem & præsumptionem suorum meritorum trahere, & sic solent quosdam Religiosos, ac bonos sæculares tentare. Denique ut breviter perstringamus, nihil insidiarum prætermittunt versutissimi hostes, quò animas nostras, si non hoc aut illo dolo & astu v. g. desperatione, aut Superbiâ, vanâque complacentiâ, saltem aliis, iterúmque aliis tentationum assultibus, à DEO abducant, & ad inferni abyssum præcipites agant.

11. Sicque, ut omnium sæculorum docet experientia, infernalis hic impostor in mortis momento suam vel maximè exercere solet rabiem atque furorem non modò contra impios, sed etiam contra quoscunque perfectos, quia, ùt in *Jobo* 40. 18. scribitur: *Habet fiduciam, quod influat Jor-*

*danis in os ejus.* Sic de Cunone, Arcis Malburgensis quondam Domino, traditur in Speculo Exemp. tit. mors, exemp. 18. quod, postquam per 40. annos juxta sæculi leges liberiùs vixisset, tandem senio appropinquans religiosum fuerit amplexatus statum, in quo adeò in perfectionis studio profecit, ut cælesti præmio dignus, visus DEO fuerit. Cùm ergo mortem, quam triduo antè prædixerat, Sanctè obiisset, eo tempore dæmon mulierem obsessam relinquens, & post reversionem suam quæsitus, ubi fuisset? Respondit, se cum aliis quindecim millibus commilitonibus suis in Cunonis cella fuisse, omnésque adversùs eum exeruisse vires, sed Monachorum circumstantium precibus impeditos, nihil efficere potuisse. B. quoque *Joannes Taulerus* post mortem suam viro cuidam gloriosus apparuit, dixítque, se in mortis agone à dæmonibus in eas fuisse angustias conjectum, ut propè desperarit, nisi ab Angelis advenientibus adjutus & confortatus fuisset.

12. S. *Eusebius*, clarissimus S. *Hieronymi* discipulus, duabus horis ante mortem tam horrendos actus exercuit, ut circumstantes præ timore in terram conciderent; nam quandoque transversis oculis, junctis manibus, facie terribili, diráque voce clamabat: *Non faciam.* Mox: *Adjuvate me, fratres, ne peream.* Interrogatus cur ita clamaret? Dæmones terribili aspectu ad blasphemiam invitantes astare dixit. Quare iterum priores clamores repetens, tandem à S. *Hieronymo* adveniente liberatus est, ad quem cùm dixisset: Cur tamdiu moratus es Pater? Respondit ille intelligibili voce: ne formides fili, non te deseram, quem tantùm diligo. Quâ voce recreatus paulò pòst exspiravit, & cæco cadaver ejus tangenti visum restituit. De S. *Martino* solemniter canit Ecclesia: *O virum ineffabilem; O Sanctissima anima; Trium mortuorum suscitator!* Et nihilominus inimicus infernalis eundem quoque oppugnare præsumpsit. Imò quod ampliùs est, ad ipsum etiam Salvatorem nostrum accedere temerario ausu præsumpsit, sicut ipse testatur: *Joan.* 14. 30. *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non invenit quicquam.* Circa quem Christi cum diabolo in deserto conflictum novam quandam circumstantiam à S. *Matthæo* suppressam insinuat S. *Lucas*: *Luc.* 4. 13. dum ait: *Et consummatâ omni tentatione diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Verùm per hoc tempus intelligunt Sacri Interpretes tempus mortis, in quo denuò ad eum tentandum accessit. Audiamus *Bellovacensem*, qui adductâ Glossæ authoritate ita scribit: *Domino in cruce passo, diabolus, quo movente crucifixus erat, advenit quærens, si quid peccati in eo forsitan inveniret. Quis ergo tunc*, subjungit idem Author, *poterit, aut debebit esse securus, si ad mortem ejus, qui essentialiter bonus est, qui suâ morte benedictâ mortem nostram destruxit, advenire præsumpsit?*

13. Ulteriùs, quod memoriæ subit, silentio prætereundum non est, nimirum quod refertur de S. *Philippo Benitio*, hic cùm ultimam præsentis vitæ periodum conficeret, Sacras Litanias recitavit, prolatisq; verbis: *Peccatores, te rogamus audi*

*audi nos*, ſtatim ſic viribus defecit, ut à circumſtantibus omnino crederetur extinctus. Poſt trium horarum ſpatium collectis ſpiritibus, Eheu, exclamat, eheu! Ah! Fratres chariſſimi, quam terribilis, quam atrox conflictus eſt, cujus in mortis articulo experimentum facere cogimur! Sciatis, me coram divino Tribunali ſummo fuiſſe periculo expoſitum, ſubjecerunt enim oculis meis tranſacta peccata dæmones, omnéſque exercuerunt vires, ut me in ſalutis deſperationem deturbarent. Philippus erat Sanctus, cilicio etiam in extremis indutus; gerebat ipſe candidum illibatæ virginitatis lilium, innocentiſſimam vitam duxerat, Sol, & ſal terræ erat, in cujus occurſum ſeſe innumeri effuderunt populi, hymníſque exceperunt exclamantes: *Beatus, qui venit in nomine Domini.* Et tantæ ſanctitatis vir, impendente mortis articulo, tentatur deſperatione? & non vanâ gloriâ & complacentiâ heroicorum facinorum? Ah! ah! peccator miſerrime! Ah quàm horrendas tentationes experiêris, quantæ periculum deſperationis manebit? Ah! qualis tunc tibi erit animus, quando circa lectum tuum legiones dæmonum paratorum animam tuam ad inferos conducendam conſpicies? An non lacrymabundus cum *Propheta* clamabis: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me?* Pſal. 17. 5.

14. Denique quod mortem valde terribilem reddit, eſt, quod tunc diabolus non ſolummodis occultis (quemadmodum tentare ſolet homines communiter, dum ſani ſunt) agonizantes ſubruere laboret, verùm, etiam aperto marte, videlicet ſuam formidabilem formam eiſdem objiciendo, adverſus eoſdem dimicet, eóſque debellare, ac in ſuam pertrahere naſſam omni vi contendat. Docet enim *Dionyſius Carthuſianus* de 4. Noviſſ. quod unicuique morienti (excipit BB. Virginem) malignus ſpiritus in ſua turpiſſima ſpecie appareat. Hoc autem tam horribile & pœnale eſt, ut aliqui hoc experti teſtati ſint, ſe malle ardentem fornacem intrare, quam diabolum in ſua deformitate conſpicere. Profectò ſi eâ, quâ par eſt, mentis indagine penſaremus, quid circa noſtram animam in illa terribili mortis hora agetur, quamque vehementer & aſſultim eam hortes tartarei anguſtiabunt, eámque ad tartara ſecum rapere tentabunt, non ità ad peccata & vitia proni & cerei eſſemus. Hæc ergo, amice frater, diligenter & frequenter memorare, & in æternum non peccabis.

# PARS TERTIA.

15. QUamvis multi præſtantéſque numerentur fructus, quos memoria mortis parturit, uti ſufficienter hactenus explicatum. Veruntamen inter reliqua etiam ex meditandæ mortis exercitio redundantia ſpiritûs emolumenta, hoc apprimè cenſeri debet, quod inſinuat S. *Cyprianus* in hæc verba: Non eſt dignus in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum; ita nullus hoc ſolatium plus ſperare poteſt, quam qui frequenter ejuſdem memoriam renovavit. Videmus enim non rarò, quod ſervi DEI mor-

mortem (etsi cunctis aliis multùm formidabilem) velut intimum & desideratissimum amicum suum excipiant, utpote quam sciunt esse januam, per quam justus quilibet pertransire debet, si pertingere optat ad æternam requiem. Unde divinus Spiritus per *Sapientem* 4. 7. testatur: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Meritò ergo virtuosi homines solent mortem optare, in quantum est terminus & finis miseriarum & culparum vitæ præsentis, ac janua futuræ beatitudinis. Cur enim mortem timerent, cùm nihil in hoc mundo illicitè ament, universásque sæculi vanitates, voluptates, opes, honores ac prosperitates pessundent ac aspernentur? Proinde rectè ardenti affectu ad beatificam DEI sui visionem aspirant, atque cælestium delitiarum, & æternalium divitiarum desiderio inardescunt cum *Propheta Regio* identidem illud ingeminantes: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS. Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem DEI?*

16. Ex tali affectu dixit S. *Paulus Apostolus* Rom. 7. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Id est de corpore isto mortali ac ærumnoso. Sic suspirare solent viri Religiosi Deum timentes, dum imminet illis mors, non nescientes mortem esse bonam Justo propter requiem; meliorem propter novitatem; optimam propter securitatem, ut locutus est *Sanctus Bernardus*. Hinc *Apostolus* 1. *Thessal.* 4. 12. eos, qui in amicitia DEI, & cum spe salutis æternæ moriuntur, dormientes appellat: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus*, & statim subjungit: *Si enim credimus, quod JESUS mortuus est, & resurrexit; ita & DEUS eos, qui dormierunt per JESUM, adducet cum eo.* S. *Hieronymus* Epistola 29. ad Theodorum ita scribit: Neque enim mors, sed dormitio & somnus appellatur; unde & B. *Apostolus* vetat de dormientibus contristari, ut quos dormire novimus, suscitare posse credamus, & post digestum soporem vigilare cum Sanctis.

17. *Surius* de *Sancto Hugone* Episcopo Lincolniensi in Anglia refert, quod meditando mortem, electis transitum esse ad vitam æternam, eandem amaverit, suámque nativitatem appellaverit, & diem misericordiæ & gratiæ DEI, eò quòd sublime DEI beneficium sit, quod mortem nobis evenire faciat, ut tantum bonum consequi valeamus. B. *Catharina Adorni* dulcibus & suavibus verbis morti abblandiri solebat frequenter dicendo: *O mors dulcis, gratiosa, suavis, opulenta, digna, fortis & speciosa; unicum duntaxat invenio in te defectum, scilicet quod te fugientibus præsentiam tuam nimis benignè exhibeas, te verò sequentibus & desiderantibus nimis avara existas.* Mortem cum falce depingi nemo ignorat. Cur autem non potiùs manibus ejus telum, fulmen, lancea, aut gladius affingitur? Respondet *Josephus Mansi* tr. 50. disc. 34. ideo quia falx instrumentum est ad demetendum granum, quod postmodum in granario reponitur, frumentum autem symbolum est Electorum, granariúmque figura cæli, dicente Salvatore: *Triticum autem congregate in horreum meum*: *Matth.* 13. 30. Si itaque frumentum, non verò palea fuerimus, mors in transitu nostro, qui messis est tempus, nos colliget ad paradisi granarium.

18. Quamobrem adveniente mortis hora bonis & timoratis canendum potius quam plangendum esse, quis infi-

ciari audet? Dicit enim *Sapiens*: Ecclef. 2. 14. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Mors quippe est fertilis quidam animarum sanctarum autumnus; Nam ùt dicitur in libro Sapientiæ: *Bonorum laborum gloriosus est fructus. Dicite igitur justo, quoniam benè.* Sap. 3. 15. Unde S. *Chrysost.* T. 1. hom. 5. ad Pop. lætitiam exponere volens, quâ propter mortem perfundendi sumus, sequenti utitur aptâ similitudine dicens: Dic quæso, si quis te in regias duxisset aulas, & de parietibus aurum undique fulgens, & omnem alium ornatum tibi demonstrasset, postea te inde in pauperis casam induxisset, & post breve tempus in regias reducturum aulas, & perennem ibi mansionem se tibi daturum esse promisisset, nunquid non deberes affici desiderio, & vel ipsos paucos dies ægrè ferre? Hoc quoque de cælo, & de terra cogites, & ingemisce cum *Paulo* non propter mortem, sed propter præsentem vitam. Hanc ipsam doctrinam ante *Chrysostomum* jam perspectam habebat Magnus Ecclesiæ Doctor, & pœnitentiæ speculum *D. Hieronymus*, quem jam agonizantem *Eusebius* ejus discipulus præ nimio gaudio exultabundum, vultúque hilari exclamasse refert de morte *S. Hieron.* Cesset mœror, luctus abeat, sit omnium gentium una vox: Quoniam ecce tempus acceptabile, ecce dies jubilationis, & lætitiæ præ omnibus diebus vitæ meæ, in quo fidelis Dominus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis aperit manum suam, ut meam exulem animam hucusque in carcere mortis hujus ob reatum mei Genitoris *Adæ* detentam revocet ad supernam patriam, recuperatam sui Filii sanguine pretioso.

19. Pariter *S. Franciscus Seraph.* morti vicinus, quantumvis acerbissimis agitaretur spasmis, nihilominus cantabat, & circumstantes similiter ad cantum invitabat; Cúmque Frater Elias eidem Sancto assistens, tempus in planctu & pœnitentia insumendum esse admonuisset, respondit *Seraph. Pater*, non licere sibi aliter facere, cùm sciret se brevi cum Deo fore. *Sanctus* quoque *Petrus de Alcantara* in mortis momento genibus flexis totus festivus in hæc scribitur prorupisse verba: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Noster *S. Nicolaus Tolent.* sex ante mortem suam mensibus extraordinariâ paradisi meruit repleri suavitate, cantus vero inaudiens angelicos, quibus adeò illicebatur, ut quasi extra se raptus exclamaret: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Inque suo ex hac vita transitu totus lætus, & jubilo plenus, JESUM Christum, Sanctissimæ suæ Matri, Sanctóque Patri Augustino innixum se his audiit invitantem verbis: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Neque hìc omittendum, quod in vita *Cardinalis Baronii* in hæc legimus verba: Cùm admoneretur à Medico, ut ab assidua illa mortis meditatione temperaret, ne scilicet eâ ratione illam accerseret aut acceleraret; Quidni ego, inquit, de morte cogitem? Numne timere me putas illam, cum qua quotidie familiariter ago & loquor? Apage sis, haud equidem timere illam possum, quam ut sororem charissimam diligo. Quapropter Psalmista in ecstasi quadam ad alteram vitam transitum meditans, exultabundus in hæc prorumpebat verba: *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.* Ps. 117. 19. Quam enim portam sibi patere voluisse existimamus *Davidem*? Non aliam certè, respondet *Sanctus Pater Augustinus* ibidem 2. Timoth. 4. 8. quam mortis. Meritò autem hæc porta justitiæ appellatur, quia ut dice-

dicebat *Apostolus*: *Cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona Justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus Judex.* Prosequitur autem *Regius Propheta* dicens: *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.*

20. Verùm enim verò benè hic notandum venit, quòd, quamvis nonnunquam virtuosi & sancti homines infeliciter secundùm externam apparentiam obeant, utpote qui subitaneâ morte è vivis decedunt, vel à bestiis devorantur, vel acres sustinent conflictus cum inimico in ultimo illo mortis agone, non tamen eorum mortem minùs felicem esse credamus oportet; quia quamvis subitanea justum mors opprimat, nunquam tamen improvisa, siquidem virtuosè vivens semper mori paratus existit. Quis unquam secundum externam apparentiam infeliciùs mortuus fuit ipsomet Dei filio, qui in monte Calvariæ, loco supplicii publici, in multorum ignorantium opinione quasi desperans, mortuus fuisse credi potuit, dum illa verba pronuntiavit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matth.* 27. Unde *S. Antoninus* p. 1. tit. 5. c. 1. §. 5. probat Christum in ordine ad mortem, quæ in conspectu mundi fit, nullum habere servorum suorum etiam charissimorum respectum: ita enim scribit: Cùm ipse unigenitus morte acerbissimâ & ignominiosissimâ fuerit condemnatus tantò membra ejus, quæ sunt electi, efficiuntur illi similiora & pulchriora, quantò horribibiliùs & pænosiùs mortem subierint; Qui enim non pepercit Filio (ait *Bernardus*) figmento non parcet. Non pepercit Baptistæ, sed permisit eum decapitari pro saltu puellæ; nec Petro primo Pastori sibi dilectissimo, quin à pessimo tyranno Nerone crucifigeretur. Ad hoc facit, quod narrat *Robertus Holcoth* sup. lib. *Sapientiæ*, quod scilicet quidam doctus vir & sanctus mortuus in studio suo fuisset repertus, & cùm ex hoc plurimi scandalizarentur de ejus subitanea morte; invenerunt manum illius defuncti, seu digitum in quodam libro aperto tangentem in versum: ubi dicitur: *Justus quacunque morte præventus fuerit, in refrigerio erit. Sap.* 4. Ex quo consolati & ædificati sunt plurimùm. Hactenus *Sanctus Antoninus.*

21. Porrò, malum hunc conceptum, quem nonnulli videntes, homines virtuosos & perfectos miserabiliter mori, sibi formant, diu antè S. P. *Augustinus* tom. 9. de discip. Christiana cap. 12. his verbis abigere molitus fuit, dum ait: Hæc tibi videtur mala mors naufragio perire, gladio percuti, à bestiis laniari? Nonne has mortes Martyres subierunt? Oculos fidei interroga: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Id age, ut bonam vitam habeas, & quæcunque occasio fuerit, ut exeas ex hoc corpore, exis ad requiem, exis ad beatitudinem. Ita S. P. Cæterùm cur animæ electæ nonnunquam in extremo mortis articulo graves patiantur angustias, cùm tamen magni peccatores in oculis mundi hujus tranquillè ex hac vita transeant, assignat *Bellovacensis* spec. moral; lib. 2. part. 1. dist. 3. dum ait: Lazarus pauperem vitam ducendo, mortem duram & miserabilem sustinendo purgatus est, quasi diceret; ideo DEUS justis in mortis articulo similes tribulationes immittit, ut si fortè aliquo culpæ venialis reatu obnoxii sint, ab eo per similes angustias perfectè purgentur. Subdit quoque dictus Author: Similiter virum DEI missum ad Jeroboam in Bethel, Leo prop-

propter culpam inobedientiæ purgandum occidit, quem purgatum in morte ultrà tangere non præsumpsit, quin potiùs tam ipsius mortui, quam ipsius asini custos fuit. Non igitur mirari debemus, si justos durè mori, & impios transire leviùs audiamus, quoniam justo Dei Judicio quandoque durè moriendo purgantur in hoc mundo, ne puniantur acriùs in futuro. Vide aliquot exempla hanc doctrinam confirmantia. Serm. 29. num. 25. & 26.

22. Verùm, ut præsentem discursum claudamus, pro coronide quæri potest, an sicut non licet sibi mortem inferre, ita etiã eam non liceat sibi optare? Respondetur non licere, sibi eam optare ex impatientia, desperatione, aut alia passione inordinatâ. Unde certum est graviter peccare, qui ob corporis, fortunæ, aut animi incommoda, & ærumnas à Deo vel immissas vel permissas, diris se devovent, mortem sibi imprecantur, aut probibus, quid inter homines hujus sæculi frequentissimum est. Respondetur 2do Licere sibi mortem desiderare ex aliquibus causis & rationibus, quarum una est, ut labores & ærumnas, quas vita hæc mortalis includit, ejus adminiculo effugiat; Nam, ùt ait *Sapiens*: Eccli. 30. 17. *Melior est mors, quam vita amara.* Sic videmus sæpe à mundanis etiam mortem optari, & omnibus votis à Deo desiderari: quod etiam sine ullo peccato fieri potest. Sæpe quidem, ùt insinuatum, mundani homines in hoc peccant, quod mortem non debito modo à Deo postulent, quia nonnisi queritabundè expostulando, & cum impatientia eam appetunt; sed si pacificè & cum plena sui subjectione eam peterent, peccatum non esset.

23. 2do Majori perfectione mors desideratur, quando quis eam optat, ne Ecclesiæ mala & persecutiones, & continuas, quæ in Deum Optimum Maximum committuntur, injurias videat. Sic legimus de multis Sanctis, quid ex hoc motivo mortem à Deo postularint, & impetrarint. Tertia, eáque etiam bona multæq; perfectionis ad mortem optandam, & à Deo petendam, causa & ratio est, quod à morte eum non amplius sumus offensuri, sed à peccando planè immunes & securi erimus. Majoris autem adhuc perfectionis est, si quis dissolvi cupiat, ut venialia etiam peccata, imò imperfectiones & defectus evitet, & hac de causa mortem optare, ne videlicet venialia, aut leves defectus, imperfectionésque admittat, insignis puritatis intentio, & magnæ perfectionis argumentum est. Porrò, diutiùs hic vivere optare, ut pro culpis & delictis suis quis faciat satis, laudabile id propositum est, quia tamen plerumque novas semper culpas addimus, ideo potiùs mors, quam vita eligenda foret ex mente *Joannis Avilæ*, insignis vitæ spiritualis Magistri, qui dicebat, ei etiam, qui nonnisi mediocrem dispositionem haberet, mortem tamen potiùs desiderandam videri, quàm vitam; idq; ob assiduum, in quo degimus, peccandi periculum, quod omne post mortem tollitur. Unde præclarè *S. Ambrosius* dixit: de bono mortis c. 4. *Quid est mors, nisi sepultura vitiorum & virtutum suscitatio?*

24. Cæterum, quamvis omnia hæc desiderandæ mortis motiva bona sint, tamen omnium perfectissimum videtur illud, quod *S. Paulum* ad eam optandam incitabat, ut nimirum Christum videret: *Desiderium*, inquit, *Philip.* 1. 23. *habens dissolvi, & esse cum Christo.* Non cupiebat à corpore hoc mortali liberari, ut labores & adversitates hujus vitæ effugeret, ait enim ad *Rom.* 5. *Gloriabor in tribulationibus.*

*bus* ; Neque etiam, ut à peccando esset tutus, ait enim iterum *Rom.* 8. 38. *Certus sum quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Erat enim jam tum in gratia confirmatus. Quare ergo tantoperè ad mortem aspiravit? ut esset cum Christo: ex puro scilicet amore mortem desiderabat, quia ad amatum suum anhelabat: Hinc ei omnis mora & dilatio, quamvis exigua, longa videbatur, quò dilecti præsentiâ frueretur. Sic *S. Ignatius* Societatis Jesu Fundator, ut refert *Rodriquez* p. 1. tr. 8. c. 10. mortem desiderabat, quod desiderium tantum ei gaudium peperit, ut cum de sua morte cogitaret, lachrymas inhibere non posset, quas è puro gaudio, & amoris dulcedine oculi ejus distillabant. Quamquam non tam ad mortem anhelabat ob beatitudinem propriam, quàm ut Sacratissimæ humanitatis filii Dei gloriam conspicaretur, non sui commodi & quietis propriæ intuitu, sed ex puro erga Christum amore. De gloria scilicet ejus gaudere & exultare cupiebat, eique de eadem congratulari. Hic altissimus & perfectissimus amoris divini est gradus, ad quem homo queat pertingere. Atque hoc modo mortis memoria non solùm amara nobis non erit, sed etiam mirè nos recreabit, & gaudio adimplebit, quia tunc nobis mors janua erit, per quam ad cælestem hæreditatem admittemur, ut testatur *Psalmographus* dicens: Ps. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, Ecce hæreditas Domini.* Hæc de præsenti materia dixisse sufficiat.

# SERMO LX.

## DE JUDICIO FINALI.

*Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Hebr 9. 27.

## PARS PRIMA.

1. POstquam *S. Paulus* Hebræos, & nos omnes commonitos esse voluit, singulis nimirum *hominibus statutum esse semel mori*, siquidem quotidie experimur verissimum esse illud: 2. *Reg.* 14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur*; Mox subjunxit: *Post hoc autem judicium.* Hoc porrò judicium tam tremendum & horrendum erit, ut miser peccator inferni pœnas ad tempus sustinere potiùs eligeret, quàm comparere in judicio, uti *S. Job* 14. 13. disertis omnino verbis testatur dicens: *Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus:* De *S. Teresia* refertur, cum Christus Judex in pulcherrima luce se illi spectabilem exhibuisset, & quædam venialia peccata ostendisset, tanto pudore suffusa est ex eorum aspectu, ut pœnas inferni tolerabiliores esse putaret, & undequaque quæreret, quo se absconderet. Si sic confundebatur tam S. Virgo ob aliquos

quos leves defectus, in quali non confusione coram judice astabit miser peccator, quando suorum scelerum deformitatem & turpitudinem perspectissimam habebit?

2. S. *Vincentius Ferrerius* de quodam juvene, qui quantum erat pulcher aspectu, tantum moribus & conversatione turpis & deformis erat, refert, quod nocte quadam, se coram tribunali Dei, ad reddendas vitæ suæ rationes præsentandum mox esse, somniando, adeò exhorruerit, ut sequenti diluculo omnes capilli capitis ejus perfectissimè incanuerint. Hic igitur Judicium extremum in somnio duxtaxat apprehenderat, & tamen tantoperè exinde exhorruit, ut in unica nocte instar decrepiti senis canitiem toto capite induerit; quid igitur futurum esse dicemus, quando Christus, supremus & implacabilis Judex, ut reprobos horrore & pavore adimpleat, in hoc præceptum prorumpet: *Irruat super vos formido & pavor in magnitudine brachii mei. Exod.* 15. 26. Quando eo modo, quo describitur in *Apocalypsi* c. 1. *Angelus D. Joanni*, ei Apocalypsim dictaturus apparuit, adeò S. hic *Evangelista* exhorruit, ut ceciderit ad pedes ejus tanquam mortuus. Quod similiter accidit *Danieli Prophetæ*, qui, quantum ad conspectum Angeli, sibi apparentis, extimuerit, ipse testatur dicens: *Dan.* 10. 8. *Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.* Ex quo *Bellovacensis* spec. moral. l. 2. dist. 5. sequens format argumentum: Nota, si tam Sancti, tam chari amici Dei, tam innocentes & Virgines, scilicet *Joannes Evangelista & Daniel*, viso unico Angelo tanquam mortui ceciderunt; cùm tamen Angeli illi mitterentur ad eorum consolationem, quid facturi sunt in judicio peccatores, videntes tot Sanctos & Angelos missos ad eorum confusionem & condemnationem?

3. Narrat apud *Drexel.* l. 2. c. 9. §. 1. in Christ. Trib. vir Religiosus è *D. Francisci* familia Raphael de Columba; Philippum Secundum Hispaniarum Regem, cùm rei divinæ interesset, duos è suis Magnatibus sibi vicinos familiariùs inter se fabulantes audiisse, & dissimulasse. Redeuntem verò in conclave illos ipsos atroci vultu notasse, ac dixisse: *Vos duo in conspectum meum non amplius venite.* Ita illos hæ solum voces perculerunt, ut alter mærore sensim contabuerit, alter stupido & attonito similis in omnem vitam manserit. Si vox humana hominem non summi flagitii sibi conscium tantoperè fulminet; quis pavor, dolor, terror incutietur reo, cùm non Rex Hispaniarum, sed Rex cæli & terræ in gloria & majestate sua conspicuus & ad reprobos, [cujus ipsi sanctam legem, & pretiosissimum sanguinem, pro animarum suarum redemptione effusum toties conculcarunt & contempserunt] conversus terrificum illud pronuntiabit: *Recedite maledicti*, nec amplius in conspectum meum venite, ad ignes æternos abite.

4. Verùm enim verò hic reproborum terror & confusio mirum in modum augebitur ex eo, quod nimirum Deus eorum peccata & scelera, quamvis occultissima, in conspectu omnium manifestaturus sit. Id quod *Nahum Propheta* 3. 5. prædixit, dum in nomine tremendi hujus Judicis ait: *Ecce ego revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* *Bellovacensis*, lib. 2. dist. 7. ut infinitam, quæ in extremo judicio reprobos obruet, ubi õnia sua peccata propalata viderint, expri-

exprimat ignominiam, hâc sequenti u-
»titur similitudine: Attende, quantâ ve-
»recundiâ suffunderetur honesta mulier
»& pudica, si corā hominibus totius regni
»in suam ignominiam nudaretur, reverà
»præ nimia confusione deficeret, adhuc
»longè magìs horreret, si multa fœda &
»enormia in secreto cordis ejus jacentia
»coram omnibus divulgarentur; quanto
»igitur incomparabiliùs, imò ineffabi-
»liùs quælibet anima confundetur, quan-
»do corpus omni deformitate turpius, &
»omni fœtore fœtentius omnibus osten-
»detur? Adhuc longè vehementiùs, quia
»cuncta ejus horrenda flagitia omnibus
»reprobis hominibus, & dæmonibus nu-
»dabuntur: Adhuc etiam horribiliùs,
»quia ab omnibus bonis Angelis & ho-
»minibus videbuntur, sed inæstimabiliter
»intolerabilius se videri à summo Judice
»confundentur, juxta illum *Jeremiæ* tex-
»tum: *Confundentur vehementer, quia non*
»*intellexerunt opprobrium sempiternum,*
»*quod nunquam delebitur.* Jerem.20.11.

5. Ad quod intentum idem Author quendam recenset ex vitis Patrum desumptum successum, quem etiam refert *Dionysius Carthusianus* de 4. Noviss. art.30. sc. sequentem. Adolescens quidam in ætate florida vitam profiteri desiderans monasticam, à sancti propositi executione per Matrem dissuadebatur, cui ille constanter obstrepens, repetebat identidem: *Volo salvare animam meam.* Sicque tandem effectus est monachus, sed in Monachatu conversatus esse negligenter. Cúmque post obitum Matris suæ ipse in gravi ægritudine constitutus, factus esset quadam die in mentis excessu, raptus est ad Judicium Dei, invenítque matrem suam cum his, qui judicabantur. Quæ viso filio suo obstupuit, dicens: Quid est hoc, fili, quod & tu in locum hunc condemnatus venisti? Ubi sunt verba, quæ protulisti: *Salvare volo animam meam?* Qui confusus ex verbis Matris præ dolore stupidus factus stetit confusus, non habens, quid Matri propriæ responderet. Postea Deo miserante à sua infirmitate curatus, cogitavit factam sibi esse divinitùs illam visitationem ac visionem. Idcirco de cætero se inclusit, sedens & solicitè cogitans de sua salute, déque priori sua negligentia pœnitens, ac eam deplorans. Tanta autem seriositas & compunctio ejus fuit, ut multi eum rogarent, quatenus paululum de rigore suo laxaret, ne ex nimio fletu, quem sibi indixit, aliquam incurreret læsionem. Ille autem nullo modo voluit consolari, sed dixit: Si improperium Matris meæ non potui sustinere, qualiter in die Judicii potero confusionem Christi & Sanctorum Angelorum adversum me tolerare?

6. Et sanè ipsâ experientiâ teste, quanto non suffundimur rubore, si coram personis gravibus nostra detegantur peccata, præsertim carnalia, quorum testes noctem duntaxat adhibemus & tenebras? Quanta igitur infamia erit, quando eadem in Dei, Angelorum, Sanctorum, totiúsque generis humani conspectu manifestabuntur?

Neque hæc reproborum erubescentia & confusio minuetur vel abscondetur ex eo, quod eorum innumerabilis futura sit multitudo; ac proinde haud cujusvis in particulari peccata sigillatim ab aliis considerari seu notari posse, forsan quis credet. Monet enim *Ecclesiasticus* Eccli. 16.16. dicens: *Non dicas, à Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? in populo magno non agnoscar, quæ est enim anima mea, in tam immensa creatura?* Et si quis fortè tale quid sibi persuaderet, huic vanæ fiduciæ vir quidam illuminatus [ut refert

refert *Josephus Mansi* tr.41.disc.16.n.6.] respondet dicens: *Agnosceris, nec abscondi poteris. Tu solus ante Judicem stabis.* Etenim virtute divinâ de unoquoque in singulari judicium fiet, haud secus, ac si solus ipse ex infinita illa multitudine judicandus & examinandus foret. Unde nullus tunc refugium sperare poterit, ut ab hac confusione se eximere valeat; *Non erit*, ait *S.Bernardus*, ser. de verbis Abacuc. *in quo lateas misera, anima, frustra dices montibus, cadite super nos, & operite nos, nudam & apertam oportet te stare ante Tribunal Christi.* Nam ût *S. Paulus* ait: 2. Cor. 5.10. *Omnes manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit.* Sint ergo actiones nostræ exemplares, sint regulatæ secundum normam legis Dei, hic enim unicus est modus, quo nos ab omni confusione eximere valemus. Hoc modo se *David* tuebatur, ideóque inquit: *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.* Psal. 118.6.

# PARS SECUNDA.

7. NOta est omnibus illa historia quam refert *Ludov. Gran.* 3. conc. Dom.2. Advent. Quòd duo quidam amici, spectatæ virtutis viri [ si ita Deo placitum foret] fecerint pactum, ut qui primus eorum moreretur, alteri statum suum revelaret: Mortuus itaque prior Socio apparuit habitu vili , & tristi vultu, cùm vivens ex mortuo causam tristitiæ quæreret, dixit: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit*; hisque dictis disparuit: Alter igitur totus perplexus, neque dictorum assequens intelligentiam , tandem ferventibus precibus sensum eorum sibi meruit revelari, quando ei responsum fuit: *Nemo credit, quam districtè judicet Deus, & quam severè puniat.* Verùm, quòd Deus peccata & vitia summo in rigore judicet, haud mirabimur, si consideraverimus, quod etiam ipsas justitias rigorosissimè examinet, an non in his aliquis lateat defectus: Unde per os *Psalmistæ* protestatur dicens: Ps.74.2. *Cùm accepero tempus, ego Justitias Judicabo*: Non ait: [ut observat *S.Thomas de Villa nova*] *judicabo peccata & scelera, sed justitias.* Idem Sanctus de libris ad Judicium producendis tractans, ejusdem quoque examinis severitatem nobis ob oculos ponit in hæc verba: Hi sunt libri infallibiles & veri, quos nemo potest rejicere, ipsa enim cujuscunque conscientia reatûs sui testimonium palàm omnibus exhibebit. Ita ad amussim ibi discernentur non solùm exteriores actus & opera, sed radices quoque operum, intentiones & voluntates, meritorum quoque & demeritorum causæ, & desiderium & fines & circumstantiæ, ut vix ulla reperiatur pura justitia, quæ non auxilio gratiæ & misericordiæ egeat roborari. Ita citatus Sanctus Conc.2. in Dom. I. Advent.

8. *S. Petrus Damiani* rem sibi perspectissimam narrat, quæ nemini non formidabile reddit divinum Judicium. Scripserat Vir Sanctus epistolam ad Landulphum Mediolanensem Clericum, in ea, fide optimâ, hæc commemorans. Arduinus, inquit, genere clarus, famosæ prudentiæ, divitiis opulentus, certâ sibi devotione spoponderat, se decennio saltem exacto, si citiùs non posset, in Divi Vincentii Cœnobio reliquum vitæ in divinis servitiis traducturum. Post evolutum decennium, ego, inquit *S. Damianus*, insistebam & stimulabam, ut pro-

missis faceret satis. Ille quidem aureos montes pollicitus verbis, reipsa tamen, quæ spoponderat, minimè exequebatur, sed varias prætexendo rationes suam differebat conversionem. Cui accedit, quod ipse Cœnobii Præses, qui opem hominis prædivitis sæpiùs expertus erat, dilationem ad Religionem suaserit, quia suæ familiæ consultiùs judicabat tam insignem benefactorem non subitò rebus omnibus spoliari, quò diutiùs largiri posset. Gravi interim morbo corripitur, desperant de salute corporis Medici. Quare ut animam salvaret ægrotus, accersit Confessarium, confitetur, & peccatorum absolutione impetratâ, larga in pauperes & Ecclesias munera erogat, ad piam mortem obeundam ita se disponit, ut totus contentus, amicos & consanguineos per Dei amorem compellet, ne preces pro corporali vita, utpotè fluxâ & transitoriâ, fundant, sed beatum exitum à Deo postulent. Moritur tam piè & sanctè dispositus, totus divinæ voluntati submissus.

9. Quis, obsecro, hunc virum non dixisset ad reddendam rationem paratissimum à vita discessisse? Heu quàm longè sunt alia Dei, alia hominum judicia! Pauci dies elabuntur, & ecce nocte quadam apparet in visione dicto Præsuli Monasterii *S. Vincentii*. Hic sibi in ampla constitutus planitie videbatur, in qua Imperatorem cùm imperii Proceribus & ingentem exercitum conspexit. Torquebat Abbas stupentia lumina modò in hanc modò in illam partem; dum omnia perlustrat, videt Arduinum rapi à quibusdam satellitibus. Hìc Abbas velut transeuntem interrogans: Heus, Arduine, inquit, siste paulisper gradum, & dic, quid de te agitur? Gaudes, an pateris? gloriam assecutus es, an tormentis addictus? Cui Arduinus totus anxius & flebili voce ait: Cur me de gloria consulis, qui jugibus pœnis afficior, & nec ad momentum quidem respirare permittor. Ardeo, heu miserum me! ardeo & æternis flammis crucior, quia promissis non steti, quibus me Religionem ingressurum obstrinxi.

10. Quis hanc historiam legens, vel inaudiens non vereatur occulta Dei Judicia? haud dubiè enim hic infelix Arduinus de sua ad Religionem dilatione doluit, seque de hac [ut non imprudenter arbitrari fas est] in ultima confessione accusavit, & tamen periit æternùm. Discat etiam hîc quilibet Religiosus, quàm accuratam olim Deus rationem ab uno quoque exiget de promissis in sacra Professione factis. Væ illi, qui hæc reddere de die in diem procrastinat. Proinde monet Sapiens *Eccl.* 5. *Quodcunque voveris, redde; multòque melius est non vovere, quam post votum non reddere*. Constat etiam hîc illud *Divi Jacobi* 2. 10. oraculum: *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*; Hoc est, omnia reliqua ipsius pietatis & virtutum exercitia eidem minimè patrocinabuntur vel juvabunt. Denique etiam liquet, verissimam esse illam à *Divo Gregorio* l. 5. mor. c. 8. nobis in hæc verba suggestam doctrinam: *Sæpe ipsa justitia nostra ad examen divinæ justitiæ deducta, injustitia est, & sordet in districtione Judicis, quod fulget in æstimatione operantis.* Idem quoque *S. Pontifex* exponens verba illa: *Job.* 3. *Viro, cujus abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris*, ad hoc, ne in operibus nostris bonis confidamus, sed semper in timore & perplexitate vivamus, sequentem nobis tradit utilissimam doctrinam, inquiens: *Est autem & alia vitæ nostræ absconsio, quia nonnunquam ea ipsa, quæ rectè nos agere credimus, an in districti Judicis examine recta sint, ignoramus. Sæpè enim opus*

nostrum

*nostrum causa damnationis est, quod & profectus putatur esse virtutis. Sæpè unde placari Judex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur. Juxta illud Sapientis: Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem,* Prov. 14. 12.

11. Memoratu dignissima hîc est horribilis illa tragœdia, quam *Petrus Ribadeneira* Parisiis accidisse refert, quamque in vita *S. Brunonis* his recenset verbis: Cæteros inter illius Academiæ Doctores eminebat quidam singularis, & in paucis carus *S. Brunoni*, vir & virtutis & eruditionis opinione præstans, cujus defuncti funus illa nobilis Universitas ad Ecclesiam deduxit. Cúmque id pro solenni Ecclesiæ ritu fuisset in odæo templi depositum, solennésque defunctorum preces recitarentur, & quidam Clericus decantaret illa Jobi verba: *Responde, quantas habeo iniquitates.* Ecce tibi defuncti cadaver de feretro caput erexit, altúmque exclamavit: *Justo Dei judicio accusatus sum.* Moxque caput in feretrum reclinavit. Attonuit inusitata vox circumstantes, qui posterum in diem funebres exequias esse differendas decreverunt, ut lugubris adeò tragœdiæ, cujus viderant, audieránque exordium, etiam exodium contemplarentur. Instauratum in alterum diem funus, diditáque per urbem novi casûs famâ multò frequentiorem, quàm pridie concionem populi exciviт. Cæptæ sunt decantari denuò solennes defunctorum preces, cúmque ventum fuisset ad illa verba: *Responde mihi.* Ecce rursus sese cadaver erexit, horribiliusque etiam quàm pridie exclamavit: *Justo Dei judicio judicatus sum.* Moxque reticuit, & requievit. Itáque circumstantes major etiam, quàm pridie, timor invasit, sed tamen habito consilio in diem tertium exequias judicaverunt esse proferendas. Cúmque die tertio solennes illæ defunctorum preces recitarentur, similiter ac pridie ad prædicta verba cadaver caput feretro protulit, ac etiam horribiliori boatu conclamavit: *Justo Dei judicio condemnatus sum.* Tunc quotquot circumsteterant, quasi tonitru attoniti pallere, tremere, invicem se alii alios respicere, metúque obrigescere, & singuli mortis imaginem repræsentare cæperunt. Porrò putidum defuncti Doctoris cadaver asini sepulturâ tumulatũ est. Quis hîc non obstupescat justa Dei judicia quamvis occulta? Quis non expavescat id, quod evenire cuiquam potest, arbitratus, quod evenerit huic Doctori, qui visus est esse bonæ frugis & integræ vitæ, qui perceptis omnibus Ecclesiæ Sacramentis decesserat, magnâ præditus notitiâ Dei, cujus judicia nimium quantum distant humanis?

12. Quamobrem sapiamus hoc lugubri spectaculo, altéque imprimamus cordibus nostris salubrem rigidissimi Dei Judicii timorem, uti fecerat *S. Bruno*, qui hoc casu sic attonitus est, ut convocatis ad se familiarioribus sex discipulis, qui luctosæ tragœdiæ etiam spectatores affuerant, in hæc ferè verba collocutus sit: Quid agemus sodales, & charissimi fratres, si tale est Dei Judicium, quale nostrismet oculis & auribus usurpavimus? Ecquod cor sit adeò adamantinum, quod non emolliatur? Quis est mortalium, qui non ad terribiles hasce voces extimescat, expavescat, expallescat? Doctorem vidimus nobis probè notum, nobis amicum, scientiis instructum, honestum, prudentem, virtutibus, ut videbatur, ornatum, Deique timentem, qui defunctus suamet voce damnatum se justo Dei Judicio nobis indicavit. Jam verò quisque consideret, quàm difficile sit salvari, quàm facilè damnari. Deus tam lugubre specta-

spectaculum nobis exhibuit, ut alieno malo sapiamus, & alieno periculo nostram salutem redimamus, & ad labrum crucis confugiamus, ut brevissimum hoc, quod nobis est reliquum vitæ spatium, in pœnitentiæ operibus transigamus, itáque firmam beatitudinis cælestis obtinendæ spem concipiamus. Voces quas infelix ille protulit, non suo, sed nostro protulit emolumento. Nos ergo voces has in intimum pectus dimittamus, nos è vestigio vocantem Deum, qui pœnitenti certissimam veniam, nullam tamen horam certam pollicetur, sequamur. Hinc vir Sanctus cum his suis sex sodalibus solitudinem, nomine *Carthusiam*, asperam, frigidam, feris magis, quàm hominibus accommodatam ingressus, ubi Deo in omni timore ac tremore servierunt, vitámque austerissimam duxerunt, indéque Carthusianorum Monachorum religio exorta & propagata fuit. Denique quæ dixit *S. Bruno* suis sodalibus, nobis dicta esse arbitemur, nimirum quàm horrendum sit incidere in manus Dei viventis, cujus judicia quamvis injusta esse nequeant, sunt tamen incomprehensibilia, mirabilia, támque districta, & abdita seu occulta, ut multa quæ humano judicio justa videntur & bona, ab ipso reprobentur ac condemnentur, ut satis ex hactenus dictis liquet, quod porro confirmabitur §. sequenti.

# PARS TERTIA.

13. PErcontari quispiam haud immeritò posset, quam ob causam *Propheta Jessæus* hanc sibi à Deo gratiam concedi rogarit, ut scilicet carnes suæ sancto ejus timore transfigantur? *Confige timore tuo carnes meas.* Item ex quo motivo adeò vehementem de judiciis Dei timorem concipere potuit, dum subjungit: *à Judiciis enim tuis timui?* Certè *Sanctus* hic Rex vitam egit Sanctam & immaculatam, de quo Deus ipse testatur, ut Sacer perhibet textus: Act. Apost. 13. 22. *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Quamobrem ergo adeò judicia Dei extimuit, Deúmque anxiè rogavit dicens: Ps. 142. 2. *Non intres in Judicium cum servo tuo?* Respondetur, quod *Sanctus* hic *Propheta* optimè noverit verissimum esse illud *Baldat* oraculum: Job. 25. 5. *Ecce stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Ubi per stellas intelliguntur perfecti & Sancti homines, ut docet *S. Gregorius*, qui, quia suos quoque habent nævos & peccata (*Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*) ideò non invanum timent Christi Tribunal, sed justam omnino habent rationem Deum cum *Davide* exorandi: *Non intres in judicium tuum cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

14. In quanto perfectionis & Sanctitatis gradu *S. Job* apud Deum extiterit, testatur infallibilis Veritas in hæc verba: Job. 1. 8. *Homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, cui non est similis in terra.* Et non obstante hoc veridico testimonio de se prolato *S. Job* mirum in modum in judicio comparere timuit; unde Deum his verbis affatus est: Job 7. 8. *Oculi tui in me, & non subsistam;* & meritò quidem hoc dicit: nam oculus Dei, ut testatur *Psalmista*, *Scrutatur renes & corda.* De hisce divinis oculis inquit *Ecclesiasticus*: Eccli 23. 28. *Oculi Domini plus luci-*

diores

*diores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Quid mirum igitur, si *Job*, hos super se defixos oculos videns, timuerit, ne opera sua in conspectu Dei non subsisterent?

15. *Isaias* quoque, quamvis Propheta Deo summe acceptus erat, raræque Sanctitatis vir, cui Seraphim labra purificavit, tamen aliquando lamentari auditus est: *Isa. 4. 6. Facti sumus ut immundus omnes nos & quasi pannus menstruata, universæ justitiæ nostræ.* Quin & Apostolus, qui ab ipsa Incarnata Sapientia audierat: *Vas electionis est mihi iste*: Et licèt suam examinans conscientiam, diceret intrepidè 1. *Cor.* 4. *Nihil mihi conscius sum*, nihilominus subjunxit inquiens: *Sed non in hoc justificatus sum.* Cujus hanc assignat rationem, *Qui judicat me, Dominus est.* Ubi *Doctor Angelicus* ita commentatur: Non sufficit ad hos, quod me justum pronuntiem, quia possunt in me aliqua peccata latere, quæ ignoro, secundum illud Psalmistæ: *Peccata quis intelligit?* Atque hæc ipsamet causa erat, cur *David* Deum solicitè exoraret dicens *Ps.* 18. 13. *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* Siquidem optimè norat hic S. Rex Propheticum illud *Sophoniæ* c. 1. oraculum: *Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis.* Heu! quot non erunt transgressiones, quas quotidie commisimus, de quibus nullum nobis fecimus scrupulum, sive quia de illis non cogitavimus, sive quia easdem ignoravimus? At verò tunc scrutabitur Jerusalem in lucernis. Unde ait *S. Bernardus* de inter. domo c. 38. *Multa peccata tunc prorumpent ex improviso quasi ex insidiis, quæ modò non vides, & forsitan plura & terribiliora his, quæ nunc vides.*

16. Hujus rei exemplum habemus in Sancto quodam Domini Propheta, quem Deus misit ad increpandam Idololatriam Jeroboam Regis Jsrael, præcipiens ei, ne comederet neque biberet in terra Regis illius. Qui cum ex deceptione cujusdam Pseudo-Prophetæ comedisset in terra illa, in ultionem inobedientiæ suæ à leone mox fuit occisus, qui tamen valde excusabilis videbatur, quoniam illum callidissimum Pseudo-prophetam putavit esse verum prophetam Dei, & peccare se credidit, nisi acquiesceret illi. Dixerat enim Pseudo-propheta ad ipsum: *Et ego Propheta sum similis tui, & Angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: Reduc eum in domum tuam, ut comedat* 3. *Reg.* 13. v. 18. Unde elicitur, quod in multis credamus nos coram Deo fore excusabiles, in quibus tamen divina Justitia nos minimè à reatu culpæ absolvit. Hinc *Abbas mellifluus* magno perculsus horrore exclamat: *Quid faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit? Verendum est, ne sub tam sublimi examine multæ nostræ justitiæ, quæ putabantur, peccata appareant. S. Bern.* serm. 54. in Cant.

17. Denique quemadmodum inter homines cernimus, quod homines imperfecti, rudes ac simplices judicant multa verba & opera esse bona & justa, quæ tamen homines illuminati, atque in spiritualibus actibus exercitati, considerant esse illicita & iniqua; sic multò magis. Deus infinitæ excellentiæ in omni Sapientia, virtute & Sanctitate, multa verba & opera nostra, quæ putamus vera & justa, judicabit fuisse injusta atque erronea. Itaque quantò Judex cælestis clariùs novit universas nostras transgressiones, omnesque circumstantias, origines, & numerum culparum nostrarum, tantò vehementiùs formidare debemus ipsius judi-

judicium. Ipse autem omnia clarissimè intuetur, omnésque nostras commissiones iniquas, etiam minimas, distinctissimè contemplatur. Vehementissimè igitur nos oportet Judicis hujus formidare judicium, qui nullam penitùs cogitationem illicitam, nullam affectionem, nullam locutionem, nec aliquem actum, imo nec aliquam omissionem, negligentiam aut torporem, indiscussam, injudicatam, impunitam relinquet. Hinc ad incutiendum nobis salubrem timorem, Deus in sacris paginis frequenter ac seriosè testatur, se omnia intueri, considerare & perscrutari. Per *Amos* Prophetam c. 5. ait: *Cognovi multa scelera vestra, & visitabo super omnes iniquitates vestras, nec obliviscar usque ad finem omnia opera vestra.* Et 1. Reg. 16. testatur: *Non secundùm hominis intuitum ego judico; homo enim videt, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

18. In dubium sanè revocari nequit, quin multa peccata, quæ modò non advertimus, in rigoroso illo examine severè nobis imputabuntur: in vita namque præsenti, in obscuro gradimur, unde & culpæ *opera tenebrarum* appellantur, & Apostolus dixit *Rom.* 13. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Sanè si cubiculum aliquod ingrediamur apertis fenestris clarum, aërem intuemur purum; ast ubi subintraverit solis radius, subitò atomi & pulveres, quos primò non videramus, comparent. Ita quoque multis accidet animabus, quæ variis operibus bonis & meritoriis se vacâsse sibi videbuntur; ubi autem sol ille Justitiæ affulserit & examen strictissimum, multi cognoscentur defectus; discutietur enim, an Missa debita cum attentione & devotione celebrata, vel audita fuerit; si Officium divinum cum recollectione recitatum; si Confessio stabilia non recidivæ habuerit proposita, actúsque pœnitentiæ ferventes; si Communio cum præparatione, gratiarúmque actione convenienti associata fuerit, quia scilicet ut *Ecclesiastes* cap. 7. inquit, *qui timet Deum, nihil negligit.* Atque hanc ob causam David cor suum, ut scilicet in illa hora, quando coram divino Tribunali se justificaturus erat, mundus purúsque appareret, purificari petierat, supplicans: *Fiat cor meum immaculatum.* Sed quomodo? *In tuis justificationibus*, non in meis, *ut non confundar. Psal.* 118. Hinc rectè Apostolus ait: *Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* 2. Cor 10.

# PARS QUARTA.

19. JUristarum doctrina & axioma est: *De minimis non curat Prætor.* Verùm hæc regula in judicio Dei nec obolum valet, utpote cujus oculus nihil inscrutatum relinquet; sed adeo omnia lustrabit, ut etiam Justus in hoc judicio vix securus erit, ut testatur *S. Petrus* Epist. 1. c. 4. *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Ubi benè ponderandum venit ly *Justus*; id est qui omni modo ad perfectionem & sanctitatem aspirat, qui à peccatis non secùs, quàm à basilisco, refugit, quique nihil eorum quæ Deo placere arbitratur, negligit, vix tamen, id est, ægrè & difficulter [ut exponit *Cornelius à lapide*] in hoc rigidissimo salvatur judicio. Nemo ignorat veram esse illam Philosophorum doctrinam: *Bonum ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu.* Unde, ut quis in hoc judicio subsistat, necessum est, ut in nullo deficiat; Sed

Deus

Deus bone, quis tam perfectè in omnibus suis viis incedet, ut non quandoque ad lapidem peccati offendat pedem suum?

In *Chronicis S. Francisci* p. 3. l. 4. c. 35. sequens refertur exemplum: Parisiis in Cœnobio *S. Francisci* Religiosus Tyro in lethali morbo ad extrema deductus est. Cúmque jam lucta mortis instaret, æger horrendum exclamans: Me miserum, inquit, quanto satius fuisset nunquam nasci, quàm ita mori! Paulò post: Libram obsecro, inquit, fideliter tracta. Mox illud adjunxit, appone aliquid de Domini Jesu tormentis & cruciatibus. Somnia hæc videbantur, aut ægrotantis deliria. Non multo post vociferatus est: Nunc bene habet. Mirabantur, qui aderant, innocentis Juvenis tantam in morte trepidationem. At ubi ad se non nihil rediit, quærebant, quid hæ voces sibi vellent? Quibus ille, vidi, ait, quam exactas Deus rationes posceret de occultis etiam cogitationibus, de otiosis etiam verbis, déque minutissimis quibusdam noxis. Ad libellam omnia examinantur accuratissimè, ideo me infelicem ac miserum proclamavi, & libripendis fidem appellavi. Cúmque cernerem merita mea peccatis longè pauciora esse, & libram mihi minimè favere, institi rogare, ut de Christi patientis promeritis aliquid apponeretur, quo pondus in causam meam vergeret. Hoc impetrato animum resumpsi, & bono loco rem esse pronuntiavi. His dictis è vita decessit.

20. Hæc porrò divina Judicia humanus intellectus minimè perscrutari valet; cùm enim ea, quæ in hoc orbe fiunt, adeò nec scrutari, nec penetrare possimus, quantò minus ea, quæ in orbe altero aguntur, penetrabimus? Hic omnis humanus oculus caligat, hic tenebræ merissimæ. Hoc unum scimus, justissima esse Dei Judicia quamvis occultissima: Judicia divina abyssus omnium profundissima. Hinc non rarò probatissimæ vitæ homines, quantò viciniores eunt Tribunali ac Judicio divino, tantò formidinis pleniores vehementiùs sibi prætiment. Quàm austeram non duxit vitam S *Hilarion* Abbas? & tamen jam morti proximus sic Judicium horruit, ut exclamaret: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis servisti Christo, & mortem times?* In hæc verba exhalavit spiritum. *S. Arsenius* non sine lacrymis & multo timore decessit. *S. Hieronymus*, pœnitentiæ vivacissimum exemplar, nihilominus futuri judicii metuens sic in epistola ad Florent. scribit: Ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus operior cum tremore reddere novissimum quadrantem. Hunc timorem, quem Sanctus hic Doctor habuit, alibi clarius explicat dicens: Quotiescunque diem Judicii considero, toto corpore contremisco: sive enim dormio, sive vigilo, sive aliquid aliud facio, semper illa vox novissimæ tubæ sonat in auribus meis: *Surgite mortui, venite ad Judicium.* Si tales castissimi solitudinis Angeli judicialem Christi tubam sic exhorrent, quid nobis fiet, qui mediis mundi tumultibus inter vitia volutamur?

21. *S. Agathon*, quod de illo *Ruffinus* Aquilejensis in vitis PP. l. 5. c. 11. refert, cùm sub vitæ finem jam animam traheret, & sensim velut cereus extingueretur, per triduum totum oculos apertos tenuit, nec commovit: Cúmque eum, qui assistebant, tangerent & interrogarent: Ubi nunc es Pater? Ille hæc brevissima verba respondit: *In conspectu Judicii Dei sto.* Illi rursus interrogantes: Nunquid ajunt, & tu times, qui vitam semper immaculatam duxeras? Quibus ille respondit: Verum quidem est, quod, quantum

in me fuit, divina quidem præcepta observare sategerim, veruntamen quia homo sum, an actiones meæ Deo acceptæ sint, ignoro. Ergone replicarunt illi, opera tua Deo grata esse diffidis? Respondit: Nihil confido, donec ad Deum venero & audiero sententiam in me ferendam. Aliud est Judicium Dei, aliud hominum. Denique *Abbas Elias* annis septuaginta desertissimam solitudinem habitavit, cibus illius fuit exiguus panis cum paucu-lis olivis, non nunquam totas hebdomadas jejunio traduxit. Is namque juveni mos fuit, ut totâ hebdomadâ semel duntaxat comederet: Senex in singulos dies ultra tres uncias panis & tres olivas nil sumpsit. Domus illius speluncæ fuit horroris plena. Eâ porrò miraculorum gratiâ pollebat, ut innumeris valetudinem restituerit, ætatem ad annum centesimum perducens, membris omnibus tremebat. Hic Sanctissimus vir, Deóque conjunctissimus nihilominus dicere solebat iis, qui ad ipsũ ventitabant: Tria sunt quæ timeo: Primum est, animæ è corpore discessio; alterum, inevitabilis necessitas comparendi coram Deo; tertium est sententia, quam in me dicturus est Judex. Non vanè timuit hic Sanctus vir; nã etsi quis vivat ritu *Joannis Baptistæ*, & quotidie mortuos ad vitam revocet, ignorat tamen, quam à Judice sit auditurus sententiam.

22. Huc similiter facit, quod *S. Joannes* cognomento *Climacus*, in Scala Paradisi gradu 7. commemorat de Monacho quodam, nomine *Stephano*, qui in monte Sinai habitans, solitariam & tranquillam delegit vitam, multísque annis in Monasterio sub obedientia vixit, jejuniis & lacrymis maximè decoratus, aliísque præterea virtutum privilegiis abundans. Tandem intentione majoris pœnitentiæ profectus est ad Anachoretarum locum, cui *Fides* nomen erat. Quo in loco cùm annos aliquot in arctissimo vitæ instituto peregisset [ erat autem is locus ab omni consolatione mortali penitus remotus, omnibúsque ferè hominibus invisus; septuaginta enim ferè millibus passuum ab omni humana habitatione disjunctus erat ] rursus sub extremum vitæ tempus rediit, cupiens in cellula sua priori Sancti illius montis habitare. In qua cùm paucos egisset dies, languorem incurrit, ex quo & mortuus est. Igitur ante unum obitûs sui diem repentè animo obstupuit, apertísque oculis nunc ad dexteram, nunc ad sinistram lectuli partem circumspiciebat, & quasi rationem quidam à se exigerent, cunctis, qui astabant, audientibus, ajebat; *Ita sanè sic revera est, sed propter hoc tot annis jejunavi.* Aliquando verò: *Non certè, sed mentimini, hoc non feci.* Deinde rursus: *Ita verè est, negare non possum, sed ingemui, sed flevi, sed pœnitentiam egi, pœnásque subii.* At rursus: *Ita est, verè me accusatis.* Ad quædam, quæ illi credebantur objici, sic respondebat: *Ita sanè & quidem ad hæc, quæ dicam, non habeo: est ut dicitis, sed spero misericordiam.* Erat profectò, ait *Climacus*, spectaculum horrendum ac terrificum, invisibile illud ac rigidum judicium, in quo etiam [quod terribilius est] non facta objiciebantur, ab invisibilibus hostibus.

23. Si igitur tantus vir, Solitarius & Anachoreta, qui per annos 40. circiter extitit Monachus, & lacrymarum gratiam habens, de aliquibus culpis dixit: Ad hoc non scio, nec possum aliquid dicere, qui tamen in deserto habitans Leopardum ad se venientem pascebat. Hic ipse tamen, cùm adeò exactè, & ad novissimum usque teruncium rationes ab eo poscerentur, sic finiit, ut hodieque incertum, quis terminus, quæ sententia, quis rationum finis fuerit, quod judicium acceperit, quò locorũ

pervenerit. Ex hoc ergo exemplo nos pusilli & imperfecti meritò perterreri debemus, & quamvis omnino sperandum sit, quod tantus vir feliciter migrarit ad Dominum, Deus tamen ad nostram informationem & cautelam talia dispensativè exhibuit, & fieri voluit circa illum, quatenus nos, qui quasi infinitè distamus à conversatione illius, jugiter timeamus, pensantes, quam vehementer deficiamus à reddenda ratione de singulis, cùm vir ille tam altissimæ conversationis fassus fuerit, se non posse ad aliqua respondere, sed ad solam misericordiam Dei confugerat.

24. Faciamus igitur quidquid boni valemus; *Cùmque fecerimus universa, quæ præcepta sunt nobis, dicamus ex corde, quod servi inutiles sumus, quia quod debuimus facere fecimus. Luc. 17.* Imò pro acceptis beneficiis divinis nihil dignum rependimus ei, omnísque honor & cultus, quos ei offerimus, in infinitum minores sunt cultu ac reverentiâ, quo ipse dignissimus est. Quemadmodum enim ejus majestas, virtus, ac dignitas, & intensivè, & perfectionaliter infinita; sic ipse dignus est honore & cultu immenso. Quapropter meritò omnes actiones nostræ, quantumvis videantur bonæ & perfectæ, suspectæ nobis esse deberent, utpote multis defectibus & nævis scatentes, ne propterea altum sapiamus, & salutarem de Judicio futuro formidinem amittamus.

# PARS QUINTA.

25. Cæterùm, superesse nihil videtur, nisi ut omni studio laboremus nos præparare ad futurum judicium, ut in rationibus reddendis subsistamus. Ad hoc porrò meliùs haud fecerimus, quā omni contentione, quantum est ex parte nostra, declinare peccata, ac identidem Deum ex totis præcordiorum medullis obsecare, ne auxiliatricem manum suam nobis subducat. Theologorum omnium vox est cum *S. Thoma*, 1.2 q. 109. a. 10. cujus hæc sunt verba: *Homo in gratia constitutus ad hoc ut usque ad finem vitæ suæ in bono perseveret, speciali divino auxilio contra tentationum impulsus illum protegente indiget: Multis enim datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia.* Atque hanc singularem perseverandi gratiam, nullis virtutū actionibus emereri de condigno, ut loquuntur scholæ, possumus, sed tantum de congruo; hoc est, potest Deus illam gratiam post omnia nostra promerita justè negare & dicere: Bin dir nichts schuldig. Quia donum est non debitum, & planè gratuitum donum, quod assiduis deprecationibus à Deo flagitandum.

26. Hæc doctrina, ut clariùs perspiciatur, fingere lubet exemplum: E. g. Princeps viro nobili castrum donat eâ tamen lege, si fidum obsequium perseveret. At ille graviùs in Principem delinquens, non tantum Castri, sed & capitis amittendi periculum incurrit. Eadem ratio est omnium, qui graviùs delinquunt in Deum: in gratia erant, promissione cœlum tenebant, sed quia promissorem offenderunt, jam & gratiam & cœlum perdiderunt. Quod si Princeps ille viro nobili eam faceret gratiam, quâ non posset unquam excidere gratiâ, hæc certè gratiarum omnium summa & excellentissima foret gratia, vix uni è multis millibus concedenda; Ita Deus vix paucissimis hanc summam perseverandi gratiam transcripsit, alios omnes vult inter spem & metum ad tribunal progredi.

Hinc nemo nostrûm est, qui non cum *S. Jobo* dicere cogatur: *Etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecator.* Job. c. 9. v. 15.

27. Quando igitur Deus supremam illam perseverantiam nemini promittit, neque nos eam ullis virtutum officiis, etsi maximis, etsi creberrimè repetitis, promereri possumus, dignissimum prorsus est, ut eandem hanc gratiam horis omnibus infimis flagitemus precibus; Et in eam rem cælum, terrámque contestemur, omnésque cælites in obsecrationis societatem vocemus. Sic armatæ preces non erunt irritæ. Quare ut *Isaias* 40. monet: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Propè est jam Dominus, præ foribus stat Judex. Nemo dicat cum ignavo villico: *Fodere non valeo, mendicare erubesco*, verte & canta: *Fodere valeo, mendicare non erubesco.* Conscientiam tuam subi, & illic fode, cælum adi, & ibi mendica. Matrem judicis tibi concilia, tot sanctos Angelos tibi amicos para, omnes Cælites in auxilium voca. Et quid trepidas? ipsum adi Judicem, & cum eo causam tuam fidentissimè tracta, nunc supplica, nunc exorabilis est, nunc tibi eum facili negotio propitiaveris.

28. Porrò, quamvis multa alia pietatis exercitia non desint, quibus Judicem hunc incorruptum nobis propitium reddere possumus, omissis tamen his, adduco unum & valde efficax exercitium, ad hoc judicium securè effugiendum, quod nobis *S. Paulus* in hæc præscribit verba: *Si nos metipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* 1. Cor. 11. 13. Dices, si ille, qui super suas transgressiones rigidum seipsum constituit censorem & judicem, non erit judicandus, ad quid ergo necesse erit eum in judicio comparere? *Omnes stabimus*, ait *Rom.* 14. 10. idem Apostolus, *ante Tribunal Christi.* Respondetur, Apostolum prædictis verbis non voluisse dicere, quod absolutè evasuri simus necessitatem præsentandi nos coram supremi Judicis tribunali, sed potiùs, quod rigorem & severitatem Judicis effugiemus, si, priusquam coram illo compareamus, nosmetipsos diligenter examinare studuerimus. Unde *S. Anselmus* ait: *Si de singulis, quæ malè egimus, aut cogitavimus, nosipsos districtè pœnitendo judicaremus, non utique à Domino judicaremur. Ascendat igitur homo contra se tribunal mentis suæ, & constituat se ante se; testis conscientia, carnifex timor, versetur ante oculos ejus imago futuri Judicii, & quidquid in se viderit, quod à Judice futuro reprehendi possit & puniri, ipse nunc in se puniat, & reprehendat.*

29. *Divus Chrysostomus* hom. 43. in Matth. idipsum etiam illi, qui in extremo Judicio securus esse cupit, suadet dicens: Si cupiditate judicandi judex esse velis, sedem ego tibi ostendam, quæ magnum quæstum tibi confert, & nullâ criminis sorde maculabit, sedeat mens atque cogitatio tua Judex in animam atque conscientiam tuam, adducat omnia delicta in medium, scrutare quo animo commisisti, & sedulò rationem exigas & dicas: Quare hoc atque hoc ausus es? accusa tua vitia, sic assiduè ipsam ad hunc terrorem revoca. At verò quisnam hujus judicii futurus est fructus? Hunc idem *S. Doctor* his verbis declarat: *Id si quotidie diligenter facias, terribili futuri judicii Tribunali latus assistes.* Hujus doctrinæ veritas non latebat *S. Bernardum*, & ideo tametsi adeò innocentem & immaculatam duxerit vitam, nihilominus de semetipso dicebat de inter domo c. 31. *Statuam me ante me, & judicabo me ipsum, ut illius extremæ tremendæ diei judicium evadere possim.*

*sim.* Sanctissimè proin *S. P. Aug.* monet: Unusquisque conscientiam suam ante conspectum interioris hominis constituat, ipsi nosmetipsos castigemus, ipsi nobiscum rationem de quotidiana conversatione faciamus, ipsi nos accusemus quotidie judici nostro. Idem quoque *S. Doctor* in *Psal.* 74. scribens docet, quod juxta mensuram, quâ rigorosi & austeri in nos ipsos fuerimus judices, Christi judicis in tremendo ejus tribunali experturi simus clementiam & misericordiam. *Qui se conterit* (verba ejusdem Sancti sunt) *irascatur sibi, se habeat iratum, ut illum habeat propitium, se habeat judicem, ut illum habeat defensorem.*

30. Porrò, hæc *SS. Patrum* doctrina mirum in modum roboratur & confirmatur illâ parabolâ, quam Christus Servator noster apud *S. Lucam* proposuit de Pharisæo & Publicano: Pharisæus námque eo ipso, quod se ipsum commendabat, laudabat, nec sua peccata agnoscebat, multò minùs deflebat, reprobum sese constituit: At verò Publicanus, quamvis plurimis & enormibus impiatam sceleribus conscientiam haberet, hanc tamen perfectè expiavit, & mundavit teste ipsamet Incarnata Veritate: *Descendit hic justificatus in domum suam. Luc.* 18. Cupis nosse causam, sive methodum, quâ hic publicanus ad tantam misericordiam impetrandam utebatur? Seipsum judicavit, humiliavit, séque peccatorem palam professus est, dicens: *Propitius esto mihi peccatori.* Quamobrem amice frater, si & tu securus esse cupis in tremendo judicio, allatum nunc à Sanctis Patribus documentum in imum cordis tui fundum demittas, necessum est. Ne verò tuiipsius oblitus in hoc religioso exercitio sensim intepescas, salubrémque Judicii finalis metum amittas, irretorto semper oculo contemplare tertium hominis novissimum, quod est pœna infernalis.

# SERMO LXI.
# DE POENIS INFERNALIBUS.

*Quis de vobis poterit habitare cum igne devorante? aut quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis?* Jsai. 33. v. 14.

## PARS PRIMA.

Differitur de activitate ignis infernalis, quem damnati patiuntur.

1. FErunt Alexandum Macedonem, cùm urbem aliquam obsidione cinxisset, facem accensam ante urbis portas, hostibus conspicuam statuere consuevisse, ac publicâ præconis voce proclamari jussisse: Omnes obsessos perbenignè in gratiam recipiendos, si se, dum fax hæc arderet, victoris humanitati ac clementiæ tradere decernerent, eâ verò

extinctâ, spem omnem salutis præcisam, aditum misericordiæ præclusum, omnia ferro ac flammis evertenda, quémque benignissimum Patrem agnoscere detrectassent, severissimum vindicem experturos. Ita nobiscum res agitur; quamdiu fax vitæ hujus ardet, *tempus est acceptabile, dies salutis*, dies paciscendi: at ubi hæc lucerna extincta est, nihil superest clementiæ. *Augustinum* ser. 22. de verb. Dom. audiamus: *Magna est ejus severitas post judicium, cujus ante Judicium incessabilis est misericordia.*

2. Hinc velut benignissimus Pater dissimulat de die in diem, de mense in mensem, de anno in annum peccata hominum, ac scelera eorum, quatenus pœnitentiam agant, & à viis suis pessimis recedant, atque ad pœnitendum eos exhortans, & per suos ministros tam invisibiles [putà per Angelos Sanctos] quàm visibiles scilicet per homines bonos, invitans & rogans eos, ut convertantur, ad quod idem admonet eos occulto instinctu divino; Multa quoque beneficia ipsis impendens. Ita post vitam præsentem inenarrabilem exercet rigorem justitiæ in ingratos ac impios, eósque innumerabilibus mulctat tormentis, quæ adeò atrocia sunt, ut *S. Ambrosius* dicat: Si omnes homines nati ab Adamo usque in hodiernum diem exstarent, & omnes boni prædicatores essent, & omnes de minutissima inferni pœna prædicarent, illi omnes illam minutissimam pœnam propalare non possent; Ipse etenim ignis infernalis miro & ineffabili modo est æstuans, tantæque activitatis & voracitatis, ut de eo ad nostrum ignem comparato veraciter dici possit juxta *S. Bonaventuræ* sententiam T. 7. in fascicul. c. 5. Ignis ille ad ignem nostrum tanti dicitur esse caloris, quanti noster ignis est ad depictum. Et tamen eheu! quàm acerbus & intolerabilis est ignis noster.

3. Hic quæso, tacitis progressibus in rem præsentem veniamus. Quanti & quàm acres dolores per unam duntaxat horulam, unum tantummodò & vel extremum digitum gracilis cerei igniculo admotum uri? Quanto majores sic uri manum integram? Sed quanto vel maximè majores erunt dolores, sic uri totum brachium? Quàm verò infandus erit cruciatus sic uri totum corpus? licèt ignis, qui urit, pictus videri possit. In Japone hoc ævo lentis ignibus dirissimè torquentur Christiani. Inter hos Carolus Spinola fuit, cujus infra mentionem faciemus.) Hic cum aliis viginti tribus [ex quibus tamen duo, tormentum ignis non ferentes, à fide defecerant, quique nihilominus à Paganis & Barbaris illis hominibus dictitantibus: *Si vestro Deo fideles non fuistis, quomodo fideles eritis nostris diis?* in flammas illas secundò, & tertiò conjecti, apostasiæ suæ condignas pœnas jam in præsenti vita senserunt, atque per has ad tartara transierunt] tam immane supplicium hoc modo subiit. Ignis struebatur eminus, viginti quinque palmorum spatio à columnis Martyrum remotus, ut tantò acerbior ac sævior esset cruciatus, quantò prolixior, atque ita priùs lentè assarentur, quàm arderent. Quin si qua parte luculentior erumpebat flamma, protinùs coercebatur. Vincula verò non ferrea sed viminea erant, quibus Christiani laxè, obiter, ac ferè in speciem ad palum ligabantur, crudelissimo astu dæmonis, qui eò spectabat, ut Christi Athletæ doloris acerbitate compulsi, & vinculis facillimè ruptis, expedire se, atque flammis eripere facili negotio possent. Hoc autem indicio conventum erat, ut Christũ ejurasse censeretur, quisquis se incendio eripuisset. Interim igitur dum languido flammarum ardore ignis in viscera penetraret, corpore immoto stabat Carolus, oculis in cœlum fixis, ubi post pauculas horas de-

sideratissimi Christi amplexibus frueretur, cui corporis sui victimam in holocaustum destinabat. Duravit accerrimus hic cruciatus ignium ad duarum vel trium horarum spatium. Combusti sunt Anno 1622. die 10. Septembris.

4. Simile quoque Martyrium subierunt plures ex nostris Patribus, ut videre est in libro Venerabilium Patrum nostrorum. Inter hos etiam numerantur *P. Matthæus à S. Nicolao Cæsar-augustanus, & P. Melchior à S. P. Augustino Granatensis*, viri memorabilis constantiæ & admirandæ virtutis, quos cùm gentelis crudelitas in odium fidei rogo decrevisset, acerbitatis pœnas protensione supplicii auxit, vix spatio horarum octodecim absumptos. Quo tempore mirum est, quàm erecto in Deum animo Christi pugiles exstiterint, divinas laudes sine intermissione concinentes. Passi sunt 11. Decemb. *Nangasaquii* Anno 1632. Tormentum horribile prorsus, nec verbis effabile, hominē igne eminùs ac lentè admoto octodecim horis torreri vivum. Quodnam igitur tormentum, ô Deus, quā infandum, quam incomprehensum, non duas, trésve, non octodecim horas, non unum alterúmve diem, non annos, annósque mille, sed æternitate totâ [quæ tamen nunquam tota erit] & corpus & animam uri, nec unquam comburi. Hìc vox & verba deficiunt, nemo, non dicam, fatis eloqui, sed nec satis cogitatione complecti potest infinitam illam doloris acerbitatē. Quemadmodum enim in ustrina ferrum candens ita ignem imbibit, ut merus fit ignis, & ferrum tamen maneat; sic inferorum flamā ipsis damnatorum ossibus & ossium medullis implicabitur. Heu quantus hic cruciatus erit, quæ lingua quamvis disertissima eum explicare valebit?

5. Porrò, ut saltem aliqualiter penetrare & intelligere possimus, quàm horrendè & afflictivè ignis infernalis urat, pensiculatè recogitare lubet sequentē historiam. Cùm quidam nobilis Walcherus nomine in Villa Endenich propè Bonnam decumberet, diabolū secus lecticam caprinis cornibus, & simiæ facie stantem conspexit; ex quo cùm percontaretur, quantus infernalis ignis esset? Respondit ille: Nosti arces illas in vicino septimontio dictas *Wolckenberg & Drachenfeld*? quo annuente subdidit dæmon: Etsi arces hæ, & montes ferrei essent, projecti tamen in infernum, momento citiùs liquefierent. Ita refert *Cæsarius* l. 12. c. 5. Legitur in libro de actibus mirabilibus *S. Francisci*, quod quidam Vir Ordinis *S. Francisci* homo magni fervoris atque arctissimæ conversationis, quadā nocte post matutinas preces raptus in spiritu vidit & sensit purgatorii ignem, qui ante pulsum ad Primam rediens ad seipsum, putavit se annis centū & quinquaginta fuisse in illis suppliciis: tam acerba fuerunt, quæ sensit tormenta. Ecce si vir electus & virtuosus, factus in ecstasi mentis, tam graviter torquebatur in spiritu Purgatorii igne, ita ut pœnam, quæ vix duabus duraverat horis, putarit 150. annis durâsse, qualis & quanta est damnatorum pœna, qui igne illo sævissimo puniuntur realiter, immediatè ac rigorosissimè, non imaginariè tantum?

6. In Daniele legitur, qualiter Nabuchodonosor Rex Babylonis iratus tribus sanctis Juvenibus Ananiæ, Azariæ & Misaeli, fecerit fornacem septies ardentiùs succendi, quàm solitum fuit, *succenderúntque servi ejus fornacem in tantùm, quod flamma ex fornace erumpens diffundebatur super fornacem cubitis quadraginta novem. Dan. 3. 46.* Ecce quàm terribilis & intensus fuit calor ignis illius, quàm intolerabile ac horrendum foret jacere & inflammari in clibano tam æstuantissimè calefacto: Quis pro omnibus opibus, gaudiis, & honoribus mundi vellet per unum diem in ipso puniri? Quanta ergo insania est propter fœda & brevia hujus vitæ oblectamenta seipsum exponere æternis illis infe-

inferorum incendiis? Præsertim cùm ignis ille tam horrendus sit, tantæque activitatis & vigoris, ut in ejus comparatione babylonicæ flammæ nix potiùs censeri queant. Ibi ardebunt & absumentur damnati, non sicuti Pentapoleos incolæ *in momento*, sed per infinita sæcula, & neque ipsi, neque ignis, neque tormenta, neque flammæ unquam deficient. In sæcula sæculorum, nec habent requiem die ac nocte. O ignes æterni! O sempiterni ardores! O flammæ atrocissimæ! O filii Adæ, quid agimus? quid cogitamus? Quis sopor est iste? quis mortiferus lethargus? & necdum expergiscimur? & lacrymarum aquas necdum paramus, ut nos à tam horrendo & tremendo igne tueamur? *Quis enim* [alloquitur nos *Isaias* cap. 33.] *ex vobis poterit habitare cum igne devorante? aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

7. Ast forsan damnati hos cruciatus patiuntur absque spectatore? Nequaquam, imò torquebuntur spectantibus Angelis, Sanctis, & Agno. *Apocal.* 14. 10. *Cruciabuntur igne & sulphure in conspectu Angelorum, Sanctorum, & ante conspectum Agni.* O Mysterium profundissimum! Agnus, Angeli, & Sancti spectatores erunt pœnarũ & tormentorũ. Sed quando immanitatem & acerbitatem tantorum cruciatuum conspiciunt, fortassis commiseratione flectentur? Deus misericordiarum fons est, Christus ipsa pietas est, Sancti quoque pii ac misericordes sunt, cùm pœnas vident, cùm gemitus ululantium excipiunt, an fortè compatientur? Non, inquit *S. Thomas*, cujus verba sunt in addit. quæst. 94. a. 2. *Beati qui erunt in gloria, nullam compassionem ad damnatos habebunt*; Sed maximè recreabuntur, & gloriâ fruentur accidentali, cùm videbunt impios plecti, torqueri & ardere, ita ut infelicium gemitus & clamores suavissimum concentum beatis sint exhibituri; Quemadmodum olim prophetaverat Jessæus Propheta dicens: *Psal.* 57. 11. *Lætabitur justus cùm viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris*: Gaudebunt ergo Sancti, & lætabuntur, ubi divinam effulgere justitiam, & gloriosè in Dei hostibus eam manifestari conspicient. Abraham tantæ misericordiæ vir nullâ pietate movetur cruciati Epulonis, nec unicâ quidem guttâ immanem ejus sitim vult sublevare. Et Deus non tantùm non miseretur perditorum, sed eorum tormenta irridet, sicut & impii ipsum in terris irriserunt. Quod per *Sapientem* loquens in hæc verba testatur: *Prov.* 1. 25. *Despexistis omne consilium meum, & omnes increpationes neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.* Ne verò ullum hac de veritate conciperemus dubiũ, rursus idipsum per Psalmistã nobis intimare voluit: *Qui habitat in cælis, irridebit eos* [videlicet damnatos] *& Dominus subsannabit eos.* Psal. 2. 4.

8. Denique hoc ipsum ostendit Angelus *S. Joanni.* Adumbraturus enim damnationem impiorum sub figura & symbolo urbis babylonicæ, conspiciendũ ipsi præbuit ingentis molis lapidẽ, quem deinde maximo impetu & vi in maris profundũ præcipitavit. *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarẽ magnũ, & misit in mare dicens: hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra jam non invenietur. Apoc.* 18. 21. Ecce infernũ depictũ sub maris symbolo: In mare, id est, in infernũ profundissimũ, & pœnis amarissimum, inquit hîc *S. Thomas.* In mari enim non sunt tot aquæ amaræ, quot pœnæ amarissimæ in profundissimo illo barathro. Ut lapis molaris præcipitatur in flammas damnatus ob infinitum peccati pondus. Cũ lapis ab Angelo in mare projectus esset, reflectit *S. Jan.* quod vocem è cælo delapsam audierit: *Exultet cælũ, dies*

*festivos agant Sancti, lætentur Apostoli & Prophetæ, quoniam judicavit Deus judiciũ vestrum de illa* civitate magna, nimirum peccatore. *Post hæc audivit quasi vocẽ turbarum multarũ in cælo dicentium: Alleluja salus & gloria & virtus Deo nostro est: quia vera & justa judicia sunt ejus.* Repetiitque jucundum illud *Alleluja*, quod gestientis & exultantis animi signum & cantus est, quo Deo laudes rependuntur. Itaque non miserentur, sed [ut *S. Thomas* inquit] exultant Sancti in Patria de Justitia Dei in damnatione malorum.

9. Cæterum ignis hic infernalis unumquemq; juxta sua torquebit demerita: & quo peccatũ ex ferventiori affectu procedit, tantò acerbiùs punietur. Quo enim quis in peccato vehementiùs delectatur, eò dolorosiùs & acriùs igne infernali affligetur, quemadmodũ in *Apoc.* 18. 7. Dominus loquitur: *Quantũ glorificavit se & in delitiis fuit, tantum date illi tormentũ & luctum.* Et quoniã in vitiis carnis sunt ardor concupiscentiæ, fœtor imunditiæ, & delectatio major, ideo vitia illa infernali incendio specialiter æstuante acerrimè puniuntur. Unde asserit *S. P. Aug.* Quantũ hæsit amor, tantum affliget dolor. Super eundem textum sic loquitur *Dion. Carth* Quæ verba superbis & luxuriosis præsertim timenda & pensanda, quia quò nunc ampliùs intumescunt, & in carnis vilissimæ fœdissimis delectationibus se resolvunt, eò duriùs in infima tartari deprimentur, atq; intensiùs torquebuntur. Ast eheu nemo est, qui consideret vel in pendere sanctuarii trutinet illa quidem trita, sed nunquã sufficienter ponderanda verba: *Momentaneũ quod delectat, æternũ quod cruciat.* Quot sunt, qui à delisiarum illecebris decepti, nequaquam se reflectunt ad id, quod Spiritus Sanctus in pluribus locis de domo impudicæ mulieris protestatur dicens Prov. 7. v. 27. *Viæ inferni domus ejus?* Optimè igitur monet *S. Bern.* ser. 23. de modo bene vivendi dicens: *Ardor gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ, major ardor minorem ardorẽ superet, stridor flammarum horribilis, amorem depellat libidinis.*

# PARS SECUNDA.

## Dissseritur de sex aliis pœnis, quibus damnati cruciantur.

10. IN controversiam revocari nequaquã potest, quin reprobi in abysso infernali etiã crucientur frigore, id enim apertè colligitur ex illis verbis Job. 24. 19. *Ad nimiũ calorem transeat ab aquis niviũ.* *Hugo Ætherianus* de regressu anim. ab inferis cap. 12. ad hunc textum se reflectens, inquit: Intolerabile frigus penes inferna esse dicitur, scriptum est enim: *ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium*, quod quidem in constringendo tam efficax esse putatur, ut igneos montes cum tactu in glaciem permutaret: hinc fletus & stridor dentium oboritur. Pro cujus intelligentia fundamenti loco supponendum est, quod in barathro perditionis ignis, frigus, tenebræ, fœtor, aliaque quæ cruciant, non operentur duntaxat intra propriæ sphæræ limites, quin Omnipotentia Dei, ejusq; severissima Justitia hasce creaturas velut implacabilis furoris sui instrumenta assumens, virtutem illarũ ad collibitum sibi gradum elevat, adeò ut glacies & frigus octo graduum, quod secundum Philosophos est *Maximum quod sic*, in illa abysso damnatis generabit frigus & gelu ut centum graduũ; ac proinde minimè mirandum est, quod Author citatus, frigus nivium illarum sufficiens esse dixerit, ut solo contactu montes etiam igneos in glaciem & gelu transmutare valeat.

11. Meritò itaq; de hoc infernali frigore

fic fcribit *Dion. Carth. Itaque præcogitanda, metuenda, atque cavenda eft hæc pœna. S. Hieronymus* flamarum infernaliũ pœnalitatem, & frigoris fupplicium pari paffu procedere exiftimat; nam fuper præcitata ex *Jobo* defumpta verba fcribens, inquit: *Quafi duas gehennas S. Job dicere mihi videtur, ignis & frigoris. S. P. Aug.* fimiliter inquit: *duo funt principalia tormenta in inferno, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis.* Denique quantùm ignis gehennalis fuo calore excedit omnium ignium terrenorum calorem, tantùm quoque frigus infernale fuâ vi & aufteritate excedit ac fuperat omnia frigora mundi hujus. Penfemus ergo, quam intolerabile nobis effet unâ nocte frigidiffimæ hyemis nudo corpore ftare in aëre, aut congelari in aquis; Quàm acerbiffima igitur pœna eft, infernalibus affligi, penetrari, & congelari frigoribus? Nam etfi tormenta illa infernalium calorum ac frigorum quandoque interrumpuntur, ùt docet *Dionyfius Carthufianus*, nunquam tamen totaliter auferuntur: nec interruptio illa eft relevamen aut folatiũ miferorũ, fed ad acerbiorem & intolerabiliorẽ afflictionẽ ipforũ hæc tormentorum alteratio damnatis cedet, quia tranfeunt de uno extremo contrario, ad aliud extremum contrarium, nimirum de vehementiffimo calore ad maximũ frigus abfque temperamento & reductione ad medium.

12. Altera inferni pœna eft morfus, turpitudo, & horror vermium juxta illud *Ifaiæ* cap. 66. 24. *Vermis eorum non morietur.* Enim vero inter Sacros Interpretes controvertitur, an in illa ignis abyffo veri reperiantur ferpentes, fcorpiones, bafilifci, vermes, aliáq; fimilia animalia ad hominẽ infeftandum producta? Et quidem quod Salamandram attinet, hanc inter flammas naturaliter vivere, per experientiã compertum habemus; ac proinde multò magìs Deus per fuam Omnipotentiam in igne vivos confervare poterit omnes alios ferpentes & vermes, ut fœtida reproborum cadavera corrodant & devorent, non tamen confumantur, & in cineres redigantur. *Vindicta carnis impii*, inquit *Ecclefiafticus*, c. 7. 19. *ignis & vermis. S. Bafilius* voracium iftorum vermium infatiabilitatem his verbis demonftrat: *Inde vermium innumerabilium genus venenofum & carnivorum, efitans quidem femper, nec tamen fe exfatians, intolerabiles dolores morfibus infligens.* Et quantò quis in vita præfenti turpioribus & innaturalioribus, aut enormioribus inquinatur fceleribus, tanto illic à monftruofioribus, crudelioribus, ac horribilioribus vermibus affligetur, mordebitur, & operietur, ut dicitur in libro *Judith.* 16. 21. *Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & fentiant ufque in fempiternum.*

13. Tertia pœna eft pœnaliffimus fœtor, quo odoratus damnatorum amariffimè affligetur, & fpecialiter nominatur fœtor fulphureus, qui lamentabiliter cruciat. Unde in *Apocalypfi* 21. dicitur: *Pars iniquorum erit in ftagno ardenti igne & fulphure.* Advertamus igitur quàm graviter affligeremur fœtore cloacæ, & ignis fulphurei, atque cadaverum, fi talibus rebus alligaremur; atque ex hoc perpendere aliquomodò poffumus, quàm ineffabiliter crucientur damnati fœtoribus tartari; nam corpora damnatorum fœtidiffima erunt fic, ut tefte *S. Bonaventura*, c. 39. fi vel unius damnati cadaver in orbe hoc noftro effet, orbis totus ab eo inficeretur fic, ut omnes homines, cunctaque animalia tam volatilia & quadrupedia, quam natatilia inficerentur, & vivere definerent. *De cadaveribus eorum, ait Propheta Ifaias,* 34. 3. *afcendet fœtor. P. Mendoza* in nonnullis in lucem editis concionibus funeftum hunc cafum refert. Apparuit, inquit, cuidam Religiofo fpiritus damnatus, qui ex trifti hoc fpectaculo [ maximè quia hoc

fine

fine eum apparuisse audierat, ut aliquod ei pœnarum infernalium specimen ederet, ideóque quale sibi exhiberi vellet, ab eo interrogaretur] obstupefactus, respondit, velim ut unum ex minoribus minúsque terrefacientibus mihi exhibeas; Cúmque per quem sensum illud percipere desideraret, spiritus interrogasset, & Religiosus illud sibi per odoratum exhiberi petiisset, reprobus ille spiritus luctuosa chlamyde coopertus, nihil aliud fecit, quam quod solâ illius fimbriâ levatâ pectus monstravit, è quo tam horrendum exhalavit fœtorem, ut subitò religiosus ille in terram mortuus ceciderit, & per diffusam per universum monasterium pestilentialem puteolentiam omnes illius religiosos pariter mori fecerit, cujus Monasterii situs adeò desolatus fuit, ut in ruinam declinans vix lapidem super lapidem residuum habuerit. Sanè si effectum hunc vel unica damnati anima operari potuit, quanto magis post universale Judicium putridum fœténsque erit, spurcum & immundum cadaver illius?

14. Quarta damnatorum pœna est horrendus aspectus dæmoniorum & omniũ damnatorum, quorum animæ dæmonibus in turpitudine ac deformitate assimilantur, & quorum corpora post diem Judicii erunt deformiora, & ad intuendum horribiliora, quam quando erant in monumentis à vermibus pro media parte corrosa, & serpentibus, bufonibúsque operta. Denique si tam ineffabiliter horribile & pœnale est, dæmonem unum in sua deformitate conspicere, ita ut aliqui hoc experti, testati sint, se malle ardentem intrare fornacem, quam diabolum sic videre, quam inopinabiliter erit pœnosum tot malignissimos, turpissimos, & furiosissimos spiritus perpetuò intueri? In *Chronicis Franciscanis* p. 1. c. 62. refertur, quod cùm *Seraphicus Franciscus* dæmonem quendam facietenus conspexisset, fratri Ægidio illum adeò deformem esse dixerit, ut nemo illum per unius *Ave Mariæ* spatium videre possit, quin præ horrore moriatur, nisi à divina gratia confortetur. *S. Catharina Senensis* eâdem dæmonis visione habitâ tanto fuit horrore & tremore perculsa, ut liberè fassa fuerit, quod data sibi à Deo optione ad diem usque universalis judicii in igne ardere mallet, quam adeò horrendam figuram iteratò conspicere. Ita refert ipsa Sancta Virgo de Divin. provid. c. 38. Hic consideremus oportet: Si tam ineffabilis sit cruciatus vel unum intueri dæmonem, quænam igitur erit damnatorum miseria, qui non solùm unicum vident diabolum, sed integros milliones, omnésque contra damnatos sævientes carnifices?

15. Quinta inferni pœna est ferventissima fames, & quanto quis in vita hac gulosior est, & delicatiùs atq; intemperantiùs vivit, jejunia quoque Ecclesiæ frangit, tantò intolerabiliori fame cruciabitur in inferno. Propter quod Christus apud *S. Lucam* 6. 25. dicit: *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* Ubi *Dion. Carth.* observat, Salvatorem nostrum hoc loquendi modo nequaquam cibum convenientem condemnasse, sed solũ superfluum, unde ait: *Væ vobis gulosis, qui non ad necessitatem sed ad voluptatem vos reficitis, & fœtidam carnẽ superfluè adimpletis. Hugo Card.* hunc textũ exponens, inquit: *Væ vobis, qui saturati estis, quia saturitas famem parit æternam.* Hinc Deus apud *Isaiam* 65. 13. sic protestatur: *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis; ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini; ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritûs ululabitis.* Hic recole quæ supra serm. 56. num. 2. & 3. de famis rabie dicta sunt, ac simul perpende, quòd si fames trium, quatuor vel sex dierum spatio tolerata, insupportabilis est; Qualis erit acerbissima inferni fames, quæ semper per omnem æter-

nitatem magis magísque adaugebitur? Hæc autem fames reproborum tantò magis cruciabit, quantò lautiùs & abundantiùs appetitum suum in hac vita per diversi generis delicata edulia explevit. Unde Psalmista postquam de reprobis dixisset: *Manducaverunt, & saturati sunt nimis*, Mox illos hanc saturitatem perpetuâ quadam diætâ luituros esse pronunciat dicens: *Famem patientur ut canes*. Psal. 58. 7. Hinc ad declinandam hanc intolerabilem & sempiternam famem saluberrimum dat monitum *Siracides* Eccli. 14. 17. dicens: *Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibos.*

16. Sexta pœna inferni est ardentissima sitis. Quam atrox verò & intolerabile sit sitis tormentum, colligitur inde, quod nonnulli Reges regno cesserint, quia sitim tolerare non valebant. Lysimachum memoria prodit, cùm fuisset in Thracia prælio victus à Dromichete, ac siti ferè necatus, se exercitúmque hosti permisisset, ut sitim extinguere posset, jam desiderio expleto: O Dii, inquit, *quam pusillæ voluptatis gratia in servitutem me ex tanto Rege conjeci?* *Plutarchus* aliam quandam refert historiam, ex qua, quam excessivum sit sitis tormentum, clarè conijcere possumus; ait enim: Fama est *Solum* inter Lycurgi majores clarissimum, cùm in loco arido, & aspero circumsideretur, à Clitoriis pactum fuisse, si ipse, totúsque exercitus suus ex propinquo fonte bibissent, agrum se, quem iis ademerat, se redditurum. Cùm esset id fœdus jurejurando sancitum, concione advocatâ suorum, pronuntiasse, Regnum se ei, qui non bibisset, dare; ubi nemo se temperare potuit, sed biberunt omnes.

17. Christus Salvator noster, tametsi omnia tormenta, illi illata, atrocissima fuerint, illa tamen tanto cum silentio & patientia sustinuit, ut ne minimum quidem signum doloris, vel displicentiæ ederit; at verò quando siti cruciari cœpit, continere se nequivit, quin clamaret *Sitio*. Ex quo sanè patet, quantùm sitis hominem molestet & cruciet. Nunc ergo pensitemus, quàm intolerabilis & expavescendus erit cruciatus æternùm siti torqueri, præsertim cùm damnatorum sitis ineffabiliter major & pœnosior sit siti nostrâ. Seriam in præsenti reflexionem meretur parabola, seu historia illa, quam de Epulone nobis tradidit Sapientia Incarnata, qui, quia quotidie lautè epulabatur, & Lazaro mendico micas negabat, *sepultus est in inferno*. Luc. 16. 22. Quod hìc valde est obstupescendum, hoc est, quod inter innumerabiles damnatorum cruciatus Epulo iste de sola conquestus fuerit ardente siti; non enim torrentes aquarum petiit ab Abrahamo, ad extinguendum ignem; non legiones armatas ad retundendos dæmones crudeles carnifices; non lumen ad illustrandas densas tenebras, sed unicam aquæ guttam, quâ palatum refrigeraret: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* Ex quo sanè constat, quam miserrimè & ineffabiliter damnati cruciabuntur æternùm ex perpessione sitis, hanc autem pœnam vel maximè sustinebunt, qui nunc epotandis calicibus vacant, seque generosis vinis ingurgitant, & ob hanc causam dictus Epulo vel maximè in lingua cruciabatur, æternúmque torquebitur, quia per eam splendidè epulando plus peccaverat. Proinde *Isaias* 5. omnibus potatoribus, ebriosis, ac vinolentis inclamat: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & ad potandum usque ad vesperam.* Et Sapiens *Prov.* 23. similiter monet, ut potatorum societatem fugiamus, dicit enim: *Noli esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum, quia vacantes potibus & dantes symbola consumentur.* Veruntamen quamvis damnati

in sua æstuantissima siti non omni prorsus potu destituentur, nihilominus potus, qui eis præbebitur, non tam sitim eorum restinguet, sed potiùs in majorem rabiem exacuet. Potum hunc describit *Propheta Moyses* in hæc verba Deut. 32. 32. *Fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile; ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Hæc ergo inferorum tormenta pensiculatè tractemus mente, si ea effugere paramus; *Non enim sinet Deus*, ait S. *Chrysostomus*, in Ps. 48. *in gehennam incidere, gehennæ meminisse.* Unde idem *S. Doctor* nobis hoc inculcat monitum: *Ne fugiamus sermonem de gehenna, ut gehennam fugiamus; ne fugiamus pœnæ mentionem, ut non puniamur: Si dives ille illum cogitasset ignem, non peccasset, quoniam autem ejus nunquam meminit, in eum incidit.* Ita *Chrysostomus* in ep. ad Thessal.

# PARS TERTIA.

## De tormentis, quæ damnati ex pœna damni, & æternitatis consideratione percipiunt.

18. QUemadmodum summum hominis bonum, & vera ac plena ejus felicitas est, Deo bonitatis immensæ frui, & eum clarè per speciem videre: ita privari hâc fruitivâ & beatificâ visione Dei, est maxima miseria hominis, & summum damnum ipsius. Porrò, hæc carentia beatificæ ac beatæ visionis Dei vocatur *pœna damni* in damnatis; Cruciatus verò ignis ac frigoris, aliorúmque infernalium tormentorum nominatur *pœna sensûs.* Ast quantum visceribus damnatorum tormentum allatura putamus in omnem æternitatem minatoria illa Christi verba & condemnationem finalem in se continentia: *Discedite à me maledicti in ignem æternum!* præsertim postquam audierint aliis dici: *Venite Benedicti Patris mei*; necnon postquam cæteris aperiri cælum, sibi verò perpetuò occludi viderint? Vivaciter admodùm tormentum hoc coram oculis nostris depictum reliquit *S. Bernardus*, ser. 27. de modo bene vivendi. dum ait; Unde verò impii tanto animi furore tabescerent, nisi in regno summæ beatitudinis coram se se vidissent alios introduci, & tunc demum in illos se se fœtores, in illos horrores, in illos æterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos? Quantoperè verò hæc pœna gravis sit, indicat *S. Chrysostomus* hom. 24. in Matt. dicens: *Hæc pœna major est quàm cruciatus ille flammarum.*

19. Quamvis porrò damnati non diligant, sed odio habeant Deum, & ob hoc non cupiant ei uniri, nec eo frui, in quantum hoc cederet ad Dei laudem & gloriam: cupiunt tamen beatitudinem, & vellent esse in regno cœlorum, in quantum hoc esset utile eis, & evasio suæ damnationis, à qua maximè eripi cupiunt, aut cuperent, si esset possibile. Hinc S. Gregorius ait: *Dubium non est, quin hi, qui in inferno sunt, ad sortē Beatorum transire desiderent.* Unde & dictum est, quod in die generalis Judicii primò vocabuntur Electi ad regnum cœlorum, & in conspectu reproborum ascendent cum gloria

gloria ad æternorum plenitudinem gaudiorum, ut videant reprobi quid neglexerint ac perdiderint, & inde perpetuò contristentur. Et hæc est ratio, cur justissimus & severissimus Judex Christus coram damnatis in judicio finali, priusquam hi in æternæ damnationis barathrum præcipitentur, Paradisum cœlestem aperire constituerit, nimirum ut acriùs doleant, videntes quid amiserint. Vel [ ut rursus *S. Gregorius* idem hom. 40. in Evang. ait: ] *ut peccatores in suppliciis ampliùs puniantur, dum eorum vident gloriam, quos contempserunt.*

20. Et sanè, si tritum hoc verissimum est axioma, scilicet: *Quòd opposita juxta se posita magis elucescant.* Quis hinc extremum facilè non colliget supplicium damnatorum, maximè cùm perfectum possessuri sint lumen, ut bona cognoscant cœlestia, quæ per culpam propriam amiserunt. Ubi proinde *S. Laurentius Justinianus* de vit. solit. c. 10. exclamat dicens: O qualem fecerunt commutationem, ut videlicet exultarent in exiguo tempore, & æterno cruciarentur supplicio, quis illorum valet considerare jacturam? Duplicia enim receperunt de manu Domini pro universis iniquitatibus suis, damni pœnâ torquentur & sensûs. Amiserunt namque Deum, cæli delicias, Angelorum consortium, merita electorum, Agni nuptias, beatam resurrectionem, immortalitatis stolam, & beatam vitam. In his potissimum damni pœna consistit. Hactenus *S. Patriarcha.*

21. Ratio verò, cur nimirum damnati tam pœnâ sensûs, quã pœnâ damni mulctentur, est, quia in omni peccato mortali duo sunt distinguenda: unum est aversio mentis à summo & incommutabili bono, & huic aversioni debetur, correspondet, atque infligitur pœna damni, videlicet divinæ visionis carentia. Alterũ est inordinata conversio mentis ad bonũ creatũ, caducum ac vanum, & huic conversioni iniquæ correspondet pœna sensûs. Sed pœna damni secundum omniũ Theologorum, & *SS. Patrum* sensum longè gravior & pœnalior est pœnâ sensûs. Ideo ait *S. Chrysostomus*: Sunt quidam insipientes, qui sibi sufficere arbitrantur, si à sensibilibus inferni suppliciis eruantur: Ego autẽ omni pœnâ gravius reor à vultu Dei repelli, ac felici ejus fruitione privari. Et iterum: Excludi, inquit, à bonis æternis, & alienum effici ab his, quæ Deus præparavit diligentibus se, tam gravẽ generat cruciatum, ut quamvis exteriùs nulla torqueret flamma, hoc solum sufficeret, & melius esset mille flammas tolerare, quam mansuetissimam Christi faciem iratam conspicere, atque ab ea in æternum recedere.

22. *Sanctus* quoque *Laurentius Justin.* hanc ipsam damni pœnam omnibus aliis majorem & intolerabiliorem esse sustinet dicens: Interminabilis divinæ visionis carentia dolores supereminet universos. Quam veritatem sequenti facilè explicare possumus similitudine: Si enim Rex quispiam in filium, aliquem Juvenem adoptaret, loco humili natum, eo tamen pacto, ut si Magistro suo obediens in literis proficeret & bonis moribus, ei in regno successurus esset, sin minùs, triremes experturus. Si itaque Juvenis iste libros projiceret, suóque pædagogo inobediens se vitiis in prædam daret, ideóque in dictam incideret pœnam; hic utique longè magis affligeretur propter regni, sceptrique regii jacturam, quam ob continua, quibus subjaceret, flagella.

Ecce

Ecce tibi utcunque adumbratum animæ damnatæ tormentum, huic enim Deus vivacem injiciet apprehensionem finis, propter quem creata erat, scilicet ut in cælis regnaret; huic infinitum semper, quod perdidit, bonísque terrenis postposuit, ob oculos ponet bonum. Præter quam rationem aliam quoque, cur pœna damni omnibus aliis pœnis præponderet, assignat *Josephus Mansi* tr. 34. disc. 22. Quia scilicet pœna sensus inferiorem duntaxat cruciat hominis portionem; pœna autem damni simul cum pœna sensûs incessanter cruciabit portionem superiorem, scilicet animam; atque ita quemadmodum Beatis longè maximam voluptatem affert visio divina, quæ omnes alias simul unitas paradisi delicias excedit; ita quoque longè crudelissimo tormento damnatos afficiet ejusdem visionis privatio, in qua essentia beatitudinis consistit, ita ut reliquos inferni cruciatus, quasi nihil faciant in comparatione illius. Abhorreamus ergo hoc maximum damnum, hoc incomparabile malum, tamque immensum dispendium, & ne in hoc ineffabile damnatorum supplicium incidamus, solicitos nos esse oportet, ne in vita præsenti à divino separemur amore per aliquod peccatum mortale.

23. Explicatâ unâ propositionis nostræ parte, nimirum quanta sit pœna damni; alterum est, ut de æternitate breviter differamus, quia damnati ex ejus consideratione inexplicabili afficiuntur cruciatu. Quod verò eorum tormenta æternùm sint duratura, apertis æterna Veritas indicat verbis; dum subjungit, *in ignem æternum.* Quod ulterius confirmatur per illa *Apocal.* 20. 10. *cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* In hujus rei typum ignis fornacis Babylonicæ quadraginta novem cubitis supra fornacem ascendebat, sed nunquam ad quinquagesimum, qui erat annus Jubilæi, perveniebat, ut per hoc significaretur ignis tartarei combustionem fore perpetuam, & damnatos nunquam indulgentiam seu veniam peccatorum consecuturos. Unde *Regius Vates* de illis dicit: *Ps.* 48. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Quia ut *S. Bernardus* serm. 2. de verb. Apostoli ait: semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem. Non enim mors eradicabit eos, vitam ex toto aufferendo, sed depascet, conservando radicem vitæ, ut iterum pullulent, iterum iterúmque atque in æternum depascendi.

24. Cæterum, quia æternitatem comprehendere non valemus, nisi per quasdam circumlocutiones, & exemplares declarationes, ad incutiendum cordi salubrem timorem infernalis supplicii retrahentem à vitiis; has autem nobis Sancti Patres ob mentis oculos ponunt; & inprimis *S. Bonaventura* in diæta salut. tit. 10. c. 1. ait: Si damnati singulis diebus flerent, & in fletu emitterent modicam lacrymam, plus de aqua per processum temporis, de oculis unius damnati exiret, quam sit aqua totius mundi. S. quoque *Bernardinus* Tom. 3. serm. de cont. mundi suos in æternitatem conjiciens oculos, in sequentia prorumpit verba: *O æternum, nunquam finem habiturum in Deo! O finis sine fine, O mors gravior morte! Semper mori, mori non posse.* Quam infinitam æternitatis durationem sequenti exemplificat similitudine, dicens: Quod si per impossibile moles reperiretur tanta, quæ universam cæli complecteretur circumferentiam seu ambitum; sicque avicula aliqua post singulos centum mille annos tantum ex ea raderet, quantum decima foret pars grani milii, atque

atque ita decies idem faceret post centum alios mille annos, ita ut spatio unius millionis annorum, tantum ex eâ tolleret, quantum est unicum granum illius: En prô dolor ( prosequitur idem Sanctus ) nos miseri gratulati multum & consolati essemus, quia post longam & plenam consummationem totius lapidis finem haberet sententia nostræ dãnationis æternæ. Et nihilominus quando hujusmodi immensa moles, post tot millionum, & millionum sæculorum sæcula deficere inciperet, tunc suum quasi exordium caperet æternitas, nec vel minimum ejus transiisset momentum, utpote ubi nullus tempori locus est, ideóque *S. Antoninus* 4. p. Tit. 14. c. 3. §. 5. de damnatis ait: haberent pro maxima gratia & summo beneficio, ut in illis pœnis essent tot annis, quot sunt grana arenæ maris, & guttæ aquæ ejus, illæ etsi à nobis numerari non possunt præ multitudine, à divina tamen sapientia numerantur, quæ omnia constituit in pondere, numero, & mensura.

25. Heu, heu igitur miseris damnatis! qui in suis atrocissimis tormentis nec minimum sentient relevamen, clarè intelligentes, intolerabiles suas ærumnas, nunquam penitus terminandas, nec breviandas, nec minuendas; sed postquam arserint in inferno per innumerabilia annorum millia, sic erit, quasi nunc primò inciperet illorum punitio. Si ergo tantoperè timemus, & refugimus temporalis vitæ pœnas; qualis ergo præsumptio & stultitia est, per momentanea hujus mundi gaudia & fœda oblectamenta sese conjicere in tormenta per totam æternitatem nunquam terminanda? Certò si neminem reperire licet in isto sæculo, qui per annum unum, imò nec per unum diem, & forsan nec per unam horam vellet jacere & ardere in ardenti fornace pro omnibus mundi deliciis, atque divitiis, & honoribus, qualiter ergo audet quis peccare mortaliter, sciens quod per hoc se æternæ damnationis reum constituat? Sed dicet quis, pœnitentiam in morte agam. O dementia, O cæcitas ineffabilis, heu, heu, quot non millionum millia sic cogitantes, ac pœnitentiam differentes æternaliter perierunt!

26. Jure igitur meritò damnati *insensatos* se appellant, quia nulla est major insania quàm bona sectari transitoria, brevibúsque inhiare delectationibus, ut ærumnis subjiciantur æternis. *Rabanus* proinde optimè monet inquiens ( *Raban.* T. 6. l. 3. de modo pœnit. c. 10. ) Non putemus, quia suppliciorum nimietas donabit nobis finem dolorum; peccata pœnas ascendunt, incorruptio verò animæ & corporis nullum suppliciis terminum dabit. Dic nunc, quanta tempora luxuriæ, quæ deliciarum spatia, comparare velis talibus pœnis? Centum placet annos deliciis dare; adde & alios centum; si libet, decies centum adde, & quæ erit ex his ad æternitatem comparatio? Nonne omne tempus vitæ hujus, quo deliciis perfrui videtur, & indulgere libidini, quasi unius noctis somnium ad æternitatis comparationem videtur esse? De viro quodam mundano, deliciis & voluptatibus hujus vitæ dedito, refertur in *Manip. Exemp. verb. Infern.*, quod die quadam semetipsum his verbis interrogare cœperit: Si post mille annos animæ damnatorum à pœnis liberarentur? respondebat ei cogitatio, quod non; si post centum millia? non; Si post tot millia annorum, quot sunt guttæ in mari? non, & ideo talia cogitando perterritus, cæpit attendere, quàm miseri sint hujus mundi amatores. Porrò, cur

cur damnatorum cruciamenta æternùm perennatura ſint, rationes aliquas adduximus ſupra ſerm. 56. num. 34. & 35.

# PARS QUARTA.

## Conſiderantur aliæ inferni pœnæ in genere.

27. NArrat *Innocentius III.* apud *Joſeph. Manſi* tr. 34. diſc. 7. qualiter defunctus quidam ſcholaris, diſponente Deo, nocte quadam ſuo apparens Magiſtro, ſe in æternæ damnationis barathrum præcipitatum eſſe dixerit; nec interitum diſcipuli obſtupuit præceptor, utpote cujus peſſimam vitam ſimili terminandam exitu probè noverat. Cùm autem inter argumentantes facilè primus fuiſſet, dum viveret, eum interrogavit, utrum etiam in inferno diſputationes locum haberent? cui miſer: *Apud inferos ſolùm quæritur, quid non ſit pœna*; cúmque quâ ratione quæſtio hæc ſalveretur, eum interrogaſſet; reſpondit diſcipulus, *pro parte negativa*; per hoc inſinuare volens, nihil adeò in inferno exile eſſe, quod dolore, & exceſſivo careat tormento; Ideóque omnes meritò damnati ingemiſcere poſſunt perpetuò dicentes: *Circumdederunt nos mala, quorum non eſt numerus. Pſ.* 39. 15. Supra eos paradiſus eſt, ſed æternùm ipſis occluſus; ſub iis abyſſus eſt, ſed nunquam aperienda, ne fugæ pateat locus; ante ſe æternitatem videbunt omnium tormentorum, perpetuò tolerandorum; à tergore illos amariſſima cruciabit inceſſabiliter præteritarum voluptatum memoria; ad dextram dæmones experientur carnifices, furibundos, indefeſſos, & malignos tortores; ad ſiniſtram innumerabiles habebunt culparum comites, qui pœnas augebunt: Intus nunquam moriturus ream conſcientiam mordebit vermis & deſperatiſſima deſperatio. Hinc S. *Laurentius Juſtin.* de vit. ſolit. c. 10. poſtquam damni pœnam in inferno fuſiùs conſideraſſet, ſubjungit dicens: Illis autem addita eſt ſocietas dæmonum, horrendus ipſorum aſpectus, ardor inextinguibilis ignis, ſtridor dentium, palpabiles tenebræ, interiores lacrymæ, improperiorum vociferatio, intolerabilis ſitis, ſulphureus fœtor, conſcientiæ vermis, carcer abyſſi, evadendi deſperatio, & interminabilis divinæ viſionis carentia.

28. Verùm enim verò, quamvis hæc tormentorum infernalium genera unumquemque juxta numerum & menſuram peccatorum, plus minúſve cruciabunt, malos tamen Chriſtianos ineffabiliter magis, quàm infideles, gehennæ ſuppliciis torqueri variis compertum habemus exemplis. *S. Macarius*, dum aliquando in eremo ambularet, reperit caput hominis jacens in terra; & dixit ad caput: Quis es tu? Reſpondit caput: Ego fui Sacerdos Gentilium, tu verò es *Abbas Macarius*, Dei amicus, qui habes Spiritum Sanctum; & ſubjungens ait: Quantum diſtat cœlum à terra, tantùm eſt ignis ſub pedibus noſtris, & ſuper caput noſtrum. Quo audito Venerabilis Senex cum fletu ait: Væ homini, qui transgreſſus eſt præcepta Dei! Hinc ulteriùs ſciſcitans, utrùm aliud gravius tormentum in inferno eſſet? Audit: Majus tormentum ſubtus nos eſſe. Interroganti rurſus *Macario*, quinam in eo eſſent? reſpondit caput: Nos gentiles, qui ignoravimus Deum, habemus

modicæ aliquid misericordiæ; hi verò, qui cognoverunt Deum, & non vixerunt secundùm voluntatem ipsius, subtus nos sunt, & graviùs puniuntur. Quibus dictis sepelivit senex caput illud. Itaque quanto Christiani magìs agnoscunt Dei præcepta, eò graviùs peccant, & acerbiorem damnationem recipiunt. Et quo plura ac majora à Deo beneficia sunt sortiti, eò damnabilior est eorum ingratitudo atq; transgressio; Quod Salvator noster apud S.*Lucam* (*Luc.* 12.47.) clarissimis omnino verbis declarat dicens: *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna, vapulabit paucis. Cui enim plus datum est, plus requiretur ab eo.*

29. Quantam verò distinctionem ac diversitatem pœnarum arbitramur inter paganos & Christianos? S. *Cyrillus Episcopus* meminit in Epistola, quam misit *B. P. Augustino*, in qua de miraculis gloriosi *Hieronymi* refert, qualiter meritis *S. Hieronymi* fuerint à morte resuscitati tres viri, qui mox, ut resuscitati sunt, cœperunt gaudia beatorum, pœnásque peccatorum tam purgatorii quàm inferni clarâ voce omnibus prædicare. *Sanctus* enim *Hieronymus* duxerat eos secum in paradisum, purgatorium, & infernum, ut quæ ibi videbant, patefacerent universis. Ex his ergo tribus resuscitatis unus dixit *B. Cyrillo*: Tantum differt in inferno inter cruciamenta iniquorum Christianorum & paganorum tormenta, ut paganorum cruciatus respectu eorum, quos falsi & impii sustinent Christiani, sint quasi nulli, quamquam paganorum tormenta omnino ineffabilia & magna sint, & à viventibus incogitabilia. Et dignum est; quia gratiam Dei mali Christiani in vacuum receperunt, nec voluerunt à peccatis corrigi, dum vixerunt, & exhortationes Scripturæ reputaverunt pro nihilo.

30. Ulteriùs narrat *Cyrillus* in præfata Epistola dicens: Quadam vice ad unum trium illorum ivi, quem dirè lacrymantem inveniens interrogavi, cur in tantùm lugeret? qui ex verbis meis nullam consolationem admittens, & sæpè interrogatus, tandem mea importunitate victus respondit: Si scires, quæ pridem expertus sum, jugiter fleres. Quales enim pœnas credis esse non solùm damnatis, sed etiam in purgatorio existentibus? Ad quod ego: Puto quod majores sint pœnis præsentis vitæ. Et ille: Si omnes, inquit, quæ in mundo sunt, pœnæ, tormenta & afflictiones, compararentur minori pœnæ, quæ illic habetur, veluti solatia apparebunt. Mallet námque viventium quilibet, si illas per experientiam nosceret, omnibus pœnis his simul sine remedio cruciari usq; ad finem mundi, quas omnes homines ab Adamo usque ad præsens sigillatim perpessi sunt, quam uno die in inferno, aut purgatorio affligi minori pœnâ, quæ ibi habetur. Idcirco causa fletûs mei est timor pœnarum, quæ peccatoribus justè debentur. Scio quippe me peccasse in Deum, quem justum esse non dubito. Non ergo mireris, si ploro, sed potiùs admirare, cùr homines, qui se esse mortales agnoscunt, tantâ hîc vivunt securitate, neque verentur pœnas illas incidere, neque soliciti sunt, qualiter eas pœnas possint evadere. Insuper tanta pœna est dæmones intueri, quod unusquisque mortalium potiùs se præberet ardentibus flammis arsurum, quam in ictu oculi formas illorum vellet inspicere, quorum aspectibus nihil pœnosiùs, nihil horribiliùs potest excogitari.

31. Quamobrem adverte ô homo, quantæ angustiæ, quantæ calamitates atq; formi-

formidines circumdabunt animam tuam, mox ut de corpore exierit, quam modò carnalibus desideriis, & immundis deliciis insipientissimè subdis, quam delicatè ac molliter modò tractas. Cur non advertis, quod Salvator dicit: *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Joan. 12. 25.* Qui enim carnaliter amat eam, peribit, qui vero salubriter odit eam, refrenando ipsam & castigando, æternam meretur salutem. Considera quam ingens formido vallabit eam, dum corpore derelicto, dimissisque omnibus charis amicis, ac sociis domesticis & propinquis, cum quibus jam familiariter & delectabiliter conversaris, regionem intrabis ignotam, & obviabunt tibi teterrimi & crudelissimi tortores, accusatores & illusores; cogita qualiter accusabunt te apud Judicem, móxque, ut fueris adjudicatus tormentis, in momento, in ictu oculi rapient te, ac poenis immergent sine fine duraturis.

32. Hæc ergo hominis novissima frequenter à nobis sunt expendenda, quemadmodum olim S. *Pachomius* suos Religiosos docuit, dum longam quandam exhortationem suam sequentibus verbis terminavit: *Ante omnia præ oculis habeamus ultimam diem, & momentis singulis æternorum dolorum supplicia formidemus.* Ubi bene notare debemus Ly *Ante omnia*; quia inter omnia, quantumcunque pia exercitia, nullum ita salutem nostram promovet, quemadmodum attenta de pœnarum infernalium atrocitate consideratio. Quam veritatem, ut *Vitæ Patrum* perhibent, optimè penetravit S. *Macarius*; nam quando ex monte Nitriæ multi ad ipsum ablegati fuêre servi Dei, rogaturi eum, ut tantâ sanctitate celebris, tantique spiritûs Magister ad eos accedere dignaretur, sin minùs, se omnes ad eum properare paratos esse. Abiit ille, cujus præsentiâ gaudentes fratres, avidis certatim auribus verba excipiebant Magistri, ast ille lacrymis potiùs, quam verbis perorans universam exhortationem, conferentiam, & discursum suum his pauculis quidem, sed summè considerabilibus terminavit verbis: *Ploremus, & lacrymas, ô fratres, oculi nostri producant, antequam hinc eo migremus, ubi lacrymæ comburunt corpora.* Quæ doctrina tantum effecit, ut singuli in ferventes veræ compunctionis actus proruperint. Hujus ergo Sanctissimi Abbatis doctrinam in imis nostris præcordiis insculpamus, & *annos æternos*, cum Propheta *Jessæo, in mente habeamus*, horrorémque divini judicii, ac æterni supplicii immensitatem frequenter ruminemus & enucleatè pensitemus, quatenus quotiescunque tentatio voluptatis, concupiscentiæ carnalis, ac amor peccandi animum nostrum pulsaverit, protinus ex horum memoria & consideratione à vitiis revocemur, & omni tentationi efficaciter reluctemur. Itaque non sit fides nostra dormiens & obscura, sed vivax & clara, ita ut hæc tam fructuosè pensemus, ac si ea intuiti & experti essemus, sicque pœnitentiæ opera strenuè impleamus, ut terribilissimum illud tonitru: *Ite maledicti in ignem æternum*, feliciter effugiamus, & cum beatis audire mereamur: *Venite Benedicti*, &c.

* * * *
* * * *
* *
*

# PARS QUINTA.

## Qui pœnas conſiderat infernales, ad ſubeundas in hac vita veræ pœnitentiæ paſſiones, aliáſque tribulationes animatur.

33. ISaias Propheta interrogat: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Unica enim ignis infernalis ſcintilla ad conflagrandum totum hoc univerſum ſufficeret; Quâ ratione ergo S. Rex *David* in tam diram erga miſeros peccatores, imprecationem prorumpere audet: *Deſcendant in infernum viventes? Pſal.* 54. 16. Nonne ille eſt David, qui abſque ullo periculo vindictam ſumere potuit de tot injuſtitiis & perſecutionibus Saulis, & tamen abſtinuit? Qui convitiis à Semei affectus, acriter illum reprehendit, qui Semei inſolentiam ulciſci voluit? Qui in aliis occaſionibus graviſſimè offenſus, lædentes minimè corripuit, ſed pluſquam paterno affectu dilexit? Nonne ille eſt David, qui ſummâ fiduciâ nixus, Deo dixit: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus? Pſ.* 130. 1. Quomodo ergo nunc in tam manſueto Rege tantus vindictæ ardor, ſuis ut inimicis imprecetur, ut vivi ad infernum deſcendant? Reſpondet S. *Bernardus*, & dicit, hanc imprecationem *Davidis* nullam eſſe crudelitatem, ſed magnam potiùs miſericordiam, quia non ex animo vindicativo, ſed ex paterno miſerationis affectu proceſſit; Qui enim vivus in infernũ deſcendit, non deſcendit mortuus; qui infernum meditatur, in eum non incidit, nam delicta ſua exuit, & pœnitentiam agit. Audiamus melliflua S. *Doctoris* verba: Deſcendant in infernum viventes, videlicet ne deſcendant morientes. Hoc enim modo ſæpe, cellarum incolæ in infernum deſcendunt: Sicut enim aſſiduè contemplando reviſere amant gaudia cæleſtia, ut ardentiùs ea appetant; ſic & dolores inferni, ut horreant & refugiant, & hoc eſt, quod imprecantur inimicis ſuis orantes, ſcilicet ut deſcendant ad infernum viventes. Hactenus S. *Bernardus* ſerm. ad Frat. de monte Dei.

34. Porrò, ne cogamur quondam tanquam mortui ad infernum deſcendere, ejúſque tormenta æternùm perferre, deſcendamus nunc vivi, mentem videlicet inclinando ad ipſum meditandum; Siquidem nullum medium potentius dari poteſt ad reformandos malos mores, & ad rigores vitæ pœnitentis omnéſque alias adverſitates, cum patientiæ merito conſtanter tolerandas, quam pœnarum infernalium meditatio, dicente S. *P. Aug.* ſerm. 109. de Temp. *Dura ſunt, moleſta ſunt, horrent, quando narrantur quæ quiſque gravia valde patitur in hac vita; in comparatione autem æterni ignis non parva, ſed nulla ſunt.* Et in *Pſal.* 68. idem S. *Doctor* dicit: *Quis non bibat temporalis tribulationis poculum, metuens ignem gehennalem? & quis non contemnat dulcedinem ſæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ? Majori timore contemnimus minora, & majori æternitatis cupiditate omnia temporalia faſtidimus.* Refert *Ven. Beda* hiſt. Angl. l. 5. c. 13. de quodam Patrefamilias, nomine Trithelmo, qui cùm jam mortuus

tuus esse crederetur, post aliquod tempus ad se reversus vitam sibi à Deo prolongatam esse dicebat, ut illam deinceps alio modo, quam hactenus ad illud usque tempus fecerat, per virtutis exercitium institueret. Quapropter facultatum suarum unam partem filiis, aliam verò pauperibus assignavit; sícque ab omnibus sæculi rebus expeditus, ad desertum confugit, ubi juxta flumen quoddam cellam construxit, in quo flumine se frequenter vestitus volvebat, vestésque usque ad carnem congelari permisit, ac paulò post calidissimum introivit balneum, quatenus ex contrariorum varietate, & successione pœnarum duriùs pateretur; Qui cùm ab aliquibus reprehensus & interrogatus fuisset, quare hoc faceret? dixit: Majora his faceretis, si vidissetis, quæ ego vidi. Sícque usque ad mortem in suæ conversationis rigore permansit.

35. *Abbas Olympius*, ut refert S. *Joannes Climacus*, aliquando interrogatus, qualiter speluncæ suæ inhabitare posset angustias, & excessivos supportare posset calores; præter apium, muscarum, & culicum sanguinem continuò elicientium, morsus & puncturas? Respondit: culices sustineo, quia vermem timeo immortalem; flocci-facio calorem, quia ignem pertimesco æternum; Hæ afflictiones finem habebunt, non illæ. *S. Theresia*, in spiritu aliquando rapta, postquam inferni pœnas coram aspexisset, tantum exinde suis in ærumnis consolationis & confortationis hausit augmentum, ut effari facilè nequeat, quemadmodum ipsa de se testatur sic scribens: ita autem visis his pœnis consternata fui, & adhuc sum modò, dum hæc scribo (esto jam sexennium ab hac visione effluxerit) ut calor naturalis me præ timore, ubi hìc sum, destituere videatur. Atque inde est, ut in tribulatione & angore, & doloribus constituta nunquam hujus meminerim, quin statim mihi omne, quodcunque demùm hic homo pati possit, merum nihil esse videatur; itáque ex parte immeritò & frustra de doloribus, quos hìc patimur, conqueri videmur. Unde iterùm dico, hoc de maximis, quæ Dominus in me intulit, donis & gratiis unum fuisse: hoc námque mirificè me juvit, tum ad tribulationum & adversitatum vitæ hujus timorem depellendum, tum ad me animandum, ut illas æquanimiter perferam, simul etiam ad gratias Domino agendas, quod (uti mihi quidem nunc videtur) à tam æternis & horrendis me malis liberârit. Ex illo tempore, uti jam dixi, omnia mihi nimis quam facilia videntur, si vel cum momento pœnarum, quas illic ipsa pertuli, comparentur. Ita *S. Teresia.*

36. *Vincentius Bellovacensis* de pœnarum infernalium consideratione differens ait: *Confortat ad patientiam, quia præsentes pœnas & adversitates levigat, ut respectu futurorum levissimæ reputentur. Jeremias Drexelius* in damnatorum rogo cap. 5. §. 4. Martyrum Japonensium angustias, quas perpessi sunt, in strictissimo quodam carcere, in quo quatuor annis, priúsquam martyrio afficerentur, hæserunt, in hæc describit verba: Latus erat hic carcer palmos (NB. Spann/ nicht Schritt) sedecim, altus non nisi duodecim, longus 24. prorsus ad instar caveæ factus. Nam neque muro, nec pariete ligneo constabat, sed contextus erat è palis, quorum singuli duobus digitis à se invicem distabant. Hinc captivi omnibus injuriis cæli patebant: Nam etsi hæc cavea tegulis esset tecta, quia tamen pali erant disjuncti, sicut in corte aviaria (wie in einem Vogel-Häußlein oder Hennen-Korb) videre est, non frigus tan-

tantum, aut æstum, sed ventos, pluvias, nives, omnémque tempestatem admittebat. In hac cavea 32. captivi erant conclusi. Quæ mala hic Christi Martyres passi sint, vix cogitatione, nedum verbis explicari possunt. Inprimis loci angustia tanta erat, ut neque procumbere nisi ægrè, neque ambulare vel ad passûs spatium possent. Neque quisquam plus habebat spatii, quam duorum palmorum & trientis. Hinc noctu non potuerunt sese ad capiendam quietem extendere. Jam victûs parcitas correspondebat angustiæ carceris. Vita illorum perpetuum erat jejunium, adeóque asperum, ut satis quidem cibi suppeteret ad arcendam mortem, sed nunquam ad comprimendam famem. Quia verò hic carcer in edito colle positus erat, ventorum vim omnem excipiebat. At licèt per æstatem spirantibus undequaque ventis molestia non nihil leniretur, ferventissimi tamen ardores, solaribus radiis omni ex parte penetrantibus, ipséque numerus captivorum adeò incommodabat, ut affirmaret *Carolus Spinola* Patria Genuensis, stirpe Marchio è Societate JESU Sacerdos, qui in hoc carcere quadriennio habitavit, diurnis nocturnísque se sudoribus maduisse. Hyeme autem id omnino reddebatur intolerabile, cùm neque gelidus aër excludi, neque pluviæ & imbres arceri, neque nives, quæ vento per omnem partem ingerebantur, intercipi possent. Hinc intolerabile frigus tantoperè captivos cruciabat, ut Carolus ad Patrem Provincialem perscribens dicat: Assevero Reverentiæ vestræ, neminem esse è nobis, qui, æstimato inferioris appetentiæ sensu, non mallet vivus concremari, quam hunc carcerem ferre. Sed graviùs omnibus hos Christi pugiles vexabat continuus fœtor, cujus mentionem Carolus in epistola injiciens: incitat me, inquit, gravitas odoris, ut ad cælum suspirem. Nascebatur hæc graveolentia ex multitudine hominum tam angusto loco clausorum, ex flatuum, aërisque corruptione, ex præsente cloaca, in quam exonerare alvum cogebantur; ex sudore corporum, quæ æstate nunquam siccabantur. Hinc tanta pullulabat animalculorum sordiúmque vis, ut morsibus aculeísque captivi miserrime confixi, nullam unquam caperent quietis partem.

37. Porrò, quamvis plura alia, ut *Drexelius* loco citato enumerat, tormenta passi sint, attamen SS. Martyres haud secus, ac si in paradiso fuissent, inter illa tormenta delitiabantur. Unde *Pater Carolus Spinola* in sua ex carcere exarata Epistola ita scribit: Hoc ergastulum mihi paradisus esse videtur; Hujus autem ratio est illa, quam idem *Drexelius*, post recensita excessiva Martyrum illorum tormenta subjungit, inquiens: Et reverà hic talis carcer, quamvis ipsâ morte atrocior, si tamen ad inferorum carceres comparetur, paradisus est. Descendamus ergo, ut optat *Sanctus Rex David*, in infernum viventes, agilitate nimirum mentis, ut ex infernalium pœnarum considératione, non solum eas in futuro evadamus, verum etiam in præsenti vita omnes nostras miserias & calamitates earundem memoriâ allevemus & edulcemus. Siquidem æternitatis meditatio tantâ pollet efficaciâ, ut omnia dulcía carni in amaritudinem convertat, & omnia amara & difficilia, levia & suavia efficiat;

Hæc

Hæc eſt, quæ auſteriſſimas fundavit, & auxit religiones; hæc eſt, quæ deſerta & ſpeluncas in habitacula erexit, cilicia, diſciplinas, & catenas ferreas adinvenit; hæc eſt, quæ ſuaves Sancto Laurentio carbones, dulces S. Stephano lapides, gratas S. Catharinæ rotas reddidit; hæc eſt, quæ S. Carolo Borromæo & multis aliis Sanctis Præſulibus nudæ terræ lectum, delicatum & mollem effecit; hæc demum eſt, quæ tot Imperatores & Reges, calcatis & ſpretis omnibus mundi honoribus & favoribus, in anguſtis cellulis per rigoroſam pœnitentiam exercuit. Hinc ſi adhuc hujus vitæ occurrentia mala graviter & ægrè feramus, ſi in noſtris afflictionibus & preſſuris queruloſi & impatientes ſimus, hoc non ex alia cauſa provenit, quàm ex neglectu meditationis æternitatis, & pœnarum infernalium. Hinc quidam frater Sanctos eremi Patres conſulens interrogavit, quænam foret cauſa, quòd inhabitatio cellæ tam difficilis & moleſta ei veniat? reſponderunt omnes: Si æterna inferorum ſupplicia diligenter penſitares, etiamſi cella tua ad collum uſque vermibus ſcateret, eam perlibenter incoleres. Denique concludamus diſcurſum noſtrum; & dum tempus habemus, operemur bonum; vivamus Deo, vivamus æternitati, & taliter omnes vitæ noſtræ actiones inſtituamus, ut ultrix inferni flamma in nobis nihil reperiat, quod urat, ſed divina pietas inveniat, quod coronet. Cæterùm ne unquam è memoria noſtra elabantur hactenus dicta, ea in compendium redacta ſæpe ſpeculemur in ſequenti Rhythmo expreſſa, quem ex quopiam parvo libello excerpſi, & præſenti materiæ annectendum cenſui.

## *Rhythmus de Gehennæ Suppliciis.*

QUò me vocas æternitas
Statera veritatis?
Quid me doces æternitas
Magiſtra ſanctitatis?

ÆTernus eſt, æternus eſt,
Rex ille, qui minatur,
Infernus eſt, Infernus eſt,
Res illa, quam minatur.

QUid eſt, quid hæc æternitas?
Æterna pœna damni.
Quid eſt, quid hæc æternitas?
Æterna pœna ſensûs!

EHeu! inexplicabilis
Æterna pœna damni,
Nunquamque terminabilis
Æterna pœna ſensûs!

VÆ, væ, guloſa prandia,
Cœnæque delicatæ!
Tormenta vobis grandia
Pœnæque ſunt paratæ.

VÆ ſumptuoſis ferculis,
Fœdis jocis, libellis!
Parúmque caſtis fabulis,
Væ turpibus tabellis!

HEu! naufragis ſolatiis
Mundus ſuos ſaginat,
Lethalibus mendaciis
Venena dum propinat.

O Sulphurata flumina,
O vortices profundi!
O ignium volumina,
Stulti ſepulchra mundi.

EHeu dolorum Civitas!
Captivitas reorum!
Sitis, fames, æternitas,
Stipendium malorum!

HIc dives ardet: uritur
Hìc purpura atque byſſus.
Hìc eſt ſcopus, quò curritur,
Hæc eſt profunda abyſſus.

DAmnate, dic tu; quamdiu
Ardebis igne? Semper.
Dic ipſe, dic tu, quamdiu
Cogêris flere? Semper.

DAmnate, dic; vos quamdiu
Torquebit ignis ille?
Torquebit eheu! tam diu
Dum vivet unus ille.

IBunt dies cum menſibus,
Annisque ſæculisque:
Ardebimus nos menſibus,
Annísque ſæculisque.

ARdebit ira Numinis
Per luſtra ſæculorum:
Nec ſpes erit levaminis
Nec terminus dolorum.

NUnquam Deum videbimus,
Amabimúsque nunquam:
Ah ſemper hìc ardebimus,
Amabimúrque nunquam.

FAmemus? Ignis cibus eſt,
Glutire quem jubemur.
Sitimus? Ignis potus eſt,
Ut hoc inebriemur.

VIdemus? Ater ignis eſt,
Id omne quod videmus.
Jacemus? Ignis lectus eſt,
Quo perpetim jacemus.

NOn ſunt polis tot ſtellulæ,
Nec orbe tot arenæ;
Non ſunt maris tot guttulæ,
Quot hoc in igne pœnæ.

ÆTernitas, ſed maximus
Eſt hic dolor dolorum,
Quòd non ſit ullus terminus
Tam grandium malorum.

CLamabunt in illo carcere:
O ſi daretur hora!
Totus Deo renaſcere;
Quantùm potes, labora.

SEmper necabit tartarus,
Nunquam ſed enecabit.
Semper vorabit tartarus,
Nunquámque devorabit.

SEmper trucidat tartarus:
Nunquàmque conquieſcet.
Heu! Semper ardet tartarus!
Nunquam focus tepeſcet.

ARſura ſemper fulmina
Et ſopienda nunquam.
Semper fluunt hæc flumina
Exhaurienda nunquam!

BIlance juſtâ pondera
Hinc ſemper, inde nunquam.
Sint cordis iſta pondera
Sat ponderanda nunquam.

SEmper, quid es? Nunquam, quid es?
Deo carere ſemper.
Nunquam, quid es? Semper, quid es?
Uri moríque ſemper?

EHeu duo vocabula,
Menſura Sanctitatis!
Nec eſt, nec eſt hæc fabula,
Sunt verba Veritatis.

EHeu! Quid eſt, pulcherrimum
Deum videre nunquam?
Illum Deum dulciſſimum
Quid eſt, amare nunquam?

QUid es, quid es, damnatio?
Deo placere nunquam.
Æterna deſperatio,
Pœnis carere nunquam.

NIl eſt, nihil candentium
Fornax Laterculorum.
Nihil, vitrum coquentium
Ignis Vitrariorum.

FErrum liquatum, quod fluit
Et bullit in caverna.
Nihil eſt ad illa, quæ luit
Peccator in gehenna.

Valete

VAlete pulchra somnia,
Vanæque vanitates.
Nihil, nihil sunt omnia,
Aut sunt inanitates.
HIc mundus est brevissimæ
Sophisma vanitatis,
Infernus est dirissimæ
Fornax perennitatis.
AH! Quamdiu morabimur
Inter pericla mille?
Brevi, brevi vocabimur,
Præcessit hic & ille.
DEo volo jam vivere,
In valle lacrymarum.
Volo moras abrumpere.
Sat est, sat est morarum!
SI quispiam de carcere
Illo domum rediret,
Possétne carni parcere?
Heu!, quanta non subiret?
QUales preces tunc funderet?
Quas lacrymas rigaret?
Illisque flagra jungeret,
Corpúsque perdomaret?
AB inferis, si surgerem,
A morte si redirem,
Quid dicerem? Quî viverem?
Ne denuò perirem?
O Quanto amore amplecterer
Te, Christe Liberator!
Quòd amplius non plecterer
Per te Deus Creator!
AH! plus amoris debeo
Perire non sinenti;
Quid langueo? quid hæreo?
Nec reddo cor petenti?
AMore flagrantissimo,
Volo sequi vocantem,
Et corde quàm tenerrimo
Amare sic amantem.
ARdent in antro flammeo
Heu, mille! mille! mille!
Cur sic ego non ardeo,
Ut ardet hic & ille?
QUis fecit, ut ne traderer,
Ergastulo reorum?
Quis fecit, ut ne truderer
In clibanum dolorum?
HOc fecit admirabilis
Monarcha sæculorum,
Et millies amabilis
Rex cordium bonorum.
HÆc tanta dum considero
Deus, volo Te amare;
Nec amplius desidero,
Quàm cor tibi immolare.
MIrabiles, amabiles
Dei mei favores!
O vos inexplicabiles!
O nobiles amores!
VOs cor meum perfundite,
Vos pectus occupate;
Quæ non placent, evellite,
Deóque me dicate.
VOlo, volo jam surgere:
Fac me magìs volentem;
Ut plus amem, cor suggere
Fac me parùm valentem.
AMabo Te, quàm maximis
possum modis, amabo,
Ut plus amem; tenerrimis
Te vocibus rogabo.
ROgabo Te, lectissimis
Suspiriis rogabo:
Quantisque possum lacrymis
Instanter obsecrabo.
VEnite cuncti Cælites,
In cor meum venite.
Tam pauperi tam divites
Venite, subvenite.
IN pectus hoc descendite,
Ut ardeam, juvate.
Cor frigidum succendite;
Et illud innovate.

MARIA, Tu sis optimi
Ignis mihi ministra,
Quæ cordibus pulcherrimi
Amoris es Magistra.
FAc, mi Deus, me crescere,
Æstu tui caloris;
Novásque semper discere
Industrias amoris.
IN me, Deus, fac, ardeat
Æternitas amoris!
Nec me perennis torqueat
Æternitas doloris!

# SERMO LXII.

## DE POENIS PURGATORII.

*Amen dico tibi; non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Matth. 5. 25.

## PARS PRIMA.

1. TAmetsi multa argumenta, & SS. Patrum testimonia de acerbitate pœnarum purgatorii adduci queant, omitto tamen ea hanc ob causam, quia nimirum omnia, quæ de suppliciis infernalibus diximus, de purgatorii pœna intelligi etiam debent; siquidem pœnæ purgantes sunt ejusdem speciei cum pœnis inferni, ût testatur *S. Cyrillus* in epist. ad *August.* in hæc verba: *Nihil inter se differunt tormenta inferni ab iis, quæ sunt in purgatorio, quia eadem sunt magnitudine, sed unum est, quod differre possunt, quia infernales finem non expectant, & purgatorii pœnæ sunt cum fine. Suarez* t. 4. de Purg. disp. 46. sect. 3. n. 5. quoque adductis multorum Sanctorum Patrum, aliorúmque classicorum Doctorum authoritatibus, pœnas purgatorii à pœnis inferni solâ perpetuitate discrepare asserit; cujus rationem à priori, ab ordinatione divinæ Justitiæ desumendam esse dicit, nec non ab offensæ, quantumvis minimæ, adversus ipsum commissæ gravitate, quæ altioris rationis est, quàm omne malum creaturæ: Et ideo licèt non semper æternam mereatur pœnam, meretur tamen pœnam graviorem, & quasi altioris rationis, quam Deus in futura vita cum rigore exigit.

2. Hinc sequitur, quod si omnia carnificinæ instrumenta, quibus dilaniata fuêre omnium Martyrum membra, adhiberentur, item omnes vitæ rigores, solitudines, jejunia, vigiliæ, orationes, corporis castigationes, quibus omnes se confecerunt pœnitentes Eremitæ, omnes quoque ærumnæ, quas à principio mundi usque ad finem passi sunt omnes Electi Dei, sine dubio hæc omnia, ne minimam quidem habent proportionem cum unica duntaxat ignis purgatorii favilla, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Imò *S. Maria Magdal. de Pazzis* in raptu dicebat, quòd omnia prædicta Martyrum supplicia sint tanquam amœnus hortus, respectu eorum, quæ infliguntur in purgatorio. *In Promptuario Exemplorum* scribitur, quòd cùm ex duobus Religiosis, qui familiares in-

vicem amici erant, uni, morti vicino, revelatum fuiſſet, quòd in purgatorio eò uſq; moraturus eſſet, donec pro ipſo aliquod Miſſæ Sacrificium offerretur, alterum religioſum amicum rogârit, ut poſtquam animam exhalâſſet, ſubitò pro ſe Miſſam celebrâret; quod cùm is punctualiter adimpléſſet, anima per illud Sacrificium liberata, priusquam in cælum conſcenderet, eidem amico apparens, de dilata nimium Miſſæ celebratione graviter lamentata fuit, credebat enim ſe 20. annis intra purgatorii flammas fuiſſe commoratam, cùm tamen non niſi illo temporis ſpatio in eo fuiſſet, intra quod Miſſa de Requiem abſolvi poterat.

3. Simile exemplum etiam refert *S. Antoninus* p. 4. Summæ tit. 14. c. 10. §. 10. Cùm quidam ſcelerate viveret, viſitatus à Domino, ut ad ſe rediret, incurrit gravem & diuturnam infirmitatem, tædio autem affectus ex prolixitate languoris, rogabat ferventer Dominum, ut de carcere corporis educeret eum. Apparens autem ei aliquando Angelus Domini, fecit ei optionem, utrum mallet, an per duos annos illam infirmitatem tolerare, & poſtea ad cælum volare, an nunc moriendo per unum diem in purgatorio permanere? At ille elegit potiùs morari in purgatorio per triduum & mori. Exauditus ergo de hac luce migravit, & anima ejus ad purgatorium deſcendit. Inde ad horam ab exitu ſuo de hoc mundo, apparuit ei Angelus, eundem conſolaturus, ſed anima ſe ab ipſo graviter deceptam fuiſſe, conqueſta fuit, eò quòd jam non uno die, ſicut Angelus promiſerat, ſed multis annis in iisdem derelictus fuiſſet; cui Angelus reſpondit: Ita quidem tibi videtur ob tormentorum acerbitatem, cæterum verò ex viginti quatuor horis, quibus in hiſce pœnis commorari debes, nonniſi una ſolùm hora præteriit. Tunc anima Angelum inſtanter rogavit, ut ſe apud Deum precibus ſuis interponeret, ut denuò in hanc vitam redire poſſet, promptam ſe offerens, non tantùm ad duos annos, ſed quamdiu Deo placuerit, infirmitatem illam tolerandam, quod & obtinuit. Unde vitæ reſtitutus patientiſſimè & lætanter omnem dolorem tolerabat, expertus pœnas purgatorii.

4. Verùm enimverò, ut clariùs purgatorias pœnas perſpicere valeamus, referre huc lubet, quod memorat *Dionyſ. Carthuſ.* de 4. noviſ. art. 47. qui narrat Religioſum in Anglia extitiſſe, qui à die Cœnæ uſque ad veſperam Sabbathi Paſchæ raptus fuit in ſpiritu, & reverſus ad ſe mirabilia ac terribilia multa narravit, quæ vidit. Inter cætera ait: Ibamus ductor meus, videlicet *S. Nicolaus*, & ego per viam planam, quouſque pervenimus in regionem ſpatioſam viſu valde horrendam, in qua fuit multitudo innumerabilis, innumerabilibus ſuppliciorum immanitatibus expoſita, tamen tandem ab illis ſuppliciis liberanda, quia non erant damnati. Hi omnes gemebant, flebant, & ejulabant. Innumerabiles pœnarum ſpecies vidi ibi. Hi enim torquebantur igne, hi in ſartagine frigebantur. Hi unguibus ſulcabantur uſq; ad diſſolutionem compagum. Alii puniebantur in balneis confectis ex pice & ſulphure, aliíſque liquaminibus, ex ære, plumbo, aliiſque metallis cum fœtore horrendo. Quoſdam vermes monſtroſi dentibus venenatis rodebant. Alii aliis tormentorum atrociſſimis generibus cruciabantur. Eos verò, qui præfuerunt, vidi duplici dolore torqueri. Teſtis mihi eſt Dominus, quia ſi viderem quempiam hominum, qui me, & omnes charos meos, omnibus

damnis &injuriis, quæ homini in hac vita possunt irrogari, imò & morte affecisset, illis suppliciis deputandum, millesies, si fieri posset, pro eo temporalem mortem subirem, quàm tantis suppliciis eum tradi permitterem; ita mensuram & modum doloris & angustiæ, amaritudinis & miseriæ excedunt, quæcunque vidi ibidem.

5. Post hæc ad secundum mortuorum locum devenimus, & vidimus profundissimam vallem, in qua erat flumen altissimum, quod nebulam indicibilis exhalabat fœtoris. Erat quoque in ea ignis, qui videbatur usque ad cælum pertingere. Atque ex alia parte fuit tanta immanitas frigoris, ut nihil pœnaliùs eâ me conspexisse putaverim. Ibi erant innumerabiles animæ, quæ nunc in flumen illud fœtidissimum mergebantur, nunc inde erumpentes ignibus involvebantur, ac inde exeuntes asperrimis frigoribus tradebantur: & pœnæ loci istius graviores fuerunt tormentis loci prioris, tamen & pœnæ istæ Purgatorii erant. Post hæc venimus ad tertium Purgatorii locum, qui ultra, quàm mente concipi potest, horribilis extitit & pœnalis, imò nulla lingua exprimere posset minima loci illius supplicia. In brevissimo enim temporis spatio intuebar eos centum vel ampliùs pœnarum diversitatibus quasi annihilatos, & mox restauratos, & iterum ferè in nihil redactos, ac rursus reintegratos. In primo loco pœnarum præfato vidi Rectorem cujusdam Religiosæ Congregationis, & erat in maximis loci illius tormentis, & nunc in igne, nunc in balneis fœdis, sulphure & pice mixtim ferventibus, gravissima toleravit supplicia. Qui interrogatus à me, cur talia sustineret? Respondit: potiùs propter peccata subditorum meorum; quàm propter peccata propria sustineo ista. Propria enim peccata crebrâ confessione, disciplinarum perceptione, orationibus assiduis, & aliis pluribus modis redimere & castigare consuevi; subditis verò non adhibui debitam disciplinam ex quadam vana formidine, ne meo privarer primatu ex resistentia eorundem. Idcirco pœna mea augetur quotidie, quia illorum peccata, quæ ex mea negligentia adhuc perpetrant quotidie, in me redundant, nec aliquem finem pœnarum mearum agnosco. Inveni in his tormentorum locis quendam in sæculo olim notum Doctorem famosum, ab omnibus in mundo hoc honoratum, cui vehementer condolens, interrogavi eundem, an speraret se aliquando misericordiam consecuturum? Qui respondit: Væ, væ, væ! scio quòd ante diem Judicii veniam non obtinebo. An autem tunc, incertum habeo. Væ, væ! quis unquam crederet gloriam & favorem, quibus in mundo cunctis eram conspicuus, tantâ contemptibilitate & cruciatibus permutandum? Vibi ibi quosdam prunas ardentes indesinenter in ore revolvere, & in hoc miserabiliter cruciari pro eo, quòd herbas aut arborum fructus sumpserunt voluptatis amore.

6. Vidi ibi Militem quendam, qui diversa & magna toleravit supplicia, qui avem quandam, niso similem, pugno portabat, & torquebatur, quod avis illa rostro suo & unguibus manum ejus pœnaliter laceravit, quia in ludo rapacium avium, per quas cepit alias aves, consuevit nimiùm delectari. Vidi etiam ibi Episcopos gravissimis affligi tormentis, quorum supplicia quotidie augebantur ex peccatis subditorum, quos

malè

malè rexerunt, nec eos debitè corripuerunt & correxerunt. Denique qui taliter torquebantur, communiter erant incerti, an finaliter salvarentur, & quasi desperabiliter fluctuabant, qui in tormentis suis nihil reputabant ita pœnale, sicut incertitudinem indulgentiæ tandem obtinendæ, nec aliquid sic mitigavit dolores, ùt certa remissionis percipiendæ fiducia. Desperatio námque universis cruciatibus, quos vidi, plus cruciat, cunctis angustiis magis angustiat, & omnibus pœnis amplius gravat. Insuper Sacerdotes, qui de sua incontinentia fuerunt confessi, sed satisfactionem non impleverunt, vidi innumeris atque immensis affligi ardoribus ac tormentis. Cúmque mirarer, quòd tam pauci Sacerdotes essent in Purgatorii pœnis respectu eorum, qui ubique terrarum castimoniam polluunt, responsum est mihi, quòd ideo ibi paucissimi erant, quia vix aliquis taliū veram habet contritionem, idcircò penè omnes æternùm condemnantur. Præterea quid de magnorum vitiorum suppliciis dicam, cùm & bonos Religiosos viderim valde amara pati tormenta, eò quòd consueverunt gloriari manuum suarum decore. Vidi etiam ibi quendam potentissimum Regem ineffabilibus affligi pœnis; sed & Episcopum quendam ibi in tormentis conspexi, qui in abscondito interioris hominis fuerat multum Religiosus ac purè devotus, corpus suum asperrimo domans cilicio, & aliis cruciatibus, jejuniis, disciplinis, vigiliis se maceravit in sæculo isto, cui & copiosa erant in cælis reposita præmia, per quem etiam Dominus post mortem ipsius fecit quædam miracula, & tamen adhuc in pœnis fuit, quia in suo officio per negligentias quasdam Deum offendit. Religiosos autem Abbates, & Abbatissas, qui circa cognatos & affines sensuali erant amore affecti, vidi graviter cruciari. Hæc pauca ex libello visionis Anglicanæ sumpta evidenter ostendunt, quàm acerba & aspera purgatorii sint tormenta, & quàm severè Deus vel minimum nævum in hac defæcatoria fornace expiet.

7. Verùm, quod dictum est, animas quasdam in purgatorio incertas esse de venia aliquando obtinenda, ac nescire, an sint in purgatorio, an in inferno, repugnare videtur communi Theologorum placito, dum docent, animabus constare de salute propria in particulari judicio, quod statim post uniuscujusque obitum fit, in quo factâ discussione operum, juxta merita vel demerita, præmia vel pœnæ illis decernuntur, & patet id ex illis *Ecclesiastici* cap. 11. verbis: *In fine hominis denudatio ejus.* Cùm ergo, peracto particulari judicio, vel ad infernum, vel ad purgatorium detrudantur animæ, profectò scire possunt, an amore vel odio dignæ judicatæ fuerint, præsertim cùm in inferno blasphemetur Deus, & in purgatorio laudetur; in inferno etiam nec est fides infusa, nec charitas, quæ tamen in purgatorio sunt, atque ex his signis optimè poterit anima nosse, quo in loco posita sit. Hinc *S. Bernardinus Senensis* Serm. 15. de purgatorio tract. 4. ait: *Nota, quòd omnis anima, quæ est in purgatorio, confirmata est in gratia Dei, & est certificata de ipsa gratia.* Idipsum docet Cardinalis *Cajetanus* in Opusc. tr. 23. 1. q. 2. ubi sic statuit: *Omnes animæ existentes in purgatorio sunt certæ de sua salute.* Dicet proin quispiam: cùm hoc dogma falsitati minimè sit obnoxium; ergo dictæ visiones veritati non sunt consentaneæ;

taneæ; cùm necessum sit, unam ex propositionibus contradictoriis esse falsam. Respondetur ad hoc, quòd licèt id communiter animabus constet, ùt docent Doctores Catholici contra quosdam hæreticos, qui dicere ausi sunt, omnes animas in purgatorio existentes de propria salute incertas esse, versaríque in quadam ingenti animi anxietate, ac etiam desperationis motibus cruciari; non est tamen negandum (ùt docet *Franciscus Suarez* in Comment. ad 3. p. *S. Thomæ* tom. 4. disp. 47. sect. 3.) Deum aliquando in aliquo particulari casu, vel propter gravitatem aliquam culpæ, vel quia conversionem suam usque ad finem vitæ distulit, sic animam in particulari judicio judicare, ut illi minimè innotescat, an eam ad purgatorii, vel inferni pœnas condemnaverit.

8. Similiter opinionem hanc etiam defendit *Joannes Gerson* lect. 1. de vita spirituali cum aliis nonnullis Doctoribus, quos citat Cardinalis *Bellarminus* lib. 2. de Purgatorio cap. 4. Sed clariùs hanc eandem tuetur *B. Henricus Suso* in libello, quem edidit de novem rupibus cap. 22. cui etiam adstipulatur *Laurentius Surius* illius libelli Interpres, libet autem hoc loco ejus verba referre: *Alii sunt*, inquit, *in quos tantâ Deus irâ desævit, ut ad extremum usque judicii diem in immanissimis cogantur hærere suppliciis, nec unquam experiri illis liceat, utrum in tartari vel purgatorii pœnis sint, tales fermè sunt homines in suis iniquitatibus obstinati, qui vitæ emendationem usque ad obitum procrastinant.* Idipsum quoque ostenditur ex libro quarto Revelationum *S. Birgittæ* cap. 8. ubi Angelus de quadam anima loquitur, dicens: *Illa anima, cujus dispositionem vidisti, & judicium audisti, ipsa est in gravissima pœna purgatorii. Et hoc ideo est, quia non intelligit, utrum veniet ad requiem post purgationem, an damnata sit.* Ex quibus verbis palàm colligitur, nonnullas animas ignorare, an in infernalibus, an verò in purgatoriis pœnis sint positæ, quæ quidem pœna maxima est, ùt habetur in iisdem Revelationibus lib. 6. cap. 39. circa finem, ubi legimus Angelum quendam Deum orasse pro anima cujusdam, quem in vita custodierat, ne illi hujusmodi pœnam imponeret.

9. Ex his, ac aliis pluribus historiis, apparitionibus, & revelationibus, quæ videri possunt apud Authores de purgatorio tractantes, non obscurè liquet, quàm verùm sit illud, quod *S. Cyrillus* epistolâ ad Augustinum refert, videlicet mortuum quendam ex illis tribus (de quibus Sermone præcedente num. 29. dictum) *Sancti Hieronymi* meritis resuscitatum inter cætera dixisse: *Mallet quilibet viventium omnes, quas homines ab Adam usque sigillatim pertulêre, pœnas perferre, quàm uno die in Purgatorio torqueri.* Hinc discamus, quàm æquum sit, ut animabus in tantis tormentis constitutis quamprimùm, quàm citissimè, quàm promptissimè succurramus, de quo Sermone sequenti plura. Nunc interim illud expendamus, quod religiosissimus *Thomas de Kempis* coram oculis nostris depictum reliquit, dicens; *Si futuras inferni, sive purgatorii pœnas cordialiter perpenderemus, credo, quòd libenter dolorem & laborem sustineremus, & nihil rigoris formidaremus; quia hìc per modicas quaslibet mortificationes citiùs satisfacimus nostris culpis, quàm ibi per maxima tormenta.* Hinc apud Sanctum Evangelistam *Matthæum* cap. 5. 25. cælestis Magister noster hanc nobis tradidit instructionem: *Esto consentiens adversario tuo citò*,

*citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris: Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Porrò hic adversarius, cum quo Christus monet, ut consentiamus, quamdiu sumus viatores, divina lex est, ùt notat *S.P. Augustinus*, hæc enim est inordinatis appetitibus nostris, nostræque sensualitati contraria; per Judicem verò intelligitur Christus, per carcerem verò purgatorium denotatur (quia ab inferno anima egredi nequit, neque ibidem ullâ ratione potest satisfacere) Ministri autem sunt Angeli; pecunia verò quæ usque ad ultimum quadrantem solvenda est, sunt nostra peccata, unde *S. Hieronymus* ait: *Non egredieris ex carcere, donec etiam minima peccata persolvas; quia ex toto rigore justitiæ in purgatorio secundùm mensuram præscriptam satisfacere debes.*

10. *S. Bonaventura* in Sermone quodam de *S. Laurentio* super illa verba *Malachiæ 3. Quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans*, interrogat dicens: *Quis illam examinationem poterit sustinere? Quis poterit illud tam grave incendium tolerare? Et tamen quis ignem illum poterit declinare?* Considerat insuper emolumentum, quod hîc ex pœnositatibus percipimus, ait enim: Plus satisfacit hic homo Deo valde modicâ pœnâ, voluntariè pro peccatis assumptâ, quàm ibi permaximâ; sive quia ibi est involuntaria, sive quia, si ibi est voluntaria, est tamen ratione statûs immeritoria, nullâ laude vel præmio digna. Timeant igitur peccatores hunc ignem, qui nihil relinquit intactum, vel nihil penitus impunitum, sive verbum fuerit permodicum, sive opus inutile factum, sive modicum in corde peccatum; unde dicitur: *Quis stabit ad videndum eum?* Hactenus Doctor Seraphicus. De quo continuò plura.

# PARS SECUNDA.

11. QUàm difficulter piaculares flammæ subterfugiantur, argumentum sumitur ex variis Scripturæ locis: *Sapiens* enim testatur, *quòd septies Justus cadat in die*, & *S. Job* ait: *Nemo mundus à sorde.* Et iterum: *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*, id est, interprete *S. Gregorio*, perfecti & sancti viri suos quoque habent nævos & peccata. *S. Joannes* etiam dicit: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Isaias* similiter testatur: *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Cùm ergo ex his Scripturæ locis sufficienter constet, neminem esse immunem à peccatis, & minimum *peccatum Deus inultũ abire non patiatur*, ùt ait *Job*; consequentia manifesta est, quòd nullus facilè purgatorium ex toto declinare possit sine singularissimâ divinæ gratiæ prærogativâ. Audiamus quid hac de re sentiat Cardinalis *Bellarminus* lib. 1. de amiss. grat. c. 13. cujus hæc sunt verba: *Vix ulli justi homines, nisi ex magna misericordia Dei, pœnam purgatorii acerbissimam evadunt, ita ut rectà è corpore ad cælum evolent.* Atque idipsum confirmat *S. Theresia* de seipsa in *vita sua* c. 38. scribens: Quamvis multarum animarum statum mihi Dominus revelare dignatus sit, ex omnibus tamen, quas vidi, animabus, nescio an ulla purgatorium evaserit, præterquam Religiosi

illius, de quo paulò antè verba feci, & S.P.F. *Petri de Alcantara*, nec non illius Dominicani, cujus suprà memini.

12. Quam veritatem ut magìs penetremus, aliqua afferre exempla placet. Quidam ex *S.Dominici* familia Religiosus, Concionator Apostolicus, quem domestici per multos annos religiosè viventem multùm æstimârunt, & amârunt, mense integro in expiatorio detentus est carcere, non alia de causa, quàm quia plus æquo sæcularibus familiaris fuit, nimiúmque ei placuêre faceta consortia. *Specul.Exemp.* dist.7.exem.57. Alius ex Ordine *S.Francisci Seraphici* Juvenis, *Alphonsus* nomine, corpore & animâ virgo, teneræ cum Deo conjunctioni admodum addictus, auctúsque dono lacrymarum suavissimè fluentium, alíisque virtutibus ornatus per aliquod tempus in purgatorio hærere debuit, ideo quòd fratres suos leviter quandoque despexerit, inque iram præceps fuerit. *Chron. Minor.* p.2. l.4. c.34. *Vitalina* virgo sanctissima, sancto *Martino* Episcopo ad sepulchrum ejus quærenti, num Dei præsentiâ frueretur? respondit, se nondum frui, eò quòd feriâ sextâ, quâ mundi Redemptor passus est, caput abluisset. *Lanciz.* opusc. 16.n.197. *Ludovicus II.* Imperator post triginta annorum spatium à morte elapsum apparuit filio, dixitque: Adjuro te per Dominum nostrum Jesum Christum, ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando vitam æternam habere possim. Et tamen tantoperè pietati addictus fuerat, ut *Pii* cognomen obtinuerit. De eodem etiam Imperatore legitur, quòd in supremo morbo, quo obiit, totos 40. dies jejunus transegit, Eucharistiam solam quotidie sumens. Ita scribit *Baronius* tom. 10. Annal. Ann. 874.

13. *Ottho* Imperator, licèt anno præcedente mortem suam, infinitam annonam Monasteriis & pauperibus divisrat, & in lethali sua ægritudine (quæ sat diu durârat) omni die Sacerdotibus Christi dorsum suum tradiderat flagellandum, tantámque contritionem habuerat, ut *Conradus* Episcopus Hildesheimensis Vir valde pius testaretur, vix se posse credere, quòd Ottho Imperator purgatorium post mortem sustineret; & tamen in eo tam diu fuit, donec pro ejus anima decem millia Psalteria fuerint à Religiosis recitata, sic tamen, ut ad singulos Psalmos decem ictuum disciplina jungeretur, & ad unumquemque versum adderetur Salutatio Angelica: *Ave Maria*, & Oratio Dominica: *Pater noster*. *Tho. Cantip.* l.2. apum cap.53. *Hugo Victorinus* Canonicus tantâ doctrinæ & sanctimoniæ famâ præstabat, ut suo ævo velut alter Augustinus susciperetur, & æstimaretur. Hic nescio ob quam causam, fortassis ob nimia sua negotia & studia, disciplinam sæpe intermittebat, dum alii Canonici Regulares, quibuscum habitabat, ex præscripto Regulæ, sive ex devotione se disciplinarent: hanc porrò negligentiam sat luere debuit; post mortem enim alteri cuidam Canonico, in vita sibi apprimè charo, apparuit, dixitque se jam potiri æternâ gloriâ, veruntamen ob neglectas disciplinas per purgatorium ire debui, vix autem veni illuc, ecce mox omnes cacodæmones agminatim sunt me aggressi, nullúsque eorum erat, à quo non validum ictum in transitu percepi, quæ flagellatio adeò pœnalis mihi visa fuerat,

fuerat, ut arbitror maxima mundi tormenta, omnésque dolores cum ea non posse comparari. *Idem* ibidem c. 16.

14. *S. Paschasius*, S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus tantæ virtutis & sanctitatis erat, ut teste *S. Gregorio* ejus defuncti dalmatica, feretro imposita, energumenum contingens sanârit, & nihilominus ejus anima deinde *S. Germano* Capuano Præsuli apparuit in balneo suum diluens peccatum, & S. Germanum rogavit, ut se suis apud Deum precibus juvaret, secundùm quas anima Paschasii pœnas evasit. Si sic Divina Justitia sæviat in sanctos & charissimos suos amicos, quid, quæso, continget nobis miseris peccatoribus? *Si hæc fiunt in viridi, in arido quid fiet?* Luc. 23.

15. Verùm enimverò, quamvis purgatorii ignis pœna, sicut & reliqua tormenta adeò sint terribilia & enormia, ut humani intellectûs capacitatem longè transcendant; attamen major adhuc multis parasangis est ea pœna, quæ pœna damni vocitatur, hominémque Dei visione privat: tantum námque esse animæ corporeis nexibus expeditæ desiderium videndi Summi Boni, Supremique Numinis, ut quâvis morulâ nimium quantum crucietur, neque huic cruciatui possit ullus alius comparari, maximè si recordetur illa anima, se divinâ visione propter sua peccata privari, potuisséque facillimè in hac mortalitate satisfacere pœnitentiæ operibus, atque hæc sese neglexisse. Cæterùm etsi omnes animæ in purgatorio existentes habeant pœnam damni, non tamen omnes habent simul pœnam sensûs, quia aliquæ animæ purgantur tantùm pœnâ damni, ùt multis liquet exemplis, ex quibus hoc unum libabo, quod legere est apud *Blosium* in Concla. animæ c. 13. Beata Virgo MARIA apparens *S. Birgittæ* oranti pro quodam præclaræ virtutis & probatæ vitæ Eremita, cujus corpus exanime delatum erat in templum, ut sepeliretur, dixit: Filia mea, hujus Eremitæ, Amici mei, anima de corpore egressa mox pervenisset in cælum, si in morte perfectum habuisset desiderium pertingendi ad præsentiam Dei ejúsque visionem; quod quia non habuit, detinetur nunc in purgatorio desiderii, ubi nulla pœna est, nisi solum desiderium perveniendi ad Deum. Scito tamen ipsam introducendam in cælestem gloriam, antequam corpus ejus recondatur in terra.

16. Sciendum porrò, quòd licèt animæ suas pœnas tam sensûs quàm damni (quibus juxta modum culparum nondum expiatarum torquentur) non ament, nequaquam tamen eas invitè tolerant; neque enim voluntatem à Deo aversam habent, sed libenter Divinæ Justitiæ consentiunt; imò etsi possent ad hanc vitam (in qua multa peccandi pericula sunt) redire, non tamen redirent, cùm sint jam securæ de adipiscenda post earundem pœnarum finem æternæ beatitudinis gloriâ. Constat hoc de Petro à *S. Stanislao* resuscitato, qui maluit cum pœnis adhuc exantlandis securitatem salutis, quàm pristinis iterum periculis, vitæque fluctibus caput objicere. Imò ut *Ven. Blosius* instruct. vit. ascet. c. 4. scribit; Si animabus liber pateret introitus ad ipsum Regnum cæleste, cum gratiosa reverentia sese subducerent, & ingredi nollent, quousque per plenam purgationem tantâ felicitate dignæ redditæ forent; scientes, nihil inquinatum illi summæ puritati perfectè conjungi copularique debere.

17. Consideratâ ergo gravitate pœnarum Purgatorii, & quàm difficulter

hæ evitandæ sint, studiosè perpensis; reliquum est, ut salutarem timorem hujus pœnæ concipere allaboremus; quem in finem serviet *B. Guarrici* Abbatis sententia ser. 4. de Purif. *Væ nobis*, inquit, *si dies adimpleatur & purgatio minimè adimpleatur, & postea necesse sit impleri, & illo nos igne purgari, quo nihil pœnalius, nihil acriùs aut vehementiùs in hac vita potest excogitari!* Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui, cùm hîc exierit, nihil debeat igni illi? Quis sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, ut gloriari possit, castum se habere cor, ut dicere possit, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Ex hoc sanè timore perfecta erga Deum subjectio orietur, uti sapienter advertit *S. Anselmus* sic discurrens: Sciendum est etiam, quia gravior est ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita, omnia enim tormenta, quæ hîc sunt, faciliora sunt, & tamen homines, ne ea patiantur, quidquid ab hominibus jussum fuerit, faciunt; quantò meliùs est, ut faciant ea, quæ jubet Deus, ne illa graviora patiantur?

18. Proinde consideremus, quanta sit stultitia sensibilibus appetentiis fræna laxare, & audacissimè offendere ac irritare Deum, cùm certò sciamus, nullam planè culpam quamvis exiguam, quâ Divina irritatur Majestas, impunem nobis abire, sed hanc ipsam plecti pœnâ culpæ commensâ. Dein non minor fatuitas videtur, quòd cùm levibus omnino pœnis hujus vitæ possimus redimere graviores alterius, tamen ad hanc alteram vitam pœnitentiæ opera rejiciamus, ubi severissimè omnes nostræ culpæ punientur ignis purgantis cruciatibus, qui tanto nostras mortales pœnas vincunt intervallo, quanto vivi verique ignes pictum. Si ergo horribiles purgatorii pœnas effugere cupimus, oportet, ut cane pejus & angue omnia peccata nedum graviora, verùm etiam minima studiosè declinemus; quoniam autem & Justus septies in die cadit, ideo quotidianos defectus, & peccata, ex subita passione, subreptione, ignorantia, seu inadvertentia, &c. commissa obliterare conemur per virtutum actus, præcipuè verò per perfectam resignationem in divinam voluntatem, nec non per quotidianam de Christo passo meditationem, quantoperè enim hæc exercitia conducant ad purgatorii pœnas subterfugiendas, aut saltem minuendas, jam in dictis Sermonibus ostensum est. Præterea etiam filialis in Deum fiducia ad hanc singularem gratiam adipiscendam plurimùm confert; sicut & misericordia erga animas in purgatorio detentas, uti ex Sermone sequenti clarè patebit.



SERMO

# SERMO LXIII.
# DE MISERICORDIA ERGA DEFUNCTOS.

*Sancta ergo & salubris est cogitatio pro Defunctis orare, ut à peccatis solvantur.* 2. Mach. 12.

1. SI dolores, quos patientissimus *Job* sustinuit, comparentur cum afflictionibus ac pressuris, quas animæ in purgatorio tolerare coguntur, tunc fateri necesse est, Jobi dolores delicias potiùs quàm amaritudines reputari debere, quemadmodum ex superioribus dictis liquet. Porrò, si ergo Jobum sui corporis mala tantoperè affecerunt, ut lacrymabiliter auxilium à suis notis flagitaret, dicens; *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Job.* 19. O quanto potiori jure quælibet anima in purgatorio detenta, flammis undique circumdata, ac innumerabilibus, & ineffabilibus anxietatibus obvallata, dicere poterit: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me!* Et certè, si liceret aures accommodare ad inflammatum purgatorii rogum, nihil aliud audiremus, quàm hasce voces: *Miseremini mei, &c.* sine intermissione repetere. Quamobrem audiamus eas, ac simul exaudiamus, atque pro viribus eisdem succurrere studeamus. Si enim in unum membrum corporis scintilla incidit, mox manus succurrit, eámque excutit; ita cùm animæ purgantes sint membra ejusdem corporis, nempe Ecclesiæ, & nunc à tam molesto igne fuerint correptæ, tantò æquiùs est, ut hasce flammas ab illis depellamus, quantò præstantiora membra spiritualia, quàm corporalia meritò æstimantur.

2. Præclarum in hac erga animas misericordia exemplum, stupendum magìs quàm imitandum nobis reliquit *S. Christina.* Nam, ut testatur *Dionysius Carthus.* de 4 noviss. art. 50. cùm in pueritia fuisset defuncta, & celebraretur Missa pro ea, repentè de feretro se erexit, & trabem Ecclesiæ celeriter instar avis ascendit, residens ibi usque ad finem Missæ. Finito Missæ Sacrificio ex adjuratione Sacerdotis descendit de trabe, & ab amicis interrogata, quid ei accidisset? respondit: Mox ùt fui defuncta, duxerunt animam meam Angeli Sancti ad locum tenebrosum & horrendum, animabus hominum plenum. Et æstimante me, quòd esset infernus, Angeli dixerunt purgatorium esse. Deinde ad intuendum tormenta inferni me perduxerunt. Vidi autem in utroque loco multos mihi antea notos. Post hæc ducta sum ad paradisum, ad thronum Majestatis divinæ. Cúmque vidissem Dominum mihi congratulantem, ineffabiliter sum gavisa, putans me ibi perpetuò permansuram. Dixitque Dominus: Reverà hìc mecum eris, charissima filia mea. Veruntamen optionem do tibi, an velis nunc mecum manere, an reverti ad corpus, atque in

eo per opera pœnitentiæ ſatisfacere pro omnibus animabus, quas in purgatorio conſpexiſti; ſicque cum meritorum augmentis redire ad me. Ad quod reſpondi, me pro hac cauſa velle ad corpus reverti; móxque Dominus electioni meæ congratulans juſſit me corpori reddi. Nunc ergo non perturbemini ex mirabilibus, quæ eſtis viſuri in me. Ex eo tempore cœpit præſentiam hominum fugere, séque in ardentes fornaces projicere, in quibus præ doloris vehementia horribiliter exclamavit, nec tamen in ea egrediente læſio apparebat. Frequenter intravit cacabos grandes bullienti aquâ repletos uſque ad renes aut ubera, & cæteris membris aquam calidiſſimam ſuperfudit, in quibus pœnis exclamavit velut parturiens. Sub aquis congelatis interdum manſit per ſex dies continuos. Inter latrones ſuſpenſos laqueo ſe ſuſpendit, & pendebat ſuſpenſa duobus aut tribus diebus. Multoties intravit mortuorum ſepulchra, & ibi deflevit hominum vitia. Multáque alia ejusmodi pœnitentiæ opera ſuſcepit ſummo quidem dolore, ſed abſque corporis læſione, ut plura perpeti poſſet: unde Chriſtina *mirabilis* dicta eſt.

3. Porrò, cùm admirabilem hanc Sanctam Virginem imitari nequeamus, ſequamur ſaltem alios Dei famulos & famulas, qui, quantùm poterant, animabus in purgatorio ſuccurrebant. Inter hos non poſtremum tenet locum *Ven.* noſter *Joannes à S. Guilelmo*; hic námque ſæpe dum ſuo in lectulo quieſceret, ſeipſum hiſce compellabat vocibus: Quomodo Joannes? tu jaces hîc tam commodè, cùm interea animæ in purgatorio ineffabilia tormenta tolerent, & tu de his non recordaris? Confeſtim ergo ſurge, & fac pro earum liberatione diſciplinam, cras manè etiam offer pro eis Miſſæ Sacrificium, & ſatage, ut & alii idem tecum faciant. Hinc mox grabato ſe proripiens, aſperrimè ſeſe diſciplinavit, nec à verberibus ſibi ipſi infligendis ceſſavit, donec ſuomet purpuraretur ſanguine. Præterea etiam omni die officium defunctorum orare conſuevit. Et meritò hanc defunctis miſericordiam exhibebat, probè enim nôrat devotus Pater doctrinam ſanctiſſimi Patris ſui *Auguſt.* qui hom. 16. inter 50. docet, quòd unum ex ſanctioribus exercitiis, & una ex magis piis curis, quibus homo ſe exercere poteſt in hac vita, ſit offerre ſacrificia, & eleëmoſynas, & orare pro defunctis, qui ſunt in purgatorio, quorum fratres ſumus. Quocircò non negligamus hoc ſaluberrimum exercitium, ex quo indubiè fructum copioſiorem, quàm fortaſſis ſperamus, metemus, dum magnus æternitatis dies nobis eluceſcet.

4. Hæc erga animas in Chriſto defunctas pietas præſentiſſimum eſt pharmacum ad expellendum ex corde noſtro peccatorum venenum. Daniel olim Nabuchodonoſori dicebat: *Peccata tua eleëmoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Daniel.* 4. v. 24. Sed quæ eleëmoſyna nobilior, quæ miſericordia major, quàm quæ præſtatur animabus purgatorii? quod conjici poteſt ex iis circumſtantiis, ex quibus magnitudo eleëmoſynæ communiter colligitur: quarum *prima eſt* perſonæ indigentia: Quò enim perſona aliqua pluribus miſeriis ſubjecta eſt, minúſque ſeipſam juvare poteſt, tantò præſtantior eſt eleëmoſyna, quæ ipſi offertur, quis autem gravioribus ſubjectus eſt miſeriis, quis minùs juvare ſe poteſt, quàm animæ purgantes? *Secunda* circumſtantia eſt Sanctitas egeni: quæ autem ſanctiores perſonæ reperientur inter mendicos, quàm animæ

purga-

purgatorii, utpotè ab omni jam nævo, & peccati maculâ purgatæ? *Tertia* est rei quæ datur, aut procuratur, magnitudo atque præstantia: quid autem meliùs atque præstantiùs excogitari potest, quàm ipsa felicitas æterna, cujus acceleratio animabus procuratur? *Quarta* est, propria largientis necessitas, si scilicet non tantùm superflua, sed etiam necessaria quis largiatur; quis autem & hoc perfectiùs præstat, quàm qui fructum satisfactorium suorum operum, quem constat omnibus summè esse necessarium, sibi ipsi subtrahit, & animabus transcribit? *Quinta* est affectus dantis: Nam ex hoc potissimùm benignitatis mensura taxatur, teste *S. Leone Papa.* Quis autem affectus major esse potest, quàm ubi liberans ipsum, ex quo alium liberat, purgatorium subire est paratus? Ex his ergo manifestè patet eleëmosynam spiritualem, quæ exhibetur animabus purgantibus, longè esse excellentiorem illâ corporali, quæ elargitur pauperi. Si ergo hæc corporalis eleëmosyna teste *Tob. 12. A morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.* Quantò magis hos effectus causabit eleëmosyna spiritualis derelictis animabus erogata? Deinde rectè monet S.P.N. *Aug.* ad F.F. in eremo: *Cupis ô homo, ut tui misereatur Deus? fac ut proximo miserearis in purgatorio; nam tantùm tui miserebitur Deus, quantùm tu misereberis proximo. Ora ergo pro defunctis.*

5. Rursus, quod ad hanc misericordiam animabus præstandam nos flectere, & provocare deberet, est, quòd vix aliud efficacius est remedium ad quidvis pro se, & aliis impetrandum: tum quia ipsa tam excellens misericordia potenter perorat, & quidvis impetrat S. *Chrysost.* teste. Tum quia animæ, utpotè collati beneficii præstantiam perfectissimè agnoscentes, ardentissimis precibus, quidquid ipsis commendaverimus, pro nobis petunt, & primis suis velut armatis precibus haud dubiè obtinent. Unde *Richardus de S. Victore* ser. 27. de mortuis ait: Animæ ereptæ de purgatorio, dum adsunt cælesti gaudio, miro modo interpellant exorando pro his, qui eis subvenerint in hoc sæculo; Deus enim nihil illis negat. Nam quemadmodum si aliquis filius Regis potentissimi in carcere detineretur, & eum aliquis ex hoc eductum regno suo, Patrique restitueret, talis princeps utique summè gratum liberatori suo se præberet; ita non minùs gratas se exhibebunt animæ erga illum, cujus operâ è purgatorio carcere exemptæ, atque in cæleste regnum sunt introductæ. Si autem scire discupimus, qualemnam nobis exhibebunt gratitudinem, id significat mellifluus *Bernard.* ser. de regressu animar. sic loquens: *Sustinetis accipere, quantum eleëmosynæ pro defunctis exhibitæ nobis conferant? centuplum restituent.* Sanè expertus est hanc liberalitatem quidam Abbas (*Baronius* tom. 9. annal.) qui aliàs, uti Monachus Anglus Anno 716. à mortuis resurgens testatus est, in agone propter dæmonum peccata exprobrantium aspectum desperaturus fuisset, nisi octo mille animæ, ab ipso priùs ex purgatorio redemptæ, ei in Judicio astitissent. Ex his ergo nunc dictis optimè inferre licet, hanc misericordiam esse inter certiora signa prædestinationis: Si enim nullus, qui etiam communia duntaxat misericordiæ opera libenter exercuit, unquam malè mortuus legitur, quidni hoc potiori jure speret, qui hoc præstantissimum opus misericordiæ constanter exercuit?

6. Prætereà hoc misericordiæ genus nedum

nedum conducere videtur ad pœnas inferni effugiendas, verùm etiam ad ipsum purgatorium evitandum, quod probare libet triplici ratione. *Prima sumitur* ex parte Christi, qui proinde reputat hoc beneficium, ac si sibi fuisset exhibitum, quod pius *Blosius* sequentibus innuit verbis: Instruct. vit. ascet. c. 4. Pius & suavis Dominus ipsas Electorum suorum animas, quas post mortem carnis adhuc purgari necesse est, in tantum diligit, earúmque liberationem tam ardenter desiderat, ut, si nos benignâ charitate moti, pro illarum absolutione fideliter precemur, & adorandam S. Altaris hostiam, sive merita Christi Jesu, vel Psalmodiam, aut quælibet alia salutaria offeramus, peragamusve, hoc non minùs gratum habeat, quàm si eundem Dominum nostrum carcere conclusum consolationibus relevare, atque adjutorio liberare studeremus, ipse enim *Matth.* 25. dixit: *Quod fecistis uni ex meis minimis, mihi fecistis.* Ita *Blosius.* Quibus addi potest, quod itidem Salvator *Luc.* 6. promisit. *Quâ mensurâ*, inquit, *mensi fueritis, eâdem remetietur vobis.* Si ergo studuerimus nunc Christum in animabus è purgatorio liberare, haud dubiè sperare possumus, nos ab hoc carcere à Christo eximendos, aut certè non diu ibi relinquendos esse. *Secunda ratio* petenda est ex parte animarum liberatarum; quæ agnoscentes beneficii magnitudinem, tum ex gloriæ acceleratæ magnitudine, tum ex pœnarum abbreviatarum acerbitate, non cessabunt orare pro suo benefactore, ut ne ipse quoque veniat in illum tormentorum locum. *Tertia ratio* sumitur ex parte æquitatis, quia æquissimum est, ut quâ mensurâ mensi sumus, eâdem remetiatur nobis.

7. Verùm enimverò, ut magìs elucescat, quantoperè animæ purgantes pro suis sospitibus, & per preces eis succurrentibus solicitæ sint, quò non tantùm eis bona spiritualia, sed etiam temporalia impetrent, adjungere lubet aliquas historias. *Eusebius* Dux Sardiniæ (ùt videre est in *Specul. exemp.* dist. 9. ex. 184.) cùm certæ urbis redditus in animarum subsidium destinâsset, eámque urbem Ostorgius Dux Siciliæ occupâsset, quadraginta millium equitum candidatorum exercitum pro se pugnantem, & Ostorgium ad deditionem cogentem videre meruit. Miles quidam (ibid. exemp. 65.) in cœmeterio ab inimicis deprehensus, cùm consuetudinem suam, quâ consueverat transiens orationem Dominicam recitare, omittere nollet, coeuntibus mortuorum ossibus, & obvia arma arripientibus mirabiliter liberatus est. Aliàs cùm quidam animarum liberandarum studio non modicè addictus, quondam à tenebris in itinere deprehensus esset, repentè duas faces post se vidit, audivitque: Vade in pace, sumus animæ purgantes, volumus esse gratæ orationibus tuis; nec præluximus solùm, sed aliud etiam infortunium impedivimus, nam fuit, qui te ex insidiis occidere voluit, sed in nostra præsentia non potuit. Ex his ergo & aliis, quæ brevitatis causâ omitto, sat abundéque conspicere fas est, quàm sedulam de nobis gerant curam animæ, si nos nostris precibus aut aliis pietatis operibus iisdem opitulari non negligamus. Hinc *S. Birgitta* (l. 4. rev. c. 7.) quondam audiebat vocem animarum dicentium: *Domine, da charitatem illis, qui habent spiritualem potestatem, ut magis participes fiamus orationum: Da omnibus, qui nobis succurrunt, centuplum in hac vita.*

8. Porrò, quamvis plurima sint exercitia, quibus subvenire possumus dere-

lictis animabus, uti sunt: Oratio, indulgentiarum lucratio, jejunium, aliæque corporis afflictationes; inter omnia tamen hæc pietatis opera præstantissimum censeri debet illud, quo operum nostrorum quotidianorum fructum satisfactorium iisdem adscribimus. Est enim hic actus summè charitativus, & consequenter etiam valde efficax pro animarum redemptione. Quare non segniter erit practicandus. Porrò quod in hoc nunc dicto exercitio benè notandum se offert, est, ut quilibet discat occurrere objectionibus, quibus nonnulli ab hoc exercitio præstantissimo misericordiæ impedire alios nituntur, quarum quidem duæ sunt potissimùm. Prima est, quòd consultiùs sit pro peccatoribus orare, & alia bona agere, utpotè in periculo æternæ salutis amittendæ constitutis, quemadmodum olim *Bertrandus* Dominicanus censuit, sed facilè opinionem suam mutavit, quando ab ipsa quapiam anima apparente errorem suum dedoctus est. Certè vel unum sufficere poterit ad dictam opinionem evellendam, quòd is, qui animas eâ intentione liberat, ut ipsæ postea in cælis pro peccatorum conversione intercedant, efficacius longè peccatoribus auxilium præstet, quàm si ipsemet pro illis orâsset, aut opera sua obtulisset.

9. Fortior, saltem in speciem, est altera objectio, utpotè ex proprio amore petita, qui suadet, ut charitatem ordinatam à nobis ipsis inchoemus, atque adeò nostra priùs, posteà primùm aliorum debita expungamus: quo argumento permotus *P. Rodericus Arriaga* judicat omnino facere contra charitatem ordinatam sui ipsius, quisquis omnem operum suorum fructum satisfactorium à se abdicat, & animabus purgatorii transcribit. Atque idipsum adeò persuasum habet *Theophil. Raynaud.* ut inter heteroclitas pietates numerare non horreat ejusmodi charitatem. Verùm horum argumenta tanti non sunt, ut propter ea recedere quis debeat ab altera opinione, uti fusè & solidè probat in aureo suo tractatu de misericordia animabus præstandâ *Jacobus Montfordus*, ubi postquam per aliquot capita demonstravit eum, qui suas actiones offert pro animabus, nihil perdere, sed plus mereri, impetrare, satisfacere, imò spem valde magnam concipere posse purgatorii omnino evitandi, tandem capite 12. in compendium quasi redigens priùs dicta, triplici hâc ratione ostendit per ejusmodi applicationem nihil contra ordinatam charitatem fieri. Prima est: Quia mille purgatoria nullius momenti reputanda sunt, si iisdem unicus gradus gloriæ altioris obtineri possit: cùm ergo per ejusmodi praxin, & perfectissimam charitatem haud dubiè quàm plurimi gradus gloriæ obtineantur, qui sine illa nunquam obtinerentur, rectè concluditur, quòd non faciat contra charitatem propriam, qui gradus illos gloriæ, quibus frueretur, si citiùs propter applicationem operum sibi factam cælos ingrederetur, negligit, ut plures imò infinitos illos gradus gloriæ, quos per totam æternitatem ob istam charitatem animabus exhibitam percepturus est, hâc dilatione comparet. Alioqui sanè nec *S. Basilius*, *S. Ignatius*, *S. Christina mirabilis*, *S. Lydvvina*, & alii Sancti rectè & prudenter egissent, quandò optione sibi factâ cælos ingrediendi, aut ad salutem proximi procurandam diutiùs in terris permanendi, hoc posterius elegêrunt.

10. Secunda ratio est: Quia, qui hujusmodi misericordiam exercet, multò certiùs

certiùs sperare potest se purgatorium evasurum, aut certè diu ibi detentum non fore, quàm si sibi ejusmodi sua opera applicâsset, uti citatus Author cap. 11. efficaciter probat; ergo etiam ex hoc capite contra charitatem propriam non facit. Imò ut docet *Cardinalis Lugo*, hoc ipso, quòd charitatem augeat, fit dignior persona, adeóque facit, ut pœna, quæ priùs proportionata erat delictis, jam respectu personæ dignioris nimia sit, atque adeò minui debeat. Tertia ratio est: quia cùm ex una parte possit is, qui actiones suas dicto modo offert, conditionem istam apponere, ut eatenùs duntaxat intentionem hanc validam esse velit, quatenùs talis oblatio ad majorem Dei gloriam confert, & charitati propriæ non obstat: ex altera verò parte coronet & præmiet Deus voluntatem, quando non invenit facultatem, facilè apparet per ejusmodi applicationem, utpotè juxta probabilem plurium Ascetarum doctrinam susceptam, nullatenùs nocere, plurimùm verò ad suum tum erga Deum, tum erga animas affectum, & amorem demonstrandum conducere posse. Porrò hæc omnia nunc memorata stabilita manent ex gestis *S. Gertrudis*. Cùm enim hæc S. Virgo (ùt refert *Casp. Tausch.* in matre dol. p. 3. c. 7.) omnia sua opera liberaliter animabus transcripsisset, & inde timeret, ne grave purgatorium defectu satisfactionis propriæ subire cogeretur, Christus ei apparens, Filia, inquit, ut videas, quàm mihi placeat ingens charitas tua in defunctos, in compensationem tibi condono omnes pœnas, quas debes. Præterea, qui olim pro uno centuplum promisi, nunc manum dilatabo, & gloriâ te multò excellentiore præmiabo. Efficiam denique, ut animæ per te liberatæ tibi morienti assistant, téque in cælum cum triumpho deducant.

11. Cæterùm quod in hoc misericordiæ exercitio notandum occurrit, est, ut solidam quisque sciat praxin ejusmodi applicationem fructuosè faciendi, quæ citatus *Montfordus* in sequentibus constituit. Primò: Ut quis studeat semper esse in statu gratiæ. 2dò. Ut opera sua singula studiosè perficiat. 3tiò. Ut motiva ad hanc misericordiam excitantia benè ponderet. 4tò. Ut nonnunquam renoventur actus, quibus ex uno alteróve motivo opera sua quis transcripsit. 5tò: Ut quotidie, si fieri possit, renovetur intentio hoc vel simili modo:

Ut animas fratrum, consanguineorum, proximorum & aliorum à pœnis suis liberem, iísque possessionem æternæ felicitatis accelerem; ut Divinæ Majestatis honorem, ejúsque gloriæ augmentum procurem; ut benefactori meo liberalissimo gratissimum gratiarum actionis genus reponam: Ut honorem divinum, quem per innumera peccata læsi, meliore, quo possum, reparem modo: Ut denique Christo ipsi, & SS. Matri ejus & reliquis Sanctis obsequium acceptissimum præstem: Ecce mi Deus, animarum zelator zelosissime & tenerrime, offero tibi hodie pro refrigerio animarum in purgatorio, præsertim harum N. N. non solùm opera bona omnia quæ hodie facturus sum, vel ab alio quovis pro me hoc die fient, sed & omnia, quæ ullo unquam tempore facturus sum bona, vel quæ unquam per vitam pro me fient, imò etiam post mortem pro me offerentur, quantum hoc ex majore tua gloria, divinæque tuæ voluntatis beneplacito fieri à me potest. Accipe, ô dulcissime JESU, exiguam hanc oblationem meam, quam pro animabus

mihi dilectissimis facio, & omni possibili affectu & corde facere desidero.

12. Tene ergo, frater chare, hanc animabus purgantibus succurrendi methodum, & crede hanc charitatem illis præstitam te non depauperare, imò plurimum ditare. Recogita etiam, quòd si tu esses in his tormentis constitutus? nonne optares, ut tibi alii auxiliarentur, quare, quod tibi tunc velles fieri, nunc alteri facias, oportet; si enim hoc neglexeris, pertimescendum profectò habes, ne tibi contingat, quod cuidam Religioso ex familia Franciscanorum evenit; hic (ùt prodit *Dauroltius* c. 8. tit. 20. exemp.7.) elapso aliquo tempore à morte sua cuidam ejusdem familiæ Religioso apparuit, dixitque se gravissimas in purgatorio pœnas sustinuisse hâc de causa, quòd in vita negligenter pro defunctis oràsset, nihilque hactenus sibi preces, & Sacrificia profuisse, eò quòd Deus animabus aliis in negligentiæ suæ pœnam eas applicàsset. Meritò ergo ait *Cajetanus* quæst. 5. de indulg. *Qui in hac vita defunctos oblivioni dant, alienos in fructu omnium suffragiorum ibi in purgatorio crediderim, quamvis multa pro eis hîc fiant, divinâ ulciscente justitiâ hujusmodi duritiam cordis atque injuriam.* Saluberrimum proinde dat monitum Sacra Scriptura, 2. *Mach.* 12. quo Sermonem nostrum etiam finimus: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare; ut à peccatis solvantur.*

# SERMO LXIV.

## DE CÆLESTIBUS GAUDIIS.

*Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum.*

1. Cor. 2.

1. Simonides olim interrogatus ab *Hierone*, Siciliæ Tyranno, quid qualisve esset Deus? Unius diei post alterum spatium petiit ad cogitandum, & tandem post multos dies dixit: quò considero diutiùs, eò mihi res videtur obscurior. Ita sanè gaudia Beatorum comprehendere volentibus usu veniet, quò enim magìs ea explicare satagemus, eò plura & plura sese offerent sic, ut tandem fateri cogamur cum *Simonide* Philosopho, quò plus Beatorum gloriam & gaudia consideramus, eò minùs quid hæc sint, comprehendimus. Tanta quippe sunt, ut teste *Apostolo*: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus eis qui diligunt eum.* Hinc S. P. N. *Aug.* l. 23, de Civit. Dei dicit: Quod Deus præparavit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non comprehenditur, desideria & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest. Unde idem S. Doctor l. 3. de Symb. ad Catech, c. 12. Faciliùs, inquit, possumus dicere in illa vita æterna, quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Non est ibi mors, nec est ibi luctus, nec lassi-

tudo, nec infirmitas, non eſt ibi fames, nulla ſitis, nullus æſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla triſtitia, nulla mœſtitia.

2. Gaudia verò, quibus Beati Cælites per perpetuas æternitates fruuntur, quis etſi Tullianâ præditus facundiâ ſatis explicet? Etenim tantum, teſte *Diſcipulo*, eſt gaudium minimi Sancti, quod totus mundus ſufferre non poſſet. Hinc, ùt idem Author memorat, obſeſſus quidam interrogatus de gaudio, quod habent Sancti in cælo? reſpondit: ſi totum cælum eſſet pergamenum, & totum mare atramentum, & omnes ſtellæ Magiſtri Pariſienſes, & omnia ſtramina pennæ. Certè hi omnes Magiſtri Pariſienſes, nec ſcribere manibus, nec linguis eloqui poſſent minimum gaudium, quod habent Sancti in cælo de vultu Dei. Aliàs etiam quidam dæmon ex perſona obſeſſa ab Exorciſta interrogatus, quàm magnum gaudium eſſet in cælo? cui reſpondens, & ſimul quærens ait: Potéſne numerare athomos in radiis ſolis? aſſerente illo, hoc ſe nequaquam poſſe: ſubjunxit dæmon: ſic nec tu, nec aliquis hominum illa gaudia numerare poteſt. Hoc ipſum docet *S. Bernardus* in Feſto omnium Sanct. dum per hæc excurrit verba: Si omnium hominum linguæ hìc adeſſent, & mihi loqui vellent de gloria, quàm habituræ ſunt animæ beatæ in cælis, citiùs narrando deficerent, quàm vel minimam ejus partem poſſent exprimere. Hinc in *Geneſi* cap. 14. Dominus ad Abraham ait: *Ego Protector tuus, & merces tua magna nimis.* Quàm magnam autem hanc mercedem putamus? Reſpondet *Sanctus Bernardus* lib. de Conſid. ad Eugen. Papam. *Merces Sanctorum tam magna eſt, quòd non poſſit menſurari, tam copioſa, quòd non poſſit finiri, tam pretioſa, quòd non poſſit æſtimari.*

3. Convenienter ad noſtrum memorat propoſitum *Dionyſius Carthuſ.* de glorioſo *P. N. Auguſtino*, qui cùm de Beatorum gloria compilare tractatum voluiſſet, & ſuper hoc etiam *S. Hieronymum* ſcripto requirere, quid de Beatitudine ſentiret? ſtatuiſſet; quia verò *S. Hieronymus* interea deceſſit è vita, ideo poſt mortem ei apparuit, dixítque: Auguſtine, Auguſtine, quid quæris? Putáſne parvo vaſculo immittere totum mare? Putáſne orbem terrarum brevi pugillo includere? Quæ nullus hominum oculus videre potuit, tuus videbit? Quæ auris nulla per ſonum hauſit, audiet tua? quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec cogitavit, æſtimas te intelligere poſſe? Infinitæ rei quis inerit finis? Immenſa quâ metieris menſurâ? Potiùs totum mare in vaſculo clauderetur arctiſſimo, potiùs orbem terrarum parvus teneret pugillus, potiùs à motu ſuo cælum ceſſaret, quàm intelligeres minorem particulam gaudiorum & gloriæ, quibus Beatorum animæ perpetuò perfruuntur. Eſt enim res tanta, quantam, niſi ipſe vidiſſem, nunquam crediidiſſem. Et tam longè abeſt ab eo, quod ego vivens cogitabam, ut omnino ſit quidpiam infinities majus. Niſi ergo de his per experientiam docereris, impoſſibilia agere conaris. Imple vitæ tuæ curriculum, & taliter converſare, ut ea, quæ hìc aliqualiter intelligere cupis, plenariè in æternum poſſideas.

4. Porrò cùm hæc Sanctorum gaudia captum noſtrum longiſſimè tranſcendant, adjungere libet hiſtoriam, ex qua ſaltem aliqualiter, quantùm infirma mentis noſtræ acies permittit, videre poſſumus, quid ſit frui æternâ beatitudine.

tudine. Erat quidam Religiosus valde devotus, qui instanter à Deo petiit, ut sibi revelaret aliquam cælestis gaudii dulcedinem. Cúmque vice quadam in *Psalmodia* nocturna ille decantaretur versus: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Non poterat Dei famulus sibi persuadere hujusce Regii Vatis oraculi veritatem, cúmque peracto matutino huic versui semper immoraretur, & à Deo identidem postularet, ut hujus versûs mysterium sibi panderet: Audivit aviculam suaviter cantantem, hoc igitur dulcisono allectus concentu, totúsque extra se in Spiritu positus Monasterio prodiit, aviculámque ante se in vicinam sylvam magnam & spatiosám valde, volitantem secutus, ubi sub arbore stans, auscultavit cantilenam aviculæ illius amœnissimè modulantis; quæ cùm tandem à cantu cessasset, Monachus regressus est ad Monasterium, ratus se vix unâ alteráve horâ sub arbore stationem fixisse, & ad Monasterium properans invenit portam Monasterii obstructam lapidibus, ac aliam esse constructam. Quare vehementer admirans ad januam pulsat, venit janitor, eúmque, unde veniret, & quis esset, quidve desideraret? percunctatur. Ego ante pauculas horas, respondit, de monasterio exivi, & jam revertor, & monasterium variatum reperio. Hæc cùm janitor ad Monasterii Antistitem retulisset, eáque, quæ ex peregrino Religioso audivit, enarrâsset; Abbas & Seniores Monasterii ab eo nomen Abbatis illius quæsiêrunt, qui illo tempore præerat, quo Monasterio exivit, & quærentes in Chronicis invenerunt eum abfuisse à Monasterio trecentis & quadraginta annis. Hoc magnum fuit, quòd per totum illud tempus præ dulcedine cantiunculæ illius aviculæ seu Angeli, nec sensit frigus, nec calorem, nec esurivit, nec sitivit. *Quale proin erit gaudium, Angelorum suavissimè concinentium choris interesse, cum beatissimis Spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?* ùt rectè loquitur *Sanctus Gregorius* hom. 22. in Evang.

5. Ulteriùs, in *Specul. Exemp.* vid. glor. Cælest. exemp. 13. de quodam milite refertur, qui à socio suo defuncto ad convivium invitatus, cùm comparuisset, & ad ultimum duntaxat ferculum venisset, redire jussus, invenit monasterium loco domûs, ex qua exierat, ædificatum, séque ducentis annis emansisse. Porrò, si unica mica cælestium gaudiorum ita hominem beet jam in hoc exilio, ut ducentorum annorum spatium non plus quàm horulam reputet, quantus, quæso, jubilus non erit, assidere magnæ mensæ omnium deliciarum generibus exuberanti, quam instruxit Deus omnibus diligentibus se? Hinc exclamat *Psalmista*: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Porrò, etsi hic & nunc ista non capiamus, haud dubiè tamen, quando in æternam beatitudinem fuerimus intromissi, nobis eveniet, quod Reginæ *Sabbæ* visâ gloriâ Salomonis evenit, dicemúsque cum ea. 3. *Reg.* 10. *Verus est Sermo, quem audivi in terra mea, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quòd nec media pars mihi nuntiata fuerit.* Tanta nimirum est glo-

ria Supernorum Civium, ut omnia humana verba ad eam explicandam minimè ſufficiant. Nam teſte *S. P. N. Aug.* Ser. 8. de Transfig. *Tanta eſt dulcedo futuræ gloriæ, ut ſi una gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem dulcem efficeret.*

6. *Dionyſius Carthuſ.* docet, quòd omnia gaudia hujus mundi ſimul collecta comparari nequeant gaudio, quod unusquiſque beatorum habet de Beatiſſimæ Virginis MARIÆ præſentia & conſpectu. Si ergo ita eſt, de quo haud dubitandum, quale gaudium non erit contemplari humanitatem Filii Dei? & tamen hæc omnia ad accidentale pertinent præmium Beatorum, quod totum ſimul ſumptum incomparabiliter minus eſt gaudio præmii eſſentialis, videlicet beatæ fruitionis, quâ excellentiſſimâ Trinitate, & ejus unâ ſimpliciſſimâ Deitate fruuntur. Quanta enim felicitas erit intueri ſimpliciſſimam illam Eſſentiam adeò admirabilem, adeò communicabilem, unoque intuitu SS. Triados Myſterium intueri? Videre Patrem in Filio, Filium in Patre, & in Patre Filióque Spiritum Sanctum? Videre ſine umbris ac figuris, quemadmodum Filius æternùm ſit à Patre genitus, quemadmodum Spiritus Sanctus à Patre Filióque procedat, velut à Principio; quemadmodum Perſonarum nulla ſit neque minor, neque major, neque nobilior, neque ignobilior alterâ; quemadmodum Pater non fuerit Filio prior, neque genitus generante poſterior, ſed omnes tres perſonæ ſint in omnibus æquales, coæternæ, infinitæque excellentiæ & dignitatis. Ibi videre licet illum modum, quo divina natura ſe humanæ univit in perſona Chriſti; & quidem ſic univit ſe finitum infinito, & Deus homini, ut poſſit (ſiquidem de homine loquamur) verè dici, Deus eſt homo, &, homo eſt Deus.

7. In hac viſione SS. Triados, & Incarnati æterníque VERBI myſterio præcipua beatitudo conſiſtit. Sed enim Sancti non ſolùm vident Deum, ſed ſeipſos vident in Deo, & in eodem res omnes. Nam quemadmodum *S. Fulgentius* ait; ſicut cui præſens adeſt ſpeculum, ſpeculum videt, & ſemetipſum videt in ſpeculo; ita Cælites, qui ſpeculum ſine macula intuentur, Deum vident, & in Deo ſemetipſos, & quidquid eſt extra Deum, ſecundùm majus minúsve lumen, quod eis eſt impertitum. Nam ſicut hìc omnia creata ſunt quoddam quaſi ſpeculum quamvis obſcurum atque imperfectum, quo nobis Deus repræſentatur: Sic & ibi ſuperno in capitolio Deus eſt inſtar lucidiſſimi, clariſſimi & perfectiſſimi ſpeculi, qui ſimplici intuitu exhibet beatis omnes excellentias, & rerum creatarum proprietates, multò etiam perfectiùs, quàm in eis reperiantur. Quin & ſecreta atque abſcondita Dei myſteria, quæ nec à Sapientiſſimis, nec ab ingenioſiſſimis unquam penetrari potuerunt, illic à beatis Cælitibus clarè videntur ſic, ut eorum deſideria expleantur. Ibi vident, quemadmodum cælum tot, tantiſque luminum facibus ſit accenſum, & quemadmodum cuncta ſuo ſint ordine digeſta, atque admirabili harmoniâ concinnentur.

8. Ibi vident ſapientiſſimam miriſſimámque diſtinctionem, pulchritudinem, & diſpoſitionem novem chororum Angelorum, atque in tres hierarchias diſtributorum. Ibi vident, quemadmodum omnes gratiæ naturales ſic à prima deriventur origine, ac fonte perenni, atque in res creatas dimanent, ut à ſuo fonte nunquam ſeparentur; ſicut nec

ab origine atque à fonte ſuo rivus, ſed in Deo toti conſiſtant, tanquam luce, quæ ſe communicat, & multis ſeſe divi-dit, neque tamen aut decrementum patitur aut incrementum. Vident quemadmodum Dei dona omnia ſemper ſint recentia, quòd in eo non ſit temporis ulla differentia, neque præſentis, neque præteriti, neque futuri, ſed conſtans æternitas, & præſentiſſimum ſine tempore tempus. Vident, quemadmodum Deus ſit ſimpliciſſimum quoddam Bonum, & incommunicabile, & indiviſibile, cujus alii magis, alii minùs participes ſunt, inſtar Solis qui plus minusve ſuum calorem, lucémque communicat ſecundùm ſubjecti diſpoſitionem. Ibi denique vident omnia opera Juſtitiæ ac miſericordiæ permiſta, de quibus omnibus ſuam Dominus gloriam elicit. Nullus porrò eſt Arithmetices adeò peritus, qui cuncta, quæ Cælites in Deo vident, in ſummam redigere queat; nullus Tullius adeò facundus, qui poſſit explicare dicendo; nullus intellectus, qui poſſit ea complecti, quæ tamen omnia Cælites complectuntur ſimpliciſſimâ & inexplicabili viſione. Unde naſcitur adeò ardens amor, ut anima beata merus amor eſſe videatur, quòd à divino ſic igne penetretur, qui omnia in ſe convertit, ſemper ardet, neque unquam finit. Ab hoc amore dimanat fruitio & gaudium inexplicabile in ipſamet anima per unionem ſui intellectûs cum immenſo oceano Sapientiæ, & affectûs, & voluntatis ſuæ cum ſummo Bono, cui adeò arctis quodammodò amplexibus inhæret, ut ab eo nequeat divelli.

9. Porrò, quàm voluptuoſa hæc Beatorum ex divina præſentia fruitio ſit, etiam colligere poſſumus modo aliquo obſcuro ex hac hiſtoria, quam memorat Diſcipulus. *B. Jordanus* Ordinis Prædicatorum viſitavit quandam obſeſſam perſonam, & interrogavit dæmonem, dicens: Quare affligis hanc mulierem? Cui dæmon ait: cogor manere à Creatore meo, & ideo alibi eſſe non poſſum. Ad quem Jordanus, dic mihi, inquit, ubi velles eſſe, ſi optio tibi daretur? Reſpondit diabolus, in cælo. Rurſus interrogatus, quare rectè ibi? ut reſpicerem, ait dæmon, illam claram faciem Creatoris mei. Quid velles inde ſuſtinere? quærit iterum Jordanus. Omnes pœnas, reſpondit ſtygius inquilinus, quas omnes dæmones ſuſtinuerunt à die, quâ ejecti ſunt de cælo, & quas ſuſtinebunt uſque ad diem Judicii, vellem ſuſtinere, ut poſſem videre ſemel claritatem Dei, vel ad unum, aut alterum duntaxat momentum. Hinc Dei Servus: O quàm miſer, inquit, eſt homo, qui hoc amittit, & ſibi tale magnum & ineffabile gaudium non acquirit! Profectò & extra dubium eſt, ſi quis totum vitæ ſuæ curſum in rigidiſſimis pœnitentiæ operibus, & ſummis auſteritatibus tranſigeret, & Deus tali poſt mortem tantùm per unicum momentum ſuam faciem, ut eſt in ſe, monſtraret, tunc omnem laborem ejus propter Deum ſuſceptum abundantiſſimè remuneraretur. Quantum proinde erit gaudium in æternum hanc Divini Numinis faciem contemplari?

10. Denique tam magnum eſt gaudium cæleſtis Patriæ de Deo, ut non poſſit concludi in homine, & ideo homo intrat in gaudium illud incomprehenſibile, & non intrat gaudium illud in hominem, velut comprehenſum ab homine, ùt rectè advertit *S. Anſelmus* in proſol. c. 26. Hinc Chriſtus apud *S. Matth.* 25. ait: *Intra in gaudium Domini tui*, non dicit,

dicit, intret gaudium in cor tuum, sed, tu intra in gaudium. Porrò ingens hoc gaudium ex triplici fonte profluit, seu tres præcipuas habet causas: In primis enim gaudent Beati de bono divino, ac infinita Dei felicitate; vera enim amicitia, qualis est charitas, congaudet bonis amici. Secundò gaudent de bono proprio, & de felicitate, quâ potiuntur, fruendo Deo tanquam bono proprio. Tertiò gaudent de bonis, & felicitate aliorum Sanctorum, apud quos, ùt ait *Gregorius Magnus*, non erit invidia disparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. Hinc quia unusquisque unumquemque diligit tanquam se ipsum, tantum quisque gaudium habebit de bono singulorum, quantum de suo; quoniàm bonum, quod non habet in seipso, possidet in altero. Constat ergo singulos tot habere gaudia, quot Socios. Et singula gaudia tanta sunt singulis, quantum proprium singulorum. Cùm autem quisque plus amet Deum, quàm seipsum, & omnes alios secum. plus gaudet de Dei felicitate, quàm de sua, & omnium aliorum secum. Si ergo cor unius cujusque vix capit suum gaudium, ait *S. Anselm.* quomodo capit tot & tanta gaudia? Ideo dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*, non intret gaudium Domini tui in te, quia capi non posset.

11. Idcirco non immeritò dicit *S. Gregorius*: Si consideremus, quæ & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in Cælis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena námque substantia æternæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est dicenda potiùs quàm vita. Hinc *S. Ignatius* cælum intuens exclamare solebat: *Quàm sordet terra, dum cælum aspicio.* Porrò, cùm infinita sint illa gaudia, quæ Deus diligentibus se repromisit; quantus proinde labor non erit impendendus? quales ærumnæ, & afflictiones propter Deum non exantlandæ, quò cæli incolis associari mereamur? Si enim nautis minaces illi pelagi fluctus, si vulnera, cædesque militibus leves videntur, atque tolerabiles propter spem temporalium, ac pereuntium commodorum; Quantò ergo magìs nos, cùm cælum proponatur in præmium, omnes quascunque demum adversitates hilari omninò animo portare deberemus?

12. Quamobrem quisquis ad hanc felicissimam supernorum civium Regionem contendere festinat, duo media arripiat, necesse est; videlicet ut cuncta terrena & mundana gaudia abjiciat, ac omnia adversa heroico pro Christo sufferat animo. Quantum ad primum, sciendum est, quòd quemadmodum fieri nequit, ut quis uno oculo cælum, altero terram consideret; ita etiam non potest fieri, teste *S. Hieronymo*, ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, & hic ventrem, & ibi mentem repleat, & de delitiis transeat ad delitias. Qui ergo cum Christo cupit regnare, debet cunctis carnis voluptatibus, & mundi cupediis renuntiare; ad hoc porrò præstandum, necesse est mentem ad æterna, ac cælestia levare. Nam ùt *S. Chrysostomus* ait: *Si quis cælum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, res hujus sæculi nullius pretii existimabit.* Hinc etiam *S.P.N. Aug.* l. de mortuis dicit; Tanta est pulchritudo Justitiæ, tanta est jucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis Sapientiæ, ut, etiamsi in ea non liceret ampliùs, quàm unius diei morâ permanere, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni delitiis, & circumfluentiâ bonorum temporalium rectè meritóque contemnerentur. Quantum ad secundum, sciendum est: Verissimam esse sententiam S. Pauli *Rom.* 8. dicentis:

dicentis: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Hinc rursus *S. P. N. Aug.* serm. 37. de Sanctis ait: *Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, & ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre possemus in gloria, & Sanctorum ejus numero sociari, non erit dignum pati omne, quod modò mœstum est, ut tantæ gloriæ, bonitatisque participes haberemur.*

13. Ad quod porrò confirmandum memorat *Discipulus*, diabolum ex quadam obsessa persona à circumstantibus interrogatum, quid facere vellet, si ad cælum redire posset? respondisse; si esset columna ferrea rasariis & clavis acutissimis circumquaque benè armata, à terra usque ad cælum erecta, tunc usque ad diem Judicii, si carnem haberem, in qua sic pati possem, me per illam pati vellem trahi nunc ascendendo, nunc descendendo, dummodo pervenire possem ad gloriam Dei, de qua propter meam superbiam cecidi. Si tam atrocia sustinere tormenta paratus est pro obtinendo cælo abjuratus Dei hostis, si hoc fieri posset, quid non oportebit nos subire amore Dei, ut per tribulationes & patientiam consequamur hoc incommutabile bonum? Porrò, quamvis de hac materia plura adhuc tractanda restent, quia tamen non difficulter in libris obviis plura reperire licet, ideo huic Sermoni finem impono, & pro coronide addo, quod dicit *Magnus Gregorius*: *Delectat mentem magnitudo præmiorum; sed non deterreat certamen laborum. Ad magna quippe præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores.* Unde & *Paulus* dicit: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Quapropter si æternâ juxtáque felicissimâ Dei visione cum omnibus Cæli Incolis perfrui discupimus, toleremus nunc patienter, perferamus fortiter & libenter, sustineamus hilariter & gaudenter, quidquid nobis injuriarum & afflictionum acciderit; sic enim dubio procul magnam concipere poterimus spem de æterna gloria obtinenda, juxta illud Christi promissum: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

14. Enimverò ut discursum nostrum claudamus, nihil aliud superesse videtur, quàm ut frequenter & serio animo volvamus & revolvamus gaudia beatorum, quò nempe cor nostrum in supernorum amorem inardescat, & ùt monet *Apostolus, quæ sursum sunt quærat, & quæ sursum sunt sapiat*; Non enim dubium, quin Deo multùm displiceat, si sui servi rarò de futuris gaudiis cogitent, & ad ea non, ut par est, suspirant, & anhelant. Placet audire historiam: *S. Vincent. Ferrer.* ser. in Festo om. Sanct. refert, quod cùm quidam eximius Dei Servus, qui cum magna sanctitatis opinione semper vixerat, ad alteram vitam moriendo transîsset, vehemens quendam amicorum suorum incesserit desiderium sciendi, an anima ejus rectà ad cælum evolâsset, cúmque super hoc Dei responsum sibi revelari ardenter petiisset, anima dicti Servi Dei igne circumdata ei apparuit & terrefacto ex hac apparitione amico suo dixit, se in purgatorio ad aliquod tempus condemnatum hærere, eò quòd in vita sua cæli gloriam, eo quo par erat, ardenti desiderio non quæsîsset aut desiderâsset. Quamobrem ne quondam à possessione æternæ gloriæ retarderis, imitare Prophetam Regium, cum eo nimirum ad cælestem gloriam continuò ex toto spiritu aspirando & dicendo: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Sitivit anima mea ad Deum.* Hoc fac & vives.

# SERMO LXV.
# DE NUMERO ELECTORUM.

*Multi vocati, pauci verò electi.* Matth. 20. 16.

## PARS PRIMA.

### Comparatione reproborum est numerus Electorum modicissimus.

1. QUamvis nonnulli ex Sanctis Patribus, & Sacræ Scripturæ Interpretibus per hos multos vocatos non intelligant Paganos & infideles, sed solos Christianos; nihilominus tamen etiam non incongruè per multos vocatos non solùm Christiani, & qui vero fidei lumine collustrati sunt, verùm etiam omnes hæretici & pagani intelligi possunt, ùt docet *Cornelius à Lapide*, dum prædictum Scripturæ textum exponit; hujus doctrinæ efficax ratio sumitur ex S. Paulo asserente, 2. *Cor.* 5. quòd pro omnibus mortuus sit Christus. Hinc *S. P. Aug.* in *Psal.* 95. ait: *Judicabit orbem terrarum in æquitate, non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Cui consonant hæc verba *S. Ambrosii* in *Psal.* 118. *Mysticus Sol ille Justitiæ* omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Unde etiam in hymnis Ecclesiasticis dicitur: *Jesu Redemptor omnium.* Nec obest, quod Christus dicat: *Multi vocati*, & non: *omnes vocati.* Quia pro Ly *multi* intelligi possunt omnes, quia omnes multi sunt. Quia ùt docet *S. P. August.* lib. 6. oper. prior. cont. Julian. c. 12. frequenter usurpari in Scriptura Ly *multi* pro Ly *omnes*, ùt *Daniel.* 12. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt*; id est omnes resurgent in die judicii. Et ad *Rom.* 5. *Si enim unius delicto multi mortui sunt*, id est omnes mortui sunt.

2. Ex quo liquidò constat Paganos & infideles inter vocatos esse, licèt non eo modo, quo fideles; siquidem fideles vocati sunt vocatione efficaci seu completâ; infideles verò vocatione duntaxat incompletâ seu inefficaci. Hoc est quilibet habet pro aliqua saltem differentia temporis gratiam sufficientem, mediante quâ ad agnitionem veri Dei, & ad veram fidem pertingere potest, quia verò non cooperatur secundùm gratiam sibi datam, est ipsemet in causa suæ perditionis juxta illud Prophetæ *Oseæ* 13. 9. *Perditio tua ex te Israël.* Sunt ergo *multi vocati*, ùt ait Incarnata Sapientia, *sed pauci electi*, qui ultimum suum finem, beatitudinem scilicet æternam, ad quam creati sunt, assequuntur. Quod jam olim præfiguratum fuit in Arca Noë, in qua nonnisi octo personæ erant, quæ universale diluvium evaserunt, reliqui omnes, quorum multa centena, & centena millia numerabantur, aquis hausti, miserabiliter non solùm secundùm corpus, sed etiam secundùm animam, ùt vult *Pererius* in c. 6. *Gen.* l. 9. disp. 3. n. 6. perierunt. Sicut ergo hi octo homines respectu eorum, qui submersi sunt, paucissimi omnino, imò quasi nulli sunt; sic salvando-

vandorum numerus modicissimus est, si ad damnandorum multitudinem conferatur. Horribilem ignem illum, quem iratum Numen super Sodomam & Gomorrham,& totam regionem misit,nonnisi quatuor personæ evaserunt, scilicet Loth, & uxor ejus, & duæ filiæ; reliqui omnes, qui in quinque civitatibus & circumsitis pagis & oppidis habitabant, per ignem consumpti, ad inflammatum inferni rogum descenderunt.

3. Ex omnibus viris bellatoribus, qui egressi sunt de terra Ægypti, quique jussu Dei numerati sunt in deserto, quorum numerus erat, ùt habetur *Num.* 1.46. sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta, nonnisi duo, videlicet Josue & Caleb ingressi sunt terram promissionis, cæteri omnes mortui sunt in deserto. Sicut ergo ex tot centenis millibus soli Josue & Caleb ingressi sunt terram promissam; ita ex tot centenis hominum millibus pauci salvantur, eúntque ad cælum. Inter filios Israël erat solus Tobias, qui in Jerusalem ad templum Domini pergebat, & ibi adorabat Dominum Deum Israël. Cæteri omnes ex decem tribubus Israël iverunt ad adorandos vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Israël. *Tob.* 1. 5. Ex cunctis filiis Esau erat solus justus Job, & credebat in Deum verum, cæteri in tota regione erant gentiles, & serviebant dæmoni. Ex cunctis Chaldæis erat Daniel cum tribus aliis pueris electus, & contradicebant impio Regis mandato, reliqui omnes tam Judæi, quàm Pagani adorârunt erectam statuam ob timorem, ne in ardentem fornacem injicerentur. *Multi ergo vocati, pauci verò electi.*

4. Sed ulteriùs, reflectamus mentis oculos ad jam dudum præterlapsas mundi ætates, & videbimus quòd fermè totus mundus, exceptis paucis de filiis Israël, dæmonibus cultum detulerit & adorationem, unde propè omnium nomina non in cælo, sed in inferno scripta fuerunt. Hinc ait *S. Vincent. Ferrer.* Dom. 7. ser. 6. *Antequam Christus veniret in hunc mundum in humana carne, transiêrunt ultra quinque millia annorum, & totus mundus damnabatur, exceptis paucis de populo Israël, qui ibant ad Lymbum SS. Patrum.* Ast volvamus etiam nostris hisce temporibus super universæ terræ vastitatem oculos nostros, & majorem illius partem Ægyptiis tenebris Atheismi, Paganismi, Hebræismi, & Alcorani involutam, tótque hæresum erroribus implicatam esse inveniemus. Imò ex centum hujus terrarum orbis partibus, vix unam esse Christianam, docet *Ludov. Granat.* in duce peccat. l. 1. c. 27. Hinc *S. Nilus Abbas*, teste *Baronio* An. 976. n. 3. inter spiritualia colloquia dicere solebat: Quòd ex decem millibus vix reperiatur una anima his temporibus, quæ ad numerum Sanctorum Angelorum perveniet.

5. In Africa, ùt refert *Boterus* ap. *Engelg.* p. 1. Emblem. 47. capacissimæ urbes, Alcarium regni Metropolis, Thremise, quæ sexdecim millia familiarum numerat; Tunetum novem millia: Marocco centum millia: Fessa, ubi Africæ Regis potentissima aula est, sexaginta millia ædificiorum complectitur. Nunc qui volet & valet, in iis capita censeat, is facilè sentiet omnem hanc multitudinem grandinis, aut densissimæ nivis instar, ad inferos turmatim descendere, adeò non inanis, aut in aëre conficta visio, quæ refertur in libro de ortu Carthusiensium, quod *Innocentius III. Papa*, cùm adhuc Cardinalis esset, S. quendam Eremitam visitare solebat: qui dum quadam die cum suis ad eum venisset,

viri Dei oſtium pulſari fecit; ſed cùm neque vox, neque ſenſus aliquis percipi potuiſſet, irruentibus tandem Aulicis in cellam ejus, ac ipſum exſtimulantibus, & quaſi mortuum excitantibus, clamavit ille voce magnâ: O! ô! vidi mirabilia! vidi horribilia! ſciſcitanti verò Cardinali diligenter quæ viderat, reſpondit: Ductus ad infernum vidi decidere animas ſicut nives denſiſſimas, aërem obnubilantes; ad purgatorium verò ſicut nivem rariſſimam: ſed ad paradiſum tantùm tres introire vidi animas, illius ſcilicet Epiſcopi, & illius Prioris Carthuſienſis, ac iſtius Viduæ Romanæ, ſingulas ſuo nomine compellans perſonas. Cardinalis igitur vir prudens veritatem ſcire volens viſionis, miſſis hinc inde nuntiis, comperit animas illas eodem tempore corpore ſolutas fuiſſe. Hujus rei veriſſimum typum expreſſit *Michæas* 7. 1. dum Deum noſtrum his verbis lamentantem introducit: *Væ mihi quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum. Periit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt.* Quo loquendi modo Deus inſinuare vult dæmonem eſſe, qui fere ſolus animarum facit vindemiam, ſe verò factum eſſe, ſicut qui, abſolutâ vindemiâ, hinc inde reliquos colligit neglectos racemos. Cui conſonat illud *Iſaiæ* cap. 24. ubi alia quædam haud diſſimilis à priori legitur ſimilitudo: *Quomodo,* inquit, *ſi paucæ olivæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, & racemi cùm fuerit finita vindemia.*

6. Ampliſſimum Chinenſium regnum, quo nullum toto terrarum orbe capacius, potentius, populoſius, urbes plurimas complectitur, quâvis Europæâ, Pariſiis, Ulyſſipone capaciores, *Boterus* ibid. è quibus ne inter maximas numerantur, quæ ſeptuaginta millia ædificiorum habent. Et ut paucis abſolvam, unica China ſupra ſexaginta milliones hominum continere creditur. In Inſula Mexico, ubi centum viginti millia magnarum ædium, ferunt triginta fuiſſe Dynaſtas, quorum quilibet ſub ſe cenſeret centum millia hominum, & tria millia Toparcharum. Quódque dictu horrendum eſt, mille plerumque homines in dies ſingulos dæmonibus immolabantur. Hæc qui audit, nonne ſanam illam Cancellarii Pariſienſis quæſtionem, *Guilielmo* ejuſdem urbis Epiſcopo propoſitam, arbitrabitur: qui anno 1238. ab inferis redux ſe ei exhibens percunctatus eſt, utrum mundus adhuc ſubſiſteret? Annuente cum admiratione Epiſcopo, ſubdit ille: Ne mirare, quod hoc interrogem, tantus enim numerus damnatorum deſcendit ad infernum, quamdiu in eo ſum, ut nunquam credidiſſem tot homines inveniri in mundo. *Cantiprat.* lib. 1. Apum cap. 10. Verùm enimverò, ut ad ea quæ nos propiùs concernunt, veniamus, nam quæ hactenus dicta ſunt, quibuſdam tepidis non tam ſacrum horrorem & animi ſolicitudinem incutere, quàm incuriam ac pravam ſecuritatem parere poſſe videntur, cùm enim major infidelium, Paganorum, Judæorum pereuntium numerus eſt, ſequitur manifeſtè, veriſſimum fore illud Salvatoris pronuntiatum, paucos electos ſalvandos, etſi nemo quiſquam Catholicorum periret. Quamobrem ne temetipſum fallas, & periculoſam quandam tibi ſecuritatem promittas, & negligentior in piis virtutum exercitiis obeundis fias, noli reſpuere ſequentes paragraphos.

PARS

# PARS SECUNDA.

## Demptis parvulis baptizatis, inter fideles plures damnari, quàm salvari asseritur, & probatur.

7. INcomparabiliter majorem futurum esse numerum illorum, qui æternæ perditionis ingrediuntur barathrum, quàm eorum qui in cælis æternâ remunerabuntur beatitudine, parte præcedenti dilucidè demonstratum est. Nunc quæritur num inter solos Catholicos plures damnentur quàm salventur? & respondetur affirmativè; siquidem hanc veritatem docet Salvator noster, dum fideles suos sequentibus affatur verbis: *Intrate per angustam portam, quia lata porta. &c.* Quòd verò hæc terribilis protestatio propriè ad Catholicos pertineat, liquet ex verbis aliis ab eodem, teste S. *Luca*, prolatis. Nam dum circa numerum salvandorum à nonnemine percontaretur: *Domine si pauci sunt, qui salventur?* ad quod ex imo pectore suspirium trahens, denique ait: *Luc.* 13.23. *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Hunc Sermonem ad solos fideles esse directum, colligitur ex verbis illis *quærent intrare*, quod de infidelibus reverà dici non potest. Hoc igitur Incarnatæ Sapientiæ assertum meritò omnia humana corda horrore ac pavore percellere deberet, dum monet, ut quilibet sibi necessitatem asserat, ac omni contentione & labore seipsum urgeat, quò per angustam portulam introire possit.

8. Verùm, inquies, quænam est causa, quòd porta Paradisi adeò stricta esse dicatur, via verò inferni adeò sit spatiosa? *Abulensis* q. 26. in c. 7. *Matth.* verba illa: „ *Intrate per angustam portam* exponens inquit: *Ista porta est observatio præceptorum, quæ vocatur angusta, metaphoricè, quia, sicut per angustum locum difficile est intrare, ita per observantiam præceptorum inflexibiliter ambulare difficile est homini carnali.* Via beatitudinis ubiq; plena & obsepta est tribulis & spinis passionum, mortificationum, & adversitatum, ac proinde sensui est omnino contraria, nihil est ibi quod eis placere possit. Operari autem malum, inquit Abulensis, non habet difficultatem, cùm sit secundùm inclinationem naturæ nostræ depravatæ, peccare est agere quicquid delectat, ideo nihil faciliùs; & nihil difficiliùs, quàm bene agere. Idem quoque multos esse considerat, qui per viam salutis gressus suos dirigere incipiunt, sed à voluptatibus hujus vitæ seducti fatigantur, & per viam largam perditionis duci se sinunt; unde ad illa Christi verba, *pauci sunt qui inveniunt eam*, se reflectens inquit: „ *Non dixit solùm pauci ambulant per eam, sed etiam pauci inveniunt eam; si interdum aliqui inveniunt & ingrediuntur in eam, capti voluptatibus sæculi, de medio itinere revertuntur, ùt ait Hieronymus super Matthæum: De via perditionis non dixit multi inveniunt eam, sed multi intrant per eam, nam tam lata est, quod omnibus patet, & non oportet illam quærere, quia se omnibus offert.* Christus verò, cùm cæli porta sit, per hanc portam ingredi volentibus, id est, ipsum imitari statuentibus, necessum est, ut pungantur, quia viam spinis & sentibus plenam inveniunt; *hanc autem* „ *viam*, ut *Abulensis* ait: *Omnes ad unum usque fugiunt, nemo enim non invitus patitur: omnes homines appetunt delectabilia, & fugiunt labores & difficultates, in*

„*via autem, quæ ducit ad vitam ſunt diffi-*
„*cultates multæ.*

9. Denique ſalus æterna tam res eſt ardua, ut non mediocre miraculum cenſeri debeat, dum quis ſalutem conſequitur: Quemadmodum miraculum foret, ſi quis ſolus & unicus totum exercitum profligaret & triumpharet. Nam totus exercitus dæmonum juravit ſuper quemlibet hominum, quomodo eum variis technis & aſtutiis decipere, ac in peccati laqueum pellicere, indéque ad orcum deturbare poſſent. Totus mundus, & omnes ejus aſſeclæ quodammodo conjurârunt, quemadmodum virtutis ſtudioſum ſuis, & lenociniis, & fallacibus blandimentis, nec non perſecutionibus & terroribus, à virtutis calle abſtraherent, & ad communem mundi ſemitam inducerent. Proprium noſtrum corpus, noſtri quinque ſenſus, & natura propria adversùm nos decreverunt, die noctéque nos tentare & ſupplantare, uſque dum à rectè vivendi methodo nos avertant, & à perfectionis Chriſtianæ tramite abſtractos, ad carnis delitias, & mundi cupedias ſectandas abducant. Imò noſtra propria anima eſt ſibi ipſi contraria, & in duas diviſa partes, ſuperiorem ſcilicet, & inferiorem; & pars inferior continuò bellum movet parti ſuperiori, cui majores & periculoſiores infert moleſtias, quàm omnes diaboli & malitioſi homines in mundo afferre poſſent. Hinc ſi virtutum cultor omnes hoſce inimicos tam viſibiles quàm inviſibiles fugat, ac victoriæ palmam ab iiſdem reportat, nonne hoc æſtimandum eſt miraculum? Nonne talis victoria excedit omnes vires naturales?

10. Hinc famoſus quidam Theologus, *Euſebius Nierembergius* ſic ad hoc propoſitum noſtrum ſcribit: Theopol. „p. 1. c. 15. *Ex hominibus ne mireris plures*
„*damnari, cùm ſit admirandum non omnes*
„*perire. Peccatum originis univerſos de-*
„*voravit, cunctos tabes iſta corrupit. Dam-*
„*nandi eramus omnes: quod ſeverum perdi*
„*aliquos ſi non omnes, cùm deberemus om-*
„*nes? Majus miraculum eſt, unum obtine-*
„*re ſalutem, quàm omnes prolabi in interi-*
„*tum: quod dixi majus, cùm non ſit mirifi-*
„*cum damnari? Nonne magis mirum unum*
„*lapidem aſſurgere in æthera, quàm ſi mille*
„*videres deorſum ruere. Naturæ noſtræ pro-*
„*prium interire eſt. Neſcit profectò, quid*
„*peccatum ſit, & horribilis ejus enormitas,*
„*qui ejus demiratur exitium. Quod ſi con-*
„*ſpicem imbecillitatem, & corruptionem*
„*humanam, plus admiror unum ſalvum fie-*
„*ri, quam ſi omnes perirent.*

11. Chriſtus Salvator noſter cùm cuidam diviti dixiſſet: *Marc.* 10. *Vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me*, iſte autem totus contriſtatus dum abiret, dixit Jesus Diſcipulis ſuis; *quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.* Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis ejus. At Jesus rursùs reſpondens, ait illis: *Filioli, quam difficile eſt confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum Dei.* Diſcipuli his auditis magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos: *Et quis poteſt ſalvus fieri?* Probè enim nôrant, *quia à minore*, ùt ait *Jeremias* 6. 13. *uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent.* Hinc *S. Hieronymus* moribundus in exhortatione ad ſuos, de divitibus & potentibus hujus ſæculi ait: *Si Chriſtus verax eſt, hujuſmodi hominum vix unus aptus regno Dei invenitur de mille.* Ita refert *Euſebius* epiſt. ad *Damaſcum* de morte *S. Hieron.*

12. Denique noſtræ ſententiæ favent fermè

fermè omnes Sancti Patres, quòd nimirum plures ex Christianis Catholicis ad inferos, quàm ad superos pergant. Clarissimum, & irrefragabile est testimonium S. P. *Augustini* l. 3. contra Crescon. c. 66. in hæc verba disserentis: *Ipsi boni veríque Christiani, qui per seipsos multi sunt, comparatione malorum, falsorúmque pauci sunt.* Ubi alteram similitudinem adducit: *Sicut multa grana quibus horrea complentur, pauca dicimus respectu palearum.* Et S. *Gregorius* hom. 19. in Evang. *Ad fidem*, ait, *plures veniunt, sed ad cælestia regna pauci perducuntur.* *S. Petrus Chrysologus* Serm. 97. comparat reprobos Christianos floribus tempore vernali jucundè ex omni arbore turgescentibus, electos verò fructibus in autumno comparentibus. Sicut ergo flores fructus, sic reprobi electos excedunt: „Verba hujus Sancti Patris sunt: *Flores „multi multitudinem fructuum pollicentur, „sed exanimati ventorum flabris, ad fru„ctum paucissimi perseverant; sic creden„tes in Christo multi.* Videmus enim in prima ætate pueros ac puellas probos ac integerrimos multos; at ubi vanitatis aura, ubi tentationis turbo afflârit, omnis flos primi candoris, omnisque fructus vitæ maturioris evanescit. Imò S. *Chrysostomus*, dum aliquando coram numerosissimo ultra centum millium personarum cætu concionaretur, in hæc prorumpere verba non dubitavit: Quot esse putatis, qui in civitate nostra salvantur? infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen: Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur, quin & de his dubito. Et causas subdit: Quanta enim in juvenibus est malitia? Quantus in senibus torpor, & quanta injustitia in omni populo, &c.

13. Ulteriùs, plures ex Christianis damnari quàm salvari, docent *Origenes*, *Euthym. Beda*, *Haymo*, *Sanctus Thomas*, *Lyranus*, *Abulensis*, & alii, ùt refert *Cornelius à Lapide* in Epistola *Sancti Jacobi* cap. 2. v. 13. Et reverà haud mirum; nam intuere partem eam, (verba sunt *Ludovici Granat.* lib. 1. Ducis peccat. cap. 26.) quæ Christianorum nomine celebris est, & vide, quo loco res Christianorum hoc exulceratissimo sæculo sint constitutæ: & fateberis in hoc corpore mystico, à planta pedis ad verticem capitis, vix aliquod membrum sanum reperiri. Perversum hunc ævi statum, variámque morum corruptelam contemplare, senties *Noëmi* rediisse tempora: Nam ùt dicitur *Matth.* 24. 38. *Sicut erant ante diluvium comedentes & bibentes, & nuptui tradentes, &c.* ita vivunt Christiani, qui licèt habeant fidem, tamen sunt superbi, avari, luxuriosi, & sic de aliis peccatis, ùt docet *S. Vincentius Ferrerius* Serm. 6. Dom. Sept. & probat exemplo Archidiaconi Lugdunensis, qui ex timore Dei sua pinguia beneficia, & sæculi fastum spernens, ad eremum profugit, ubi cùm viginti quinque annis in eremo non in vulgari vitæ sanctimonia transegisset, apparuit post mortem suam Lingoniensi Episcopo, quem in vita noverat, & his tremendis verbis eum allocutus est: *Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige conscientiam, dimitte superbiam simul & avaritiam, aliter nunquam habebis cælestem gloriam; non enim est tam facilè salvari hominem, sicut creditur, quoniam dum ego præsentarer tremendo Dei judicio affuerunt ibi triginta millia animarum, de quorum numero S. Bernardus, & ego salvati sumus, tres in purgatorium descenderunt, reliqui*

*omnes*

*omnes damnati sunt.* Quo dicto, dispa- ruit. Consimilem historiam vidimus ser. 1. nu. 15. ubi ex 60000. non nisi quatuor animæ sunt salvatæ. Jam cujus cor adeò adamantinum est, ut tantâ animarum strage non emolliatur, non expavescat, & expallescat, timens ne sibi obtringat illud, quod aliis irremediabili damno contigisse intelligit? Porrò, licèt has 30000. animas, sicut etiam 60000. illas superiùs dictas, Paganos, Judæos, Hæreticos, ac infideles fuisse plerósque, nullum sit dubium; negandum tamen nequaquam videtur, quin saltem inter hos 90000. defunctos aliqui fuerint Catholici, quorum numerum quamvis determinare nullus possit, credibile tamen videtur, ad minimum fuisse quinquaginta aut sexaginta fideles; supposito ergo hoc tantùm numero, profectò satis est, ad magnum de salute nostra concipiendum metum; cùm intelligamus ex his sexaginta orthodoxis animabus novem solummodo damnationis evasisse sententiam.

14. Hæc omnia roborata manent ex nonnullis revelationibus divinis S. *Birgittæ* factis. Et inprimis lib. 4. cap. 103. scribitur, quòd hæc Sanctissima Matrona audierit Sanctum Dionysium orare pro regno Franciæ ad Beatissimam Virginem Mariam, Dominam nostram, ac dicere: *Tu quippe vides, quantæ animæ periclitentur omni hora, & quasi nix descendant in infernum. Consolare ergo eos, & roga pro eis, quia Domina es, & omnium adjutrix.* Et libro secundo cap. 20. ait Christus: *Abyssus illa insatiabilis, cui non lapides, non arbores resistunt, semper aperta est, in quam animæ descendunt sicut nix de cælo in terram. Et sicut à facie solis nix dissolvitur in aquam, sic animæ ad magnitudinem supplicii dissolvuntur ab omni bono, & renovantur ad omnem pœnam.* Porrò, ratio, cur tam multæ animæ ad inferos ruant, desumitur ex verbis, quæ aliquando ad *Sanctam Birgittam* elocuta est Dei Mater, (ùt habetur lib. 6. Revel. cap. 47.) sic dicens: *Sicut pauci fuerunt, qui habuerunt fidem rectam, quando filius meus ascendit in cælum; sic nunc pauci sunt, qui præceptum illud implent:* Diliges Dominum Deum tuum super omnia, & proximum sicut teipsum. *Quia sicut impossibile fuit, illos obtinere cælum, qui fidem audiêrunt & non servaverunt; sic impossibile est Christianis obtinere cælum, qui sine divina charitate moriuntur.* Quid autem Deum sit diligere super omnia, sive ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus, sicut in pluribus Sacræ Scripturæ locis præcipitur, breviter sed nervosè admodùm demonstrat Doctor mellitus, *Sanctus Bernardus*, de diligendo Deo ita scribens; *Toto corde diligamus Deum, id est, sapienter contra suggestiones diaboli, ne seducamur: Totâ animâ dulciter contra delectationes carnis, ne alliciamur: Totâ mente, sive ex totis viribus fortiter contra pressuras mundi, ne opprimamur.* Qua de re plura diximus Sermone quinto, parte tertiâ, quæ proinde pius Lector revidere poterit.

15. Modò quæramus, quare homines Deum super omnia, ùt dixit Dei Mater, non diligant, & inter cæteras causas principem sibi locum vendicat solicitudo bonorum temporalium maxima, per quam homines terrena semper meditantur, & quæruot, Deum verò nunquam, vel rarò considerant, aut quærunt.

Secundò, quia immemores sunt beneficiorum tam spiritualium quàm temporalium, quæ homini Deus singulis diebus, imò singulis horis & momentis misericorditer confert, quæ si considerarent, procul dubio ad illius amorem sublevarentur, & eo maximè, quo est naturale homini diligere, qui propensionem quandam ac inclinationem habet ad benefactores diligendos, nisi fortè ingratus sit, prout homo non diligens Deum, à quo cuncta, quæ habet, accepit, ingratissimus est, non animadvertens ad debitum, nec facilitatem præcepti hujus, quæ est ratio tertia. Quartò, quia nunquã oculos levant ad cælum, considerando magnitudinem præmii, ipsis præparati, nimirum gloriæ, quam daturus est diligentibus se. Quintò, quia de pœnarum inferni acerbitate & diuturnitate minimè cogitant, quæ diligentibus mundum paratæ sunt. Sextò, quia nunquam suum studium ponunt homines, ut, quantum in ipsis est, aliqualem cognitionem assequantur pulchritudinis virtutum, ac ingentis amoris Dei in nos, quæ miro modo amorem conciliant. Hinc fit, quod Beatissima Virgo asserat, paucos præceptum de diligendo Deo adimplere, & consequenter paucos esse, qui salvi fiunt.

16. Alia causa, quare tam multi ex orthodoxis pereant, desumitur etiam ex incuria, ac mala vita Prælatorum. Hinc principes infernales salutârunt aliquando Principes Ecclesiæ, eísque gratias retulerunt de neglectu animarum sibi creditarum, prout non sine stupore vidimus Serm. 23. num. 21. Item. serm. 24. num. 17. Quæ porrò confirmata manent ex iis, quæ in *Sanctæ Birgittæ* Revelationibus habentur, præsertim ex capite quinto libri tertii, ubi hæc S. *Matrona* audivit *Beatum Ambrosium* dicentem, & Deum pro hominum salute exorantem. O benignissime Deus, nos videmus populum innumerabilem in periculosis procellis perire, nimis paucis venientibus ad bonum portum, quoniam gubernatores avidi sunt pecuniarum, non animarum. Ideo rogamus te, omnis gloriæ Regem, ut portum illuminare digneris, quatenus populus vitare sua pericula valeat, & prava iniquorum gubernatorum exempla non sequi, sed ad portum rectum reduci lumine tuo benedicto. Per istos verò gubernatores intelligo omnes potestatem habentes corporaliter & spiritualiter in mundo. Plerique enim illorum in tantum diligunt voluntatem propriam, quòd de animarum utilitate, suorúmque subditorum salute non attendant, sævissimis mundi procellis, videlicet superbiæ, cupiditatis, & immunditiæ se voluntariè involvendo, quorum actiones misera imitatur communitas, credens se per illam viam tenere rectam, & sic ipsi se unà cum subditis perimunt, sequendo suæ voluntatis quemlibet perversum appetitum. Hæc verba sunt *Divi Ambrosii*, & quidem non in mortalis hujus vitæ caligine adhuc degentis, sed jam infallibili divinæ visionis luce perfruentis, ipsámque veritatem sine ulla hyperbolica exaggeratione eloquentis, è quibus discant omnes, tam Prælati quàm subditi, vitiorum devia, quæ rectà ad Tartarum ducunt, declinare, suæque solicitè consulere saluti: Prælati quidem, ne porrò scandalô sint suæ fidei subjectis & commissis; Subditi autem, ne posthac reprobos majorum suorum mores sequentes, unà cum illis in æternæ perditionis foveam ruant. Siquidem jam præcessit admonitio & cautio, quam nobis omnibus tradidit Incarnata Sapientia, apud Evangelistam *Matthæ-*

um, ( cap. 15. 14.) dicens : *Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum; cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Nimirum, si subditus cæcus ductum sequatur Superioris cæci ejus malos mores imitando, ambo in locum gehennæ labentur.

17. Huc facit, quod refert *Cæsarius* lib. 2. miracul. cap. 6. de quodam Sacerdote, qui animarum curam quidem habebat, sed luxuriæ & commessationibus vacans, animas sibi commissas omnino negligebat. Verùm cùm & ipse fato concessisset, vidit quidam Religiosus sanctæ conversationis & vitæ, parochianos sub eo defunctos, saxis comprehensis, in locis infernalibus illum arctare, & dicere: *Tibi commissi fuimus, tu nos neglexisti, & cùm peccaremus, neque verbo, neque exemplo nos revocâsti, ideóque ad hunc tormentorum locum venimus.* Quem cùm agitarent, lapides post ipsum mittendo, in puteum cadens nusquam comparuit. Sciendum proin est, quòd nequaquam excusetur subditus, si prava sui Superioris sectetur vestigia; quanquam enim Majorum mala exempla potenter moveant ac solicitent subditos & minores ad iniquitatis sequelam (ut diximus serm. 43. num. 7.) nullum tamen cogere possunt; & ideo qui eos in vitiorum semita præeuntes sequuntur, non coactè, sed plane voluntariè sequuntur, & sic si cum Superioribus subditi damnentur, suæ damnationis causam in seipsos refundere debent, non in scandalosam suorum Rectorum vitam, quæ solùm occasionem ruinæ, non causam subditis præbet. Occasionem dixi, non causam; Quia, ut S. *Thomas* 2. 2. q. 43. a. 1. ad 3. docet, nihil potest esse homini sufficiens causa peccati, quod est spiritualis ruina, nisi propria voluntas. Et ideo dicta vel facta alterius hominis possunt esse solùm causa imperfecta, aliqualiter inducens ad ruinam. Et propter hoc in definitione scandali non dicitur, *dans causam ruinæ*, sed: *dans occasionem*: Quod significat causam imperfectam. Ita *Doctor Angelicus.*

# PARS TERTIA.

## Inter homines Claustrales similiter multos damnari ostenditur.

18. Plures inter Christianos Catholicos, in statu sæculari vitam agentes, æternùm perire, hactenus non sine magno animi dolore spectavimus; modò videamus, quid sentiendum sit de illis, qui in Claustris & Asceteriis degentes, se totos divino cultui dedicârunt, num inter eos etiam aliqui reperiantur, non salvandi, sed damnandi? Respondet affirmativè S. *Basilius Magnus* serm. de abdicat. rerum. *Ego existimo*, ait hic S. *Pater*, *paucos inter Monachos & Religiosos salvari.* Hæc assertio, licèt formidabilis ac pene incredibilis esse videatur, nôsse tamen debemus, tam eximium Ecclesiæ Doctorem, tótque millium Monachorum Patrem & Fundatorem, id non absque basi solida asseruisse; quippe si Religiosorũ vocationem, statum, & obligationem cum multorum vita & moribus combinare velimus, facilè deprehendemus multos à fine vocationis suæ deflectere, ac longiùs deviare, idéoque cælo extorres fieri. Hoc non esse vanum commentum

mentum

mentum, demonstrant superiùs dicta Sermone 41. n. 25. & n. 26. Item quæ retulimus serm. 17. n. 6. & 7. Ubi S. *Maria Magd. de Pazzis* vidit animas religiosas ad inferos in magno numero ruere. His addendum, quod aliquando B. V. Maria S. *Birgittæ* revelavit, dicens: Quòd in Ordine, à suo Filio instituto, multi futuri sint Religiosi, qui non minùs adversabuntur verbis Filii mei, & simplici Regulæ, tibi revelatæ, quàm illi increduli, qui verbis Dei, & Moysi contrariabantur in deserto, interpretantes verba Dei pro sua voluntate. Ita habetur c. 19. Revelationũ, quæ extravagantes appellari solent.

19. Stupenda adhuc magis sunt, quæ Christus Dominus de alteriùs Religionis viris Religiosis, eorúmq; reproba vita retulit, sic S. *Birgittæ* loquens: Ego juro in veritate mea, quòd si non fecissem propter duo bona, propter quæ sustineo eos, non una domus eorum staret erecta. Primum est, Matris meæ oratio, quæ cum Sancto Patrono eorum incessanter orat. Secundum est, justitia mea, quia quamvis propter malitiam non teneor eis aliquam misericordiam facere; attamen propter dona offerentium, quæ placent mihi, patior eos: ipsi enim sunt quasi instrumenta, quibus alii proficiunt; ex eorum nempe prædicatione & cantu quandoque alii crescunt ad devotionem, & occasionem bene proficiendi, sed seipsos in profundum dejiciunt, quia serviunt quasi servi ad lucrum, non æternitatis. Verè servi sunt, & paucissimi inveniuntur alii, & tam pauci, quòd vix unus reperitur in centũ. Ita Christus ad *Birgittam*, ùt habetur l. 6. Revel. c. 35. in fine. In iisdem Revelationibus l. 3. c. 20. de Sanctissimo Patriarcha Benedicto, ejusdemque Sodalibus Dei Mater hoc addit testimonium: *Ut ignis ille divinus, qui erat in Benedicto, igniret & succenderet plures, vocavit Deus Benedictum in montem, qui convocatis ad se pluribus scintillis, fecit de iis per spiritum Dei maximum rogum, & composuit eis Regulam de Spiritu Dei, per quam multi perfecti sunt facti sicut Benedictus.* Hæc magnum quidem præbent solatium omnibus, sub S. *Benedicti* Regula militantibus, sed ne salubrem Dei timorem abjiciant, & irreligiosè Religiosi vivant, probè notent, quæ sequuntur: *Nunc autem multæ faces projectæ de rogo S. Benedicti jacent ubique dispersæ, habentes pro calore frigiditatem, pro luce tenebras.*

20. His consideratè inspectis, facilè ad intelligendum datur, haud in parvo numero inter homines Claustrales reperiri, qui præter externum religionis habitum nil religiosi præ se ferunt; Id quod etiam dudum vidit, & expertus est Sanctissimus noster Legislator, ac plurimarum religiosarum familiarum Parens, *Augustinus*, prout ipse propriô suô calamô testatur, in Psalmum 132. ita scribens: Tam sunt Monachi falsi, quàm & Clerici falsi, & fideles falsi. Omnia ista tria genera, fratres mei, habent bonos suos, habent malos suos. De tribus enim istis generibus dictum est (*Luc.* 17. 34.) *Duo in agro; unus assumetur, & unus relinquetur. Duo in lecto uno; unus assumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in unum; una assumetur, & altera relinquetur.* In agro sunt, qui gubernant Ecclesiam: In lecto autem illi intelliguntur, qui amaverunt quietem, non se immiscentes turbis, non tumultui generis humani, sed in otio servientes Deo: & inde tamen unus assumetur, & unus relinquetur. Hæc *Augustinus*; qui l. 5. contra Faustum c. 9., postquam fusè ostendit Religiosorum in Asceteriis viventium præclaras virtutes, crebra & quotidiana jejunia, paupertatẽ spiritûs, fraternæ charitatis officia &c.

tandem sic concludit: *Et tamen in his omnibus professionibus quàm multi fallaces & perditi deprehenduntur; quàm multi etiam latent; quàm multi primò rectè ambulantes perversâ voluntate citò deficiunt. &c.*

21. His addo, quæ *Ludovicus Blosius* in Sacello animæ cap. 16. num. 9. ex *Beato Joanne Taulero* refert, in hæc verba scribens: Gravi sanè lamentatione dignum est, quod plerique Cœnobitæ nimis ingrati atque perversi inveniuntur. Nam cùm Deus illos misericorditer à sæculo abstractos atq; eductos ad ipsius sacræ Religionis statum perduxerit, ut in eo à veteribus peccatis conversi, deinceps sese sanctissimæ vitæ & doctrinæ Christi conforment, eúmq; sequantur; ipsi, heu! solo habitu, quem extrinsecùs susceperunt, & solâ umbrâ religionis contenti sunt. Vehementer enim per desiderium ad sensuum oblectamenta, carnísq; voluptates ac lautitias aspirant: quas si pro voto consequi non possint, murmurationibus Monasterium replent & inficiunt. Dum voluntati eorum non acquiescitur, tanto corripiuntur furore, ut inter eos, & dæmoniacos parva sit differentia; Et reverà à diabolo possessi sunt, à quo etiam ad hanc perversitatem incitantur. Nullum in ejus locum Spiritus Sanctus habere potest, cùm sint Superbi, ambitiosi, inobedientes, & invidiâ pleni. Nullo ergo Deum & Divina studio, nullâ diligentiâ fervent. Licèt multos codices audiendo, legendo, & psallendo percurrant, ac folia terant, pia tamen quæ audiunt, vel legunt, non eis sapiunt, nec gratiam aliquam inde referunt. Satis verò mortales creaturæ ipsis placent ac sapiunt: his videlicet delectantur, has amore prosequuntur, his consuetudine & amicitiâ se jungunt, has ad mutuum amorem provocant verbis, operibus, gestibus, internuntiis, munusculis, literis. Suæ gulæ impudenter satisfaciunt, & sine modo ac mensura ventrem cibo potúq; onerant adeò, ut postea inepti sint ad sancta quæque exercitia: atque hinc oblivio Dei, & innumera mala nascuntur. Frequenter quidem confitentur, sed integram sese corrigendi voluntatem non habent. Quare dum Missam celebrant, aut Sacram Eucharistiam percipiunt, non aliter faciunt, quàm si quis Regem ad domũ suam invitet, & venientem in sordidissimam haram inter porcos sessum ducat. Quòd si Superior, aut alius quispiam moneat eos, ostendátq;, quantis in periculis degant; vel ita excandescunt, ùt tigrides ac leones, vel certè irrident monentem. Per eos diabolus facilè efficere potest, quod vult, quia illius satellites ac mancipia sunt. Qui si in impœnitentiâ permanserint, & ita ex hac vita migraverint, nunquam faciem Dei videbunt. Hæc & alia plura scribit *Taulerus*, in rebus ad spiritum pertinentibus egregius Doctor.

22. Jam, quod ad nostrum attinet propositum, id censeri debet, quod in principio ait: *Plerique Cœnobitæ* &c. Et in fine: *Qui si in impœnitentia permanserint, nunquam faciem Dei videbunt*. Ex quo docemur, magnoperè metuendum esse, ne tales malè feriati Religiosi catervatim ad inferos proruant: Quippe secundùm ordinariam regulam ac sententiam *magni Augustini*, sicut quis vivit, ita & moritur; ut rarò, qui malè vivit, bene moriatur, & vice versâ. Cùm ergo multi in Cœnobiis ita perversè & indisciplinatè vivant, nemo miretur, si audiat ab ore *Magni Basilii*, supra relati, *Paucos inter Monachos ac Religiosos salvari*. Patet similiter ex his, non falsò inniti fundamento visionem illam tremendam, quam habuisse Sanctum Abbatem Sylvanum *Heribertus Rospveidus* in vitis Patrum lib. 3.

lib. 3. num. 205. Item lib. 5. libell. 3. num. 15. commemorat: Cùm enim fortè ſederet in ſpelæo ſuo, factus in ecſtaſi jacebat ſuper faciem ſuam, & poſt aliquot horas ſurgens plangebat vehementer: aſtans autem diſcipulus ejus, dixit ei: Quid habes, Pater? At ille tacens plangebat: cùm autem compelleret eum diſcipulus, ut diceret ei cauſam tanti mœroris, ait illi: *Ego ad judicium Dei raptus fui, fili, & vidi multos de habitu noſtro monaſtico euntes ad ſupplicium, & multos laicorum euntes ad regnum Dei.* Et hæc dicens ſenex, lugebat inconſolabiliter.

23. Porrò, nemo hìc arbitretur, me talia animo maligno commemorare; licèt enim iſtiuſmodi Clericorum & Religioſorum vitia in publico ſuggeſtu inſectari minimè liceat; cùm ex iſtiuſmodi notitia auditores nullum ſalutis fructum, ſed ſcandali venenum ſugerent, ſcribi tamen poſſunt; quia liber publici juris factus, dum vitia generalia, abuſúſque inſectatur, à loco, tempore, perſoníſque privatis omnino abſtrahit, nullum in particulari ſugillat, nudam veritatem exponit, ægris quidem oculis inviſam, ſed puris amabilem. Quod hìc obiter obſervare libuit, quia nonnullos reperire eſt, qui ægrè & indignè ferunt, dum nonnulla ex *Patribus* adversùm incurioſos animarum Rectores, Clericos ſcandaloſè viventes, Regulares etiam parum regulariter viventes, exarantur. Verùm his offendi generaliſſimis monitis delicatiſſimi faſtidii eſt. Sanè ſi hujuſmodi teneritudinis ratio habenda eſſet, expungenda forent integra *Patrum* volumina; Quid enim aliud reſonant *Salviani* de Providentia Libri? quid integri *Gregorii Magni* & *Bernardi*, aliorumve Sanctorum Sermones adversùs populi, Cleri, collapſorúmque Monaſteriorum exceſſus, vel abuſus intorti? Extrudenda item forent ex Hiſtoriarum libris exempla plurima, quæ de peſſima multorum Prælatorum, Clericorum, ac Religioſorum vita, eorúmque judicio & damnatione referuntur. Similiter eradi deberent multa capita ex revelationum libris, quos Chriſtus ipſe *Sanctæ Birgittæ* dictavit, quíque multo examine præmiſſo, approbari fuêre primò à Concilio Baſileenſi, à quo *Cardinalis Turrecremata* cum aliis ad hoc examen eſt deſignatus. Deinde Summorum Pontificum *Gregorii XI.* & *Urbani VI.* mandato harum revelationum examen multis Cardinalibus, Epiſcopis, Viríſque doctiſſimis commiſſum fuit, & totum approbatum. Tandem poſt hæc omnia in Canonizatione hujus Sanctæ à *Bonifacio XI.* & à *Martino V.* approbatæ ſunt hæ revelationes, non obſtante, quòd in iis præter loca jam citata, in aliis multis capitibus, ut videre eſt lib. 1. cap. 47. & cap. 49. Item cap. 55. & 56. Et lib. 4. cap. 32. & conſequenter in reliquis capitibus ſermo fiat de peſſima Prælatorum ac Sacerdotum vita, id quod repetitur lib. 4. cap. 134. & 135. ubi dicitur, quòd Sacerdotes ſint deteriores diabolo, & ideo præ omnibus dæmonibus profundiùs ſubmergentur in infernum, niſi ſe emendaverint. Fas eſt ergo ſcribere, ac etiam in Clericorum & Religioſorum corona diſſerere de eorum vitiis, de quibus tamen ad plebem ſermocinari magnum nefas, ac ſumma imprudentia foret. Libet proinde cum *Divo Bernardo* in Apologia ad *Guilelmum Abbatem* exclamare: *Non adversùm Ordinem*, neque contra Clerum, *ſed pro Ordine*, & pro Clero, *diſputare putandus ero, ſi non Ordinem,*

*nem*, vel Clerum *in hominibus*, *sed hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus* Ordinem, aut Statum Clericalem, *in hac re molestum me fore non timeo, quin imò gratum proculdubio accepturi sunt, si persequimur quod & ipsi oderunt. Si quibus verò displicuerit, ipsi se manifestant, quia Ordinem non diligunt, cujus utique corruptionem, id est vitia, damnari nolunt. Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo: Melius est, ut scandalum oriatur, quàm ut veritas relinquatur.* Ita *Abbas mellitus.* Hæc per transennam.

24. Superest modò, ut ad scopum redeamus, & nostrum sermonem concludamus, considerantes, & credentes, non esse confectum nostræ salutis negotium, quòd Cœnobia intraverimus, nósque per solennia vota Deo dicaverimus; nam etiam ex Claustris via patet ad inferos, uti clarè nimis innuitur ex illa Christi Domini protestatione: *Non omnis, qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum. Matth.* 7. 21. At quomodo hoc verum habet, ô dulcissime Redemptor? Dicit enim *Propheta Joël* cap. 2. 32. *Omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*: quomodo isti invocant, & salutem non consequuntur? Respondet *Glossa* cum *Alberto Magno*, quòd perfecta invocatio consurgit ex tribus: Ex fide cordis, ex Confessione oris, & ex Testificatione operis; & tunc perfecta est invocatio, aliter est mendax. Unde *Psalmista* ait: *Ps.* 77. 36. *Dilexerunt eum in ore suo; & linguâ suâ mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo; nec fideles habiti sunt in testamento ejus.* Et Propheta *Evangelicus*: (*Isai.* 29. 13.) *Populus iste labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me. Jeremias* cap. 12. 1. similiter dicit: *Prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* Discant ergo hinc religiosæ mentes, non omnes, qui etiam frequenter Nomen Domini in ore habent, ejúsque laudes per dies noctésque decantant, cælorum regna intraturos. Qui ergo intrabunt, si non hi? Respondet Mundi Reparator: *Qui fecerit voluntatem Patris mei* adimplendo ejus præcepta, *hic intrabit in regnum cælorum.* Non sufficit proinde clamare ad Dominum: *Domine, Domine*; sed necessarium quoque est ad salutem, ut obsequentes simus voluntati Divinæ, tam in exequendis quæ fieri mandat, quàm in fugiendis quæ operari vetat. Et quoniam hæc duo multi ex Religiosis parum curare videntur, nec attendere volunt; ideo nil novi aut insoliti est, dum asseritur, plures de illis cælo excidere, & in orcum abire. Ne ergo & tu, mi optime frater, in tale irremediabile incidas infortunium, æternóque torquearis igne, nil aliud superest, nisi ut audias & sequaris Christum monentem ac dicentem: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth.* 19. 17. Quæ si servaveris, ab Electorum numero excludi penitùs non timebis.



# SERMO LXVI.

## DE PRÆDESTINATIONE.

*Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* 1. Pet. 1. 10.

## PARS PRIMA.

Tametsi nullus ex prædestinatis finaliter peribit; perire tamen ex illis aliquis poterit; si nimirum bona opera operari, & mala culpæ evitare renueret.

1. SErmonem præsentem exordiri lubet gravissimâ illâ gravissimi Doctoris *Augustini* sententiâ, quam libro de Bono perseverantiæ cap. 16. protulit, dicens: *Cùm Prædestinatio multis sit causa standi, nemini causa labendi, frustra timemus, ne, loquentibus nobis, offendatur qui veritatem non potest capere; imò timemus, ne, tacentibus nobis, qui veritatem potest capere, falsitate capiatur. Inclinate igitur* (ut cum eodem *Augustino* lib. 6. Hypogn. loquamur) *aliquantulum patienter aurem cordis vestri, & qualiter mysterium Prædestinationis credamus, qualiterve prædicemus, audite.* Sciendum igitur imprimìs est, quòd præter generalem Dei providentiam, quæ omnes homines sufficienter ordinat ad salutem, detur providentia aliqua specialis, quæ aliquos efficaciter ordinat, & transmittit ad æternam beatitudinem, & hæc vocatur *Prædestinatio*, quam definiens proximè citatus Doctorum Phœbus *Augustinus* in libro de Bono perseverantiæ cap. 14. sic ait: *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Ex qua definitione constat, infallibiliter salvandos esse, quicunque sunt prædestinati. Hinc Christus de electis suis ovibus, *Joan.* 10. 28. ait: *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*, id est, protectione & potestate mea. Dicitur enim in libro Sapientiæ cap. 3. 1. *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis* scilicet *æternæ*.

2. O quàm felices ergo, quàm beati, qui cum fiducia dicere possunt: (*Ephes.* 1. 5.) *Qui* (nimirum Deus) *prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per JESUM Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* Hoc est, qui intuitu meritorum Christi Filii DEI naturalis, ac omnium Prædestinatorum Primogeniti, nos è massa perditionis eripuit, à reproborum numero segregavit, & Filios DEI adoptivos, *DEI hæredes, cohæredes autem Christi*(Rom. 8. 17.) destinavit, & à constitutione Mundi tales nos futuros prædestinavit. Sed ah! quis hoc dicere potest, quis credere se esse de electis Christi oviculis, prædestinatúmque ad vitam æternam? *Quis potest dicere*: (inquit D. Bern. Serm. 1. de Septuag.) *Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero Filiorum? reclamante*

Scripturâ: (*Ecclef. 9. 1.*) *Nefcit homo utrum amore an odio dignus fit.* Cur autem Deus ipfis etiam prædeftinatis fuam prædeftinationem incognitam effe voluerit; duplicem affignat S. *Thomas* ( Verit. 6. c. 5. corp. ) rationem: quarum prima poteft fumi ex parte eorum, qui non funt prædeftinati: Si enim omnibus prædeftinatis fua prædeftinatio nota effet, tunc omnibus non prædeftinatis certum effet, fe prædeftinatos non effe, ex hoc, quòd fe prædeftinatos nefcirent; & hoc quodammodo eos in defperationem induceret. Secunda ratio fumi poteft ex parte prædeftinatorum; Securitas enim negligentiam parit. Si autem certi effent de fua prædeftinatione, fecuri effent de fua falute: & ideo non tantam folicitudinem ponerent ad vitanda peccata. Et propter hoc à divina providentia falubriter eft ordinatum, ut homines fuam prædeftinationem, vel reprobationem ignorent. Ita *Doctor Angelicus.*

3. Verùm enim verò, cum ex una parte nemo fcire poffit, num fit de numero prædeftinatorum, vel de numero præfcitorum; ex alia verò parte non minùs indubitum fit juxta communem *Sanctorum Patrum*, ac *Theologorum* fententiam, neminem fore damnandum ex prædeftinatis, nec ullum falvandum ex reprobatis; ideo forfan multis angeris fcrupulis & perplexitatibus intra temetipfum fic argumentans: *Si detur prædeftinatio de falute definiens, fi prædeftinatus fum, quidquid agam falvabor; fi vero non fum prædeftinatus, damnabor infallibiliter, & omnia bona opera, quæ faciam, inutilia mihi erunt ad falutem. Melius ergo mihi eft, ut divinorum confiliorum eventum expectem, & fine ulla meæ falutis folicitudine, lætam & tranquillam vitam ducam.* Quin verfutiffimus humani generis hoftis innumeras jam hac argumentatione & difcurfu deceperit animas, quis negabit? Certè S. P. *Auguft.* de Bono perfever. cap. 15. idipfum de uno aliquo fuæ fanctiffimæ Familiæ religiofo teftatur: *Fuit*, inquit, *quidam in noftro Monafterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret? Refpondebat, qualifcunque fim, talis ero; qualem me Deus futurum effe præfcivit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum, fed ufque adeò profecit in malum, ut defertâ Monafterii focietate, fieret canis ad fuum vomitum.* Huic confimiles hodiedum quam plurimos reperire eft, qui hoc fefe diabolico difcurfu affiduò exagitant. Nam hoc argumentum in fchola Satanæ jam dudum excogitatum effe fallax ac erroneum, ab ipfomet cacodæmone, qui pater mendaciorum audit, docemur; Quæro enim, num diabolus ( cùm fit peritiffimus Logicus ) fciat hanc propofitionem effe veriffimam, quod omnes prædeftinati infallibiliter falvabuntur, & reprobati damnabuntur? omnino. Si ergo iftius habet notitiam, qua de causâ, nos tentaturus, non conficit hoc argumentum: Si hic eft in libro vitæ immutabili & indelebili, quid proderit, fi ego oleum & operam perdam, fiquidem ille nihilominus falvabitur? Similiter fi alter ab æterno eft reprobatus, & confequenter damnandus, quid opus eft, ut ego obices & offendicula per viam fternere fatagam, ad quæ offendens cadat, cùm fine illis offendiculis nihilominus fit damnandus? At verò cacodæmon his omiffis argumentis & difcurfibus nos undique tentare, & à bono abftrahere, inque peccatorum laqueos pellicere non ceffat, non nefcius, quod nullus abfque bonis operibus cælum, neque abfque malis infernum intrabit.

4. Se-

4. Secundò simile argumentum æquè militat contra infallibilitatem divinæ præscientiæ, ac contra certitudinem divinæ prædestinationis. Unde sicut in humanæ vitæ negotiis nullus nisi stolidus, media ad fines utilia relinquit, quantumvis Deus omnia providentiâ suâ prædefinierit, & nemo nisi bardus ac stupidus sic ratiocinatur: Novit Deus hunc agrum, v. g. hoc anno feracem fore, aut sterilem: si feracem novit, sive à me cultus fuerit sive non, uberes mihi fructus feret. Si sterilem, ergo talis erit, etiamsi ipsum assiduè coluerim: ita & stulta est ratiocinatio argumenti propositi. Ulterius sicut infirmi in salute corporali recuperanda non acquiescunt illi, quod Deus hac in re decrevit, sed adhibent medicinas, caro pretio comparatas, rigorosis se submittunt diætis, pillulis amaris, & ferri incisionibus. Quomodo ergo, dum de æterna salute, de nostra ad gloriam prædestinatione agitur, adeò temerarii sumus, ut dicere audeamus, Deus nos prædestinavit & elegit ad gloriam, & hoc sufficit, nihil ulterius est opus, genio meo liberè indulgere possum? *Cæsarius* lib. 1. Historiarum cap. 37. scribit, Ludovicum, Land-Gravium Hassiæ carnalibus voluptatibus omnino deditum fuisse, eique, qui eum de rebus ad animæ salutem pertinentibus monere solebat, hoc formato impiorum ignorantium dilemate respondisse: *Si ego sum prædestinatus, quodcunque peccatum commisero, nihilominus salvabor; si verò sum præscitus, quid mihi benè & virtuosè vivere proderit?* Quid factum? Lethalem in morbum incidit, medicum accersit; is, ut erat vir prudens & verborum Land-Gravii memor; Domine mi, inquit, frustra me huc advocasti: Si venit dies mortis tuæ, non te poterit cura mea morti subtrahere, si verò moriturus non es, superflua erit medicina mea, & frustra te crucias. Ad hæc æger: Quomodo sic respondes? si mihi non fuerit adhibita cura, potero ante tempus mori. Tunc Medicus; Domine, inquit, si credis vitam tuam posse conservari virtute medicinæ, cur similiter non credis vitam animæ juvari posse pœnitentiâ, & aliis virtutum oper bus, quæ sunt antidota animæ? Sine his anima moritur, sine his ad veram salutem quam in cælo consequimur, nemo pervenit. Quibus Land-Gravius convictus, de cætero ait: Medicus esto animæ meæ, quia per linguam tuam medicinalem Deus me liberavit à maximo errore.

5. Sicut ergo non frustra ægris medicina debetur, quia Deus sic diem mortis statuit, ut vitam etiam per illa media præviderit prorogandam; ita & de morbo & morte animæ prævidit, talem qui pœnitentiæ remedia adhibuerit, & gratiæ & Deo restituendum. Sanissimam hac in parte nobis tradit doctrinam Doctor Angelicus S. *Thomas* 1. p. q. 23. a. 8. corp. sic argumentans: *Sicut sic providentur naturales effectus, ut etiam causæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non provenirent: ita sic prædestinatur à Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat, quidquid hominem promovet in salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur. Unde prædestinatis conandum est ad bene operandum & orandum, quia per hujusmodi prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur* 2. Pet. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Similia habet S. *Gregor.* lib. 3. Dialog. cap. 13. ubi sic discurrit:

currit: *Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerint, sed ea quæ Sancti viri efficiunt, ita prædestinata sunt, ut ea precibus obtineant. Nam ipsa quoque præmii prædestinatio, ita est ab Omnipotenti disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus disposuit donare.* Hæc Gregorius.

6. Verùm enim verò, pro majori dictorum intelligentia & confirmatione exempla aliquot referre lubet, quibus in sacris literis per divinam revelationem diversæ promissæ fuerunt gratiæ à Domino DEO, & tamen ut eas obtinerent, plurimùm deinde insudare & laborare debuerunt. Prophetaverat *Jeremias Propheta*, quod 70. annis durare debebat captivitas Babylonica, & non ultra: *Jerem.* 25. v. 12. *Cùmque repleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, &c.* Et quamvis *Propheta Daniel* cap. 9. (teste *S. Hieronymo*) optimè novisset promissionem divinam non ultra se extensuram, humillimè nihilominus obsecravit Deum ferventibus precibus pro liberatione populi Hebraici; *Sciebat nàmque Deum decrevisse, præstare gratiam illam per orationem Danielis; ut quod Deus* (inquit D. Hieronymus) *per suam promisit clementiam, per hujus impleat preces.*

7. In Actibus Apostolicis iter S. *Pauli*, quod Romam versus instituit, describitur, in quo tempore periculosissimæ cujusdam tempestatis, omnes, qui secum erant in navi viatores, securos esse jussit, quod salvi & incolumes portum assecuturi, & minimè in illo periculo perituri essent: *Astitit mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, & cui deservio, dicens: Ne timeas Paule, ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. Act.* 27. 23. In hac igitur indubitata certitudine, cuipiam videri potuisset, S. Paulum debuisse monere naucleros, ut ab omni prorsùs labore supersederent, eò quòd pro evasione illius periculi nullam penitùs oporteret facere diligentiam aut industriam. Et tamen Centurioni dixit, quod si Naucleri & milites in fugam se recepturi essent, sine dubio forent submergendi: *Nisi in navi permanserint, vos salvi fieri non potestis.* At verò dices fortasse, quodnam Sancto Apostolo, post factam ab æternæ veritatis Deo promissionem, dubium esse poterat? Quo fine post illam revelationem opus erat ejicere anchoram, vela submittere, tótque alias industrias, ibidem à S. *Luca* distinctè relatas, adhibere? respondetur, Apostolum probè intellexisse, quod, tametsi Deus in gratiam Apostoli navigantes illos præservare voluerit, omnino tamen necesse fuerit, ut illa adhiberent media, quæ ad periculi illius evasionem opportuna esse videbantur, neque enim conveniens erat divinam tentare misericordiam. Simili modo quod si nos, per mare hujus vitæ navigantes, revelationem aliquam habuissemus, quod scilicet non obstantibus tot tentationum tempestatibus, quæ quotidie occurrunt, salvi nihilominns & incolumes ad portũ paradisi appulsuri essemus, advertendum tamen nobis esset, quod promissio nobis facta salutis, conditionata sit, non enim Deus nos salvare intendit absque eo, quòd etiam nos pro parte nostra saluti nostræ cooperemur.

8. Hanc ipsam veritatem adhuc apertiùs nobis declarare & inculcare volens idem S. *Apostolus* sic ad *Coloss.* 1. 24. scribit: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Posset quispiam his verbis objicere: Quomodò S. Paulus ait, se supplere, quod Christi passioni defuit, cùm hæc superabundans, & infiniti pretii fue-

fuerit? Respondetur, Christi passionem inæstimabilis fuisse valoris quò ad sufficientiam, at quò ad efficaciam, nostra ei deest cooperatio, ut effectum in nobis sortiatur; Etenim ut loquitur S. P. *Aug.* serm. 15. de verbis Apostoli: *Qui fecit te sine te, non justificabit* (nec salvabit) *te sine te: fecit nescientem, justificat volentem.* Hinc tametsi quis prædestinatus esset (loquamur ex hypothesi) si tamen virtuosè non viveret, déque malè transacta vita non pœniteret, profectò non salvaretur. Hinc dicitur in *Apocalypsi* 3. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Ex quibus verbis nonnulli hanc deduxerunt consequentiam, quod etiam electi à gradu, per æternam prædestinationem illis destinato, decidere possint, licèt certum sit, quod hoc nunquam sit futurum, non quia sequi non possit, sed quia cùm à Deo (qui nec falli, nec fallere potest) ita prævisum est, minimè sequetur. Huic sententiæ suffragari videtur Doctor Gentium, S. *Paulus*, qui quamvis non ignoraret oraculum ab ipsomet Deo de ipso prolatum, quod vas sit electionis, nihilominus tamen timuit adhuc reprobari, unde in epistola prima ad *Corinthios* cap. 9. hæc scribit verba: *Væ mihi, si non evangelizavero.* Ex quo infertur, si *Paulus* Gentibus Evangelium non prædicasset, æternùm periisset; quod adhuc manifestiùs in eadem Epistola declarat, dum ait: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim*, fidem & viam salutis æternæ eos docuerim, *ipse reprobus efficiar*, id est, à salute æterna à Deo rejiciar, si carnis meæ illecebris abstractus, non ambulaverim viam, quam aliis monstravi. Quid omnia hæc aliud indicant, quàm Paulum, licèt ab æterno ad gloriam prædestinatum, damnari potuisse? Si nimirum opera meritoria operari, & mala culpæ evitare renuisset.

9. Quanquam autem nullus sciat, an sit de numero prædestinatorum, vel non; propterea tamen seipsum torquere & discruciare nemo debet: Si enim hanc ob causam contristari aliquis deberet, quis, dic sodes, in pace, & animi tranquillitate posset vivere? Nullus enim quantumvis perfectus & sanctus sit, citra specialem Dei revelationem id scire poterit. Et quidem nec conveniens est, ut id sciamus; quia mater negligentiæ solet esse securitas, ut supra num. 2. ex S. *Thoma* diximus. Hinc S. *Gregorius* ad *Gregoriam* cubiculariam Augustæ, petentem sibi dari plenam certitudinem de sua salute, ita rescripsit: *Perpende, charissima filia, quòd mater negligentiæ sit securitas: Habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris: Scriptum est enim Psal. 2.* Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *In pauco ergo hujus vitæ tempore mentem vestram necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet.* Hoc ipsum tibi, qui hæc legis, vel audis, dictum pariter crede, & noli ob hanc incertitudinem, nobis omnibus multùm proficuam, inordinato animi mœrore temetipsum conficere; sed suadente ac monente *Sapiente Ecclesiastico* (cap. 21. 2.) *Fuge tanquam à facie colubri peccatum.* Item (ut Salomon *Eccles.* 9. 10. consulit) *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare*: hæc enim duo monita, regia ac secura via sunt ad attingendum finem prædestinationis. Quod tam verum est, ut (quemadmodum docet S. *Thomas* in 2. sent. dist. 11. q. 1. a. 4. ad 6.) quamvis ipse Deus alicui per expressam revelationem manifestaret, illum reprobatum esse, hoc tamen credere debeat, factum non

esse per sententiam definitivam, sed modo comminatorio, ut illum à peccato divertat.

10. Ad cujus veritatis confirmationem egregiè deservit illa à S. *Antonino* parte primâ Tractatu 12. cap. 5. §. 4. de quodam juvene relata mirabilis historia. Hic enim juvenis optimis conspicuus moribus, sub insignis directoris spiritualis disciplina vitam agebat, qui continuò illum deplorabat, eò quod Deus illi, juvenis illius reprobationem speciali revelatione indicarat: Adolescens verò ille, qui obediens, humilis, valdéque devotus erat, sæpiùs ex Magistro suo, cur fleret, sciscitabatur? qui tandem post aliquod temporis spatium, eidem, quid sibi revelatum fuisset, manifestavit; Cui sapiens juvenis: Non est, quod hujus revelationis gratiâ te affligas, respondit; Scio enim, quod Deus sit justus, meque non nisi ob peccata mea sit æternùm damnaturus, in quo casu sicut latro se pœnæ illi libenter subjicit, quam se suis latrociniis promeruisse novit, ita quoque justum erit, ut & ego ad ea paratus sim subeunda supplicia, quæ per scelera mea fuero promeritus. Cæterum quantum est ex mea parte, omnino satagam, ut quicquid boni facere potuero in vita mea, hoc solicitè perficiam, Deus postea de me, quicquid sibi placitum fuerit, statuat. Quod prudentissimum adolescentis illius responsum tantoperè Deo placuit, ut sequenti nocte Magistro ipsius spirituali per novam revelationem, se conceptam mutâsse sententiam, adolescentémque illum salvandum fore, indicârit, non quia mutatum esset decretum divinum, quod secundum se est immutabile, sed quia mutata est sententia illa minatoria, quæ respicit merita hominum. Fortè in discipulo illo erat quidam defectus absconditus, propter quem merebatur æternam damnationem, quo deposito promeritus est gloriam, & salutem æternam. Vel etiam fortassis, quia sic Deus ipsius salutem dependere voluit à tam generoso dilectionis Dei actu, quem si prætermisisset, salutem adeptus non fuisset.

11. Proinde nihil aliud restat, quàm ut sequamur doctrinam, à *Divo Patre Augustino* lib. 6. hypognost. in hæc verba promulgatam: *In quantum possumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur, nulli desperationem demus, pro invicem oremus, ipsius erit potestatis judicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædestinationis indebitam prærogare.* Cui aptam adfert similitudinem à speculo; *Quid times* (verba sunt ejusdem *S. Doctoris* serm. 109. de temp.) *quia dixi, si mutaberis, mutatur? speculum est sine macula. Verum speculum mutat imaginem pro persona, quæ mutatur.* Habet hoc speculum; quod in se immutatum varias repræsentet effigies pro varietate objecti. Ita immutabilis Deus ab æterno, pro eo tempore, quo *Petrus* negavit eum, ut peccatorem refert, execratur, & odit; at verò eundem amarè flentem, etiam repræsentat, quem amat, & laudat. Ita Deus mutat decretum de Ninivitis, ut exponit *S. Chrysostomus* hom. 5. de pœnitentia. Ex quibus infertur, qui hodie Saulus, cras Paulus esse potest, & lupus in ovem mansuetam transmutari.



PARS

# PARS SECUNDA.

## Licèt Deus majora gratiæ auxilia electis conferat, ob hoc reprobi tamen lamentari non possunt; & quia auxilia Dei sufficientia respuunt, sunt ipsimet causa damnationis suæ.

12. Quemadmodum beati Cælites suam beatitudinem divinæ prædestinationi, & gratuitæ electioni adscribere debent; ita è contra reprobi, damnationem suam sibi ipsis, & non Deo tribuere debent, uti Deus per Prophetam Oseam c. 13. loquens, testatur in hæc verba: *Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Igitur quod beati suam ad gloriam electionem singulari gratiæ Dei, non verò suis viribus & industriis, tribere debeant, palàm id significat *Apostolus*, dum ait: *Rom.* 9. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Porrò, ut hanc gratuitam Dei voluntatem aliquo modo explicemus, revocemus oportet in memoriam lepidam illam fabulam, quam fingunt Poëtæ. Asserunt ergo quemlibet Deorum elegisse sibi arborem quandam infructuosam per Insigni suo: Jovem Quercum, Venerem myrtum, Apollinem laurum, Neptunum pinum, Junonem juniperum. Factâ hac electione, accessit Minerva Dea Sapientiæ, totáque stetit attonita & rapta in stuporem, petiit à Jove, quam ob causam Dii elegissent sibi arbores illas infructuosas? Respondit ei Jupiter: Id maturo judicio & rationabili causâ fuisse factum, ut nimirum arbores illæ intelligerent non ob propria merita, sed ex merâ gratia & liberalitate Deorum se esse electas. Ita pariter accidisse videtur in hoc facto prædestinationis. Elegit Deus homines ad gloriam tanquam arbores instructuosas, quæ ex se nullum prorsus producunt fructum bonorum operum, ut indicat *Apostolus* 2. *Cor.* 3. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Elegit igitur Deus hanc arborem infructuosam, & è perditionis massa eam transfert in fertilem paradisi terram, ubi eam irrigat aquis divinæ gratiæ, ut non se ex propriis meritis, sed ex mera Dei gratia electam glorietur & cognoscat, quemadmodum iterum *S. Paulus* testatur dicens: Tit. 3. 5. *Non ex operibus Justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.*

13. Confirmatur hæc veritas hocce argumento Theologico: Vel enim opera nostra bona considerantur secundùm substantiam operis, & prout procedunt ex libero arbitrio, vel prout sunt à gratia sanctificante. Si considerentur, prout sunt ex libero arbitrio, non possunt esse meritoria de condigno vitæ æternæ propter maximam ejus inæqualitatem & importionem cum illa. Si verò loquamur de operibus meritoriis, secundùm quod procedunt ex gratia sanctificante, quamvis sub hac formalitate sint meritoria vitæ æternæ etiam de condigno, quia sub hac ratione habent æqualem

valorem cum beatitudine supernaturali, ut in scholis docetur; si tamen conjuncta sint cum perseverantia finali; Unde, quia nullus (ut pariter Theologi cum *D. Thoma* 1. 2. q. 63. a. 9. in argum. Sed contra docent) de condigno mereri potest perseverantiæ donum, bene sequitur, quod vita æterna quibuscunque datur, detur ex mera gratia Dei & misericordia. Unde *Concilium Tridentinum* sess. 6. c. 16. sic habet: *Justificatis hominibus, & bene operantibus, proponenda est vita æterna, tanquam gratia misericorditer promissa.* Quod idem etiam confirmat *Psalmographus*, *Psalm.* 55. dicens: *Pro nihilo salvos facies illos.* Quem locum intelligit S. P. *Augustinus* de prædestinatione, & ideo exponit eum dicens: *Pro nihilo, id est, nullis eorum meritis præcedentibus salvos facies illos.* Porrò, hæc intelligenda sunt de ipsa electione ad gloriam, quæ ex mera DEI gratia dimanat; nam ipsa actualis gloriæ collatio (quamvis appelletur gratia gratuitò collata, ut ex Tridentino liquet, hoc tamen debet intelligi, quia ortum habet ex summa gratia, gratuita scilicet Dei prædestinatione;) Electis datur, ut merces & præmium Justitiæ, ut testatur *Apostolus*, dicens: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die Justus Judex.* 2. *Timoth.* 4. 8.

14. Hoc præmisso, quæres, cur nempe, cùm in hac electione ad gloriam mediante gratiâ efficaci nullum ex parte prædestinati reperiatur præcedens meritum, sed mera sit gratia, quod homo salvus fiat, Deus aliquibus hanc præstitit, aliquibus verò non? Respondetur, quod quamvis assignari possit ratio, cur scilicet aliqui in genere assumantur, alii relinquantur; nimirum manifestatio divinorum attributorum; si enim omnes electi fuissent, ubi appareret justitia DEI vindicativa? Si verò omnes fuissent relicti in sua perditione, quis prædicare posset divinam misericordiam? In particulari verò, quare videlicet v. g. Petrus ad gloriam assumatur, Judas verò in massa perditionis relinquatur, non potest dari vel assignari ratio vel causa, quàm voluntas divina. Unde postquam S. *Paulus* attulisset exemplum electionis *Jacob* & damnationis *Esau*, confestim subjungit. (Rom. 9. 15.) *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor.* Id est, ut clariùs dicitur Exod. 33. 19. *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*: Et iterum: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Et statim prævidens & præfocans querelam, quam facturi erant gratuitæ prædestinationis impatientes, dum dicunt: *Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit?* Subjungit increpando: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo: nunquid dicet figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Denique idem S. *Apostolus* cap. 11. postquam satis diu locutus est de prædestinatione secundum propositum, totum discursum hac exclamatione concludit: *O Altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Rom. 11. 33.

15. Similiter S. P. *Augustinus* hujus quæstionis profunditatem non aliter solvit, quam recurrendo ad inscrutabilia judicia DEI, ut constat ex tractatu 26. in *Joan.* ubi sic ait: *Quare hunc trahat, & alium non trahat, noli velle judicare, si non*

*si non vis errare.* Et iterum: *Si quis* (inquit idem de spiritu & lit. c. 34.) *me interroget, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non?* (id est, quare uni detur vocatio efficax, non verò alteri) *duo solum occurrunt, quæ respondere mihi placeat. O altitudo divitiarum! &, nunquid iniquitas apud Deum? Cui hæc responsio non placet, quærat Augustino doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptiores.* Item in lib. soliloquiorum animæ ad Deum cap. 28.; alloquens Deum sic ait: Mundas autem de nobis filiis hominum eos, in quibus tibi placuit habitare, quos ab inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ, semper justorum, licèt occultorum, sine eorum meritis prædestinasti ante mundum, vocasti de mundo, justificasti in mundo, & magnificas eos post mundum. Non omnibus autem hoc facis, quod admirantur tabescentes omnes sapientes terræ. In *Apocalypsi* cap. 15. ℣. 8. dicitur: *Justæ & veræ sunt viæ tuæ Rex sæculorum.* Et paulò post subditur: *Impletum est templum fumo à majestate Dei & de virtute ejus, & nemo poterat introire.* At verò quisnam erat hic fumus, qui aditum in templum tantoperè impediebat? *Glossa* inquit: *Nemo poterat introire, id est intelligere judicium, quare alios reprobat, alios eligit, donec in fine mundi intelligant Sancti, quam investigabiles viæ ejus?* Quis debili intellectu suo mysteria & fines, ob quos alios elegit, alios verò reprobavit, indagare poterit? Quoties contingit, quod homo aliquis virtuosus & exemplaris in progressu temporis pervertatur, è contra verò vir scandalosus reducatur ad pœnitentiam & salvetur?

16. Verùm enim verò, quamvis nullus intellectus creatus penetrare valeat in hac gratuita electione consilia & judicia Dei, hoc tamen scire & credere debet, quod nulli Deus faciat injuriam, si eum ad gloriam non eligit, juxta illud Incarnatæ Sapientiæ effatum: *Matth. 20. Amice, non facio tibi injuriam. Tolle quod tuum est, & vade. An non licet mihi facere, quod volo?* Enim verò, universum genus humanum jure merebatur infernum; Et tamen universum idem genus habilitatum fuit ad gloriam, omnibúsque sine ullo merito ad eandem gloriam consequendam præparata fuerunt auxilia. Quod verò DEUS per suam bonitatem, vel per occulta judicia sua majores gratias donare voluerit uni, quàm alteri, hujus rei causâ nequaquam culpandus venit, utpote creaturarum suarum absolutus Dominus; *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Præclarè *Doctor Angelicus* ad hoc propositum sic scribit in cap. 9. epistolæ ad Romanos lect. 3. Si aliquis duobus æque ipsum offendentibus, uni dimittat offensam, & non alteri, est misericors uni, & justus ad alterum, neutri verò iniquus. Cùm ergo omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi nascantur obnoxii, quos Deus per suam gratiam liberat, solâ misericordiâ liberat, & sic quibusdam est misericors, quos liberat, quibusdam autem justus, quos non liberat, neutris autem iniquus.

17. Quamvis ergo divina bonitas prædestinatis majora gratiæ auxilia impertiat, quàm reprobis, ob hoc tamen illi lamentari non possunt, cùm habeant media sufficientia, quibus salutem consequi possent, si vellent; Deus enim quantum est ex sua parte, omnes salvari cupit; ut testatur S. *Paulus* 1. *Tim.* 2. 4. dicens:

dicens: *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; hinc etiam teste S. *Joanne* 1. 8. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De reprobis autem dicit *Job.* 24. 13. *Fuerunt rebelles lumini.* Ecce igitur reproborum perversitatem, quam etiam S. *Job* alio in loco clariùs depingit hisce verbis: *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi; qui dixerunt Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Job.* 21. 14. Reprobi ergo dum damnantur, sibi ipsis culpam imputare debent; quia *quamvis Deus* (ut docet S. P. *August.* contra *Julianum* scribens) *possit aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest tamen aliquos sine malis meritis damnare, quia justus est.* Cessent ergo reprobi peccare, & damnationem evadent.

18. Verùm, etsi DEUS æternâ suâ præscientiâ reprobos infallibiliter præcognoscat prolapsuros esse in varia scelera, & consequenter æternam damnationem non evasuros, hæc tamen præscientia eos minimè cogit ad perpetranda peccata; quia *neminem*, ut *Sanctus Pater Augustinus* loquitur, *DEUS ad peccandum cogit, prævidet tamen omnes, qui propriâ voluntate peccabunt: Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim nemo memoriâ suâ cogit facta esse, quæ prætereunt, sic DEUS præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ futura sunt.* Cujus doctrinæ veritas dilucidè constat sequenti similitudine. Continget nonnunquam, quod dum quis infirmatur, adveniat Medicus vir magnæ experientiæ, eidémque infirmo ex multis infirmitatis illius indiciis mortem infallibiliter prædicat; quis sapiens Medicum hunc suâ prædictione sive prognostico, quod infallibiliter adimplebitur, in mortem talis infirmi influxisse, eique pestiferam hanc infirmitatem causâsse, dicere audebit? Non enim Medicus mortem, vel infirmitatem illam prædicendo causavit, sed languens per inordinatos excessus, quos, dum sanus esset, voluntariè committit, & morbum pariter & mortem sibimetipsi voluntariè accersivit, Medicus autem judicium suum de malo morbi illius exitu, qui infallibilis erit, secundum regulas scientiæ medicinæ, quæ fallaces esse non solent, edicit. Pariter, quando Deus infallibiliter præcognoscit reprobos finaliter casuros, per hanc tamen præscientiam non constituitur causa eorum interitûs, neque propterea homo necessariò perit, cùm ejus liberum arbitrium ad bonum vel ad malum non temeratur, quemadmodum fatetur *Sapiens* sequentibus verbis: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: adjecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata servare, conservabunt te: apposui tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Super quæ *Sapientis* verba, præcipuè super ultima se reflectens *Sanctus Vincentius Ferrerius* sermone 1. in Dom. Septuag. hanc instituit considerationem: *Si dicatur; si illud, quod placet homini, datur, ergo omnes ibimus ad paradisum, quia omnes volumus ire illuc; respondeo de illo, qui dicit se ire Bononiam, & recipit viam Nurtiæ; sic superbus verbo se dicit ire ad paradisum, sed de facto recipit viam inferni; unde non dicitur voluntas, sed velleitas.* Ita *Sanctus Vincentius.* Hujus autem velleitatis, ut dici solet, infernus est refertissimus.

19. Liquet ergo ex dictis, omnibus reprobis

reprobis sufficientem à Deo fuisse datam gratiam, opem, & auxilium ad obtinendam salutem, nullum sufficienti gratiâ destitutum fuisse, quia semper Deus illis porrexit manus specialium inspirationum, quibus tamen protervè restiterant, unde spontè & obstinatè seipsos damnarunt, & propriam neglexerunt salutem, & hoc adeò clarum est in fide Orthodoxa, ut à nullo sanæ mentis vertatur in dubium. Hanc doctrinam confirmat miserabilis casus Judæ Proditoris, qui meritò potest esse typus & figura omnium reproborum. Inquirit modò *S. Ambrosius* l. 1. offic. c. 16. Cùm jam Salvator noster sciret Proditorem Judam, quod nimirum tam perversè officio Apostolatûs functurus esset, cur ergo creavit illum Apostolum, & annumeravit illum undecim aliis probis Apostolis? & acutissimè respondet, & dicit duas Salvatorem nostrum Judæ præstitisse singulares gratias, unam quod elegit illum in Apostolum, alteram quod fecit dispensatorem & procuratorem Collegii Apostolici, quo demonstrare voluit magnum suum desiderium salvandi ipsum, & quia prævidebat pecuniâ eum stimulandum ad tradendum suum Magistrum, ut hanc ei tolleret occasionem, credidit manibus ejus loculos, ut hinc perciperemus, quod Judas damnationem suam non potuit adscribere Christo, nec de illo conqueri, qui & dedit bene agendi consilium, & subtraxit peccati occasionem, quæ illi damnationis futuræ causa erat. Hinc *S. Chrysostomus* hom. 1. de jejun. ait: *Marsupium illi suarum rerum concrediderat Dominus, non ignorans, quod furaretur, sed volebat dando hanc potestatem mederi illius avaritiæ.*

20. Denique tantum habet Deus desiderium omnes salvandi, ut teste *Origene* hom. 20. sup. lib. Num. majorem habeat curam hominum, ut salvi fiant, quàm habeat dæmon eosdem pertrahendi ad inferni barathrum. Quocirca quisquis damnatur, damnationem suam nulli alteri, nisi sibi imputare debet. Hoc idem voluit Deus significare per Prophetam sic protestans: *Perditio tua Israel.* Glossa ordinaria exponit: Tu ipse es causa tuæ perditionis; propterea non de Deo, sed de temetipso conqueri debes. Ulteriùs, quis ignorat maximam damnatorum pœnam, esse pœnam damni, quæ in summa mœstitia de amisso summo bono consistit. At si reprobi non habuissent potestatem perveniendi ad salutem æternam, gloriâque cælestis iisdem fuisset impossibilis, profectò vel nullam, vel exiguam haberent tristitiam, quod illuc non venerint, sicut parvuli sine Baptismo decedentes non habebunt ex pœna damni aliquem mœrorem ut docent Theologi non pauci, quia visio beatifica nunquam in eorum fuit potestate, & consequenter quod ad hanc non pertigerint, nullum habent dolorem, quemadmodum nullus nostrum contristatur, quod v. g. mortuo summo Pontifice, non fiat Pontifex. Ergo cùm vermis conscientiæ miserabiliter damnatos torqueat, æternúmque torquebit, manifestè liquet quod damnati cognoscant, se potuisse perfacilè pervenire ad illam beatissimam Dei visionem, hancque propriâ & perversâ suâ voluntate repudiasse, ac commutabilibus bonis, fœdisque deliciis eandem postposuisse.

21. Vides, frater chare, nihil prorsus deesse ex parte Amantissimi Salvatoris nostri, quin omnes possimus salutem obtinere, tua ergo erit, si damnaberis, non Christi culpa: ipse enim omnia ex parte sua perfecit, ut prædixit per *Isaiam* c. 5. dicens: *Judicate ergo inter me & vineam*

*meam, quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* Quasi diceret: Te, O anima, in causa tua constituo Judicem, judica inter te & me, si quid ultra facere debui, & non feci tibi; Ego te creavi, sustento, & conservo; nata inter fideles meo beneficio es: in Mauritania te creare potuissem, ubi falsum illum, sicut & Turcæ, Mahometum adorâsses, ego tamen Baptismi gratiâ te condecoravi, & postquam illam peccando perdidisti, per Sacramentum pœnitentiæ copiosiorem restitui; ego vitæ meæ pretio & effusione sanguinis quem pro te effudi, Crucis ligno tribus clavis affixus te redemi: *Judica ergo inter me & te, quid est, quod debui ultra facere tibi, & non fecerim?* Superest ergo, si æternam assequi cupis felicitatem, ut Christo Domino cooperceris, & ejus vitæ & moribus vitam & mores tuos conformes. Cùm ergo hanc cooperationem potior pars Christianorum negligat, quid mirum si tot & quodamodo turmatim ad inferni barathrum præcipites agantur, & paucissimi ad æternam beatitudinem pertingant?

27. Quamobrem ne te aliquando hoc infinitum & irreparabile damnum involvat, cave, ne communem laxorum Religiosorum semitam sequaris; cave etiam, ne sic ratiocineris: Hoc & illud facit hic & ille, possum & ego illud facere; si licitum est hoc & istud aliis, cur mihi non licebit? Quia ad similem argumentationem sequetur hæc conclusio: Iste & ille horribili pœnâ mulctabitur ob tale & tale factum, ergo qui participavit in culpa, fieri quóque debet particeps pœnæ. Ne ergo cum multis ineffabilibus in æternum crucieris tormentis, cave sequaris multitudinem peccantium, sed amplectere saluberrimum *D. Anselmi* consilium. *Visne*, inquit, *esse securus, quòd sis ex numero Electorum? tunc satage ex numero paucorum esse. Si verò optas esse securissimus, stude nunc etiam te ex numero paucissimorum esse.* Hoc est, noli sequi illos, qui viam spatiosam, jucundam, & delitiis refertam ambulant; sed eos, qui viam arctam & spinosam indefessè percurrunt, qui repudiatis mundi cupediis sese seriò operibus pœnitentiæ addicunt, qui virtutes veras sectantur, & Deum solum amare gestiunt. Hæc si præstiteris, securâ de beatitudine obtinenda spem concipere poteris.

# SERMO LXVII.
## DE CULTU BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

*Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Prov. c. 8. 35.

1. Liquet

6. Liquet ex hactenus dictis, quàm difficilis sit aditus ad cælestem Patriam; quare, ut tot tantáque perdendæ salutis pericula securi evadamus, necesse est apprimè, ut nos ex toto corde convertamus ad gloriosissimam Cæli Reginam, misericordiæ Matrem, eámque pio cultu ac veneratione prosequamur. Talis quippe cultus, & hujus SS. Virginis veneratio, ut *SS. Patres* unanimi consensu affirmant, est certum signum Prædestinationis, tessera salutis, pignus æternæ gloriæ. Unde ipsa de se ait: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Hinc *S. Ignatius* Martyr ait: *Nunquam malè peribit, qui Genitrici Virgini devotus sedulúsque extiterit; Impossibile est enim aliquem posse salvari peccatorem, nisi per tuum, O Virgo, auxilium & favorem.* Quia nulli homini à Deo gratia confertur nisi per MARIAM, quod *SS. Patres* probant, dum B. Virginem collo comparant; quia sicut collum capiti proximum est, mediúmque inter caput & membra, & nulli per caput in membra influxus descendunt, aut vicissim à membris in caput humores ascendunt, nisi per collum; ita etiam nullos gratiarum suarum influxus Christus, ut caput in nos tanquam in sua membra demittit, nisi per collum, id est per SS. suam Matrem; nec etiam orationes nostræ velut humores ascendere possunt ad suum caput, id est Christum, nisi iterum mediante Dei Genitrice Mariâ. Unde *S. Bernardus* ser. de Nat. Virg. dixit: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.* Et serm. de aquæ ductu idem *S. Abbas* sic effatur: *Totis medullis cordiũ, totis præcordiorũ affectibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas illius, qui omnia nos voluit habere per Mariã.*

2. Igitur si bona à Deo obtinere, ac mala, præsertim peccata, evitare discupimus, ad B. Virginem velut amantissimam Matrem confugiamus, eique omnem nostri, ac rerum nostrarum curam penitus committamus, oportet, quemadmodum *S. Bernardus* ser. de Nat. hortatur, dicens: *Quidquid illud est, quod offerre & obtinere paras, Mariæ commendare memento, si non vis sustinere repulsam. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. Dico vobis, si piè à nobis pulsata, si piè fuerit invocata, compatietur nobis, nec deerit necessitati nostræ. Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas, quoniam Regina cælorum est, misericors est, & Mater misericordiæ*, hactenus *Doctor Mellifluus.* Ipsa est, ait *Innocentius III.* ser. 2. de Assumpt. aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Luna lucet in nocte, Sol in die, aurora in diluculo. Nox autem est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergo jacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad compunctionem illustret. Qui verò ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad satisfactionẽ illuminet. Quia verò militia est vita hominis super terram, quicunq; sentit impugnationẽ ab hostibus, vel à mundo, vel à carne, vel à dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium mittat auxilium de Sancto, & de Sion tueatur. Quis enim devotè invocavit eam, & non est exauditus ab ea? Ipsa est Mater pulchræ dilectionis & sanctæ spei. *Ipsa est*, teste *S. Bernardo*, *præclara & eximia stella super hoc mare magnum & spatiosum necessariò sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis.*

3. Hæc SS. Virgo est tutissimum peccatorum refugium, quæ peccatores ad se conversos non repellit, sed fovet & protegit, eisque pœnitentibus peccatorum veniam impetrat. Nam ut scribit *Blosius* in Monil. spirit. c. 1. hæc misericordiæ Mater *S. Gertrudi* quondam splendidissimo pallio cooperta apparuit, ad quam variæ multúmque deformes bestiæ accurrerunt, séque sub ejus pallio absconderunt, quas omnes cum magna charitate excepit, blandéque pallio involvit, delicatáque manu suâ singulas contrectans amicabiliter ipsis blandita est, quemadmodū quis blandiri solet catulo suo. Cùm verò ob hoc factum obstupesceret Gertrudis, significatum ei est, per bestias illas peccatores significari, quos omnes illa, si ad ipsam confugerint, materno affectu excipere consuevit. Hinc non immeritò *S. Dominicus* dixit: *Si omnes Sancti à nobis alieni essent, & ad preces nostras surdi forent, Mariam tamen semper nobis misericordiæ sinum aperturam.* Hinc gloriosa hæc Virgo *B. Alano* dixit: Jam pridem mundum periturum fuisse, nisi suis precibus iratum Numen ipsa placâsset. *Hæc ergo*, ut *S. Ephrem* ser. de laud. B. Virginis rectè ait, *est spes desperantium, peccantium refugium, mundi solatium, porta cœlorum.* Expertus est olim hanc Mariæ misericordiam quidam Juris-Consultus, & Reipublicæ Advocatus, qui anno 1552. Venetiis degens [ ut refert *Zacharias Boverius* tom. 1. annal. Capucin.] cùm multas divitias injusto titulo possideret, aliquando accidit, quòd religiosissimum & vitæ Sanctimoniâ clarum, Patrem Matthæum Ordinis S. Francisci Religiosum ad prandium vocârit. Hic bonus Pater, ut erat in omnes occasiones, animas Deo lucrandi, intentus, venit ad horam statutam. Antequam autem cibi inferebantur, Advocatus his *P. Matthæum* verbis affatur: Pater mi, est mihi in domo simia planè admirabilis, quæ plus aliquid quàm brutum sapere videtur, quia hæc mensam sternit, mantilia crispat, calices lavat, orbes suis locis collocat: hæc, dum è curia redeo, quasi herum venientem agnoscat, fores domûs aperit, & alia hujusmodi officia præstat, quæ summam omnibus admirationem pariunt. His auditis *Matthæus* confestim divino collustratus lumine, quænam illa simia esset, quidve in ea domo portenderet, agnoscit. Quare Advocato respondet: mira quidem ac magna de simia narrari sibi, cavendum tamen, ne hac in simia aliquid præter simiam lateat, cupere eam ad se adduci, ut curiosiùs præsentem oculis lustret. Jubet Paterfamilias bestiam produci, diu conquisita, tandem loco obscuro sub lectica delitescens conspicitur. Cúmque, ut inde erumperet, à famulis compelleretur, illa præter morem dentibus fremens, nullo modo adduci potuit, ut in medium prodiret. Quod cùm Matthæo renuntiatum esset, is cum hero ad eam accedens, adesto, inquit, infernalis bellua, in nomine Domini Jesu Christi, & huc coram nobis quamprimùm procede. Paruit illa, & se ante omnium astantium oculos stitit: tum Matthæus divino, inquit, imperio te obstringo & cogo, ut sine ambage nobis enunties, quis sis, & quorsum huc adveneris. Cui simia humanam vocem depromens: Ego sum diabolus, ait, neque alius mihi huc veniendi scopus fuit, quàm ut hujus heri [herum innuebat] animam dudum mihi obnoxiam ad tartara raperem. Cui rursus Matthæus: quid est, inquit, quòd hoc ejus perdendi desiderium necdum expleveris? Quid hoc te facere prohibuit? Id unum, respondit dæmon, quòd cubitum concessurus, semper Dei opem, Virginísque patrocinium sibi in præsidium

implo-

imploravit; à qua pia consuetudine, si semel duntaxat remisisset, procul dubio ipsum de nocte quiescentem præfocassem, & infelicem ejus spiritum ad inferos rapuissem. Quibus auditis tota familia terrore perculsa, herus autem metu penè exanimatus, ad Matthæum supplex convertitur, & impensè rogat, suo ne patrocinio destituat periclitantem. Quem Vir Religiosus hortatur, ut ad magnæ Virginis potiùs opem se recipiat, non defuturam supplici, nisi desit ille sibi. Hinc ad dæmonem conversus, quandoquidem, inquit, hujus hominis perdendi tibi à Deo potestas hactenus non est facta, ego quoque Dei nomine, ne quid mali ei inferas, tibi interdico, præcipióque, ut protinus in tartarum abeas. Quibus imperatis, evanuit simia relictâ in pariete aperturâ, quò testaretur se è domo evasisse. Sub hæc, dum accumbitur mensæ, Sacerdos mappæ dependulam laciniam manibus comprimens & detorquens copiosum ex ea sanguinem emulget, quem cùm Advocatus subjectâ patinâ exciperet, ecce tibi, ajebat Pater, hic purpureus ille succus est, quem tot injustis exactionibus è pauperum fortunulis expressisti. Jam tibi, tuísque rebus prospice, malè possessa redde, vitam juxta christianæ disciplinæ regulam compone, & per spontanea supplicia æterna tormenta averte.

4. Ex hac historia docemur, quantæ sit utilitatis ac efficaciæ Virginem Deiparã quotidianis obsequiis, etsi parvis, tamen constantibus, demereri. Millies periisset hic Advocatus, nisi ipsum ab assiduis cacodæmonis insidiis cultus magnæ Matris, quamvis haud magnus, & ex animo vitiis obsito profectus, servasset. Certè *Catharinæ Senensi*, Virgini Sanctissimæ Pater æternus, teste *Blosio* in Monil. Spir. c. 1. hæc aliquando verba enuntiavit: *Mariæ Unigeniti Filii mei gloriosæ Genitrici à bonitate mea concessum est propter incarnati Verbi reverentiam, ut, quicunque etiam peccator ad eam devotâ veneratione recurrit, nullo modo deripiatur à dæmone infernali.* Nimirum quemadmodũ cælestis Rex solem suum oriri facit super bonos & malos; ita Regina Cœli gratiæ suæ radios immittit etiam in pectora densâ scelerum caligine obsepta. De qua *S. Bonaventura* ait: *Quis est, super quem sol non eluceat? Quis est, super quem misericordia Mariæ non resplendeat?* Atque ut Sol purissimos radios suos non modò per florida camporum, sed etiam per squalida sentium & sordida lacunarum dispergit; Sic Virgo clementissima, minimi obsequii impendio provocata, in inquinatissimos etiam animos amoris & protectionis suæ faces jaculatur.

5. In hujus rei majus testimoniũ refert *Petrus Antonius Spinellus* in throno Dei. c. 35. num. 22. sequentem historiam. Miles erat, vir generosi sanguinis, sed prædationibus infamis, qui castrum possidebat, nullique alteri se dominio obnoxiũ ratus, quidquid rapiebat, id in arcẽ suã inferebat. Is igitur miles, aut rectiùs prædo in tanta scelerum colluvie, in qua collotenus demersus erat; id unum moris christiani habebat, ut omni die Angelicam salutationem recitâric. Interea accidit, ut vir quidam Religiosus illac iter faceret, quem mox viarum obsessores capiunt, & rapiunt potiùs quàm ducunt ad suum principem, qui eum percontatus, quisnam esset? quam vitam profiteatur? quæ causa viæ? quid extra monasterii septa quærat? Ad hæc tam aptè respondet Vir Religiosus, ut Toparchæ suspicionem injiceret, magnæ virtutis & Sapientiæ in eo latentis. Hinc etiam cupiebat audire secreta, quæ Cœnobita cum eo communicanda habere dixit: Jubet igitur convocari familiares, & audire, quid Monachus

proferret. Præstò sunt ad obsequium famuli. Asceta captivus circumspiciens dicit unum deesse, & hic erat, qui Domino serviebat à cubiculis. Quare ocyus mittitur, qui hominem ad Sermonem producat, at ille venire tergiversatur, unde iterum imperat herus nec sine minis, comparet tandem, qui ut primum obtutum in Religiosum hospitem conjecit, mox cœpit instar energumeni oculos in capite invertere, rotare cervicem, obluctari pedibus, jactare manus & brachia, spumare linguâ, stridere dentibus, ut crederent cæteri eum in dementiam lapsum. Probè noverat pius Religiosus, qualis sub hac larva lateret mimus. Proinde eum per Deum conjurans vehementer urget, ut fateatur, quisnam esset? Alastor sublimiori vi adactus confitetur se emissarium ex inferis adesse, humana sub specie quatuordecim ipsis annis hero suo serviisse eâ de causâ, ut, si quâ die herus salutandæ Virginis consuetudinem intermitteret, strangulatum abriperet ad infernum. Quibus dictis jussus à Cœnobita in tenebras suas abire, ingenti cum fœtore disparuit, Ducémque cum prædonibus summâ consternatione attonitum reliquit. Qui mox ad hospitis Religiosi pedes abjectus, affectu, quo potuit, ardentissimo gratias egit misericordiæ Matri, sua scelera dolentissimè agnovit, veniam petiit, exomologesin de tota vita instituit, séque ad meliorem frugem revocavit. Exemplum Ductoris secuti reliqui saniora consilia ceperunt, & abdicatâ prædandi licentiâ deinceps sine aliorum injuria vixerunt.

6. Hinc ergo liquet, quantum valeat vel unica Angelica salutatio contra hostes stygios, cùm hæc unica dictum latronum principem ex tartarei milvi unguibus liberârit, ac tandem suavi Christi jugo subjugârit. Quis igitur tardabit ex toto corde confugere ad SS. hanc Virginem, quæ tutissima civitas refugii est? O quot justa Numinis ira æternâ morte ob sua scelera jam punivisset, si non ad Marianum asylum accurrissent! Nullus est adeò malus, qui si confugerit ad Mariam, non consequatur peccatorum veniam. Ipsa enim *S. Brigittæ* l. 6. Revelat. c. 10. & l. 2. c. 23. quondam dixit: *Ego sum Regina Cæli, ego Mater misericordiæ, ego justorum gaudium, & aditus peccatorum ad Deum. Nullus est adeò maledictus, qui quamdiu vivit, careat misericordiâ meâ, quia propter me leviùs tentatur à dæmone, quàm alias tentaretur. Nullus est adeò abjectus à Deo, nisi fuerit omnino maledictus, qui, si me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habiturus sit misericordiam. Ego vocor ab omnibus Mater misericordiæ, & verè misericordia illius me misericordem fecit; Ideo miser erit, qui ad misericordem, cùm possit, non accedit.* Ex quibus verbis satis liquet, quàm meritò Ecclesia Catholica in Litaniis Lauretanis hanc SS. Virginem vocitet *Refugium peccatorum.*

7. Porrò ut hujus clementissimæ Advocatæ nostræ misericordia magis patescat, superioribus exemplis adjungere lubet sequens, cujus meminit *Joannes Ægidius* in lib. scala Cæli. Erat quædam nobilis matrona, quæ magnâ in Deiparam Virginem ferebatur devotione, cui filius erat unicus, parentis viduæ solatium. Hic ubi ex Ephebis egressus, destinatur à Matre ad aulica servitia cujusdam Principis. Abeunti filio inter alia etiam hoc documentum dedit pia Mater, ut semper veneraretur omni die Deiparam Virginem ad minus saltem devotâ Angelicâ salutatione; hoc pio monitu instructus adolescens discessit à matre, & in aulam admissus vixit aliquamdiu laudabiliter, brevì tamen mores

res induit divinis maternísque præceptis contrarios. Eoque tandem devenit miser juvenis ex pravorum consortio, ut honestas omnis & virtus tanquam in charybdi naufragaretur. Jam dux & antesignanus erat ad nequitiam cæteris, qui initio non nisi timidè sequebatur. Hic aliquoties monitus, cùm mores nullatenus emendaret, aulâ proscriptus est, & ut infamiam, quâ passim notatus erat, declinaret, in avias sylvas concessit, ubi se prædonum consortio adjunxit, multásque rapinas & cædes fecit. In eo vitæ genere, cùm aliquamdiu vixisset, ipse captus, & carceri mancipatus est, ac tandem ob sua crimina ad mortem condemnatus. Porrò cum infelix Juvenis suum infortunium & futurum supplicium mente volveret, conspexit repentè proceræ staturæ virum, qui pollicetur exsoluturum se vinculis, si obsequi, & in sua jurare verba non recuset. Rogatus quis esset? ait se unum ex erebi spiritibus esse, missum à Principe suo, ut ipsi jam desperato opem ferat, si Christum ejusque Sacramenta abjuraret. Juvenis ut carcere & capitali supplicio se eximat, diabolo servitutē promittit, & Christū cunctáq; mysteria divina abjurat. Insistit Alastor, & urget, ut Mariæ quoq; patrociniū abdicet & exsecretur. Captivus hoc audito nomine, statim totis artubus concuti, & in mentem reducere cœpit, quid discedens à Matre audierit, promiserítque. Exclamat igitur: Hoc procul absit à me, ut ego amantissimæ Patronæ meæ remittam nuntium, ut ab ejus tutela tot beneficiis auctus me avellam! Absit hoc, quin potiùs quidquid vitæ reliquum est, id omne ei jam nunc dico & dedico, méque ejus mancipium perpetuum profiteor. Quibus verbis Genius stygius tanquam fulmine ictus evanuit. Juvenis verò de novo resumpsit animum, seriáque suorum scelerum pœnitentiâ ductus, detestatúsque infandum facinus, quo Salvatorem suum abnegarat, hinc Dei, ejusque SSmæ Matris misericordiam ingenti cum ejulatu ingeminare ac implorare cœpit: O Mater misericordiæ, ajebat, miserescat te mei execrandi peccatoris; O salus desperantium, ô refugium delinquentium, ne projicias me à facie tua virginea, ne repellas me à misericordia tua! Non jam postulo catenis hisce exsolvi, non supplico, ut mihi mortis supplicium condonetur, cupio, cupio dare pœnas meritas nefandorum criminum, hoc unum rogo unicè, hoc efflagito, ut pro me filium tuum exores, quia ego dignus non sum, ut oculos cœlo levem, ne me, quæso, clementissima Domina morti jam propinquum deseras ac destituas. In his cogitationibus & precibus cum tota nox esset peracta, & dies illuxisset, cum magno animi dolore omnia sua scelera sacrâ confessione expiavit. Post hæc ad locum supplicii ducitur, promptus & paratus mori. Cæterùm eâ, quâ ducebatur, viâ stabat Sacellum Virgini Deiparæ sacrum, in quo imago sculpta B. Virginis erat, ad quam reus inter lictorum manus accessit, mox totus oculis animóque in virgineam effigiem conversus Angelicam salutationem, quam omni die dicere consueverat, cum magna devotione recitat, móxque in hæc verba cum magna fiducia prorupit: O Mater, ô Virgo, ne desere morientem! Portentum ingens! Imago in omnium oculis inclinat caput supplici, & ad mortem jam condemnato; quare ad aram propiùs ab iis, qui ducebant eum, accedere permissus, ubi supremum Vale Patronæ suæ dicere, & osculum pedibus figere cœpit. Et ecce novum ori-

tur

eut miraculum. Imago Deiparæ subitò extendit brachia, & miserum ac tremen-tem intra sinum recipit & tam arctè ad-stringit, ut à lictoribus nullâ vi extorque-ri posset. Quo viso, universus populus exclamavit: Misericordia! misericordia! gratia! gratia! Itaque vinculis exsolu-tus, liber à Judicibus dimittitur, quem supremi Judicis Mater absolvit. Hinc juvenis Religiosum habitum induit, se-que totum suæ Servatrici Virgini man-cipavit, & præteritæ vitæ sordes lar-gis lacrymarum imbribus abluit, & de-levit.

8. Quis ex hac historia non satis agnos-cit, quàm potens sit Maria ad vires & technas stygii tenebrionis evertendas, & à nobis propulsandas; Quis non videt, quàm misericors sit Maria erga peccato-res verè pœnitentes; item quàm prona & liberalis ad succurrendum omnibus invocantibus se. Hanc suam adversus Orcum potentiam testatur ipsamet in Re-vel. *S. Birgittæ* l. 1. c. 9.: *Nullus*, inquit, *in hac vita est tam frigidus ab amore divi-no, quin, si invocaverit nomen meum cum integro proposito pœnitendi, statim ab ipso diabolus recedat.* Hinc *S. Germanus* Dei-param sic affatur: *Tu nequissimi hostis con-tra servos tuos invasiones, solâ nominis tui invocatione repellens, tutos atque incolu-mes servas.* Et *B. Alanus* Ordinis S. Do-minici inter alia de Virgine Matre elogia ait: *Cùm Ave Maria dicitur, cælum læta-tur, dæmon fugit, animus consolatione de-mulcetur.* Cui astipulans *S. Bernardus* sic fatur: *Cæli rident, Angeli gaudent, mundus exultat, infernus contremiscit, dæmones fugiunt, cùm dicitur Ave Maria.* Amœ-num & mysterio plenum est, quod refert *Vega* Societatis Jesu Sacerdos in Theolo-gia Mariana num. 1387. Cum puella B. Mariæ addictissima passerculum per multos dies edocuisset pronuntiare: *Ave Maria*; quæ deinde verba avicula fre-quens iterabat non sine audientium ad-miratione & plausu. Accidit autem die quodam passerculum caveâ egressum esse, quem mox prætervolans accipiter arripuit, & in altum unguibus sustulit mox devorandum; at miser passerculus notas sibi voces ingeminabat *Ave Ma-ria.* Mirum dictu; accipiter his verbis velut jaculis confixus, mortuus corruit, avicula autem unguibus libera, læta ac cantans *Ave Maria*, ad sinum juvenculæ convolavit. Et quid aliud erat juvenis memoratus, quam avis, cui infernalis vultur insidiabatur? Et verò jam ungui-bus eum tenebat, dimittere tamen de-buit, quia consuetâ Virginem salutandi formulâ libertatem sibi peperit.

9. Meritò ergo doctissimus Idiota in contemplatione B. Virginis ad nostrum propositum sic loquitur: *Tanta est Mariæ misericordia, ut ab ea nemo repellatur. Ipsa est Advocata nostra apud Filium, sicut Filius apud Patrem; imò apud Patrem & Filium procurat negotia, & petitiones no-stras; & sæpe quos Justitia Filii damnare potest, Matris misericordia liberat, quia thesaurus Domini est, & Thesauraria gra-tiarum ejus.* Nimirum ut in cælo inter Leonem & libram Virginis signum in-terponitur: Sic inter Leonem de Tribu Juda Christum, & libram illam judicia-riam, in qua omnium mortalium facta severissimè expenduntur, amabilissima Virgo Maria suo patrocinio miserorum causas mitigat, & rigorem temperat libripendis illius tremendi. *Cæsarius* l. 2. c. 12. scribit de Juvene, qui fortunis om-nibus dilapidatis evocavit ex orco ma-lum genium, Deum abnegavit, Mariam abjurare noluit. Pressus inde criminis conscientiâ, in templum ingreditur, ante aram se prosternit, ubi Deiparæ imago visebatur, filium suum ulnis

com-

complexa. Hic in lachrymas solutus, totus pudore suffusus, ardenti corde Dei Matris misericordiam obtestatur, ne se mortalium omnium sceleratissimum despiciat, sed suos oculos in se convertat, & respice, inquit, in faciem Christi tui; nec irritæ fuêre preces. Ecce tibi, dum lacrymans inter suspiria hæret, imago Virginis extemplò animatur, & pro eo apud Filium perorat. At hic faciem oculósque ab impio & perjuro avertit. Instat nihilominus Maria, deque loco surgit, & ad pedes provoluta; per virginea, quæ lactârunt, ubera, per amorem, quo se semper amplexus fuerat, obnixè deprecatur, ut perdito huic sceleris indulgentiam donet Filius, quandoquidem à fidelitate clientis erga se abire detrectârit. Ad hæc filius Matrem è terra sublevans, repulsam, inquit, O Mater, à me ferre non potes, & ad peccatorem conversus, eum in gratiam recepit, patratique sceleris veniâ donavit.

10. Perapte nobis ad propositum argumentum servit, quod memorat *Dauroltius* c. 2. tit. 20. *S. Francisco* contigisse. Hic quippe Vir Sanctus per visionem vidit in planitie multos Angelos, & homines congregatos; item binas scalas, unam rubram, cui Christus insistebat, alteram candidam, cui B. Virgo innitebatur. Cúmque præsentes per rubram scalam in cælum ascendere tentarent, mox per Christum ab ea dejecti sunt, quamobrem ad candidam scalam confugere jussi, facilem ad cælos aditum per Beatam Virginem receperunt. Quid aliud per visionem hanc Deus nobis intimare voluit, quàm ut confugiamus ad Mariam, si divinam gratiam consequi, æternámque gloriam adipisci optemus? Quemadmodum enim ii, qui in Regis familiam adsciscì cupiunt, priùs uni ex regiis famulis & amicis adhærent, eíque fide omni officióque deserviunt; ita & nos, ut inter Dei famulos & amicos numerari mereamur, summâ prius fide, charitatéque B. Virgini nos dedicare, eique tanquam Dominæ servire debemus. Quæ si præstiterimus, haud dubiè plusquam maternam de nobis geret curam, & ab æterno animas nostras vindicabit exitio, cæloque mancipabit. Pollet enim hæc gloriosa Virgo tantâ potentiâ, ut perire nequeat, quisquis ab ea respicitur. Nam ut fidissimi hujus Virginis Servi *S. Bonaventura*, & *S. Anselmus* dicere solebant: *Sicut à te despectus & aversus, necesse est, ut pereat; sic ad te conversus, & à te respectus, impossibile ut pereat.* O verè verba aurea & omni dulcedine plena! Proinde quàm stultè & insipienter agunt illi, qui, dum possunt, non refugiunt ad hoc tutissimum Marianæ protectionis asylum? O qualem non dolorem persentiscent damnati vel ob hoc unicum, quòd per Mariæ cultum ac venerationem tam facilè potuissent Regnum Cælorum obtinere, & tamen hoc se neglexisse?

11. Cæterùm ut quiscunque etiam peccator majorem erga Virginem, tam clementem, spem concipiat, séque seriò ad eam convertat, percipiat historiam, cujus meminit *Eusebius Nierenbergius* in troph. Marian. l. 4. c. 3. In Hispania non adeò ante multos annos vitam agebat quidam omnibus flagitiis contaminatam. Nullum erat crimen, si hæresis excipitur, in quo ad seram usque ætatem non se volutârat. Eò denique devenit, ut id studiosè ageret, quod Deo quàm maximè displicere sciebat. Neque jam malæ voluntatis libidine, neque illecebrosæ voluptatis suasu, sed impellente odio, quo in cæleste Numen ferebatur,

batur, atrocissima quæque scelera perpetrabat. Sic toto impetu in stygias flammas ruentem sustentavit Mater misericordiæ, nullis nisi minimis scelerati hominis obsequiis devincta. Hæc fortè de nocte quiescenti & sine somno jacenti aspectabilem se objicit, & conjectis in eum oculis, admirabili modestiâ ac miserationis affectu plenis, mox iterum evanuit. Non fuit frustra tam benigni sideris aspectus; nam eodem temporis articulo impius peccator, ex unico illo oculorum perstrictu totam præteritæ vitæ rationem ita clarè distinctéque perspexit, ut mox ingentem animi dolorem senserit, & quamvis ob tantam vitæ turpitudinem incredibili confusione percelleretur, non ideo tamen animum despondit, aut spem veniæ consequendæ abjecit; sed ortâ luce Sacerdotem è Collegio Societatis Jesu accersendum curat; Mittitur P. *Eusebius Nierenbergius*, qui hæc litteris mandavit, cui ille omnem retrò vitam tam exactè & explicatè evolvit, ut nemo Theologorum post operosam discussionem multorum annorum, clariùs & accuratiùs exponere potuisset. Tribus horis in ea conscientiæ accusatione consumptis, absolutionis beneficium à Sacerdote accepit, tantáque, quod reliquum erat vitæ, virtutum exercitatione peregit, ut omnes in admirationem raperentur. Interrogatus subinde à Confessario, quâ pietate aliquando in vita Dei Matrem coluisset? non aliâ respondit, quàm quòd semel quotidie Salutationem Angelicam in ejus honorem recitasset.

12. Tantùm valuit vel unicum Ave Maria, tantùm operatus est unicus aspectus, quo Maria hunc peccatorem aspicere dignata est. Quippe ùt *Richardus de S. Laurentio* l. 2. de laud. Virg. ait; *Adeò blandi erga omnes sunt oculi Virginis nostræ, ut, licèt oculi Domini sint super Justos, oculi tamen hujus Dominæ sunt super peccatores; sicut oculi bonæ Matris super puerum, ne cadat, vel si ceciderit, ut eum relevet.* Unde ipsa servienti sibi ait: *In via hac, quâ gradieris, firmabo super te oculos meos.* Denique quis legens hanc historiam non exclamet: O magna Mater! Miserationum pelagus! peccatorum refugium Maria? Quænam hæc tua misericordia? quæ gratia profligatissimo peccatori impensa? Quid tibi, O Virgo purissima, cum hoc flagitiorum cœno? Quid tibi Dei Matri cum teterrimo Dei hoste? Quis hîc non etiam cum *S. Bonaventura* in Psalterio B. Virginis Ps. 39. in hanc erumpat vocem: *Multa & mirabilia sunt dona tua, Domina, incomprehensibilia sunt tuarum munera gratiarum. Exaudisti preces* [*imò precatiunculam magis labiis quàm corde fusam*] *peccatoris, & eduxisti eum de lacu miseria, & de fovea inimici?* O qualis fovea, quàm profundus lacus, quò demergit iniquitas sua peccatorem! ex hoc lacu, è faucibus tartari, è formidabili æternitatis infelicis hiatu, eripuisti, O Clementissima Mater, hanc devotam orco victimam, & cælo asseruisti.

13. Cui igitur te, O incomparabilis Virgo, comparabo? certò haud malè tesserim, si assimilavero Lunæ. Quemadmodum enim Luna luminare minus nocti densissimas ejus tenebras depellendo deservit; Sic tu velut luminare minus præes nocti, id est peccatoribus, ipsis scilicet tuum maternæ misericordiæ auxilium præbes, horrendásque peccatorum nostrorum tenebras procul ex anima abigis. Hócque Tibi, O Maria, commissum esse ab ipsomet Deo munus, clarè admodum patet ex illo *Cant.* c. 1.

*Egre-*

*Egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos*, id est, ût pia Mater, pasce miseros peccatores suavi misericordiæ ac benignitatis lacte. Ulteriùs cui Te, O benignissima Mater, æquiparabo, annon Arcæ Noeticæ? Tu enim à diluvio perditionis æternæ nedum incolumes servas homines, illos, inquam, qui piè & justè, ut homines decet, vivunt, verùm etiam recipis bruta pecora, efferos leones, malè olentes hædos, id est varii generis peccatores, quos ad Te confugientes non repellis, sed foves & protegis, quoniam peccatorum omnium refugium te esse nemo fidelium negare potest. Hinc rectè fidus servus tuus *S. Bernardus* te alloquens ait: *Tu peccatorem quantumlibet fœdum non horres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuámque interventum pio corde flagitaverit. Tu illum à desperationis barathro piâ manu retrahis, spei medicamen aspiras, foves, non despicis, quousque horrendo Judici miserum reconcilies.* Hactenus *Mellifluus Doctor.* Quis igitur non festinabit suis in necessitatibus ac periculis ad hanc Sanctissimam Dei Matrem refugere? præsertim cùm non possit fideliter ad se recurrentium, suámque opem implorantium non misereſcere, quia miserationes ejus, sunt super omnia opera ejus.

14. Porrò cognitâ hâc velut immensâ Virginis Matris misericordiâ, auditísque præfatis historiis, & SS. Patrum intellectis testimoniis, forsan nonnemo fluctuabit animo, ac in dubium revocabit ea, suprà quæ retulimus de salvandorum paucitate. Si enim ita res se habeat cum Mariæ patrocinio misericordiáque, nemo sanè facilè Orthodoxorum æternâ morte damnabitur, quod expressè pugnat contra superiùs in Sermone præcedenti relata. Nam quis ex horum numero salutis suæ est tam immemor, qui non unâ saltem ad minus Angelicâ Salutatione, quotidie Deiparam deveneretur, eámque sibi demereri studeat? Respondetur igitur, quòd plus non rarò valeat una hujusmodi precatiuncula ex affectu sinceriore prolata ad misericordiæ Matrem sibi demerendam, quàm centenæ aut millenæ properante linguâ devolutæ. Hinc congruè *Author speculi* refert, fuisse fœminam officiosæ, ut sibi videbatur, pietatis erga Deiparam Virginem. Hæc quoties unam Salutationem Angelicam recitâsset, toties lapillum in dolium benè magnum conjecit. Cúmque cadum illum lapillis implesset, apparuit ei cælestis Genius, illámque edocuit ex omni illo Salutationum cumulo, tantùm unicam candidioris lapilli pretium tulisse. Unde colligere est, veram erga Dei Matrem devotionem non in multitudine precum, sed in sincero affectu consistere. Hinc videmus, quòd gravissimi quandoque peccatores unico ferventiori suspirio misericordiam Dei sibi concilient; nempe plus interest *Quomodo* quàm *Quantum.* Scimus quàm efficax fuerit illa *Davidis* vocula: *Peccavi*: & illa latronis verba: *Memento mei.* Et illa filii Prodigi. *Peccavi in cœlum & coram te!* Hujusmodi námque verbis ex intimo cordis sensu prolatis, partim peccata statim abolentur, partim congrua dispositio ad agendam pœnitentiam obtinetur, ut verum sit illud Apostoli *Rom.* 5. *Ubi abundavit delictum, super abundavit & gratia.*

15. Quamobrem licèt multi Christianorum reperiantur, qui varia in hono-

rem Deiparæ Virginis obeunt exercitia, orationes frequentant, peregrinationes suscipiunt, anathemata offerunt. Et Ah! quot ex his sunt, qui SS. Virginis gratiam sibi conciliant? Verè pauci; quoniam similia opera valde perfunctoriè, corde frigido, tepescenti animo, sine debita & cordiali affectione, & consuetudine magis, quàm ex sincera devotione peragunt, hinc non mirum paucos Marianam referre opem. Item quot reperire fas est, qui tametsi sibi magna in honorem Deiparæ præstare videntur, dum scilicet varias mortificationum species frequentant, non tamen merentur inter Marianos Servos computari? tales autem sunt illi, qui inquinato corde, multísque vitiis oppleto Dei Matri serviunt. Porrò, meminisse deberent hi tales illius clientis Mariani, qui ex amore Deiparæ Virginis multa quondam pietatis opera, heroicósque virtutum actus exercuit, de interiori verò animæ suæ cultu parvam vel ferè nullam curam habuit. Quantùm enim hic vivendi modus displiceret B. Virgini, patuit ex hoc eventu. Nam cùm Juvenis ille morbo quodam insperatè correptus lecto decumberet, affuit Sacratissima Cœli Regina, & ægrotantem quodammodo consolatura, post suave colloquium pulcherrimos ei fructus obtulit, sed in patina spurca, fœdéque commaculata, quam cum Juvenis contrectare vereretur, Deiparam cum admiratione percontatus est: quid sibi vellet hoc portentum, quòd tam raræ pulchritudinis fructus in tam fœdo vase reposuisset? Cui illa; Si mysterium nosse vis, inquit, scito: quòd talia sint opera & preces tuæ, quales hìc fructus vides; quæ enim in honorem meum agis, pulchra sunt omnia, cor tamen tuum, ex quo hæc procedunt, est immundum, multísque vitiis maculatum; unde talem mihi nauseam movet, qualem tibi hæc immunda patina. Priùs igitur cor tuum emunda, quàm opera tua mihi posthàc offeras, si vis, ut mihi meóque Filio grata sint. Sic effata ex oculis moribundi evanuit.

16. Liquet ergo ex ipsiusmet Sacratissimæ Virginis oraculo, similia virtutum exercitia ipsi haud placere, nisi procedant ex mundo corde & à vitiis expurgato. Quid enim oratio ex impuro & sordido pectore? Quid generosum vinum in illoto & fœdo poculo? Quid cibi delicati in immundo vase? *Non est speciosa laus*, ùt Sapiens [*Eccli.c.15.*] ait, *in ore peccatoris*. Egregiè omnino Dei Genitricis sensum descripsit *S. Damascenus* in Ser. de dormit. Virg. his pauculis verbis: *Ingluviem execratur, impuras cogitationes non secus ac viperarum fœtus fugit, sermones fœdos propellit, iræ tumorem odio habet, invidiam non admittit, Superbiæ hostili animo resistit.* Procul ergo, procul præfidens peccandi licentia; *Pone finem*, ait *S. Gregorius* l.1.ep.47. *in voluntate peccandi, & invenies Mariam promptam ad te juvandum*. Quia ergo perpauci consuetudine peccandi seriò se se abdicant, ideo minimè mirum, plurimos Dei Matris misericordiam non invenire, quamvis, nescio quæ, in ejus honorem peragant opera.

17. Præterea etiam, quot non nurrare licet, præcipuè verò inter Religiosos, qui initio sui Tyrocinii, nescio quæ & quanta in honorem Deiparæ exercere gestiunt mortificationum opera, ac alia pietatis exercitia; qui postmodum, elapsis pauculis annis, ab inceptis pe-

dem retrahunt, & suas consuetas devotiones in auras abire sinunt: & quomodo, amabò, tales sperare poterunt patrocinium Mariæ, cùm ipsi ab ejus cultu & veneratione recedant? Constantem sui amatorem Maria desiderat, non nutantem aut remissum. Quantus enim apud eam non fuit *S. Edmundus*? & tamen quòd is unâ solùm die neglexerit consuetam precem, quam quotidie in ejus honorem dicere solitabat, severiùs fuit ab illa monitus. Piissimus etiam Vir ille *Thomas è Kempis*, cùm vice quadam statas suas erga Deiparam preces, seu quasdam devotiunculas intermisisset, vidit illam in dormitorio deambulantem, & unicuique Religioso benedicentem, ad suum autem cubile cùm venisset, vidit se severo ab illa vultu perstringi, & sic tacitè propter negligentiam suam objurgari. Quo visu fuit adeò commotus, ut ab eo die nunquam deinceps in omnem vitam suam remiserit à consuetis suis erga eam devotionibus, abstinueritque potius à quocunque alio negotio, quàm ab hujusmodi exercitio. Amplius aliquid evenit *B. Hermanno-Josepho*, qui cùm esset à Superiore constitutus Monasterii æditũus, & nimia curâ abriperetur, ita ùt propterea diebus aliquot intermitteret solita sua ergo SSm̃ Dei Matrem exercitia, audiit vice quadam sub vesperum ad fores templi strepitum extraordinarium, cùmque accurreret visurus, quid ille sibi strepitus vellet? vidit adesse anum aliquam malè vestitam, rugosam, & omni ex parte deformem vetulam, quam cùm agnovisset ex voce esse Beatissimam Dei Matrem, cum qua sæpius aliàs familiarissimè agere consueverat, insolitâ rei novitate attonitus interrogavit illam, quid tam deformi vultu & vestitu portenderet? Tunc illa: Talis sum, inquit, Hermanne in corde tuo, qualem me foris vides, jam enim tibi in animo vilui, quia ab amore & veneratione mei remisisti. Quibus dictis disparuit.

18. Si hæc charioribus ejusdem clientibus evenerunt propter modicam in ejus Servitio negligentiam, semel tantùm vel bis commissam, quid gratiæ poterunt sibi polliceri illi, qui Spiritûs Sancti dictamine moti, magna quidem proposita subinde in honorem Deiparæ concipiunt, cùm autem ad opus pervenitur, vix unam vel alteram devotiunculam peragunt, & mox à propositis suis resiliunt? Quid auxilii sperare poterunt illi, qui dicere vel cogitare solent: Non teneor v. g. coronam B. Virginis vel quippiam aliud recitare; non obligor ad hæc & illa præstanda &c. Percipiant tales, quod *P. Casparus Lechner* in Sodali parthen. l. 3. c. 2. memorat. Duo è sodalitio Adolescentes die aut festo, aut Dominico, pomeridiano tempore, dum sudum ac innube cœlum esset, se recreandi causâ navem conscendunt, ut in Pado Italiæ flumine lusitabundi reliquum diem transigerent; dum id agunt, dixit alter alteri: Persolvimusne hodie consuetum Sodalitatis pensum? legamus ergo B. Virginis horarias preces. Cui alter: leges sodalitatis, inquit, non obligant sub peccato, & mihi jam precandi animus non est. Nihilominus alter orat, iste negli-

git. Paulò pòst orta est horribilis tempestas, turbines nunc ad hanc nunc ad illam partem navem jactabant. Juvenes summum vitæ suæ discrimen arbitrantes, Mariæ patrocinium ambo inclamant: adest illa pulcherrimâ specie ei, qui preces legerat, & prehensâ manu periculo eripit: ad alterum verò simile subsidium implorantem conversa, torvéque intuita ait: Jam non obligabaris me colere, nec ego obligor te morte eximere. Et cum hoc amarulento dicto miserum è navicula in flumen jam excussum, & cum morte jam luctantem deseruit. Ut adeò etiam hîc usurpare liceat illud S. *Thomæ: Sic nos tu visitas, sicut te colimus.* O quot cum isto frigido sodali in ultima mortis lucta Mariam nomine inclamabunt, ejúsque opem & auxilium implorabunt, at nihil impetrabunt; quia cùm se in vita non exhibuerint erga eam filios, nec ipsa erga eosdem cum morte jam luctantes monstrabit se esse Matrem. Sic infelices, cùm oculos suos altiùs aperient, ingemiscendo videbunt, quantum sibi animæque suæ nocuerint per detestandam Mariani cultûs negligentiam & remissionem. Invocabunt quidem tunc patrocinium Mariæ, at illa suas obturabit aures, quia & illi ad ejus inspirationes surdi erant.

19. Tandem etiam non pauci sunt, qui Mariæ misericordiam sibi in venenum convertunt, cogitantes intra se: Dei Mater est tam pia & misericors, ut quantumvis etiam maximos peccatores ad se conversos non repellat, sed benignè suscipiat, foveátque, ac suo filio reconciliet. Hinc suis cupiditatibus frena laxant, & perditissimè in Marianam Misericordiam peccant. An ergo tales digni sint exaudiri, dum in extremis suis periculis Mariam invocabunt? Profectò non. Audiamus, quidnam de similibus sentiat maximus Ecclesiæ Doctor S. *Pater Augustinus*: *Dinumerare* [inquit Ser. 120. de Temp.] *non possum, quantos hæc inanis spei umbra deceperit.* Porrò tametsi subinde Augustissima Cœli Regina tales perversissimos peccatores, parvo tantùm obsequio mota, benignissimo pietatis suæ oculo respiciat, eísque peccatorum suorum indulgentiam apud dilectissimum Filium suum impetret; hæc tamen gratia est extraordinaria, & insolitæ misericordiæ beneficium, centesimo imò nec millesimo concedendum. Optimè huc quadrat commune proverbium: Una hirundo non facit Ver.

Du sichst ein Schwalb/
denckst doch darbey/
Es folgt nit/das gleich
Frühling sey.

20. Ulteriùs locum hîc habet illa Juris regula: *Gratia uni facta, non est trahenda in consequentiam & exemplum aliorum.* Sic etiam gratia uni peccatori à Maria præstita, non est extendenda ad reliquos peccatores; Nam si communiter hoc beneficio mali & perversi homines impertirentur, Bone Deus! quot non forent, qui mala malis, scelera sceleribus

leribus cumularent, qui tamen nunc salubri Dei timore occupati peccata declinant, non nescientes, quàm difficilis ad cœlum sit aditus. Proinde longè meliùs, & Divinæ Providentiæ conformiùs est, ut non passim omnibus peccatoribus hoc singulare Marianæ Clementiæ beneficium communicetur, quia sic quàm plurima scelera, aliàs [ qui nunc boni audiunt ] ab eis quoque committenda impediuntur. Quod porrò valde conveniens sit, ut saltem aliquibus pauculis hæcce specialis gratia conferatur, inde liquet; quia sic spes peccatorum verè pœnitentium magis roboratur, & fiducia eorum erga Deiparam augetur, qui aliàs in desperationis abyssum prolaberentur. Item per hanc Mariæ misericordiam, aliquibus desperatissimis peccatoribus præstitam, etiam major devotio Marianorum clientum erga suam Dominam accenditur, accensáque firmiùs conservatur. Dum enim intelligunt tantam gratiam à Sanctissima Virgine etiam ipsis Dei hostibus fuisse collatam, spes eorum mirum in modum roboratur, se ab illa repulsam minimè passum iri, si in ejus Servitio constantes permaneant.

21. Ex his ergo probè consideratis, sat abundéque constat, adhuc verissimum esse, plurimos Christianorum fore damnandos, quia potior eorum pars ex culpa propria obstaculum ponit, quò Marianorum influxus favorum in se recipere non valeant. Qui naturæ secreta scrutantur, ajunt tempore verno, effulgente sole, cælestem rorem super amplissimum maris sinum diffundi, pandíque margaritarum conchylia, quæ receptis inde guttulis, eas in uniones mutant, & consolidant; calyces autem, qui se non aperiunt, pretioso fœtu destitui. Talis Sol est Maria, quæ gratiarum suarum rorem super totum genus humanum diffundit: qui ergo hunc cælestem rorem non suscipit, nec pretiosos virtutum fœtus parturit, profectò non Mariæ, sed sibi ipsi culpam adscribat, quòd scilicet vitiorum veterno oppressus cordis sui valvas huic Mariano Soli non reserârit, quò, discussis peccatorum tenebris, dies gratiæ ei orietur. Hinc quàm tristia, sed sera erunt inferorum, præcipuè Christianorum, lamenta, qui id unicè dolebunt ac deplorabunt, quòd Mariam, Scalam, Fenestram, Januam cæli, non ut decebat, coluerint, ejus se fidei & misericordiæ non commendârint, per ejus patrocinium è vitiorum barathro non se sustulerint, per gradus hujus Scalæ non ad ipsius Dei clementiam ascenderint, & ad regnum cælorum, quod etiam haustu frigidæ venale est, minimo, constanti tamen ac fervent, in Deiparam obsequio, sibi aditum per hanc Januam non paraverint. Quamobrem Amice frater, ne quondam similia damnatorum lamenta tu quoque canere cogaris, age nunc, quod agere vales, quò tibi hanc misericordissimam Matrem in tempore opportuno propitiam reddas, ac de ejus favoribus æternùm cum omnibus ejusdem Sacratissimæ Virginis

ginis clientibus gaudere valeas.

22. Porrò, ut hoc Mariano favore aliquando fruaris, cave ne negligas sequi saluberrimum *D. Bernardi* monitum, dum homil. 2. super *missus est*, ita scribit: *Ut impetres orationis ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum.* Qualis autem Virginis ac Matris nostræ fuerit conversatio, ac vitæ norma, quam sequi debemus, *D. Ambrosius* [lib. 2. de Virginibus] his verbis indicat: *De cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: Nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.* Quisquis ergo es, qui verus ac genuinus magnæ Matris *Mariæ* filius & cliens non solùm audire, sed & esse desideras, vitia & peccata, quæ Dominæ nostræ virtutibus contraposita sunt, quæque forsitan secutus hucusque fueras, imposterum deseras, longéque à te propellas oportet; si secùs agis, ne dicas, néque credas, te esse Mariæ cultorem & amatorem; Quippe vera amandi Matrem Virginem lex est, quam pro amando Deo vates Regius [*Psal.* 96. 10.] proposuit, dicens: *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Unde, literulâ mutatâ, devotos Magnæ Dominæ sic alloquitur *D. Bonaventura* in Psalterio Virginis: *Qui diligitis Dominam, odite malum.* Standum enim est Regulâ Juris: *Amicus meus, inimicus inimici mei probatur.* Qui aliter agit, non Virginem, sed se amat, imò nec se quidem; dum perniciem ipse sibi accersit præsentissimam: Nam [ut dicitur *Tobiæ* 12. 10.] *Qui faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.* Ergo, O Mariophili, quod pro scopo in præsenti hac GRAMMATICA RELIGIOSA præfiximus, solicitè ac diligenter observate & facite; nimirum satagite semper DECLINARE à malo, & CONJUGARE bonum in tempore PRÆSENTI; Hoc enim modo, si videlicet, relicto vitiorum IMPERFECTO, PERFECTUM virtutis amplecti elegeritis, obtinebitis securè FUTURUM INFINITUM cum PARTICIPIO salutis.

23. Quamobrem quisquis hæc legit, vel legi audit, velut argumentosa apis in suum cordis alvearium cuncta recondat, memor semper illius Hymnographi Regii [*Psal.* 36. 27.] *Declina à malo, & fac bonum.* Pro utroque hoc bono [à quo totum nostrum dependet æternæ felicitatis pondus] efficaciter assequendo, nil magis facit, quàm totâ mentis devotione recurrere ad Virginem Matrem, séque in sequentibus pro ejus honore exercere industriis, per quas miro modo ad se quilibet certò trahet misericordiæ Matris affectum & amorem, sicque æternam indubitanter consequetur animæ suæ salutem, dummodo in iis frequentandis perseverans constiterit. Sit ergo prima tua, qui *Mariæ* servus ac cliens audire, & esse cupis, devotio; nimirum ut in ejus honorem te quotidie contineas ab aliquo vitio, in quod maximè propendes.

Nam

Nam credas oportet, neminem in hac vita mortali tam sanctum & perfectum esse, ut à natura non propendeat ad aliquod vitium, vel saltem defectum leviorem; & quidem ad unum plus, quàm ad alium. Optimum autem remedium occurrendi hujusmodi vitiis est, si quis sibi proponat in honorem Beatæ Virginis ad certum aliquod tempus abstinere à tali defectu, sive vitio, ad quod à natura se maximè proclivem sentit. Sic si quis advertat in se, quòd in oculis sit curiosior, aut liberior in lingua, aut ad exitum ex cella, aut claustro propensior, facillimè hoc vitium successivè vincet, si statuerit ex amore Deiparæ abstinere ab illo: inprimis die uno vel duobus: deinde per hebdomadam unam; postea ab una festivitate Beatæ Virginis ad aliam: & sic deincexs juxta dictamen affectûs erga Deiparam. Experientiâ namque constat, quòd hoc modo superata fuerint vitia, quæ putabantur ferè insuperabilia.

24. Hoc modo Juvenis quidam lasciviæ deditus, cùm in Venerem esset adeò putris, ut nullis remediis videretur ab hoc fœtido crimine posse avelli, monitus est à *Sancto Bernardo*, ut saltem per triduum ab illo abstineret in honorem Sanctissimæ Trinitatis, quod & fecit: elapso autem illo triduo monitus est, ut adhuc alio triduo ab hoc vitio se cohiberet in honorem Sacratissimæ Reginæ Cælitum: cui monitioni cùm ægrè tandem annuisset, sed demum fideliter obtemperasset, reversus ad *Sanctum Bernardum* dixit, non esse sibi opus ulteriori stimulo ad dissuadendum illud vitium, eò quòd motu proprio jam firmiter proposuerit ab illo deinceps in perpetuum constantissimè abstinere, prout etiam reipsa fideliter abstinuit. En quantum profuerit huic malesferiato homini, etiam vel semel exercuisse in honorem Beatæ Virginis istiusmodi devotionem. Huc pariter facit, quod *Joannes Nyder*, qui Anno 1430. Norimbergæ Antistes fuit in Sancti Dominici familia, scribit libro 4. Formic. cap. 4. fuisse scilicet virum nobilem ævo suo, qui à puero assueverat Deum & Cælites verbo violare, aliis pessimè precari. Has voces puer in aula hauserat, quas & senex assiduè jactâbat. Displicuit viro inolitum hoc vitium, statuitque apud animum suum sæpius tam fœdam loquendi labem dediscere, nec tamen dedidicit; pugnavit secum aliquamdiu, raro victor: nam lubricæ linguæ præcipitio abreptus ruebat in antiqua. Tandem firmiter sibi proposuit, quòd in honorem Beatissimæ Virginis ab istiusmodi linguæ peccatis abstinere vellet hac lege, ut quotiescunque linguâ Deum hominésque peteret, eo die carnibus abstineret. Et ne sibi quidquam ipse indulgeret, famulis severè præcepit, ut execrationes suas & maledicta numerarent; & quemcunque numerum subnotassent, jussi dicerent. Principium, ut solet, tam fuit difficile, ut anno ferè dimidio à carnium esu non sine violentia se continuerit, ne, quod Deiparæ Virgini se facturum promiserat, violaret. Et quamvis aliquanto tempore in Principis cujusdam aula degeret, nihilominus instituti tenax perseveravit facere quod cœpit. Ex quo agendi modo ita seipsum triumphavit, ut quidquid vitii pessimâ consuetudine contraxerat, generosè prorsus expugnârit sic, ut nulla ampliùs vocula

cula impia ab ejus ore audita fuerit. Tanti est vitium quodcunque hac parte aggredi, & velle vincere. Vincit, quisquis ita agere firmiter decernit. Et ut dicta firmemus, citatus Scriptor subjungit ista: Civis Memmingæ opulentus in eandem execrandi consuetudinem prolapsus, hanc sibi mulctam statuit, ut quoties divinum Nomen minùs reverenter appellaret, aut aliter linguâ delinqueret, eo die in honorem DEI Genitricis MARIÆ genium vino fraudaret, & aquam biberet, ídque fine ulla exceptione vel venia; Non diu lympham bibit, & linguam domuit, à consuetudine tam improba penitùs liber. Quid ad hæc dicitis, ô Mariophili Religiosi? Si sic in honorem Deiparæ per mortificationis vomerem sua vitia eruncare student Laici & sæculares, quid non agere deberent Clerici ac Religiosi? Quisquis igitur vel linguæ procacitatem, vel aliud quodcunque vitium in se cupit expugnatum, hoc agat, ut pro honore & amore Sacratissimæ Virginis MARIÆ voluntariis se pœnis toties moneat, quoties deliquisse contigerit: hoc enim modo & domari lingua, & quidquid vitiosi vivit in animo, superari poterit. Nec præterea dubitandum, quin multi ob hanc devotionem DEI Matri gratissimi extiterint; proinde non negligenda, sed ab omnibus Marianis Cultoribus ante omnia frequentanda est hujusmodi devotio.

25. Altera ad Beatissimam Virginem devotio est, ei offerre sertum ex diversis Virtutum actibus, piisque operibus confectum. Hæc devotio est adinventa à bonis quibusdam Cultoribus Marianis, qui singulis diebus aliqua opera bona in honorem Deiparæ Virginis exercuerunt eo fine, ut sub finem vitæ hæc omnia in unum quodammodo fascem collecta, eidem Sacratissimæ Dominæ suæ per modum serti offerrent. Horum exemplum si cupis imitari; fac tibi libellum, conceptóque proposito firmo, quòd singulis diebus vitæ tuæ velis unum ad minùs actum meritorium in honorem gloriosissimæ Cælitum Reginæ facere, & nota quid quolibet die in ejus honorem feceris; & si quandoque sub vesperum adverteres, quòd aliquâ die nihil simile feceris, adscribe pro ea die *Nullam* modo consueto, id est O. cum detestatione tamen tuæ negligentiæ, conceptóque emendationis proposito. Et postquam vitæ tuæ metam imminere senseris, offer Beatissimæ Dominæ tuæ hoc sertum affectu humillimo rogans, ut tibi vice versâ coronam gloriæ à dilecto Filio impetret. Eadem devotio potest applicari ad certas Deiparæ festivitates, ita ut decem, viginti, aut triginta diebus ante aliquam ejus festivitatem antecedentibus, quotidie aliquâ pietatis opera facias, & in libello tuo notes cum intentione, quòd hæc opera permodum spiritualis serti colligata velis amabilissimæ eidem Virgini in occurrente ejus festivitate humiliter offerre. Quantos porrò ex hac in Deiparam devotione in religiosæ perfectionis studio progressus sis facturus, propria te docebit experientia; quippe quæ aliàs videntur ardua ac difficilia, hoc modo fient suavia & facillima. Quid enim v. g. difficilius videtur, quàm eos, qui te oderunt, multisque afficiunt injuriis & calumniis, ex corde diligere, eisque benefacere, ac pro eorum salute ardentes

ardentes ad Deum preces effundere? Hoc autem jucundum fiet, dum in tuo libello notas: *Hodie in honorem B. Virginis huic sive illi, qui me injuriosè læsit, famam mihi detraxit &c. ex animo non solùm indulsi, sed etiam has & illas preces pro eo Deo obtuli.* Si molestum quandoque tibi accidat, totâ die in cella solitariè vivere, & ab omnibus verbis abstinere; id citra ullam difficultatem practicabis, dum in tuo libello notaveris: *Hodie amore Virginis Deiparæ solitarius in camera mansi, & ab omni otioso ac inutili verbo abstinui.* Hoc modo gradatim vitia omnia radicitùs ex animo tuo eruncabis, eorúmque loco efflorescere sentiės odoriferos variarum virtutum flosculos, qui animam tuam mirè exornabunt, eámque Christo, & Sanctissimæ Matri ejus acceptissimam reddent, prout colligere poteris ex iis quæ sequuntur.

26. *Cæsarius* rerum memorabilium, quæ suo tempore contigêre, fidelissimus Scriptor, refert lib. 7. Miracul. cap. 59. quòd propè Tridentum latro famosus, vel potiùs infamis degebat, qui cædibus & rapinis circum circa omnia replebat: Hic aliquando ab obvio quodam Cisterciensi Monacho persuasus, proposuit omnibus diebus Sabbathinis in honorem Deiparæ jejunare, & à latrocinio diebus illis abstinere: quod & fecit: factum interea, ut etiam Sabbathino die caperetur à satellitibus, quorum manus effugere poterat, si contra propositum suum se defendere voluisset. Ductus ad carcerem Tridentum, facto processu fuit adjudicatus morti, ad quam se cum magno dolore & pœnitentia disposuit, tandémque capite plexus est. Nocte insequenti circumfulsit magna lux sepulchrum hujus defuncti, & comparuerunt Matronæ quinque: quarum quatuor cadaver ex infami tumulo effodientes, & caput corpori adaptantes, posuerunt in feretro miræ texturæ purpurâ superinjectâ. Cúmque ad portam civitatis quatuor ex illis feretrum deferrent, quinta, quæ omnium erat clarissima, cereum accensum manu gestans (quod & reliquæ faciebant) dixit custodibus: Dicite Episcopo, ut hunc meum servum in templo honorificè sepeliat. Manè cùm Episcopo hæc nuntiata essent, cum Clero & populo exiens, purpuram deposuit, caput præcisum corpori unitum videns expavit, texturámque purpuræ humanum artificium excedentem admiratus, relatis credidit, & cadaver cum timore & honore maximo, non ut latronis, sed adinstar Christi Martyris, in loco à DEI Matre designato sepelivit. Discant hinc omnes, quàm potenter per modò memorata Marianæ devotionis exercitia ad se attracturi sint misericordiæ Matris favores; Nam si hic latro tam eximias à Virgine Deipara consecutus fuerit gratiarum prærogativas eâ solùm de causa, quòd vel unâ in hebdomade die ad illius honorem à cæde & læsione aliorum abstinuerit, eóque die jejunando sese afflictârit; Quid non sperandum habebunt illi, qui quotidie contra quælibet vitia non solùm strenuè decertant, eáque victoriosè profligant; sed insuper specialem virtutis actum amore amantissimæ Matris suæ MARIÆ exercere non intermittunt? Profectò non habent, nec habebunt quod in morte sua timeant; experientur enim certò in illa ultima hora auxilium Marianum,

rianum, quod perire eos neutiquam finet; quia teste *Sancto Ignatio* Martyre, nunquam malè peribit, qui Genitrici Virgini devotus fuerit.

27. Verùm enim verò, quò quis indies magis ac magis Virginis Deiparæ affectum & amorem sibi conciliet, optimum fecerit, si quotidie in honorem ejus Rosarium Majus (quod aliàs vocari solet Psalterium Beatæ Virginis) cum pia quadam devotione oraverit. Quem quidem cultum super omnes sibi acceptissimum esse Beata Virgo Servo suo *Beato Alano* revelavit, dicens: *Hoc genus orandi est mihi gratissimum, & ad impetrandum divinam misericordiam accommodatissimum, populis salutare, & contra quævis adversa præsens auxilium.* Hoc autem Psalterium originem suam habet à *Sancto Dominico*; & constat quindecim decadibus in honorem quindecim Mysteriorum Beatæ Virginis, quæ solent salutationibus interseri. Quantum verò hoc Psalterium ad divinam misericordiam impetrandam faciat, quámque potenter & efficaciter à gehennalibus suppliciis eripiat, nostrámque salutem securam reddat, liquet ex quodam responso, quod cacodæmones ex persona quadam obsessa, cogente & urgente *Sancto Dominico*, dederunt dicentes: *Coacti fatemur, neminem nobiscum damnari, qui in Christi Matris cultu, & pio obsequio devotus perseverat. Unicum ipsius suspirium ab ipsa, & per ipsam Sacrosanctæ Trinitati oblatum superat, & excedit omnium Sanctorum preces, magisque eam reformidamus, quàm omnes Paradisi Sanctos; nec contra fideles ejus servos & famulos quidquam prævalere possumus. Notum sit etiam vobis, plurimos Christianos in hora mortis ipsam invocantes contra jura nostra salvari, & nisi ista obstitisset, nostrósque conatus repressisset, à longo jam tempore Ecclesiam exterminassemus. Adhuc planius & plenius, vi & necessitate compulsi, vobis dicimus: Nullum in exercitio Rosarii ipsius perseverantem, æternos inferni subire cruciatus; Ipsa enim devotis servis suis piam impetrat contritionem, quâ fit, ut & peccata sua confiteantur, & eorundem indulgentiam à DEO consequantur.* Et hoc est, quod ipsa protulit de Rosario, *esse scilicet ad divinam misericordiam impetrandam accommodatissimum*, quam & nos, si Rosario devotè & perseveranter operam demus, Deiparâ favente consequemur.

28. Quod si autem tempus alicui non vacat, omni die majus hoc Rosarium percurrere, conetur saltem in solemnibus Deiparæ festivitatibus (quibus plus solito in honorem magnæ illius Matris fieri convenit) Psalterium hoc devotâ mente orare; Rosarium verò minus (quod constat sex decadibus sive 63. Salutationibus Angelicis in honorem sexaginta trium annorum, quibus Beatissima Virgo in hoc mundo juxta communiorem sententiam vixisse dicitur) qui quotidie non persolvit, nescio, num dignus censendus sit inter Marianos Clientes, & Cultores computari? Quantoperè verò hæc etiam devotio Deiparæ Virgini placeat, liquet ex exemplo (Chron. Minor. part. 3. lib. 1. cap. 36.) quod subjicio: *Aloysius Albanensis* ex Ordine Minorum Novitius à suo Guardiano, Patre Gabriele, singulis diebus coronam, antequam ederet aliquid, recitare jussus, cùm aliquando aliis occupatus pensi sui immemor ad mensam venisset, à Superiore interrogatus, & de obli-

oblivione increpitus ad templum, ut debitum exsolveret, missus est. Ibi bonus ille flexis ante Aram maximam genibus, coronam suam persolvere instituit, quod dum facit, visus est tum ab aliis, tum ab ipsomet Superiore, qui ad rei miraculum commonitus accurrerat; visus est, inquam, Angelus orantis supernè capiti imminens, qui filo aureo rosas liliáque, quæ de istius ore fluebant, ita inserebat, ut post singulas rosarum decades, singula lilia succederent, quæ deinde omnia, in corollæ modum innexa, adolescentis capiti imposuit, & avolavit. Et nè quis vanam hìc aliquam phantasiæ illusionem intervenisse crederet, mirus & perquam suavis, ac benè diuturnus afflatus est ex eodem, ubi ille oraverat, loco, rosarum, & liliorum odor; Ipséque adeò Novitius multis deinceps à Deipara favoribus cumulatus, ad mortem usque in cœpta pietate perseveravit. Atque hinc patuit, quàm gratum esset Deiparæ hoc pensum, quámque benè conveniret globulis illis precariis nomen Rosarii.

Mirum igitur videri possit, si quis se Clientem Marianum profiteri velit, & tamen ausit aliquando diem abire finere, quo Sacratissimæ Dominæ suæ corollam tam amabilem non offerat. Certè *Sanctus Franciscus Salesius*, Præsul Genevensis, non obstantibus gravissimis laboribus, quibus causâ propagandæ fidei propemodum obruebatur, quotidie pensum illud Divæ Virginis piè admodum litabat. Imò cùm vice quadam laboribus insolitis ita gravaretur, ut nonnisi sub seram noctem, & quidem toto corpore defatigatus reperiret tempus pro recitando suo Rosario, quidam verò ex familiaribus suis eum hortaretur, ut, si quidem suæ sanitati consultum vellet, differret Rosarium illud in sequentem diem, nè membra lassa delassaret ampliùs. Respondit: Amice, non debet differri in diem alterum, quod potest hodie fieri. Si hæc tantâ solertiâ agunt Præsules, in laboribus, & curis plurimis constituti, quam excusationem afferent Religiosi, qui ab omnibus omninò laboribus, & curis externis absoluti sunt, ut DEO, & Sacratissimæ ejus Matri tantummodò servirent?

29. Porrò, quò majori cum devotione tuum recites Rosarium, stude in cella tua habere devotam imaginem Beatissimæ Virginis, coram quâ piè ac devotè tuas fundere preces assuesce. Hanc devotionem *Sanctus Dominicus* omnibus suis Filiis impensè præcepit, ita ut ipsius tempore nemo fuerit, qui pro cellæ suæ Domina non haberet MARIAM in pia aliqua imagine propositam. De *Venerabili Patre Isaia Polono*, Religionis nostræ magno Prædicatore, ac eximio Divinæ Scripturæ Interprete refert noster *Pater Joannes Gregorius à JESU MARIA* in suo Horto Gethsemani Tom. 2. part. 5. lect. 44. num. 10. quòd Beatissimæ Virgini fuerit devotissimus, suásque orationes continuò effundere consueverit ante imaginem Sacratissimæ Deiparæ, Puerum JESUM lactantis; hinc identidem repetebat: *Monstra te esse Matrem.* Tandem cùm Vir DEI infirmaretur ad mortem, apparuit ei gloriosa Virgo MARIA, manibus gestans Puerum JESUM, & comitata Sanctorum choro, vultu hilari, benignóque aspectu cœpit edicere: *Isaia, dilecte fili mi, præpara animam,*

animam, *quia protinus eâ frueris gloriâ, quâ frui merentur qui piè in hoc sæculo vivunt, & me veluti Matrem suam assiduè colunt, & reverentur.* Hinc horam suæ mortis prænuncians, astantibus fratribus omnia, quæ ipsi contigerant, manifestavit, susceptisque Ecclesiæ Sacramentis, oculis in cælum elevatis, maximo pietatis affectu dicebat: *In manus tuas, Domine JESU Fili DEI, & Virginis Matris MARIÆ commendo spiritum meum:* Sic effatus spiritum emisit, & anima ejus ad cælos ascendit, innumerabilibus Angelis sociata, qui ab omnibus angelicè canere audiebantur: *Hæ sunt gratiæ, quas filii justi sugunt ab uberibus Virginis Matris MARIÆ.* Ecce, quàm rectè dixerit *Doctor Seraphicus* in Psalterio Virginis: *Qui acquirit gratiam MARIÆ, agnoscetur à Civibus paradisi: & qui habuerit characterem ejus, annotabitur in libro vitæ.* Imò verò ipsa de se apud *Sacrum Parœmiastem* (*Proverb.* 8. 35.) dicit: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Lubet proinde epiphonematis loco cum citato *Divo Bonaventura* exclamare: *Audite hæc omnes Gentes: auribus percipite qui ingredi cupitis regnum DEI: Virginem MARIAM honorate, & invenietis vitam, & salutem perpetuam.*

30. Hanc vitam ut & tu, religiose lector, in morte tua invenire æternúmque felix esse merearis, noli negligere in agone tuo habere coram oculis tuis, aut saltem prope te Imaginem Beatissimæ Virginis ad exemplum plurimorum clientum Marianorum, quos inter etiam non postremus erat noster *Venerabilis Pater Joannes à Sancto Guilelmo,* qui sicut in vita totum delicium suum habuisse videbatur in devotis imaginibus Deiparæ Virginis; ita voluit etiam moriens hoc eodem solatio se postremùm recreare, ultimúmque oculorum suorum usum in ejusdem amabilissimo aspectu concludere. Ita pariter *Beatus Stanislaus Kostka*, Novitius è Societate JESU, ultimum spiritum suum emisit in osculo, quod imagini Deiparæ Virginis impresserat. Similiter. *Vener. Virgo MARIA de Incarnatione* Monialis Carmelitana, quæ institutum illud in Galliam introduxit, cùm morbo lethali correpta, deberet animam agere, jussit sibi ad pedem lecti afferri imaginem Matris DEI, & cum illa tanquam amabilissima sua Domina, Matre, & Patrona agens, dulcissima miscuit colloquia, non aliter quàm si Sacratissimam cæli Reginam personaliter sibi præsentem haberet. Et quia ex hoc suavissimo ejus colloquio maxima in agone suo sentiebat solatia, rogavit Antistitam Pontæsiani Monasterii, in quo obiit, ut unicuique Moniali imposterùm decessuræ hanc ipsam DEI Genitricis imaginem in articulo mortis ante conspectum collocaret, ut pari solatio vitam hanc miseram finiret, quemadmodum illa finivisset.

31. Optandum esset hìc, ut ejusdem animi essent omnes Clientes Mariani; quid enim feliciùs, aut quid salutariùs, vel etiam delectabiliùs potest sub vitæ agonem verus MARIÆ cultor desiderare, quàm in imagine videre sibi præsentem dulcissimam illam Matrem, cui se totum in vita, & morte consecravit? quam per tot centenas, & fortè millenas Salutationes Angelicas rogare consueverat, ut sibi in hora mortis adesset? quam instantissimè solitus est obsecrare, ut se dignaretur in mortis

mortis articulo ab insidiis Satanæ defendere; benedicto Filio suo præsentare, & ad sanctam Societatem omnium Electorum deducere? Quid feliciùs, quàm in Sacratissimæ illius Virginis aspectu terminare visum, cui sensus suos omnes ad perpetuum obsequium devovere consueverat? Quid optabiliùs, quàm coram ea terminare vitam, cui vitam omnem consecraverat? Quid beatiùs, quàm reipsâ per modum holocausti sese illi offerre moriendo, cui vivens tam frequenter ex amanti cordis affectu dicere solebat, quòd in hac vita nolit habere corpus, nisi ei in victimam, neque vitam, nisi ei in sacrificium? An non in supremo & mortuali suo lecto, velut in ara quadam constitutus Marianus Cliens deberet dulcissimam Matrem, Dominámque suam, si non personaliter, saltem in imagine sibi præsentem sic affari ex ardentissimo corde:

O Gloriosissima Cæli Terræque Regina! Dulcissima Mater, & Domina mea! en tandem adest optata illa hora, quâ cor, animam, spiritúmque meum, omnes vires, & potentias meas, & omne aliud quod in me, & de me est, in sanctissimas manus tuas deponere debeo; en jaceo in hoc mortali lecto velut in ara quadam, ut nunc tandem tibi, dulcissimóque Filio tuo ad instar holocausti totus immoler, quemadmodum semper concupivi. Emitte igitur ex sacratissimo corde tuo suavissimos illos amoris ignes, quibus hæc victima mea succendi desiderat, & tui amore tota concremetur. Submitte flammam, quæ ab hac victima auferat quod immundum est, consumat quod iniquum est, purificet quod imperfectum est, & sanctificet quod rectum est. Accende in me, accende, accende, obsecro, sanctum illum ignem tui amoris, ut qui post Deum totus tuus sum, totus etiam tibi nunc immoler, & opere demonstrem, quod tibi ex filiali affectu sæpe spondebam, me scilicet nolle habere oculos, nisi ad te videndum; neque aures, nisi ad te audiendum; neque linguam, nisi ad loquendum de te: neque cor, nisi ad recordationem tuæ dulcedinis; neque intellectum, nisi ad indaganda media tui amoris; neque manus nisi tibi ad obsequium; neque pedes, nisi tibi ad servitium; neque corpus, nisi tibi ad victimam; neque vitam, nisi tibi in sacrificium, &c.

Optandum sanè esset, ut talibus suspiriis, ex intimo corde prorumpentibus quilibet Marianus Cliens se Sacratissimæ Matri suæ offerret in holocaustum, & à rebus terrenis totaliter abstractus, totus absumeretur in amore MARIÆ, & Benedicti Filii ejus JESU. Vix enim fieri potest, ut, qui gemino huic amori immoritur, non reviviscat in æterna Gloria. Si ergo te ex sincero affectu, verbìsque non fictis, sed seria voluntate in servum MARIÆ consecrâsti, vide, ut in agone tuo (quo principale experimentum hujus oblationis tuæ præstare debes) corpus, vitam, animámque tuam non alteri, quàm eidem gloriosissimæ Cæli Reginæ, dilectissimóque ejus Filio sacrifices, & in benedictas illas manus vitam tuam temporalem deponas, à quibus vicissim æternam recipere speras. Restat proinde nihil, nisi ut concludamus cum *Sapiente* dicente: (*Ecclesiast.* 12. 13.) *Finem loquendi pariter omnes audiamus:*

*mus* : DEUM *time*, & *mandata ejus observa*; *hoc est enim omnis homo*, id est, perfectus homo est; si timeat DEUM, ejusque mandata observet; Hoc *Salomonis* Dogma observare perhibetur, qui opere & veritate addidicit *Declinare Malum*, & *conjugare Bonum*. Eapropter quæ in præsenti hac *Grammatica Religiosa* continentur, Lector pie, piè lege, sanè intellige, opere exerce, & in Domino vale.

*Atque hæc, ad majorem Sanctissimæ TRINITATIS, ad MARIÆ Virginis Deiparæ, totiúsque Curiæ Cælestis Gloriam, & Honorem scripta, Sanctæque Matris Ecclesiæ judicio humiliter subjecta sunto.*

# FINIS.



INDEX



# INDEX RERUM ET VERBORUM.

Numerus Primus designat Sermonem; Secundus Paragraphum Sermonis.

## A.

B.

De-

## G.



Ejus

## H.

# L.

## M.

# N.

## O.

Perfectio

## Q.



## R.

## S.

# T.

## V.

# FINIS.



Grammatica
Religiosa.

Abrahamus à S. Clara R. P.

Nova et magna Grammatica religiosa,
quae
per sermones morales stylo facillimo docet declinare a malo et conjungare bonum.
Opus olim quidem ab R. P. Abramamo à S. Clara, per P. P. Michaelem à S. Catharina

Coloniae.

Apud Servatium Noethen bibliopolam.
1721.

8°. Pars I. 12 k. n. – 486 str. (A–$A_3$ – Ppp–$Ppp_3$)
" II. 424 str. – 20 k. n. (A–$A_3$ – Mmm–$Mmm_3$)

Opr. skórk. na desce.

Abrahamus à S. Clara R. P.

Nova et magna grammatica religiosa, quae per sermones morales stylo facillimo docet declinare a malo et conjungere bonum.

Opus olim quidem ab R. P. Abrahamo à S. Clara, per P. S. Michaelem à S. Catharina.

Coloniae.

Apud servatium Noethen bibliopolam.

1721.

8° Pars I. 12 k. n. – 486 str. (A-A3 – Ppp-Ppp4)

Pars II. 424 str. (~~Ggg-Ggg3~~) – 20 k. n.
A-A3 – Mmm-Mmm3

Opr. skórk na desce.